

LIBRARY OF PRINCETON
MAY 4 1903
THEOLOGICAL SEMINARY.

Division BCC
Section 5415
v. 37-39

2/3

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido Maria Dreves.**

XXXVII.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters.

Fünfte Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1901.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters

aus

Handschriften und Frühdrucken.

Fünfte Folge

herausgegeben

von

Clemens Blume
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1901.



Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/analectahymnicam3739drev

VORWORT.

Weitere 345 Sequenzen reihen sich hiermit der vierten Folge (Bd. XXXIV) als fünfte an und machen das 2. Tausend unedierter Sequenzen vollzählig. Der übrige Rest dieser Dichtungsart läfst sich voraussichtlich auf 2—3 Bände verteilen. Da ganz die gleichen Grundsätze wie bei Herausgabe der vierten Folge hier zur Geltung kamen, sind nähere Erklärungen als Geleitworte überflüssig.

Nur wenige Bemerkungen betreffs einzelner Quellen. Von besonderem Interesse ist der Codex CVII (100) des Domkapitels von Verona. Paul v. Winterfeld hat bereits in einem lehrreichen Aufsatze „Zur Geschichte der rhythmischen Dichtung“ (Neues Archiv d. G. f. d. G. XXV, S. 60 ff.) die Aufmerksamkeit der Forscher auf denselben gelenkt. Das Alter der Handschrift reicht bis ins 11. Jahrhundert zurück, nicht ins 10., wie Chevalier bezw. der frühere Bibliothekar des Kapitels von Verona meint, dessen hymnologische Aufzeichnungen ersterer wortgetreu in sein Repertorium Hymnologicum eingetragen hat. Betreffs der Provenienz verweist Winterfeld auf die Ansicht Banisters, nach der die Handschrift „aus Oberitalien, wahrscheinlich Modena oder Nonantula“ stammen soll. Damit ist nicht ganz das Richtige getroffen. Zweifelsohne handelt es sich um einen Benediktiner-Codex; dafür bürgen mehrere Sequenzen auf den hl. Benedict und das verhältnismäfsig reiche Tropar, in dem die Translatio dieses Heiligen gefeiert und der Introitus seiner Festmesse durch Tropen ausgezeichnet ist. Nach Norditalien weisen verschiedene Lokalheilige, wie die hh. Firmus, Proculus, Zeno. Die nächste Abgrenzung aber gewinnen wir durch die Sequenz auf den hl. Bekenner Rufinus, der überdies mit einem besonderen Tropus bedacht ist. Das Fest dieses Heiligen wurde

in Mantua gefeiert (Acta SS. Boland. 19. Aug. III, 730); die Schlufsklausel der erwähnten Sequenz lautet überdies: „Mantua pie guberna“. Bei Mantua liegt die einst so blühende Benediktiner-Abtei San Benedetto; dort also ist die Ursprungsstätte unseres Sequentiars und Tropars. — Über den früheren Handschriftenschatz dieser Abtei erfahren wir einiges von Wion in seinem Werke: „Lignum vitae, Ornamentum et Decus Ecclesiae in 5 libros divisum. In quibus totius ss. Religionis divi Benedicti initia etc. . . . explicantur. Auctore Arnoldo Wion, Belga, Duacensi, Monacho S. Benedicti de Mantua . . . . Venetiis 1595.“ Öfters nämlich heifst es daselbst bei Angabe seiner Quellen: „Est MS. in monasterio nostro S. Benedicti Mantuani,“ oder änlich.

Der Inhalt des Sequentiars ist folgender:

Laudes salvatori voce	fol. 25a.	N.
Sancti merita Benedicti	„ 51b.	
Prompta mente trinitati	„ 52b.	E.
Natus ante saecula.	„ 71a.	N.
Hodie puer natus est	„ 72a.	VII, 34.
Christi hodierna pangimini	„ 73a.	VII, 42.
*Laus tibi Deus pater Iesu	„ 74a.	
*Ecce iam venit nostra.	„ 75a.	
Hanc concordis famulatum (!) . . .	„ 76a.	N.
Gloriosa dies adest	„ 76b.	VII, 213.
Iohannes Iesu Christo	„ 77b.	N.
Laus tibi Christe cui sapit	„ 78a.	N.
*Haec sunt sacra festa	„ 79b.	
Eia recolamus laudibus	„ 80a.	N.
*Laude mirandum digna	„ 87a.	XXXIV, 13.
*Hanc diem tribus	„ 88a.	X, 23.
Festa Christi omnis	„ 83a.	N.
Qui benedici cupitis	„ 84b.	E.
Concentu parili te	„ 85b.	N.
Fulgens praeclara	„ 87a.	VII, 57.
Clara gaudia festa	„ 88b.	VII, 66.
Ecce vicit radix David	„ 89b.	VII, 63.
Dic nobis quibus e terris	„ 90b.	VII, 73.
Cunctis simul instantia	„ 91b.	VII, 60.
Haec est sancta sollemnitas sollemnitatum. (Resurrectio)	„ 92a.	
Rex omnipotens die	„ 92b.	VII, 72.
Summi triumphum	„ 93b.	N.
Sancti spiritus assit.	„ 95a.	N.
Benedicta semper sancta	„ 96a.	N
Sancti baptistae praeconis	„ 97b.	N.
*Alme mundi rex Christe	„ 98a.	
Petre summe Christi	„ 99a.	N.

Haec est sancta sollemnitas (Petrus) .	fol.	99b.	VII, 216 (Stephanus).
Pretiosa sollemnitas.	„	100a.	VII, 203.
Candida contio (comptio Hs.) melos (Benedictus)	„	101a.	VII, 167 (Martialis).
Laurenti David magni	„	101b.	N.
*Felix valde o Maria	„	102b.	XXXIV, 84.
Stirpe Maria regia	„	103a.	N.
Congaudent angelorum	„	103b.	N.
*Sanctum diem celebremus	„	104b.	
*Virum sanctum collaudemus . . .	„	105b.	
*Sanctae crucis celebremus	„	105b.	
Summi regis archangele	„	106b.	
Ad celebres rex caelice	„	107a.	N.
Omnes sancti Seraphim	„	108b.	N.
Organicis canamus	„	109b.	VII, 167.
Sacerdotem Christi	„	110a.	N.
Hodiernus sacratior (Martinus) . . .	„	111b;	(Saturninus) VII, 212.
Deus in tua virtute	„	112a.	N.
Clare sanctorum senatus	„	113a.	N.
Agone triumphali	„	113b.	N.
Miles inclite fortissimi.	„	114a.	N?
Laus tibi Christe patris	„	114b.	N.
*Laude sanctum illius	„	115a.	
Rex regum Deus noster	„	115b.	N.
Virginis venerandae	„	116a.	N.
Psallat ecclesia mater	„	117a.	N.
Ad templi huius limina	„	117b.	VII, 243.
Stans a longe qui	„	118b.	VII, 254.
Rex aeterne dominatur	„	118b.	VII, 257.
*Hac in aula regi Christo	„	119a.	(add. saec. 11).

Das beigefügte N bezw. E bezeichnet die von Notker oder Ekkehard stammenden Sequenzen; die angehängten römischen und arabischen Ziffern verweisen auf Band und Seite der Analecta Hymnica, wo jene Dichtungen bereits publiziert sind; das vorgesetzte Sternchen kennzeichnet jene Sequenzen, die beim ersten Blick specifisch oberitalischen Ursprungs zu sein scheinen; die übrigen, nicht weiter kenntlich gemachten Pièçen sind weit verbreitete, schon vielfach publizierte Sequenzen, die als St. Gallische bezeichnet werden dürfen.

Der weitaus gröfste Teil der 61 Sequenzen enfällt demnach auf die St. Galler Schule, nämlich 27 Notkerische, 2 Ekkehardische und 3 Adespota; 17 kommen auf St. Martial zu Limoges, von denen jedoch 2 („Rex omnipotens“ und „Stans a longe“) auch in St. Gallischen Quellen sich vorfinden; ein Dutzend bleibt vorläufig San Benedetto bezw. Oberitalien specifisch eigentümlich. Und zwar sind 2 dieser Sequenzen („Virum sanctum

collaudemus“ auf den hl. Rufinus und die später nachgetragene „Hac in aula“ auf den hl. Lucas) nur im Tropar von San Benedetto auffindbar gewesen; wohl ein guter Fingerzeig für den Ursprung derselben. Die 10 übrigen waren nach Ausweis der Quellen in mehreren anderen Diöcesen und Klöstern Oberitaliens in Brauch, nämlich in Modena, Ravenna, Padua, Brescia, Vercelli, Monza, Nonantula und Novalese. Für letzteres Benediktinerstift kommt nur die Sequenz „Hanc diem tribus“ in Betracht, welche bereits im X. Bande der Analecta (S. 23) mitgeteilt ist. — Vier dieser Sequenzen aber machten eine weitere Wanderung oder wurden vielleicht anderswoher entlehnt, worüber ich zur Zeit mich nicht entscheiden kann. Dafs die Sequenz „Ecce iam venit“ auch in einem Missale von Soissons, freilich einer recht jungen Quelle, erscheint, ist bereits bekannt; wir begegnen ihr auch schon früh aufser in Brescia auf dem Monte Cassino Unteritaliens. Die Sequenz „Laude mirandum“ ist im XXXIV. Bande auch aus dem Reichenauer Tropar mitgeteilt, dem drei alte oberitalienische Quellen zur Seite stehen. Die Silvester-Sequenz „Haec sunt sacra festa“ taucht in einem Tegernseeer Missale des 15. Jahrhunderts auf, dort angewandt auf den hl. Zeno. Ein spanisches Tropar des 12. Jahrhunderts schliefslich enthält die Sequenz „Felix valde o Maria“; durch ein Versehen habe ich den Text dieser Sequenz bereits im XXXIV. Bande mitgeteilt. Dieses zur Vervollständigung jener Erwägungen, die Winterfeld im oben erwähnten Aufsatze über unseren Veroneser Codex anstellt. — Beigefügt sei nur, dafs ich in Verona die Collation von 4 Sequenzen übersah. Der Vorstand der Kapitelsbibliothek, der hochw. Herr D. Antonio Spagnolo, hatte die grofse Güte, mir dieselbe nachträglich zu besorgen, wofür hiermit der innigste Dank abgestattet sei.

Ferner ein Wort zu den Sequenzen der Kirche von Sevilla, die ich, soweit sie Inedita sind (vgl. Vorwort zu Bd. XXXIV, S. 8), diesem Bande eingegliedert habe. An gedruckten Missalien von Sevilla fehlt es nicht. Aufser den von Chevalier erwähnten Ausgaben vom Jahre 1534 u. 1537, die erst vom Buchstaben M an für sein Repertorium verwertet wurden, sei hingewiesen auf die Sevillaer Ausgabe vom Jahre 1529, die sich im Besitze des Herzogs von Parma befindet, und auf jene vom Jahre 1507, die ich in Rom auf der Casanatensis vorfand. Letztere Ausgabe auf Pergament trägt den Titel: „Missale secundum usum almae ecclesiae Hispa-

lensis“ und das Explicit: „Sacrum hoc opus missalis secundum usum sanctae ecclesiae hispalensis : summo studio revisum atque emendatum regnante inclyta Johanna regina castelle : legionis : aragonie : granate etc. felice numine : explicit in inclyta civitate hyspalensi per Iacobum cromberger alemanum. Anno salutis MDVII prima kalendas decembris.“ Ich habe mich darauf beschränkt, aus den Druckwerken die Varianten nur dieser einen Quelle zu vermerken, da die übrigen Drucke fast völlig gleich sind. — Auch besitzt Sevilla auf seiner Columbina mehr als ein handschriftliches Missale Hispalense; Dreves fand dort vier, alle aus dem 15. Jahrhundert. Aber alle diese gedruckten und ungedruckten Quellen enthalten von den 24 in Betracht kommenden Inedita nur 4 Sequenzen vollständig; alle übrigen sind mehr oder weniger gekürzt. Es war soweit eine glückliche Fügung, dafs Dreves 1892 auf der Universitätsbibliothek in Genua ein handschriftliches Missale Hispalense des $^{14}/_{15}$. Jahrhunderts entdeckte, welches durchweg jene Sequenzen in ungekürzter Form enthielt und aufserdem noch 2 weitere Sevillaer Sequenzen („Ave salutata“ und „Virgo splendor aetheris“), die in den anderen Quellen vollständig fehlten. Zwei Sequenzen tragen jedoch auch in dieser Quelle sichtlich den Stempel der Kürzung. Daher wies ich ihnen im Corpus keinen Platz an und setze die beiden Bruchstücke hierher.

1. De sancto Antonino.

1a. Laudes Christo congaudentes
Persolvamus, recolentes
Antonini merita.

1b. Collaudetur tam insignis
Martyr votis saltem dignis,
Si non laude debita.

2a. De regali stirpe natus
Summo regi summe gratus
Et acceptus extitit.

2b. Fulsit signis sitienti,
Cui fons vivus ex arenti
Terra potum praestitit.

3a. Multis annis vir vexatus
Est per eum liberatus
Demum a daemonio.

So übereinstimmend im Cod. Ianuen. A VII 13; Cod. Hispalen. 83, 15; 85, 18; Vitr. 12 und im gedruckten Missale vom Jahre 1507. Die nähere Bezeichnung dieser Quellen findet sich im Corpus unter den Sequenzen.

2. De sancta Maria Magdalena.

1a. In virgulto gratiae
Fructum paenitentiae
Magdalena legit;

1b. Terram rigans oculis
Exstirpatis tribulis
In hortum redegit.

2a. Morbi bene conscia
Novit, quam sit pervia
Christi medicina;

2b. Lacrimarum rivulum
Et unguenti vasculum
Novit mens divina.

3a. Novit, quae dilectio,
Quae cordis contritio,
Iudex singulorum.

So in den gleichen Quellen wie oben; nur tritt statt Cod. Hispaleu. 83, 15 der Cod. Hispalen. 63, 17 ein. Als Varianten sind zu vermerken: 2a, 2 perviam Cod. Ianuen. AVII, 13; 3a, 1 Novitque Miss. Hispalense imp. 1507.

Bei einigen Sequenzen des vorliegenden Bandes ist verwiesen auf Dominicus Georgius, De Liturgia Romani Pontificis. Der vollere Titel dieses seltenen Werkes lautet: „De Liturgia Romani Pontificis in sollemni celebratione missarum libri duo . . . Cura et studio Dominici Georgii Rhodigini, Praefecti bibliothecae Iosephi Renati Imperialis S. R. E. Cardinalis amplissimi.“ Das Werk zerfällt in 3 Bände: Tomus I. Romae 1731; Tom. II. Romae 1743; Tom. III. Romae 1744. Im letzteren Bande befindet sich von S. 223—609 ein „Appendix Monumentorum“, und unter diesen Monumenta auf S. 441—528: „Antiphonarius liber S. Gregorii [also ein Graduale] ex codice membranaceo Card. Gentilis A. D. 1071 scripto.“ Das Colophon jener Hs. lautet nämlich nach Georgius: „Anno Domini Mill. LXXI. Indic. Nona. Temp. Alexandri Sedi PP. Mens. Mai. D. XX. Anti[phonarius] iste completus est.“ Der Kardinal Franc. Xaver. Gentilis, der Besitzer jenes Graduale, war ein Freund des Bibliothekars Georgius (tom. II, p. CXCIII). Die meisten der in diesem Graduale enthaltenen Sequenzen und Tropen konnte ich in anderen oberitalischen Handschriften auffinden; bei zwei Sequenzen war ich einzig auf jenes Graduale, wie es Georgius mitteilt, angewiesen. Ob er den Text zuverlässig wiedergegeben hat, bleibt dahingestellt.

Im Bande XXXIV habe ich die Sequenz „Quem aethera et terra“ aus einer alten St. Galler Hs. ediert. Inzwischen bin ich der gleichen Dichtung in 6 anderen Handschriften begegnet, aber als einem Tropus. Die Verwendung als Tropus dürfte das Ursprüngliche sein. Die näheren Nachträge werde ich in jenem Bande bieten, welcher der Publikation der rhythmischen Tropen gewidmet ist.

Wien, den 3. November 1900.

Clemens Blume.

I.

DE TEMPORE.

1. Dominica prima Adventus.

1. Gaudia mundo futura,
prophetarum quae clamat tuba,

2 a. Clara praecinamus
melodia

2 b. Pulchra reboantes
simul organa.

3 a. Nam, qui gubernat
supera et terrena
necnon infera,

3 b. Servi figura
homo factus assumpta
nosmet visitat,

4 a. Quos saeva
mortis damnarat potestas,
serpentis invidia

4 b. Ad stagna
cunctos detrudens averna
multa ob flagitia.

5 a. Sed nostras
summa deitas miserans
animas
traxerat carneam

5 b. Ex alvo
castae virginis sarcinam,
ut pia
redderet gaudia.

6 a. *Ergo haec sollemnia*
signat adfutura

6 b. *Anni celer orbita*
iam nunc replicata.

6 c. *Unde celsa agmina*

7 a. Laetantur et pangunt
Christo gloriam,

7 b. Et gratia pacis
ima decorat.

8 a. Ut ad tanta
queamus festa
mente nitida

8 b. Pervenire,
eius nos dextra
regat valida,

9. Cui odas
digne nunc modulemus, Alleluia.

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisin. 1107. A. — Miss. ms. S. Cornelii Compendiensis 14. Cod. Parisin. 17318. B. — Miss. ms. S. Cornelii Compendiensis sae. 14. Cod. Parisin. 17321. C. — 6c hat gleiche Melodie mit 6a, 1 u. 6b, 1; daher der liegende Druck dieser korrespondierenden Glieder. — 6c Inde C. — 7b, 1 gratiam AC; terrae pacis AC, pacis terrae B; auch die Melodie hat für terrae 2 überschüssige Noten; danach ist die Einschiebung hinreichend ersichtlich. — 8b Ac sincera pervenire ABC; die 2 ersten Worte stören die Symmetrie; auch die Melodie hat überschüssige Noten für dieselben; „pervenire“ hingegen hat gleiche Melodie mit „Ut ad tanta“. Vielleicht aber wäre zu schreiben:

8a. ~~~~~~~~~~ Ut ad tanta etc.

8b. *Ac sincera* pervenire etc.

C zieht 6c—7b incl. zu einer Klausel zusammen und stellt 8a + 8b als paralleles Glied gegenüber. Abgesehen von anderem lehrt die Melodie das Richtige. — 8b, 3 rogat A.

2. De Adventu Domini.

1. Ecce, iam Christus,

2a. Quem sancti patres prophetaverunt, advenit nobis,

2b. Suam nos salvet per nativitatem gloriosam.

3a. Cui omnes occurentes clamemus: Salva nos, Deus, rex Israel;

3b. Rex Christe, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, miserere (nobis),

4a. Quia tu es salvator et misericors, verax, pius ac sanctissimus,

4b. Cui honor et gloria semper in aeterna saeculorum saecula.

Trop. ms. Nonantulense saec. 11. Cod. Univ. Bononien. 2824. A. — Trop. et Grad. ms. S. Petri in Vaticano saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Vaticam. 5319. B. — Grad. ms. Mutinense saec. 12. Cod. Capit. Mutinen. O I N 16. C. — Grad. et Trop. ms. S. Eugenii Senensis (?) saec. 12. Cod. Senen. F VI 15. D. — Trop. ms. Casinense saec. 12. in. Cod. Casinen. 546. E. — Miss. ms. Casinense saec. 15. Cod. Casinen. 128. F. — Grad. ms. incert. origin. anni 1071. (nach Georgius, De Liturg. Romani Pontificis, 1731—1744; tom. III, 441) G. — 2b, 1 Sua BEFG. — 2b, 2 ut nativitate gloriosa EFG. — 3a, 2 clamemus fehlt B. — 3a, 3 rex fehlt EFG. — Str. 3b sqq. fehlen BG. — 3b, 1 Statt Rex: Creator omnium rerum et rex regum EF. — 3b, 2 Isaac et ACD. — 4a, 1 es iustus et EF. — 4a, 3 et EF. — Str. 4b fehlt CEF. — Die eigene Melodie in Neumen (B hat Notenschrift) zeigt keinen Parallelismus; dagegen ist die Abteilung der Strophen mit durchweg gleicher Silbenzahl überall gleich.

3. In Nativitate Domini.

1. Ecce, adnuntio,
christicolae, magnum gaudium,

2a. Quod erit universae terrae omnique populo:

2b. Est quia nobis natus mundi salvator hodie.

3a. Virgo quem peperit divinitus, non hominis ex semine;

3b. Olim nuntiavit hoc virgini nam Gabriel archangelus.

4a. Per virginem natus est rex polorum factorque hominum,

4b. Ut hominem perditum vocaret ad regna aetherea,

5a. Quem chelydrus decepit per lignum vetitum.

Non amisit, quod erat apud Deum, verbum, sed sumpsit hominem, quod non erat.

5b. Homo natus parvulis tegitur stragulis,

Praesaepio iacet cunabulis parvulus et caelum cum patre continet.

6 a. Ut homo
alitus, sed divinitus
non nostris opibus indiget;

6 b. Lac datur
infantulo esurienti,
qui cuncta creat animantia.

7 a. Quam felix uterus
(est) genetricis,
qui invisibilem portavit,
quem capere non
queunt throni aetherei!

7 b. A Moysen usque
ad Iohannem
praecursorem atque baptistam
cuncti prophetae
praeconati sunt Dominum.

8 a. Pastores pervigilantes
supra gregem viderunt
choros angelicos

8 b. Psallentes atque dicentes:
In excelsis gloria
sit nato Domino,

9. Cui est honor et potestas
imperiumque sine fine
per omnia saecula.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123 (B III 18). A. — Grad. et Tropar. ms. S. Petri in Vaticano saec. $^{11}/_{12}$. Cod Vatican. 5319. B. — Grad. ms. incert. orig. anni 1071 (nach Georgius III, 447). C. — 1,2 caelicolae A. — 2a fehlt A. — 2b, 1 Es B. — 3a, 1 quae C. — 3b, 2 virginis AB. — 4b, 1 perditum fehlt B. — 5b, 1 parvulus A. — 5b, 1 stragulus A. — 5b, 4 parvulis B. — 6a, 2 altius sed C. — 6a, 3 nostrae AC; opus est ABC; indicet C. — 6b, 1 Lactatur A. — 7a, 1 Arva felix C. — 7a, 5 quexunt (!) B; aetherea A. — 7b, 1 Moyse B. — 7b, 3 ac ABC. — 8a, 3 chorus angelicus C. — B enthält die Melodie.

4a. In Nativitate Domini.

1. Ecce, iam venit nostra
redemptio pretiosa.

2 a. Gaudeamus
in unum
cum angelica agmina.

2 b. Caeli regem
in terris
arta tenent cunabula,

3 a. Qui solus
patravit cum patre
totius mundi fabricam;

3 b. Vilibus
induto vestibus
canunt sanctorum milia.

4 a. Lactat mater parvulum,
magi eius
cognoscunt sidera.

4 b. In praesaepio iacet,
reges ei
offerunt munera.

5 a. Credamus eum verum
esse Dei filium
Atque ad hoc venisse
in terras, ut redimat
nos de maligna sup-
plicia.

5 b. Ipse factus est homo,
qui sine initio,
Deus ineffabilis,
in nulla concluditur
prisca vel ultima
tempora.

6 a. O mira Domini
et gratuita,
quae nobis dedit, remedia!

6 b. Filium unicum
misit, ut servos
revocaret in Elysia,

7 a. Et hostem aethereum
condemnaret,
qui protervam contra eum
erexerat
inanem quoque
superbiam,

7 b. Et claustra mortifera,
quae replerat
ex electis, forti manu
diriperet
atque reduceret
spolia.

8 a. Tuam, fortissime,
supplices
misericordiam.

8 b. Petimus ut nobis
concedas
in haec sollemnia

9 a. Et laudes, quas in tui
nominis *gloriam*

9 b. Ovantes cum caterva;
cum te, *summe redemptor*,

10. Mereamur vitam.

Trop. ms. Benedictinum Brixiense saec. 12. Cod. Univ. Bononien. 2748. A. — Trop. ms. Casinense saec. 12. in. Cod. Casinen. 546. B. — Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516. C. — 2a, 3 angelico agmine BC; die Endassonanz **a** sichert die Lesart von A (cfr. 8b, 3). — 3a, 1 Qui mundum A; mundi C. — 3a, 2 patrarat B. — 3b, 1 Ut vilis A, Cui vilibus B, Qui vilibus C. — 3b, 2 induit A, induitur C. — 3b, 3 gaudent BC; sanctorum agmina A. — 4b, 1 Qui in praesaepe BC. — 5a, 3 venisset A. — 5a, 4 terra A, terris C; redimeret BC. — 5a, 5 sq. maligno supplicio ABC. — 5b, 3 inenarrandus BC. — 5b, 4 sq. ab ullo qui clauditur | prisco vel ultimo tempore BC. — 6b 3 revocaret ab exsilio B, revocaret illaesos ab via C. — 7a, 1 aereum A, taetrum B. — 7a, 3 proterve B, proterva C. — 7a, 5 sq. se stimulosa | superbia B, et stimulos a | superbia C. — 7b, 3 sqq. ubi sanctos | indebite detinebat, | (ac C) diriperet (dirumperet C) | et eius frangeret | rabiem (iannam C) | BC. — Die folgenden Klauseln 8—10 sind in B u. C bis auf einige Varianten in ganz gleicher Weise verändert und verwildert; die 3 Klauseln, denen jeder Parallelismus mangelt, lauten:

Tuam, fortissime, quaesumus misericordiam,
Ut per prolis tui natalem, quem colimus, nunc et semper cuncta deleantur facinora,
Et, fulgens cum veneris inde, tuam percipiamus sine fine gloriam.

Melodie: Christi hodierna pangimini resp. Caelica resonant clare (S. Anal. Hymn. VII, Nr. 21 u. 23), die hie und da etwas frei gehandhabt ist. Die gröfste Differenz zeigt sich, wie fast immer bei diesem Schema, in den Schlufsklauseln 8a sqq. — Man vergleiche die folgende Formulierung eben dieser Sequenz und weiter unten Nr. 58a u. b.

4b. In Nativitate Domini.

1. Ecce, iam venit nostra
redemptio pretiosa.

2 a. Gaudeamus
in unum
cum angelica agmina.

2 b. Caeli regem
in terris
arta tenent cunabula.

3 a. Humanamque carnem
assumens
tulit membra servilia,

3 b. Qui simul patravit
cum patre
totius mundi machinam,

4a. In praesaepio
iacet, angeli
pastoribus [hunc] praedicant;

4b. Lactat Maria
Dominum, magi
eius cognoscunt sidera.

5a. Te petimus supplices
voce nunc humillima,
Ut impetres veniam
nobis hic mortalibus
a Christo,
virgo sanctissima;

5b. Ipse natus est ex te,
qui sine initio,
Deus ineffabilis
in nulla concluditur
prisca vel
ultima tempora.

6a. O mira Domini
et gratuita,
quae nobis dedit, remedia!

6b. Filium unicum
misit, ut servos
revocaret ad caelestia

7a. Hostem antiquumque
condemnaret,
qui protervam contra eum
erexerat
inanem quoque superbiam,

7b. Portam(que) mortiferam,
quam replerat
ex electis, forti manu
diriperet
atque reduceret spolia.

8. Tuam, Christe, recolentes
nativitatem suppliciter deposcimus,

9a. Aeterna
nobis des praemia,
quibus sit pura
mens ac sincera pectora;

9b. Da digne
nobis frequentare
natalitia
tua, o Iesu redemptor.

Trop. et Sequent. ms. S. Benedicti Mantuani saec. 11. Cod. Capit. eronen. CVII (100). — 3b, 1 Quae. — 3b, 3 machina. — 5a, 2 nunc fehlt. — a, 4 hic fehlt. — 7b, 3 ex electi. — 9a 1 Aeternam. — 9a, 2 dones. — lausel 8 ist ohne korrespondierende Klausel; ob ausgefallen? Auch in der orhergehenden Fassung der Sequenz sind die Schlufsklauseln in den Hss. C ähnlich verwildert. Der Ausgang der letzten Silbe auf us (8, 2) und · (9b, 4) ist neben dem sonst streng gewahrten a verdächtig. — Auf jeden albvers folgt Alleluia, aufser bei 9a.

5. In Nativitate Domini.

1. Laus tibi, Deus,

a. Pater Iesu
Christi, Dei nostri,

2b. Quem misisti
incarnatum nasci

a. Ex veneranda
Maria virgine
Deum et hominem.

3b. Qui ligno crucis
mortem devicerat
et tribuit vitam

a. Per pretiosissimum
sanguinem, manantem
sacro de latere,

4b. Ut unda baptismatis
renati spiritu
regnaremur freti

5 a. Et mandata
fidei, quae dedit
trinus in vocabulis,

5 b. Unitatem
veneremur, aequam
maiestatis gloriam;

6 a. Aequalem
ut credamus tibi
prolem tuam,

6 b. Sic talem
et spiritum sanctum
procedentem,

7 a. Et eodem
primogenitum,
per quem feceras
pariter omnia, quae
facta sunt;

7 b. Cum quo vivis
et regnas unus
Deus, perfecta
trinitas et unitas
cuncta per

8. saecula.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Patav. A 47. A. — Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123 (B III 18). B. — Trop. et Sequent. ms. S. Benedicti Mantuani saec. 11. Cod. Capit. Veronen. CVII (100). C. — 2a, 2 Domini ABC. — 2b fehlt C. — 3a, 1 sq. Per venerandam | Mariam virginem C; 3a, 2 virginem B. — 3b, 1 in ligno ABC; in ist überschüssig und bildet einen sonst gemiedenen Hiatus. — 4a, 2 manentem B. — 4b, 1 undas purificas B; purificans A. — 4b, 2 ex spiritu A, et spiritu B; cfr. Note zu 3b, 1. — 4b, 3 adiuti (st. freti) A. — 5a, 3 invocabilis A; vocabuli B. — 5b, 2 aequa C. — 6a, 2 credimus A. — 6b, 1 Sitalem B, Si talem A. — 6b, 2 spiritui sancto AB. — 7a, 1 Ut A; primogenito B. — 7a, 2 fecerat A; fecerant B. — 7b, 1 sq. Per quem vivit et regnat AB. — 7b, 3 Dominus AB. — Die Melodie von 7a u. 7b zeigt keinen Parallelismus.

6. In Nativitate Domini.

1 a. Ecce, puerpera
genuit Emanuel,
regem in saecula,

1 b. Nobis det ut omnia,
quae sunt patris et sua
praemia aeterna.

2 a. Pastores erant
proximis in pascuis

2 b. Bethleem ad urbem
noctis sub silentio.

3 a. Claritas Dei
cinxit illos fulgida,

3 b. Angelus atque
inquit illis: Nolite

4 a. Silere Deum,
salvatorem omnium,

4 b. Nunc vobis natum
redeuntes dicite.

5 a. Angelus inquit:
Nolite pavescere;

5 b. Gloria regi
nato, laus et potestas

6. Per cuncta saecula.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123 (B III. 18). A. — Grad. ms. Mutinense saec. 12. Cod. Capit. Mutinen. O I N 16. B. — 2b, 1 Bethleem in urbem A. — 4a, 1 Scilere A. — 2a, 2b, 3a und 5a sind wörtlich dem Hymnus des Paulin von Aquileja „Gloriam Deo in excelsis hodie“ entlehnt. Cfr. Dümmler, Poetae aevi Carolini I, 145, Str. 9 u. f.

7. In Nativitate Domini.

1. Cunctum orbem

2 a. Aeternitatis lux hodie
2 b. Novo splendore radiavit.

3 a. Christus, verus de lumine
3 b. Deus et homo natus est

4 a. Et mundo
visibilis factus est,
4 b. Cum patre
semper manens, quod erat.

5 a. Iam nunc ergo
natalem ipsius iucundo
celebremus animo,
5 b. Per quem omnes
(a) vinclo soluti tartareo
laudem demus Domino.

6 a. O bone Iesu
Domine, natalem hodie
iam tuum festiva
cum laude colimus;
6 b. Nostras excipe
voces ac benigne tribue
famulis cum sanctis
gaudere angelis.

7 a. Spreta quoque terrea,
omnia devicta mortifera
7 b. Beatorum praemia
percipiamus per omnia

8. Saecula.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123 (B III 18). — 2b, 1 splendor irradiavit. Die Konjektur „Novo splendore irradiat“ liegt nahe, aber so entsteht ein Hiatus. — 4a, 1 mundus. — 5a, 3 celebretur. — 5b, 2 ad vinclo salutem. — 6a, 3 festivo; vielleicht Adverb und richtig? — 6b, 2 vocida benigne. — 6b, 4 gaudebis.

8. In Nativitate Domini.

1. Christum natum nova
demonstrant sidera.

2 a. Pastores sacras
excolunt vigilias,
2 b. Curam praetendunt
suo gregi debitam.

3 a. Ideo fulsit
lux eis rutila
3 b. Magno timore
percellens pectora.

4 a. Quos civis adloquitur
voce supernus placida:
4 b. Ne pavete, inquiens,
ecce, assunt remedia,

5 a. Quae cunctos populos laetos
reddant nascentis gratia;
5 b. Quia processit omnibus
salus et vitae gaudia.

6 a. Invenietis regentem
pulchram mundi machinam,
6 b. Pro salute vagientem
nostra inter volucra.

7 a. Mox caelestis multitudo
adplaudit consonanter
iubilans:
In excelsis gloria
7 b. Et in terra, voluntatis
pax quos decorat, prose-
quatur et
comitetur bonitas.

8a. Omnis ergo nostra contio
patris aeterno filio
laudes recitat,

8b. Casta qui de matre voluit
nasci, quos creavit visitando miserans;

9a. Suppliciterque deposcat,
eius pia clementia

9b. Huius diei ut donet
perfrui nos laetitia.

10a. Ave, felix virgo
semper, Maria,
praecelsi regis ianua,

10b. Tu vocaris stella
maris et iure
totius orbis domina.

11a. Ubere beato
lactans Dominum
angelorum replentem omnia.

11b. Quaesumus [te] iam nunc,
nostra offer tu
vota genito super aethera.

12a. Ut qui temporalis
[eius] nativitatis
Concelebramus
sollemnitatem,
vitae praesentis commoda

12b. Sic nunc percurramus,
ut angelorum choris
Consociati
suavitate
melica nova cantica

13a. Caterva dicat nostra,

13b. Concordi voce clamans:

14. Alleluia.

Grad. ms. Bobbiense saec. 12. Cod. Taurinen. F IV 18. A. — 2b, 1 sq. suo gregi praetendunt. — 6a, 2 pulchra mundi machina. — 7a, 4 gloriam. — 9b, 1 donos (!). — 11a, 1 tu beato. — 12a, 1 Ut quid. — 12a, 3 Concelebremus. — 12b, 1 nunc fehlt.

9. In Nativitate Domini.

1a. Puer regens aethera,
Surge, veni, propera
Tuum plasma quaerere.

1b. Quem Mariae ubera
Lactant quamvis tenera
Virginis puerperae,

2a. Vide et considera,
Quam sit vita aspera
Humanae malitiae.

2b. Tua tege opera,
Ne nos trahant pondera
In lacum miseriae.

3a. Te patris potentia
Divina clementia
Incarnari voluit,

3b. Virginis munditia
Divina prudentia
Sine viro genuit.

4a. Quam nulla malitia
Foedat vel nequitia,
Removendo tristia
Sacer replet spiritus.

4b. Cum respondet mitia
Dei plena gratia,
In se cuncta vitia
Extinguuntur penitus.

5a. Statim turris nostrae spei
Est effecta mater Dei
Sancto plena spiritu.

5b. Ad nos, Christe, sic venisti,
Carnem carne redemisti
Factus patris victima.

6a. Puer, mundi reformator,
Puer, caeli gubernator,
Qui creasti omnia.

6b. Iesu puer, miserator,
Iesu puer, et salvator,
Salva hanc familiam.

7 a. Mater Dei, virgo pura,
Nos egentes tua cura
A peccati lege dura
Solve tuis precibus.

7 b. Ex te natus non negabit
Tibi quidquam, sed donabit,
Quidquid petas, ultra metas
Es illi amabilis.

8 a. Angelorum imperatrix,
Miserorum sublevatrix,
Esto pia advocatrix
Cunctis te colentibus.

8 b. Virgo, mater pietatis,
Fons totius bonitatis,
Servos tuae sanctitatis
Caeli pande solio.

9. Hacc det nati gratia
Quae regnat per saecula,
In excelsis gloria
Nato regi canitur.

Oration. ms. Gallicanum saec. 13. Cod. Cantabrigen. Ff. VI 14. — Str. 7b u. 8a sind vielleicht umzustellen. — 9, 3 sq. canitur | Nato regi gloria. — Man könnte in Vorstehendem ein Reimgebet vermuten; aber dem Bau nach ist es eine Sequenz. Auch ist nach den Notenlinien, in welche die Noten leider nicht eingetragen sind, das Gedicht für den Gesang bestimmt.

10. In Nativitate Domini.

1 a. Obstupescat natura
Frustrari sua iura
In partu virginis,

1 b. Cum ius sit virginale
Praenaturatum tale
In . . . . . .

2 a. Sed praerogativavit
Unam naturans David
Ex fructu seminis,

2 b. In qua se humanavit
Statumque reparavit
Humani generis,

3 a. Ab Adam protoplasto
Damnati pomo pasto
Suggestu daemonis,

3 b. Repulsae paradisi
Cur paruit ex nisi
Mucrone Cherubis.

4 a. Haec Adam transgressoria
Voluptas caeli gloria
Seclusit posteros

4 b. Cunctos humani seminis,
In quos natura criminis
Lex fluxit miseros.

5 a. Sic, heu, in nos angaria
Mortis sempiternaria
Simplex et necessaria
Venit Adigenas,

5 b. Quos a tali exitio
Nulla unquam condicio
Solvisset nec a vitio
Pura impunitas.

6 a. Quod, heu, sanctorum milia
Senserunt, qui exsilia
Inferna subierunt,

6 b. Et prophetarum numerus,
Quos absumebat inferus,
Nunc locus miserorum.

7 a. Sed caeli rex omniparens,
Nobis paterne condolens,
Damni necessitatem

7 b. Per sui mortem filii
Redegit in arbitrii
Volentis libertatem.

8 a. Qui Gabrielis nuntio
Et spiritus umbraculo
In virginis Mariae

8 b. Homo effectus utero
Tamquam sponsus de thalamo
In hoc est natus die,

9 a. Verus Deus, purus homo,
De virginali alvi domo,

9 b. Nostrae carnis armatura
Contectus, in qua per praedura

10. Morte crucis pocula
Nostra solvit debita.

Cod. Zwethalen. 313. add. saec. 15. mit Mel. — 3a, 2 Damnato — 8a, 1 Quod. — Der äufseren Form nach Sequenz, der Diktion nach vielleicht Cantio.

11. In Nativitate Domini.

1 a. Nostro condoluit
Pater exsilio,
Unde consuluit,
Nobis in filio.

1 b. Res mira geritur
Miro consilio,
Dum carne regitur
Aeterna ratio.

2 a. Nostra dum latuit
In carne deitas,
Per carnem patuit
Nobis divinitas;

2 b. Dum stellae claruit
Stupenda novitas,
Caelorum genuit
Regem virginitas.

3 a. Latet in praesaepio,
Rutilat in sidere,
Parvus in tugurio
Magnus est in aethere.

3 b. Qui creavit omnia
Suo quaeque pondere,
Mater plena gratia
Dulci lactat ubere.

4 a. Sic creator omnium,
Angelorum gloria
Virginale gremium
Praeditavit gratia.

4 b. . . . . .
. . . . . .
Ut hic et non alius
Sit, et haec non alia.

5 a. Haec est vellus Gedeonis,
Haec est thronus Salomonis,
Haec est solis regia;

5 b. Haec est stella mater solis,
Quem tu credis, quem tu colis,
Fidelis ecclesia.

6 a. Solem clausit in se stella
Totum claudens clausa cella,
Quem non claudunt omnia.

6 b. Hic est noster Elisaeus,
Verus homo, verus Deus,
Cui laus et gloria.

Collect. ms. S. Albini et S. Maglorii saec. 10—13. Cod. Vatican. Regin. 711. add saec. $^{12}/_{13}$. — Vielleicht eine Cantio.

12. In Epiphania Domini.

1. Gaudent omnes

2 a. Caelicolae hodie
gaudio magno,

2 b. Et iubilat natura
omnium rerum.

3 a. Sidera caeli
flagrantibus
emicant flammis

3 b. Et regi Christo
famulantur
splendida luce.

4 a. Tribus miraculis
sacratum colimus diem:

4 b. Stella flammivoma
duxit ad praesaepe magos;

5 a. Clara est ex aqua
vinum factum ad nuptias;

5 b. Baptisma accepit
Christus undis Iordanicis.

6 a. Cui offere
curemus munera
in ara cordis,

6 b. Aurum, tus simul
murramque dicentes:
Christe benigne,

7. Tu tuis miserere.

Trop. ms. Casinense saec. 12. in. Cod. Casinen. 546. A. — Grad. ms. incert. origin. anni 1071 (nach Georgius l. c. III, 452). B. — 2a, 1 hodie fehlt A. — 4a, 2 sanctum hunc B. — 5a, 1 Caritas ex B. — 5a, 2 vini facta B. — 6a, 2 pensemus B. — 6b, 1 simul fehlt B.

13. In Transfiguratione Domini.

1 a. Verus sol divinitus
Carnis nube conditus
Demonstratur hodie;

1 b. Nam in monte residens
Christus totus renitens
Lumen fudit gloriae.

2 a. Ibi Moses mittitur,
Et Elias cernitur
Sacro fans eloquio.

2 b. Nubes clara cogitur,
Christus luce funditur
Albo facto pallio.

3 a. Vox a patre labitur,
Laus filio redditur
Coram consistentibus.

3 b. Tam grandis spectaculi
Testes tres discipuli
Sunt cunctis fidelibus.

4 a. Non vacat mysterio
Tanto cum imperio
Gloria demonstrata;

4 b. Nam est in mortalibus,
Domino fidelibus,
Gloria figurata.

5 a. Omnis dotis opera
Carnis tenens viscera
Christus hic exercuit.

5 b. Hodie discipulis
Christus peramabilis
Claritate micuit.

6 a. Ex utero prodiens
Subtilitate nitens
Fidelibus apparet;

6 b. Dum per aquas graditur,
Levitate ducitur
Et agilis non haeret.

7 a. Ergo, Iesu Domine,
Verum lumen animae,
Animam glorifica;

7 b. Et, cum iudex veneris,
Dotes nostri corporis,
Rogamus, amplifica.

Sequent. ms. Praedicatorum saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Praedic. Cracovien. s. n. A. — Miss. ms. Praedicatorum Hispan. saec. 16. Cod. Vatican. 5591. B. — Miss. Praedicatorum imp. Parisiis 1517. C. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. D. — Miss. Matisconense imp. Lugduni 1532. E. — 2a, 1 Tibi B. — 2a, 3 fons B. — 4b, 1 est immortalibus BC; est mortalibus in E. — 5b, 3 emicuit B. — 6b, 2 Lenitate A. — 6b, 3 Et angelis non A. — Die Melodie bezeichnet B: „Sequentia cum cantu s. Petri martyris", d. i.: Adest dies celebris.

14. In Transfiguratione Domini.

1 a. Splendor patris et figura
Se transformans hodie
Nostrae carnis in natura
Signa pandit gloriae.

1 b. Tres assumens secum testes
Scandit montis culmina;
Splendet vultus, albent vestes,
Luce nitet gemina.

2 a. Splendor autem faciei
Ut solaris luminis
Niveaeque speciei
Candor erat tegminis.

2 b. Adest ibi legislator
Moyses mitissimus
Et futurus debellator
Elias fortissimus.

3 a. O res magna, factor magnus
Facturus magnalia!
Oves ducit mitis agnus
Montis ad sublimia.

3 b. Hoc sunt quippe monte digni,
Hunc ascendunt verticem,
Qui triumpho cum insigni
Caeli tenent apicem.

4 a. Vult prophetas tunc adesse
Divina provisio,
Ut probetur tam expresse
Nostra resurrectio.

4 b. Alter erat cum defunctis,
Moyses supererat,
Ut cunctorum rex ex cunctis
Rei testes proferat.

Miss. ms. Hispalense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin., 12. B. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. C. — Str. 5b sqq. fehlen BC. — 3b, 1 Haec sunt A. — Die Sequenz ist sichtlich unvollständig.

15. In Inventione s. Crucis.

1 a. Sanctae crucis celebremus
devotione veneranda

1 b. Signaculum triumphale,
per quod salutis sacramentum

2 a. Sumpsimus,
culpa qui pro parentis, heu,
eramus exsules
facti patriae.

2 b. Redempti
ergo gratias agamus,
per lignum qui sanctae
redemit crucis

3 a. Et meritis, nos
quamvis indigni, *
visitavit gratuita *
de pietate. *
*

3 b. In Domini crucifixi
*laude consona
* voce melliflua
concinamus cantica.
*

4 a. O crux gloriosa, o crux*
veneranda,
quae pretium mundi
ferre tu meruisti,

4 b.*Salva praesentem
humilem plebem
in laude tua hodie
[hic] congregatam,

5. Quae sola fuisti
portare digna talentum.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Patavin. A 47. A. — Trop. et Sequent. ms. S. Benedicti Mantuani saec. 11. Cod. Capit. Veronen. CVII (100). B. — Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen.

O I N 7. C. — Grad. ms. Mutinense saec. 12. Cod. Capit. Mutin. O I N 16. D. — Trop. ms. Nonantulense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Vittor. Eman. 1343 (Sessorian. 62). E. — 2a, 2 culpam A; pro parentum B, protoparentis D, protoparenti AC. — 2a, 4 effecti B. — 2b, 3 sq. lauten in CDE: qui nos suo sacro redimit sanguine. — Str. 3a fehlt E; 3a u. 3b umgestellt CD. — 3a, 3 fisi tamen gratuita CD. — 3b, 2 sqq. fehlen E (abgeschnitten). — 3b, 2 laudes AB. — Nach Str. 3b schieben CD ein: O crux splendidissima, salus, perennitas vitae, virtutibus totis es repleta. — 4a, 2 admiranda B, adoranda CD. — 5, 1 Quae mundi fuisti AB. — 5, 2 talenta C. — In der Melodie (nach C) entsprechen sich 3a und 3b, 4a u. 4b haben verschiedene Melodie. Im Text zeigen eher 3a und 4b, resp. 3b u. 4a Parallelismus. Demnach ist die vorgelegte Abteilung jener Klauseln problematisch. — Steht auch in Cod. Casanaten. 1741.

16. In Inventione s. Crucis.

1 a. Alma, fulgens crux, praeclara,
splendidior cunctis,
gloriosa,
Desiderabilis
atque dilecta
membrorum Christi
es adornata.

1 b. Tu sola fuisti digna,
nobilis, triumphata.
Ecce enim
es exaltata
super omnia
ligna cedrorum
et collaudata.

2 a. Catenae infernorum
per te destructae,
animae
sanctorum
sunt absolutae.

2 b. Tartarea legio
est adligata
per tuum
sanctum signum
manu armata.

3. Libera nos semper,
crux gloriosa.

Trop. ms. Nonantulense saec. 11. Cod. Roman. 1343 (Sessor. 62). A. — Trop. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Angelic. 123 (B III 18). B. — Grad. ms. Mutinense saec. 12. Cod. Capit. Mutinen. O I N 16 C. — Grad. ms. Bobbiense saec. 12. Cod. Taurinen. F IV 18. D. — Grad. ms. Parmense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Capit. Parmen. s. n. E. — Grad. ms. incert. orig. anni 1071. (Georgius l. c. III, p. 504). F.

1a, 1 fulget F; lux BC. — 1a, 4 Alinea ABCDE. — 1a, 7 et honorata F. — 1b, 2 triumphare A. — 1b, 3 Alinea ABCDE; Ad caelis es F. — 1b, 7 et fehlt AB; es F; conlaudanda A. — 2a, 1 Catenis F. — 2a, 2 sunt destructae AF. — 2b, 2 Tartari C, Tartaris F; legiones BCF. — 2b, 2 sunt obligatae CF. — 2b, 5 manus ABF.

17. In Inventione s. Crucis.

1 a. Laude multisona
nostrarum virium
intima
Christo triumphatori
nova cantant iubila,

1 b. Atque victoriam,
quae fortis abstulit
spolia,
simul promamus
parique symphonia.

2 a. En, crux alma
super fulget aethera,
qua pependit
David proles inclita;

2 b. Namque David,
humilis agonista,
stravit Goliam
secussa fundibula.

3 a. Noster interea
rex fortissimus
in cruce sancta
morte spontanea
Purgavit crimina,
quae contraxerat
originalis natura
sauciata
protoplausti Adae
metuendo scelere.

3 b. Cerberi faucibus
fidelissima
famulantia
subtraxit pignora
Fortemque zabulon,
de victoria
callida praesumptione
iactitantem,
cum sua coniuge
demersit in barathro.

4 a. Crucis igitur
stigmata deferentes in
nostris assidue cordibus
impressa,

4 b. Per quae omnium
valeamus abdicare
phantasticorum spirituum
scandala.

5 a. Ergo noster est
novus David
semper extollendus
sede deifica,

5 b. Qui suam nobis
singularis
machinam crucis sanc-
tificat tropaea.

6. Illi caelestia
iubilent sancta agmina
nosque laetemur in cruce sancta.

Grad. ms. s. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123. (B III 18). — 1a, 1 multisonant. — 2b, 3 Goliam zweisilbig. — 2b, 4 scussa. — 3a, 1 interat. — 3b, 1 Cerberis. — 3b, 5 Forteque. — 3, 9 suam coniugem. — 4a, 1 Crucifigitur. — 4a, 2 stigmate. — 4b, 1 Per quem. — 5a, 1 est fehlt. — 5b, 3 machiam. — 6, 2 iubilem.

18. In Triumpho s. Crucis.

1 a. Nova crucis gaudia
Recolat Hispania
Laeto cum tripudio

1 b. Novae memor gratiae
Novaeque victoriae
Crucis patrocinio.

2 a. Cuncta qui disposuit,
Renovare voluit
Antiqua miracula,

2 b. Et qui crucem sperneret,
Ante crucem caderet
Caesa gens incredula.

3 a. Crucis hostis impius
Rex, gehennae filius,
Spiritu vesaniae

3 b. Contra Christum nititur
Et in crucem loquitur
Sermones blasphemiae.

4 a. Fastu premit sidera,
Ponit os in aethera
Crucem sanctam improbans,
Crucifixum reprobans;

4 b. Dum superbe cogitat,
In furorem excitat
Barbarorum rabiem
Ad suam perniciem.

5 a. Nam patronus,
Iesus bonus,
Preces audit
Et exaudit
Suorum fidelium;

5 b. Cum necesse
Videt esse,
Suos tegit
[Atque regit]
Conferens auxilium.

6 a. Ecce, crucis amatores,
Christo duce sectatores
Spiritum concipiunt,

6 b. Excitati Christo duce
Et signati sancta cruce
Alacres efficiunt.

7. Pro tali victoria
Detur Christo gloria.

Miss. ms. Hispalense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 17 B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin., 12. C. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. D. — 1a, 1 cruci D. — 1b, 2 datoque A. — 2a, 1 Cunctaque AC. 3b, 1 mittitur A. — 3b, 2 in cruce A. — 4a, 1 Faustu D. — 4a. 4 improbans C. — Str. 4b sqq. fehlen BCD.

19. De Quinque Vulneribus DN.

1 a. Ista sunt praecipue
Nobis recolenda,
Iesu clementissime,
Sive memoranda,

1 b. Quae volente passus es
In cruce sacrata,
Ut nostra dilueres
Penitus peccata.

2 a. Dira quinque vulnera,
Quae sustinuisti
Propter nostra crimina
Passusque fuisti,

2 b. Cum virgis viridibus
Saepe verberatus
Utique atrocibus
Spinis coronatus.

3 a. Altera similiter
Crucique affixa
Et brachia fortiter
Fuerunt protensa,

3 b. Ut nostros prosterneres
Simul inimicos,
Vitia consumeres
Et hostes iniquos.

4 a. Pedes tui fortiter
Fuerunt clavati,
In cruce atrociter
Ferro perforati,

4 b. Ut gressus dirigeres
Nostros in hoc mundo
Atque nos defenderes
Ab hoste nefando.

5 a. Latus tuum lancea
Miles perforavit,
Cor, hepar et viscera
Simul penetravit,

5 b. Ut corde nos faceres
Esse sanctiores
Dolumque ut moveres
Et omnes errores.

6. Haec nos sancta vulnera
Quinque memorata
Possidere gaudia
Faciant beata.

Miss. ms. Sarisberiense saec. 15. Cod. Londin. Egert. 2677.

20. De Quinque Vulneribus DN.

1 a. Cenam, Christe, celebrasti,
Mortem tuam nuntiasti,
Quando pascha manducasti;

1 b. Sceleris autorem tanti
Iudam ofella monstrasti;
Olivetum hinc intrasti.

2 a. Tunc procidens humi stratus
Patrem supplex es precatus,
Ut transiret calix durus.

2 b. Iudas illum sciens locum,
Turbam ducens pontificum
Osculo tradidit Christum.

3 a. Tunc ministri irruerunt,
Capto manus ligaverunt,
Mite caput percusserunt.

3 b. Christum spinis coronarunt
Purpuraque vestierunt,
Sic pro rege derisserunt.

4 a. Liberare iudex volens,
Ipsum tamen vulgus timens,
Condemnavit manus lavans.

4 b. Christus crucem baiulavit,
Iussus Simon hunc adiuvit,
Turba sequens multa flevit.

5 a. Sanctum corpus prostraverunt,
Pedes et manus foderunt,
Crucifixum erexerunt,

5 b. Inter fures statuerunt;
Scriptum superposuerunt,
Quod gentes cunctae legerunt.

6 a. Carnifices mox duorum
Crura frangentes latronum
Christum vident iam necatum.

6 b. Quare miles hastam sumpsit,
Christi latus perforavit,
Quintum vulnus tunc patravit.

7 a. Per tua quinque vulnera
Deleas nostra, Christe, scelera,

7 b. Ut post dura mortis iura
Laetemur in caelesti patria.

Miss. Rhemense imp. Rhemis 1553. — 4a, 2 tandem. — Mit dem Eingange ist zu vergleichen die Sequenz: „Cenam cum discipulis | Christe celebrasti.“ (Kehrein, Nr. 57.)

21. De Sanguine Domini Nostri.

1. Gratuletur

2 a. Plebs fidelis iam in vero
Christi sanguine,
Per quem caeli
patuit aditus in
eius effusione.

2 b. Sanguis Abel effusus est
de terra clamans;
Sanguis Christi
nil loquitur aliud
quam misericordiam.

3a. In oblatione
Isaac et arietis
in immolatione
figurata est effusio.
Agnus legis mosaicae
agni Christi novae legis
typus et umbra fuit.

3b. Illius sanguinis
aspersio Israelis
populum percussore
tantum liberavit angelo;
Huius vero Christi sanguis
assertor est libertatis
omnium credentium.

4a. Sanguis legis et hircorum
fundebatur ad solam
carnis emundationem;

4b. Sanguis Christi effusus est
ad nostram emundandam
[peccatis] conscientiam.

5a. Ave, sanguis pretiose,
per quem Deus peccatores
revocat in gratiam.
Beati sunt ergo illi,
pui laverunt stolas suas
et dealbaverunt eas
in sanguine agni.

5b. Hic est ille sanguis, cuius
in effusione Deus
sibi iam complacuit.
Christus Iesus est pontifex,
cuius sanguis effusus est
in redemptionem morte
sic intercedente.

6a. Non habemus pontificem,
qui nostris non compati
possit infirmitatibus.

6b. Itaque cum fiducia
ad eius gratiae thronum
celeriter accedamus,

7. Ut misericordiam suam
consequamur et in sanguine eius
inveniamus gratiam.

Miss. ms. Fiscannense saec. 15. Cod. Rotomagen. 293. add. saec. 15. — 2a, 1 iam fehlt. — 3a, 1 sq. In Isaac oblatione et in arietis. — 3a, 4 praefigurata est haec. — 4a, 1 hircorum vitulorum et taurorum. — 3b, 2 sanguis. — 5b, 1 sq. in cuius effusione. — 5b, 3 iam fehlt. — 5b, 7 sic fehlt. — 6a, 2 nostri. — 7, 1 tuam. — Mangels der Melodie ist es nicht möglich, eine sichere Abteilung der symmetrischen Glieder zu konstatieren.

22. De Lacrima Domini.

1a. O lacrima gloriosa
Christi praeclarissima,

1b. Gemma caeli pretiosa
Lymphaque purissima,

2a. A Christo quae nata,
Angelo collecta.

2b. Magdalenae data,
Maximino vecta,

3a. Imperatori Graecorum
Inde praesentata,

3b. Gaufrido Vindocinorum
Ad locum translata,

4a. Interna et externa
Conserva lumina,

4b. Gratia sempiterna
Corda illumina,

5a. O benigna,

5b. O benigna,

6. O benigna,
quae semper inviolata
permansisti.

Miss. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 190. A. — Miss. Carnotense imp. Parisiis 1535. B. — Miss. Remense imp. Remis 1553. C. — 2a, 1 Christoque C. — 5a. O fulgida C. — 5b. O lucida C. — 6, 1 O limpida C. Die letzteren Lesarten wohl Korrekturen. Die Anlehnung auch des Schemas an die Verbeta „Inviolata“ ist hinreichend erkennbar. — Vorstehende Sequenz ist in vielen französischen Missalen zu finden ohne nennenswerte Varianten.

23. Sabbato Paschae.

1a. Iubilans concrepa
nunc, paraphonista.

1b. Solito praecelsas
dic palinodias,

2a. Quas semper exornat
symphonia perplurima,

2b. Iungendo cantica
modulis hypodorica.

3a. Nam resultet dies illa,

3b. Qua resurgens mundi vita

4a. Nos sua clementia

4b. Ditavit spe valida,

5. Quo post resurgamus saecula.

Trop. ms. Wintoniense saec. 10/11. Cod. Oxonien. Bodl. 775. A. — Grad. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisien. 905. B. — Miss. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisien. 17317. C. — Miss. Rotomagense imp. Rotomagi 1499. D. — 1b, 1 Solita A; praecelsa B. — 2b, 2 hypophrygica C. — 3a, 1 resultat CD. — 3b, 1 resurgit A. — 5 in saecula A. — Eigene Melodie in B.

24. Sabbato Sancto.

Lux de luce Deus tenebris illuxit Averni
Vespere, quae prima refulgens luce diei.
Victor ab infernis remeavit, nexibus atris
Sustulit inde suos devicto principe mortis.
Tartara saeva, chaos destruxit, moenia dira,
Clausit et obscuras valvas aulamque maligni.
Regna benigne piis reseravit clausa polorum,
Ut pateant digni sumentes praemia digna.
Cum quibus angelicum spreta tellure squaloris
Participes Christi possimus scandere nomen.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen. O I N 7. A. — Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Patavin. A 47. B. — Grad. ms. incert. origin. anni 1071 (nach Georgius l. c. III, 491). C. — 2 qui B; praefulget C. — 3 inferni B, inferno C. — 5 Tartara sedque chaos AB; media dira AB. — 6 obscuris AB; valvans B; aulasque C. — 7 Regna beata piis C. — 8 Et A; praemia digni B. — 9 u. 10 fehlen C.

25. In Resurrectione Domini.

1. Hodie Dominus Iesus Christus
resurrexit a mortuis.

2a. Pro nobis pependit
in ligno, ut
nos de iugo
diaboli eriperet.

2b. Hora, qua Dominus
exspiravit,
[sol stupescit]
totus mundus contremuit;

3 a. Monumenta aperta
sunt, et qui dormierant,
surrexerunt.

3 b. Descendit Dominus ad
infernum, ut fuerat
prophetatum.

4 a. Hominem,
quem fecerat, ipse
ad caelos vocare
dignatus est.

4 b. Prophetae
audientes ipsum
in gaudio magno
exsultabant.

5 a. Quale
signum dedit latroni,
qui cum ipso fuerat in
cruce!

5 b. Quia
surrexit Deus vere
et apparuit Simoni
Petro,

6 a. Cherubim in paradiso
congaudent latronem
ad se (per)ductum.

6 b. Vectes ferreos confregit,
et multas animas
liberavit.

7 a. Inde excussit protoplastum,
qui mortem morsu
cecideraat.

7 b. Electi, quos ibi invenit,
suo morsu [hinc]
extracti sunt.

8. A fauce inferni electi
cum eo surrexerunt hodie.
Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Trop. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 602. — 3 b, 2 sicut. — 5 b, 2 Dominus. — 7 b, 1 Electos. — Der stellenweise gestörte Parallelismus ist aus den Neumen kaum zu ermitteln.

26. In Resurrectione Domini.

1 a. In ara crucis hostiam
se pro nobis Christus
obtulit Deo patri
morte sua nostra
mortificans crimina.

1 b. Iam victor Christus barathro
populato, mortis
principe vinculato,
ab inferis pompa
regreditur nobili.

2 a. Haec est dies, quae illuxit
post turbidissima regni
Aethiopum tempora;

2 b. Christus in qua resurrexit
ultra victurus cum carne
de Maria virgine;

3. Qui ovem cum gaudio
patri, quem perdiderat,
umero revexit suo.

Grad. ms. Zagrabiense saec. 15. Cod. Cathedral. Zagrabien. s. n. A. — Miss. ms. Zagrabiense anni 1495. Cod. Cathedral. Zagrabien. LV 3. B. — Miss. Zagrabiense imp. Venetiis 1511. C. — 1 b, 5 egreditur B. — 2 a, 2 turbida ABC. — 2 b, 1 surrexit B. — 2 b, 1 sq. fehlen C. — 2 b, 3 quam sumpsit de C.

27. In Resurrectione Domini.

Feria secunda.

1. Summa sollemnitas
adest hodierna,

2 a. Qua Dei populum
Pharao raucidus
remisit ad patriam,

2 b. Et patris genitus
filius thanaton
viribus destituit.

3 a. Threnera rediens

3 b. Spoliat; tumidus

4 a. Chaos flebilisque
tam generosos
perdere viros,

4 b. Quos tam laetabundos
tripudiantes
concepit Eden.

5 a. Haec paschalis
festivitatis gloria,

5 b. Qua supernis
congratulantur terrea.

6 a. Cum, (Christe,) redemptis
surrexisti,
mundum stolidum,
temptum, tabidum

6 b. Perluxisti
et traxisti
signis variis,
verbis credulis.

7 a. Te precamur,
quos redemisti,
protege;

7 b. Asma sanctum,
quo gloriaris,
accipe.

8. Laus trinitati,
Deo soli semper.

Miss. ms. Andecense saec. $^{11}/_{12}$. Clm. Monacen. 3008. A. — Grad. ms. Germanicum saec. 12. Cod. Oxonien. Miscell. liturg. 341. B. — Miss. ms. Andecense saec. 15. Clm. Monacen. 24002. C. — 2b, 3 sq. filius genitus A. — 3a Lies: Tartara (?). — 3b Tumidus ad haec ABC. — 3a, 3b u. 4a sind in den Hss. als eine Klausel verzeichnet; sichtlich ist aber „Chaos flebilisque“ etc. das parallele Glied zu „Quos tam laetabundos“ etc. Sicherheit gäbe nur die Melodie, die leider in Noten fehlt. — 6a, 3 signis prodigiis AC. — 7a fehlt B. — 8, 2 Domino AC.

28. In Octava Resurrectionis Domini.

1. Summa sollemnitas
canat hodierna inclita,
Alleluia,
de lege nova.

2 a. Christicolae, reddite laudes,
Alleluia,
in hac die sacra.

2 b. Eia, in unum lymphaticis,
Alleluia,
reddamus cantica,

3 a. Tuba sonando
Alleluia altithrono,
iubilando
in hac festa;

3 b. Et habeamus
algammata Alleluia,
Alleluia,
in hac aula;

4 a. Et videamus
per prata [amoena],
Alleluia,
paradisiaca,
Quem agmina
poli tympanizantes
iubilant, Alleluia,
modulando nivea
per lyra.

4 b. Quam gloriosa
dominica dies,
Alleluia,
advenit octava!
Meditate
christicolas de Iudaea
loquentes, Alleluia,
in die requievit
septima.

5 a. O quam lux occurrit!
mira res, Alleluia,
facta est vigilia.

5 b. Quae lymphaticis est
gloria, Alleluia,
haec redemptio nostra!

6. Et accipiamus in saecula,
Alleluia, agalmata.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen. O I N 7. A. — Grad. ms. incert. orig. anni 1071 (nach Georgius l. c. III, 497). B. — 1, 2 canamus B. — 2 a, 1 Christicolas B. — 2 b, 3 reddemus A. — 3 b, 1 Ut B. — 2 b, 2 algamasam A, algamassa B (cfr. Du Cange s. v. algammata). — 3 b, 3 Alleluia fehlt AB. — 3 b, 4 hac fehlt B. — 4 a, 6 polim A. — 4 a, 7 iubila B. — 4 a, 8 vinea A. — 4 b, 1 O quam AB. — 4 b, 2 die B. — 4 b, 2 christicolae A. — 4 b, 7 Alleluia fehlt B. — 4 b, 8 ithure quievit A, idithum requievit B. — 5 a, 1 occurrat A; l. quae (?) lux — 5 a, 3 factum B. — 5 b, 1 Quem AB. — 5 b, 2 gloriae A. — 5 b, 3 haec fehlt AB. — 6, 1 Ut A. — 6, 2 agalmata fehlt A, algmassa B. (cfr. 2 b, 2). — B fügt noch bei: Amen dicant per omnia Alleluia Alfa. — Beim Mangel der Melodie ist die Abteilung mancher Klauseln unsicher.

29. In Ascensione Domini.

1. Ascendit Deus in iubilo

2 a. Et Dominus in voce tubae
super caelos
caelorum ad orientem;

2 b. Captivam duxit formam
nostram, dedit
hominibus felix donum.

3 a. Ovem, quae
perierat, ulnis suis
eam vexit

3 b. Ad gregem
illum, ad supernas caulas
eam duxit.

4 a. O ineffabilis Deus,
redemptor
fortis, aeternae gloriae,

4 b. Qui in personis trinus es
et unus
fateris in essentia.

5 a. Qui non vis perire tuum,
quod creaveras, plasma,

5 b. Prolem in terra dilectum
pro nobis direxeras.

6 a. Ipse probra nostra tulit
per stipitem
et livore
eius nos sanati sumus;

6 b. Resurrexit de sepulcro,
in aethera
revolavit
ad sidera; Alleluia.

7. Ipsum enim exspectamus
inde iudicem
venientem, ad supremum
similiter sicut ascenderat.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123. (B III 18). A. — Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen. O I N 7. B. — Grad. ms. incert. orig. anni 1071 (nach Georgius l. c. III, 506). C. — 2a, 3 ab A. — 2b, 3 et hominibus C; felicem donum B, felice C. — 3a, 1 quem B. — 3a, 2 in ulnis AB. — 3a, 3 vehit C. — 3b in C ohne Alinea. — 3b, 3 fehlt C. — 4a, 2 sq. fortis fateris in essentia B. — 4a, 3 aeterna gloria C. — 4b, 1 es fehlt A. — 4b, 2 sq. unus Deus et invisibilis B; fatearis A. — 4b, 3 scientia A. — 5a, 1 tua B, tuam C. — 5a, 2 quam BC; plasmaveras plasmam C. — 5b, 1 Proles A; terris BC; dilecta A, dilectam C. — 5b, 2 ut dilexeras A. — 6a, 1 proba A, crebra B. — 6b fehlt B. — 7, 2 idem ABC; l. item? — A hat nach jeder Klausel „Alleluia". Die Melodie hat namentlich in den Eingangsstrophen die Symmetrie des Textes wenig gewahrt; den etwas verwilderten Parallelismus der Melodie auch bei Abteilung des Textes zur Anschauung bringen, wie das sonst bei unseren Sequenzen geschieht und geschehen mufs, hiefse hier den ohnehin nachlässig besorgten Parallelismus des Textes völlig zerstören. Inzwischen sei hingewiesen auf die Publikation der Hymnen- und Sequenzenmelodieen, welche den Abschlufs unserer Analecta bilden wird.

30. In Pentecoste.

1. Advenit

2a. spiritus sanctus hora
diei tertia

2b. Discipulis praebens
charismatum dona

3a. Omniumque
linguarum eos
loqui fecit genera,

3b. Qui prius in
aedificio turris
confuderat superbiam.

4a. Et cunctis
mirantibus
Dei non timent
loqui magnalia,

4b. Quos ante
Christi passio
fugere fecit
per compita.

5a. Hos tamen
compescere
procurabat
Iudaea

5b. Plenos esse
credens musti,
de crapula
(saltem) credula.

6a. Quibus non metuit
respondere
Petrus, quae noverat vera,

6b. Non est abundantia
vini clamans
sed Ioelis prophetia.

7a. Ecce, cuius
primo negaverat
scire, praedicat miracula,

7b. Plenos eos,
iam qui crediderant,
linguarum gentibus munera.

8a. Hodie sancta
meritoque colenda,

8b. Qua spiritus sanctus
terram replet fluente,

9 a. Discipulis
atque linguarum
varia venit
in igne notitia.

9 b. In hac ergo
die petimus,
mittere digneris,
genitor alme, dona,

10 a. Cordium atque nostrorum

10 b. Quaeque pelle tenebrosa,

11 a. Cooperante nato tuo,
qui factus est
mundi hostia,

11 b. Spiritus eiusdem sancti-
faciente
quoque gratia.

12. Cuius est laus
et gloria
per saecula.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Patavini A 47. A. — Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen. O I N 7. B. — 7 b, 2 crediderat AB. — 8 b, 1 Quam AB. — 8 b, 2 repet B. — 10 a, 1 Cordibus atque nostrarum AB. — 11 a, 1 Quo operante B.

31. Dominica prima post Pentecosten.

1. Ecce, dies venerandus,
lustrantur quo fideles.

2 a. In quo almus spiritus
adventavit
super cunctos credentes
ab astris,

2 b. Corda replens mentesque
altithroni
sonitu corroborans
repente.

3 a. Virtus perfudit
cordibus credentium. *

Nova acceperunt
procedente spiritu
a patre filioque
fulgentia eloqui *
magnalia.

Dies fulgebat
florigera,
vehemens de caelo
sonitus replevit cunctos
residentes Solimam.

3 b. Advenit divinus,
*discipulos illustrans
ignis, quaerens, lucens,
tribuens charismatum
dona omnibus,

*Lustrans, inundans
deitatis amore.

Tunc, qui aderant,
loquebantur
mustoque repletos
ebriosque per vinumve
eos esse amentes.

4 a. Ore rogemus,
corde petamus
spiritum illum
sanctum adesse

4 b. Largifluisque
precibus [omnes
nobis] oremus
nostrum auctorem.

5 a. O paraclite,
solator spiritus,

5 b. O lucifluens,
nobiscum maneto

6 a. Semper custodiens
praesidensque,

6 b. Semper humillimos
exhibensque;

7 a. Pectoribus
nostrismet lustrando,
inducendo veritati
Nos omnes, qui
discipulis
dispertitis in linguis
creverunt;

7 b. Coaequalis,
[paraclite sancte,]
Deo patri filioque
Corda nostra
terrivola
replens atque confirmans
Solimam;

8 a. Ut teneamus caritatem,
servemus castitatem
fidemque immaculatam,

8 b. Ut de terrenis erigemur,
de imis suscitemur
ducemurque in excelsis.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123. (B III 18). — 2 b, 3 sq. repente corroborans. — 3 a, 3 procedentes. — 3 a, 9 florierant; vielleicht florigerans? — 3 b, 5 charismata. — 3 b, 11 uillumve(!). — 6 b, 1 humillimus. — 7 a, 3 in veritate. — 7 a, 4 omnemque. — 7 a, 5 discipuli. — 7 a, 6 dispertitum. — 7 b, 5 terrivolam. — 7 b, 6 replet. — 8 b, 3 lucem urque.

32. De sanctissima Trinitate.

1. Eia, cantemus cuncti
et laudemus Domino,

2 a. Qui nos ab imo plasmavit
mundi ab exordio

2 b. Et de suo sacrosancto
nos redemit pretio.

3 a. O pater alme,
Deus immense,
trine et une,
compar utriusque *
spiritus alme; * *

3 b. Quem tremunt impia
tartari cohors,
[caelorumque] te laudant
* sancti, et cuncti
* adorant, trinitas sancta.

*

Qui in principio * *
cuncta creasti, *
angelorum agmina,
sidera quoque
et cuncta regis per saecla;

Nunc modulemur
* omnes praecelsa
cantica dulci
melodia quoque
cuncta in saecla,

4. Et nos felices
cantemus in gloria.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen. O I N 7. — 2 a, 1 imo terrae. — 3 a, 10 saecula — 3 b, 2 tartara. — 3 b, 8 dulce. — 3 b, 10 saecula.

33. De sanctissima Trinitate.

1. Deus ineffabilis
et incircumscriptae naturae,

2a. Rerum institutio
omnium, Domini
nostri Iesu Christi pater,

2b. Qui eundem filium
tuum [prae]dilectum
de sinu tuo misisti

3a. Ad publicum
nostrum suscipere

3b. Vitam nostram,
ut nobis det suam,

4a. Essetque perfectus
Deus ex parte patris,

4b. Necnon et perfectus
homo ex parte matris;

5a. Totus Deus
et totus homo
unus idemque Christus;

5b. Aeternus
et temporalis,
immortalis et mortalis;

6a. Creator et creatus,
fortis et infirmus,

6b. Nutritor et nutritus,
pastor atque ovis;

7a. Temporaliter mortuus,

7b. Tecum in aeternum vivens.

8a. Dator vitae aeternae
municipium promittens
dixit nobis:

8b. Quidquid petieritis
patrem in nomine meo,
dabit vobis.

9a. Obsecramus
itaque, Domine, et
te nimis pium rogamus
in nomine dilectissimi
filii tui,

9b. Ut des nobis
cum eodem filio
tuo [prae]dilecto te in
omnibus benedicere et
glorificare.

10a. Quia, quorum
una est substantia,

10b. Unum [horum]
etiam est et datum.

11a. Da nobis ergo per illum
et cum illo
peccatorum nostrorum
veniam [cunctorum]

11b. Et mandatorum tuorum
custodiam,
dilectionem tui
et firmum amorem.

12a. O sacrosancta trinitas,

12b. O summa Dei bonitas,

13a. Perfice in nobis,
quod [te] petimus
per crucifixum Iesum
Christum, Dominum nostrum,

13b. Qui aeternaliter
tecum vivit et
regnat in unitate
spiritus in saecula

14. Saeculorum.

Miss. ms. Claustroneoburgense saec. 15. Cod. Claustroneoburgen. 958. — 3b, 2 donet. — 6b, 2 et. — 8a, 3 dedit et dixit. — 8b, 1 Quodcunque. — Bei 3b und 10b ist in der Hs. kein Alinea; auch fehlt leider die Melodie, die Norm für eine sichere Abteilung der Versglieder.

34. De sanctissima Trinitate.

1. Deus,

2 a. Veniae
largitor et humanae
salutis amator,

2 b. Quaesumus
ineffabilem, piam
clementiam tuam,

3 a. Ut des
ex amore tuo
lacrimas, des fidei
virtutumque pennas,

3 b. Quibus
induti rursus ad
te volitemus, prorsus
et caelum petamus.

4 a. Praesta nobis,
Deus omnipotens,
ante exitum
vitae nostrae

4 b. Firmam semper
fidem, inconcussam
spem caritatemque
perfectam,

5 a. Humilitatem profundam,
patientiam invictam

5 b. Et corporis et animae
castitatem perpetuam.

6 a. Da cordis contritionem
atque lacrimarum fontem,
da simplicem innocentiam;
Da stabilitatem nostrique
cordis puritatem, da
constantiam
et mentis integritatem;

6 b. Da nobis fortitudinem
et virtutes, ut victores
nostri in cunctis existamus;
Da semper et ubique contra
hostem crudelissimum
tuae piae
defensionis auxilium.

7 a. Haec per te,
haec de te,

7 b. Haec in te
donentur.

8 a. O beata,
benedicta,
gloriosa trinitas,

8 b. O aeterna,
sempiterna,
vera, summa unitas.

9 a. Audi et exaudi nos,
salva
et salvifica nos;

9 b. Adiuva et iuva nos,
munda
et mundifica nos.

10 a. Per unigenitum
Iesum Christum,
de Maria
virgine natum,

10 b. Qui processit matris
de utero
tamquam sponsus
(de) suo thalamo,

11. Regnans cum patre
et sancto spiritu
per infinita et immortalia
saeculorum saecula.

Miss. ms. Claustroneoburgense saec. 15. Cod. Claustroneoburgen. 958. — 3 b, 3 sq. et prorsus. — 4 b, 2 sq. spem inconcussam. — 5 b, 1 Et fehlt. — 6 a, 1 et lacrimarum. — 6 b, 2 vires et. — 7 b, 2 condonentur. — 10 b, 1 sq. de matris. — Bei 2 b, 3 b, 5 b und 7 b ist in der Hs. kein Alinea. Auch fehlt die Melodie; daher ist manche Abteilung der Klauseln fraglich.

35. De sanctissima Trinitate.

1 a. Personarum trinitatem
Et naturae unitatem
In primo principio

1 b. Collaudemus et credamus
Et sincere diligamus
Pulso mentis vitio.

2 a. Pater verbum ab aeterno
Eructavit de interno
Cordis secretario;

2 b. Verbum dixit coaequale,
Qualis pater, verbum tale,
Pater est in filio.

3 a. Duo quidem sunt coniuncti
Sed disiunctim, et disiuncti
Sed coniunctim;
res est ineffabilis.

3 b. Ut personae distinguuntur,
In natura coniunguntur,
Cum sint unum;
res inenarrabilis.

4 a. Nasci quidem a parente
Non est idem cum gignente,
Sed diversa natio;

4 b. Et ex Deo natus Deus
Probat, quod sint unus Deus;
Haec est vera ratio.

5 a. Conspirant duo tertium,
Non aliud sed alium,
Amorem suavissimum;

5 b. Procedit sanctus spiritus
Ab utroque, paraclitus,
Flamen, pneuma dulcissimum.

6 a. Naturalis identitas,
Personarum diversitas
In tribus ab ecclesia

6 b. Praedicatur et creditur,
Veneratur et colitur,
Nostra fides et gloria.

7 a. Ex ipso manant omnia,
Per ipsum fiunt omnia,
In ipso manent omnia;

7 b. Ipsi decus et gloria,
Ipsi laus et potentia,
Dicant omnes: Alleluia.

Miss. ms. Hispalense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 17. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. C. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. D. — 3 a, 2 Sed (et B, C) disiuncti sed coniunctum (coniunctim B) ABC. — 3 a, 3 Et ABC; disiunctum AC, disiunctim B. — 3 b, 1 Et personae BCD. — 3 b, 2 convertuntur BCD. — 4 a 1 quidem apparente ABC. — 4 a, 3 divina D; notio C. — Str. 5—7 fehleu BC. — 5 b, 3 neuma D. — 7 a, 1 Et ex AD. — 7 b, 3 Ipsi dicant D; dicunt A.

36. Dominica quarta post Trinitatem.

1 a. Omnium
Domino atque pio
liberatori
votis ac voce
cordis iubilemus.

1 b. Laetemur
et exsultemus eius
in laude nunc et
semper, timentes
ac amantes eum;

2 a. Est quia iudex
patiens, fortis, pius,
miserator
ac multum misericors,

2 b. Impios suis
constrictos sceleribus
solvens, iustus,
clemens et iustificans.

3 a. Omnes enim
peccavimus ei
et parcit nobis

3 b. Nostra spectans
lamenta digna
pro culpis multis.

4 a. Nec quaerit nos damnare,
sed salvare et
liberare;

4 b. Nam venit in hunc mundum,
nasci dignatus
per virginem,

5 a. Peccatores vocare

5 b. Intra paenitentiam.

6 a. Gratia cuius stat iustus,
peccator lapsus resurgit.

6 b. Veniam nostris, tu Deus,
dare digneris peccatis

7 a. Et caeli gaudia
cum sanctis omnibus,

7 b. Tuis ac facias
dignos conspectibus,

8. Ut laudemus fulgidi
nomen tuum gloriosum
per cuncta sacculorum
saecula.

Miss. ms. Metense anni 1321. Cod. Meten. 133. — 1 a, 2 ac. — 1 b, 2 sq. in eius. — 2 a, 2 iustus patiens.

37. De Corpore Christi.

1. Ave, verum corpus natum
De Maria virgine,

2 a. Vere passum, immolatum
In cruce pro homine,

2 b. Cuius latus perforatum
Vero fluxit sanguine.

3 a. Immolaris in altari
Sub panis velamine,

3 b. Et sub vino degustaris
In sacrato calice.

4 a. Esto nobis praegustatum
Mortis in examine

4 b. Cunctos hostes depellendo
Tuo sancto flamine.

5 a. O dulcis, o pie Christe,
Regum rex et Domine.

5 b. Qui cum patre semper regnas
Et cum sancto flamine.

Miss. ms. Franciscanum (Corvinus) saec. 15. Cod. Vatican. Urbin 110. — Die Überschrift lautet: „In festo corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi Sequentia".

38. De Corpore Christi.

1 a. De Christi corpore
Tanta sollemnia
Sollemni decore
Colat ecclesia,
Mundoque pectore
Solvatur gloria
Tam mundo corpori.

1 b. Hoc est cibarium
Vere reficiens,
Panis caelestium
De caelo veniens,
Christi martyrium
Infigi faciens
Devoto memori.

2 a. Hic panis gloriae,
Hoc vitae pabulum
Perennis patriae
Dans habitaculum,
Sic cibo gratiae
Saginat famulum,
Quod non esuriet.

2 b. Hic cibus caelicus
Sub lege latuit,
Sed iam angelicus
Panis enituit,
Iam rex pacificus
Se panem praebuit,
Ut pace satiet.

3 a. Haec carens carie
Caro dignoscitur,
Cuius munditie
Munda mens alitur;
Agnus cottidie
Mundus hic oritur
Mundans a vitio;

3 b. Qui, licet iugiter
Fiant mysteria,
Sua totaliter
Stat in substantia,
Totus aequaliter
In caeli regia,
Totus altario.

4 a. Esus a pluribus
Semel vel saepius
Unus est omnibus,
Idem, non alius;
De tot edentibus
Nullus est amplius
Sed quisque pariter.

4 b. Quod clausum tenuit
Manna, iam reserat,
Nam plus non habuit,
Qui plus collegerat;
Aeque distribuit,
Quod aeque dederat,
Aeternus arbiter.

5 a. Sane per omnia
Non est res similis
Manna, post spatia
Res erat labilis;
Sed Christus hostia
Incommutabilis
Manet in saecula.

5 b. Cuius perpetui
Panis et sanguinis
Sic mensa perfrui
Nos det fons luminis,
Ut stolis indui
Possimus geminis
Post haec curricula.

Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. A. — Missale Toletanum imp. Burgis 1512. B. — 2 b, 4 emicuit B. — Str. 3 sqq. fehlen B. — 3 a, 2 dinoscitur A. — Offenbar das gleiche Schema wie „Aeterni numinis | Mater et filia“. — Diese Sequenz findet sich auch im Miss. Cordubense, imp. s. l. [Ioh. Cronberger] 1525, mit 6 Halbstrophen.

39. De Christo Domino.

1. Dulcissime Iesu,
qui de caelo descendisti
et vitam mundo contulisti,

2 a. Legam de te,
scribam de te,
quaeram te,
cantem de te, laudem te,
Iesu, puer dulcissime.

2 b. Nam suavis
es et mitis,
humilis
plenusque virtutibus,
fili Dei altissime.

3 a. Multum dimittis
multum amanti
nec postea
te deserenti;

3 b. Qui te reliquit,
heu, quid hic facit?
qui te invenit,
eia, quid habet?

4 a. Illum profecto tenet et habet,
qui caelum, terram
ut Deus regit,
ut homo miro modo
praesaepe
quasi pauper praeelegit.

4 b. O venerabile praesaepium,
in quo servatur
mundi pretium!
Nunc latet, nunc tacet;
tunc scietur,
cum pro multis expendetur.

5 a. Haec sunt deliciae
fidelis animae
saepe mente recolere
humilia tua,
Iesu Christe;

5 b. Haec sunt reliquiae
piae memoriae,
quas devote recolere
in absentia tua
vis, Domine.

6 a. Iam oportet me gaudere,
nam damnatus pro scelere
eram et clausus
taetro carcere,
sed Iesus venit
cum claro lumine.

6 b. Nudus eram nec sciebam,
claudicabam et languebam
et ad me dignatus
es descendere,
Iesu clemens et
caelestis medice.

7 a. Bone pastor, multum nos
amasti,
quibus, Iesu, praeparasti
ab aestibus umbraculum.

7 b. O Iesu, clarissimum
speculum,
splendens per totum saeculum,
tu nostrum es remedium.

8 a. Quidni ego dolerem,
Iesu bone,
si non venisses et aegrotum
visitasses.

8 b. Nunc vero et gaudebo
in te, Iesu,
meo Deo, et servus tuus
semper ero.

9. Laus tibi, Iesu benigne,
et amoris tui igne
accende me,
ut semper amem te.

Process. ms. Schonenbergense anni 1530. Cod. Dr. W. Bäumker. — 4 a, 2 terramque. — 4 b, 2 sq. mundi servatur. — 5 b, 1 sanctae reliquiae. — 7 a, 3 Iesum. — Vielleicht ist Vorstehendes ein Reimgebet in Sequenzenform.

40. Die Dominica.

1. Sit iucunda
Deo nostro laus
et vehementer decora,

2 a. Quam concedit copiosa
cantari sibi gratia.

2 b. Dicatur ei gratia
semper et pangatur nostra,

3 a. Qua nos fecit et a poena
redemit summa,

3 b. Debita dimittens cuncta
et piacula

4 a. Parcens nostra,
et a morte pessima

4 b. Eruit atra
confringendo infera.

5 a. Nempe clara mente summa
necnon et concordissima

5 b. Illum vox collaudet nostra
atque psallat humillima.

6 a. Sit benedicta
semper unitasque inclita,
quae gratis
nostra pellit mala

6 b. Et tanta bona
largitur nulla per merita
sed sola
pietate sua.

7 a. Efferatur ergo ita
mens unanima,

7 b. Ut de multis fiat una
illum cernua

8 a. Poscens, quo in nobis coepta
[sint] consummata,

8 b. Ut quandoque terminata
praesenti vita

9. Laudemus eum in saecula.

Martyrologium ms. Modoitiense (?) saec. 9 ex. Cod. Capit. Veronen. XC (85). — 2 b, 1 sq. semper gratia. — 6 b, 1 sq. largitur bona. — 7 b, 1 viat ita? — 8 a, 2 consumma. — 8 b, 2 praesentis.

41. Die Dominica.

1. Gloria
resonante cymbalarum
ecclesiae prorumpat
sic vox dulcisona:

2 a. Sit laus vernans
tibi, Christe, semper
decus atque rutilans

2 b. Luciferi
ante ortum, canna
canit ut Davidica.

3 a. Pollens verbigena,
formam qui clemens
homiferam

3 b. Sumpseras, quam crucis
ara portavit,
ara sacra,

4 a. Et clara propagasti
stirpe orbis
per lustramina

4 b. Me ecclesiam, spreta
synagoga
errorivaga.

5 a. Hinc rogo
crucis per stigmata
atque fluenta
per rosea,

5 b. Quos tibi
filios procreo,
reple gratia
caeliflua,

6 a. Fide armifera,
mala anguifera

6 b. Quo vincant, curia
et in stelligera

7. Diva per saecla
laetentur corona.

Trop. ms. Wintoniense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Oxonien. Bodl. 775. A. — Trop. ms. Wintoniense saec. 11. Cod. Collegii Corporis Christi Cantabrigens. 473. B. — Titulus: Ploratum. — 1, 3 prorumpet. —

42. Die Dominica.

1 a. Consona, caterva,
plaudente sacri
concentus camoena,

1 b. Modulis dulcibus
arguta vocis
organa declarans,

2 a. Praepollentem regem
in clara
laude salutans,

2 b. Hymnifera voce
inquiens:
Salve, maiestas

3 a. Excelsa, quae creata
omnia per diutina
regis saecla.

3 b. Maneat benedicta
ac semper ineffabilis
virtus tua.

4 a. Et leniter lambens
fidei vestigia
sacrata

4 b. Lacrimarum fusis
precibus clementia
exora,

5. Quo crimina
abstergat
clemens tua.

Trop. ms. Wintoniense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Oxonien. Bodl. 775. A. — Trop. ms. Wintoniense saec. 11. Cod. Collegii Corp. Christi Cantabrigens. 473. B. — Titel der Sequenz: Tractus.

43. Die Dominica.

1. O alma

2 a. Dies dominica,
praeclara
atque perspicua,

2 b. Cunctis christicolis
optata
praeferens otia!

3 a. Chromata cuncta
per te relabuntur
rite connumerata;

3 b. Idem quoque prima
namque et octava
manent reciprocata.

4 a. Tu inter cuncta
revoluta
dierum tempora

4 b. Numinis clara
distinctaque
tenens primordia.

5 a. Rerum creator in te
„Lux“ inquit „fiat“,

5 b. Cuius ad nutum constat
protinus orsa.

6 a. Est enim ipsa,
in qua Gabriel,
ille magnus caelicola,

6 b. Detulit nempe
sanctae virgini
salutaria nuntians.

7 a. In te Arabica
et Sabaea Christo dona
sunt oblata
ad cunabula,

7 b. Nec non Iordanica
lotus unda Christus vita
in Lyaeum
convertit lympham.

8 a. Et ut tantum potissima

8 b. Memorentur praeconia:

9 a. Resurrexit in te vera
redemptio nostra.

9 b. Sanctum neuma unxit in te
fidelium corda.

10 a. Tu es ipsa,
quae erit ultima,
in qua tunc terribilia
patrabuntur iudicia;

10 b. In qua sua
Christus clementia
nos locet inter agmina
electorum ad dexteram,

11. Quo audita
voce benigna
capiamus gaudia
aeterna per saecula.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen. O I N 7. — 3b, 1 sq. primaque nam. — 5b, 1 nutu. — 6a, 1 Est en in ipsa. — 6b, 2 virginis. — 10a, 2 eris.

44. Die Dominica.

1 a. Laudans, caterva,
iubila
symphoniaca,

1 b. Dulce concrepans
organa
simul vox nostra

2 a. Lyrica
resonet cymbala
in die dominica,

2 b. Neumata
decantent Gloria
in hac die festalia.

3 a. Et nos iubilemus Deo,
qui est recolendus octava
et prima,
Ut mereamur eum
intuere in saecula,

3 b. Qui requievit sepultus
et dira vastat infernorum
tartara,
Et cuncta redemit in
sancta die dominica;

4 a. Et potum mortis
[in cruce]
biberat,
qui in die dominica
evigilat,
Salvare cunctas animas
quaerens squaloribus
perditas,

4 b. In qua lux occurrat
octava
et prima,
revolvendo per omnia
tempora.
Te deprecamur, hagie,
ut noxam minuas
catervas,

5a. Ut modulemus Alleluia
herile dominica;

5b. Sit tibi laus in saecula
et pax plebi in arva.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capitul. Mutinen. O I N 7. — 1a, 1 Laudant. — 1b, 1 Concrepant. — 2b, 3 Auch die Melodie hat eine Note Überschufs. — 3a u. 3b umgestellt. — 3a, 1 Domino. — 3b, 5 sata. — 4a, 7 quae est squaloribus. — 4b, 1 Auch in der Melodie entfällt auf „In“ eine überschüssige Note. — 4b, 7 nox aminuas. — 5b, 1 saecla.

45. Die Dominica.

1. Alme pater,
Deus omnipotens.

2a. Qui cuncta in principio
creasti sidera,

2b. Angelorumque agmina,
ut essent lucida,

3a. Petimus et nos, ut
mereamur sublevari
ad aethri regna

3b. Et eorum fulti
munitionibus illis
canamus bona,

4a. Quae promisisti tibi
credentibus;
quod ne qui praeripiant
miseri,

4b. Humana quae per acta
perpetrata
sunt, indulgens omnia
nobis des

5. Veniam.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano(?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123 (B III 18). — 3a, 2 sq. ad aethra sublevari. — 3b, 1 fulta. — 4a, 3 perciperent. — 4b, 1 Humana atque per. — 4b, 2 perpetraste.

46. Die Dominica.

1. Venite pusilli
simul et magni;

2a. Tollite oculos
nimium ad aethera

2b. Deflentes propria
delicta nutantia,

3a. Supplicantes piam
clementiam
salvatoris almam,

3b. Uti salvet pius
ac gubernet,
ingratos protegat,

4a. Flectens piam
aurem ad preces
famulorum devotas,

4b. Ut fideli
mente psallentes
tibi semper concinant.

5a. Iamque imploremus,
ut veniat
super nos palma,

5b. Iamque deprecemur,
ut det nobis
collata praemia.

6a. Christe, redemptor,
O dominator,
pasce oviculas
tuas, pro quibus
de superni
patris gremio venisti,
descendisti ad ima.

6b. Nostrae salutis
Auctor effectus
salve plasma tua,
quae olim serpens
devicerat
~~~~~~~~~~~~~~~~
suadendo dulcia.

7a. Ne quando possit
capere creaturam
tuam, Domine,
quam formasti in
laudem tuam.

7b. Tu enim olim
creator, nunc autem
et liberator,
largire devotis
praemia.

8a. Iam resonant
voces in excelso.
iam perstrepunt
organa devota
tibi canentes, Christe.
rex pie,
rex aeternae gloriae,
genitus ante saecula.

8b. Iungantur nunc
voces famulorum
cum electis
choris angelorum
simul cum virtutibus,
cum thronis,
Cherubim ac Seraphim
ante thronum ardentia,

9a. Exsultantes cum illis
semper et laetantes
in caelorum regna,

9b. Gaudentesque cum sanctis,
qui nos praecesserunt,
in aeterna vita.

10a. Iam securi de tormenta

10b. Iamque laeti de praemia

11a. Sine fine
perfruuntur
angelorum manna,

11b. Quod est Christus,
Deus noster
regnans in saecula.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano(?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123 (B III 18). — 3b, 2 atque. — 6a, 6 entbehrt in der korrespondierenden Klausel eines Gegengliedes; vielleicht zu lesen: de supernis | descendisti ad ima. — 6b, 1 O nostrae. — 8b, 7 ac fehlt. — 8b, 8 sociante thronum. — 10b. In der Hs. kein Alinea; die auffallenden Formen „tormenta“ (10a) und praemia (10b) sind als echt verbürgt durch die stets gewahrte Endassonanz in **a**. — 11a, 1 perfruantur.

47. In Missa Defunctorum.

1a. Deus magnus et immensus,
Quem nullius capit sensus.

1b. Deus iudex aequitatis
Cum unguento pietatis,

2a. Verbum cuius fuit oris:
Nolo mortem peccatoris,

2b. Sed ut magis convertatur,
Quam in culpa moriatur.

3a. Qui latroni pepercisti
Et Mariam exaudisti,

3b. Qui latroni iam fideli
Promisisti regna caeli.

4a. Regna huic dones illa,
Ubi cuncta sunt tranquilla,

4b. Et post ista fugitiva
In aeternum vita vivat.

5a. Qui salvasti Magdalenam,
Omni pravitate plenam,

5b. Animam huius defuncti
Libera de omni poena.
~~~~~~~~~~~~~~~~

6 a. Qui de sinu summi patris
De supernis descendisti

6 b. Et in alvo castae matris
Carnem nostram assumpisti,

7 a. Tu labores miserorum
Pertulisti peccatorum
Lactatus matris ubere;

7 b. Sitim, soles, frigus una
Suffers et membra . . .
Baptizatus in Iordane.

8 a. Saepe flesti propter oves,
Quas tu, pastor, bene foves
Et fers errantes umeris;

8 b. In deserto pertentatus
Vincis hostem, Deus natus,
Nostrae salutis aemulum.

9 a. Dum in mundo conversaris,
Pie Iesu, medicaris
Orbos, surdos, claudos sanans,

9 b. Caecis lumen, vitam donas
Vita functis, et condonas
Reatus paenitentibus.

10 a. Post per manus tuae gentis
Saevis datus es tormentis
Iudicandus homo-Deus;

10 b. Duris spinis coronatus,
Dirae cruci conclavatus
Fundis cruorem latere.

11 a. Cuius corpus sepulturae
Datum, iacens satis dure,
Surrexit die tertia,

11 b. Fractis vectibus inferne
Vincis scandis et superne
Triumphum ducens nobilem.

12 a. Unde veneras, reversus,
Ad nos oculos conversus
Promissum dans paraclitum;

12 b. Iudex crederis venturus,
Iesu, cuncta discussurus
Remunerator opera.

13 a. Per haec omnia precamur
Te, quem proni veneramur,
Has audi preces, Domine,

13 b. Miserere, Iesu care,
Quem deflemus sic amare
Hodie functum saeculo.

14 a. Da ei remissionem
Et per sanctam passionem
Tuam placidam requiem,

14 b. Ut terrestribus purgatus,
Tua gloria beatus
Sic vivat in caelestibus.

15 a. O Maria, dulcis mater,
Quam elegit summus pater,
O angelorum domina,

15 b. Supplicamus, deprecare
Pro defuncto, cui dare
Tuam digneris gratiam.

16 a. O patrona peccatorum,
Consolatrix defunctorum,
Mater pia, subvenias;

16 b. Tuis precibus succurras
Et agminibus concurras
Supernis huic obviam.

17. Ducas eum ad caelorum
Regna, mater, ut sanctorum
Sancta quiescat in pace.

Miss. Gallicano-Sicului imp. Venetiis 1568. — 3 a, 2 Diesem Verse wird noch beigefügt: Mihi quoque spem dedisti. — 5 a, 2 bonitate. — Der Str. 6 a geht voraus: Victor mortis Iesu Christe. — Nach 6 b, 2 ist angehängt: Salus futurus (!). — 9 b, 3 Reatus et. — 11 b, 1 inferne wohl eine Adverbialbildung. — 12 b, 3 Remuneratur. — 14 b, 2 Tuam gloriam. — Die zwei ersten Strophen sind gleich dem Anfange der „Oratio paenitentis“, die Anal. XV, Nr. 234 mitgeteilt ist; ob von dort entlehnt?

II.

DE BEATA.

48. In Conceptione BMV.

1 a. Laetabundus
Mariae concinat mundus
Alleluia,

1 b. Cui non obest
Obex morsus pomi; nec est
Res miranda,

2 a. Cordi qui huic se novit,
Si ecclipsim amovit
Sol de stella,

2 b. Si Satan non agnovit
Caro, quae Deum fovit,
Semper clara.

3 a. Sicut labens salvatur,
Qui, ne cadat, iuvatur
Pari forma,

3 b. Haec lapsu praeservatur
Nec casu, cui mors datur,
Fit corrupta.

4 a. Horret legem inferni
Vis foederis materni
Valle nostra,

4 b. Qua Satan debet sterni,
Qua Deus debet cerni
Carne sumpta.

5 a. Manent principalia,
Cessant accessoria,
Mors, partus et alia
Esse caeca.

5 b. Pomi fuit filia
De iure, sed gratia
Praerogat dextra dia
Haec praedicta.

6 a. Infelix, propera
Concedens cetera,
Cur matrem sordes,
gens misera?

6 b. Auroram in sphaera
Vernam considera,
Quam soli parat
mens libera.

Miss. ms. S. Maturini Parisien. anni 1510. Cod. Parisin. Mazarin. 430 (233). — 1a, 2 concinat chorus. — 2a, 1 huic einsilbig zu lesen, wie auch „cui“ (3b, 2). Ich konstruiere: Nec est res miranda, si (= quod) sol, qui huic cordi se novit (lies: vovit?), ecclipsim amovit de stella, [et] si caro Satan[am] etc. — Melodie natürlich: Laetabundus.

49. In Conceptione BMV.

1 a. Matris Christi festivare
Conceptionem praeclare
Nititur ecclesia.

1 b. Huius diem honorare,
Elemosynis ornare
Coguntur fidelia.

2 a. Haec in lucem progressiva
Veri solis productiva
Fuit sine semine.

2 b. Adae culpae expulsiva,
Verae vitae promissiva
Nobis est egregie.

3 a. Quod haec dies celebratur
Et a cunctis veneratur
Veris tabernaculis,

3 b. Hoc in libro declaratur
Et Anselmus protestatur
Eius in miraculis.

4 a. Tempore, quo debellata
Et a malis exstirpata
Anglia exstiterat,

4 b. A Wilhelmo Normannorum
Duce, regente Anglorum
[Regnum], cum didicerat

5 a. Thracos esse conturbatos,
Sic a patria privatos,
Abbatem direxerat.

5 b. Illuc ventus prosperatim
Et cunctis peractis statim
Ad sua revexerat.

6 a. Vento sibi occurrente,
Quod de malo imminente
Corporis auxilium

6 b. Linquunt, animarum curam
Committentes Deo puram
Maris per exsilium.

7 a. Abbati sic in dolore
Exsistenti et terrore
Vir sic dicens properat,

7 b. Qui matris redemptionis
Hunc suae conceptionis
Se colentem noverat:

8 a. Diem si mihi promittis,
Tui, quod hoc non dimittis,
Erit liberatio.

8 b. Quo spondente ventus cessit,
Alibi sic innotescit
Eius celebratio.

9 a. Tempore Karoli Francorum
Quidam iussu amicorum
Desponsari voluit.

9 b. Huic apparet Christi mater:
Si me cupis, linque, frater,
Hanc, quae tibi notuit.

10 a. Hac de causa, mater Christi,
Sacerdotem, dum venisti,
Morti datum redemisti
Daemonum consortio

10 b. Iubens tuae celebrare
Conceptionis firmare
Diem et hoc praedicare
Abiecto divortio.

11 a. Erubescant nunc insani
Omnes saltem Christiani
Exsistentes ita vani,
Cernentes hoc meritum,

11 b. Quod de caelo est egressum
Et fidelibus concessum,
Ut in libris est expressum,
Delens sic interitum.

12 a. Digna mater, virgo pia,
Iesu Christi, o Maria,
Si qua nobis sint ebria,
Rege nos in vitae via
Huius a penuria,

12 b. Ut ad regnum tui nati
Pervenire perpetrati
Per te simus sibi dati,
Ubi conregnant beati
In caelesti curia.

Orat. et Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 5 b, 1 Illic. — 7 b, 1 Si matri. — 7 b, 3 Te. — 11 a, 4 Spernentes. — 12 b, 5 caelestia. — Melodie offenbar: Laudes crucis attollamus.

50. In Nativitate BMV.

1 a. Flos de spina procreatur,
Flos, qui nullis asperatur
Spinis, sed qui venustatur
Candore purissimo.

1 b. Flos mundus, flos speciosus,
Flos purus, flos pretiosus,
Suavis et copiosus
Nectare dulcissimo.

2 a. Spina fuit Hebraeorum
Populus, ex carne quorum
Sed ex stirpe meliorum
Flos traxit originem.

2 b. David rex inclitus fuit,
Cuius radix exhibuit
Florem istum, ut decuit
Tam praeclaram virginem.

3 a. Quam figurae signaverunt,
Quam prophetae praedixerunt,
Lex et psalmi cecinerunt,
Hac in die nascitur.

3 b. Sit procul infidelitas,
Iubilet mentis puritas,
Nam Mariae nativitas
Hodie recolitur.

4 a. Haec est virga stirpis piae,
Porta clausa, laus sophiae,
Haec est sibilus Eliae,
Ibi nempe Dominus.

4 b. Mons a Daniele visus,
De quo lapis est excisus,
Emanuel indivisus,
Per quem mortis terminus.

5 a. Haec est nebula festinans,
Universa medicinans,
Vitae praemia propinans
In partu puerpera.

5 b. Fons aquarum viventium,
Fons hortorum fertilium,
Nutriens regem omnium
Virginali ubere.

6 a. Haec est nardus pretiosa,
Haec est vitis generosa,
Haec est Rachel speciosa
Verum Ioseph pariens,

6 b. Qui nos vitae cibo pavit,
Se in potum propinavit
Vita, morte mortem stravit
Pro iniustis moriens.

7 a. O Noemi, si novisses,
Si perfecte didicisses,
Quod ex tua debuisses
Ruth talem accipere,

7 b. Progeniem siluisses
Nec reditum suasisses
Totiens nec intulisses:
Filia, revertere.

8 a. Ruth meruit mater esse
Obeth, qui genuit Iesse,
Qui David, cuius sedes se
Semen Deus habuit,

8 b. Cum in utero Mariae
Iuxta voces prophetiae
Isaiae, Ieremiae
Verbum carnem induit.

9 a. Virgo summum creatorem
Hominumque redemptorem
Suum traxit in amorem
Casta pulchritudine;

9 b. Quem capere nequiverunt
Caeli, claustra concluserunt
Virginis et conceperunt
Sine viri semine.

10 a. Norma morum, o Maria,
Spes lapsorum, vitae via,
Placa Deum prece pia
Nobis peccatoribus.

10 b. Per nativitatem tuam
Dona nobis continuam
Caritatem et mutuam
Pacem te laudantibus.

Orat. et Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2 b, 4 Dei virginem. — 5 b, 4 verbere. — 10 b, 2 Da.

51. In Nativitate BMV.

1. Exsultantes iubilemus,
Iubilantes decantemus
Alleluia.

2 a. Dulcis lira resonet,
Dulces sonos intonet,
Melodiam modula.

2 b. Non vox vitam suffocet,
Sed utraque collocet
Se sub laude tinnula.

3 a. Illa namque maris stella,
Quae est mater et puella,
Hodie exorta est.

3 b. Anna prius infecunda
Fecundarum spem ex munda
Subole adepta est.

4 a. Ioachim improperatus
Confortatur, visitatus
Ab angelo caelitus,

4 b. Fieri se patrem gaudet
Patribusque pater audet
Se iungere penitus.

5 a. O felix nativitas,
Qua deletur caecitas
Occumbentis saeculi.

5 b. Angelo praemonita
Nobis fide cognita
Gaudeamus singuli.

6 a. Iam turget, pullulat
Uterus, baiulat,
Generat virgulam;

6 b. Iamiam fert lolium
Ligustri folium,
Tribulus gemmulam.

7 a. Spina rosam exserit,
Rosa spinam conterit
Divina gratia.

7 b. Illud esse deserit,
Quod naturae suggerit
Pungere nescia.

8 a. Spina pungens et crudelis
Est Iudaea infidelis,
Adhuc legi subdita.

8 b. Rosa vero generalis
Illa virgo specialis,
Christi mater inclita.

9 a. Quae procedens hodie
De spina perfidiae
Transit ad iustitiam,

9 b. Synagogam deserens,
Dira legis conterens
Reserat ecclesiam.

10 a. Ave, virgo praeelecta,
Peccatorum spes dilecta,
Fecunda sancto spiritu.

10 b. Virgo constans ante partum
Et in partu et post partum
Salvo pudoris habitu

11 a. Stella maris appellaris
Et regina singularis
Caeli, terrae domina.

11 b. Nostri semper memor esto,
Laeta quorum in hoc festo
Tibi psallunt agmina.

12 a. Actio quos urget,
tua nos miseratio purget,

12 b. Ut pia per merita
fungamur caelibe vita.

Grad. ms. Arnoldi saec. 13 in. Cod. Capit. Aquisgranen. XII. A. — Prosar. et Hymn. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacen. 123. B. — 2 b, 3 laude fehlt B. — 4 a, 1 improbatus B. — 5 a, 3 Accubentis B. — 7 a, 2 Spinam rosa B. — 7 b, 3 Pueris genescia A. — Vor Str. 8 schiebt B erklärend ein: Significative | Et admirative | Haec sunt dicta. — 8 b, 3 Mater Christi B. — 9 a, 1 Ave procedens B. — 11 a, 1 appellaris fehlt B. — 12 b, 1 Et B.

52. In Nativitate BMV.

1 a. Virgo, splendor aetheris,
Dies novi sideris,
Hac in die nasceris;
O felix nativitas!

1 b. Ortu tuo, domina,
Caeli gaudent agmina,
Mundi plaudet machina;
O felix nativitas!

2 a. Nasceris, ut varias
Illustres ecclesias
Per illustres gratias;
O felix nativitas!

2 b. Te nascente nascitur
Fons, a quo diffunditur,
Quidquid boni noscitur;
O felix nativitas!

3 a. Iam tu nedum veteris
Adae salus nasceris,
Sed et nostri generis;
O felix nativitas!

3 b. Tuus ortus inclitus
Facit, ut [sit] redditus
Caeli nobis aditus;
O felix nativitas!

4 a. Quid moror? Fons hodie
Nascitur laetitiae
Totiusque gratiae;
O felix nativitas!

4 b. Ut hanc aeternaliter
Collaudemus pariter,
Verbum datur iugiter:
O felix nativitas!

Miss. ms. Hispalense saec. 14/15. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. — 2b, 3 nascitur. — 3a, 2 nosceris. — 3a, 3 nostra. — 4a, 1 Quid memor. — 4b, 3 Verbi. — Das gleiche Schema wie bei der Sequenz „Ex agone sanguinis“; hier wie dort bildet den Schluſs jeder Halbstrophe eine Art Rundreim, in der Schlufsstrophe bilden sogar die gleichen Worte den Reim.

53. In Desponsatione BMV.

1. Collaudemus cum canticis
Coniugium virginale,
Quod commercium carnale
Non pertulit,

2 a. Quia filium protulit,
Virgo mater vocat virum
Virginem per modum mirum
Consentiens.

2 b. Uxor Ioseph concipiens
Carne sola, praeter thorum
Non solius sed amborum,
Non pluribus

3 a. Sed communi coniugibus
Lege matrimoniali
Vir datur uxori tali
Divinitus.

3 b. Columba missa caelitus
Supra virgam certum signum
Dedit Ioseph fore dignum
Prae ceteris

4 a. Coniugio mulieris,
Supra facultatem rerum
Pariturae Deum verum
Et hominem.

4 b. Virgo suscipit virginem
Sub foedere nuptiarum,
Qui traxerunt genus clarum
A regibus,

5 a. Uxor a sacerdotibus
Clara sacerdotem gignit,
Regem quoque, qui praesignit
Coniugium,

5 b. In quo se praebet filium
Omni procul a cubili
Sine semine virili
Progenitum

6 a. Et parentibus subditum;
Creatorem creatura
Suscipit in sua cura
Fideliter.

6 b. Deus paret humili[ter],
Uxor parit genitorem,
Vir suis alit rectorem
Laboribus.

7 a. Coniugatis pauperibus
Sed iustis hoc dedit donum,
Ut haberet omne bonum
In unico

7 b. Omnibus iustis publico;
Quod circumcidens vocavit
Vir Iesum nec dubitavit
Accipere

8 a. Coniugem plenam onere,
Quod nomen dedit descriptum
Censum solvens; in Aegyptum
Non distulit

8 b. Ire, quem furor compulit
Herodis, matrem et natum
Portans per Dei mandatum,
Post referens.

9 a. Quo adire non deserens
Audivit caeli cantores,
Magos vidit pastores
Cum gaudio

9 b. Dantes decus praesaepio,
In quo fuit reclinatus
Puer, mox in templo latus
Ad Dominum,

10 a. Parvo pretio virginum
Redemptus; en, invenitur
Duodenus, custoditur
In pretium.

10 b. O felix matrimonium!
Nulla tale tulit aetas,
Quod supra naturae metas
Deducitur.

11 a. Textrix pauperi subditur,
Fabro praesidet regina,
Utrisque proles divina
Se subicit.

11 b. Quos nunc in caelo reficit
Uxorem, matrem coronans,
Imperium orbis donans
Sublimiter;

12. Alumno dat feliciter
Perfrui se cunctis horis,
Ubi Deum iunctis choris
Collaudemus cum canticis.

Miss. Carnotense imp. Parisiis 1511. — 2a, 2 Virgo Maria. — 9a, 1 adiri; statt deserens l. differens? — 12, 1 datur. — Man beachte das Enjambement des Reimes.

54. In Annuntiatione BMV.

1. Ave, praeclara,
virgo pura,
quam Deus elegit,
Maria, gratia replevit,

2 a. Parituram natum,
quem nasciturum
oracula vatum
olim mundo praedixerunt,
eiusque adventum
desideraverunt,

2 b. Caelos ut inclinans,
ima visitans
liberet captivos
in umbra mortis detentos
et ad superna
ducat redemptos.

3 a. Hanc novitatem
Gabriel nuntiaturus,
missus a summo Deo,
intrat civitatem
nomine Nazareth;

3 b. Virginem divam,
viro Ioseph desponsatam,
at virile thorum
nunquam cognituram,
benigne salutat.

4 a. Ave, Maria.
plena, inquit, gratia,
benedicta tu in mulieribus,
salutem namque paries
credentibus.

4 b. Haec cum audisset
virgo prudentissima,
ex alloquio angeli turbatur,
sed ab angelo blande
consolatur.

5 a. Ne timeas,
inquit, o Maria
quia invenisti gratiam;
en, concipies
prolem deicam
in tuo utero
et paries,
vocabisque nomen eius Iesus,
quia salutem allaturus
est humano generi.

5 b. Hic erit magnus
namque et potens
diceturque altissimi proles,
dabitque illi
Dominus Deus
sedem David patris (eius),
et regnabit
in domo Iacob in aeternum,
eiusque regni non erit
finis sempiterni.

6 a. Ad haec verba tam amoena
respondit virgo serena:
Quonam pacto potest id fieri,
quoniam non novi
virilis thori
consortium,
sed castam me Deo vovi?

6 b. Ad Mariam post angelus
ait: pneuma te replebit,
altissimi virtus obumbrabit,
quod nascetur ex te,
id, quia erit sanctum,
vocabitur
filius altissimi.

7 a. Namque et
cognata tua
concepit Elisabeth,

7 b. Prolemque
suo utero
anus sterilis habet.

8 a. Ad haec virgo mitissima
angeli verba respondit
mente promptissima:

8 b. Ecce, sum Dei ancilla,
utinam perficiantur
in me verba illa.

9. Verbum summi patris
incarnatum,
ex virgine
casta matre natum,
ne sinas nos in gehennam ire,
sed fac ad te venire.

Grad. ms. Pragense saec. 18. Cod. Pragen. VII A 13. — 1, 2 Maria virgo pura. — 1, 4 Maria fehlt. — Mel: Ave praeclara maris stella. Der Bau stellenweise nachlässig und gegen die Melodie, namentlich in Str. 5.

55. In Visitatione BMV.

1 a. Virgini christiferae
Toto corde libere
Serviat praepropere
Plebs devota;

1 b. Quae prae cunctis prospere
Huic vitae miserae
Splendidior sidere
Fulget tota.

2 a. Haec dum Ave suscepit
Et Fiat fari coepit,
Verbum patris concepit
In Nazareth.

2 b. Mox montana adiit
Et domum introiit
Zachariae, petiit
Elisabeth.

3 a. Ast ubi gradum fixit,
Cognatae Salve dixit,
Infans in ventre gliscit
Exsultare;

3 b. Miles regem praescivit,
Dum matrem erudivit,
Ex quo vocem audivit,
Exclamare:

4 a. „O virgo benedicta,
Cuius fructus est ita!
Unde mihi merita,
Ut venires?“

4 b. „Non me decet, domina,
Ut ancillae limina
Per tua solamina
Praevenires.“

5 a. Sed, cum tanta diceris,
Humilis efficeris,
Quapropter cantaveris
Magnificat.

5 b. Nunc succurre miseris,
Nam, quos visitaveris,
Splendor tanti sideris
Lactificat.

Prosar. ms. Caelestinorum anni 1532. Cod. Mazarin. 448 (758). A. — Prosar. ms. Ambianense (Gul. Lovel) anni 1572. Cod. Ambianen. 132. B. — Miss. Romanum imp. Parisiis 1517. C. — Miss. Romanum imp. Parisiis 1523. D. — Miss. Romanum [Franciscanum] imp. Lugduni 1535. E. — 2 a, 2 fari Fiat E. — 2 b, 2 introivit B. — 5 a, 2 Humiles E. — 5 b, 1 Hunc E. — 5 b, 2 Quia quos DE. — Melodie jedenfalls: Mariae praeconio.

56. In Visitatione BMV.

1 a. Lauda, Sion, salvatorem,
Qui salutis praecursorem
Consecravit hodie;

1 b. Lauda matrem singularem,
Quae fert fructum salutarem
Dans thema melodiae.

2 a. Laudis thema specialis,
Vox salutis virginalis
Grandis efficaciae,

2 b. Quam dum sentit nondum natus
Infans, gestit Deo gratus
Nomen habens gratiae.

3 a. Hinc exclamat voce clara
Mater cana, Deo cara,
Cognata christiferae,

3 b. Laudem promit virginis inclitae,
Fetum prodit fertilis hospitae,
Clamor praeconiferae.

4 a. Hac in die porta patet,
In qua princeps regum latet,
Aulae flos virgineae.

4 b. Regem portat vernula divitem,
Qui confortat munere militem,
Stirpis consanguineae.

5 a. Haec est dies veneranda,
In qua claret admiranda
Regis incarnatio;

5 b. Rubum cernit inflammatum
Nec virore depraedatum
Mira foederatio.

6 a. Est inventa baiulare
Dulcem fructum sine pare
Florens Levi virgula,

6 b. Quem dat ope pressionis
Rorem vellus Gedeonis,
Ventris condit conchula.

7 a. Agnus Dei est emissus
Ad montem tuae promissus
Visitator filiae;

7 b. De radice scandit Iesse
Virgae decor hinc egressae,
Plenae flos munditiae.

8 a. Sponsa regis accumbentis
Nares nardi redolentis
Demulcet odoribus,

8 b. Gnara sponsi venientis
Audit vocem salientis
Trans colles in montibus.

9 a. In montana festinanter
Abit, subit festivanter
Vatis domicilium;

9 b. Visitat se seniorem,
Salutat maior minorem
Velox ad officium.

10 a. Dulcis piae vox Mariae,
Vox salutis, vox virtutis
Tangit aures, viscera.

10 b. Vox cognatae visitatae,
Vox sonora, vox decora,
Dei mirans munera.

11 a. En, prophetes nova fatur,
Quem virum circumplexatur,
In antiqua praesignatur
Nova tympanistria.

11 b. En, levites prosperatur,
Trimestri cum quo moratur
Arca Dei, comitatur
Totam domum copia.

12 a. Ecce, mater, cuius venter
Est beatus eminenter,
Cuius fructus permanenter
Datur merces filiis;

12 b. Hic est ager spiramenti,
Hic urna delectamenti,
Hic acervus est frumenti,
Qui vallatur liliis.

13 a. Pia mater, quae cognatae
Profecisti gravidatae,
Da nos morum gravitate
Gratos, pios ordinatae
Fidei sub regula.

13 b. Fac nos, auctor pietatis,
Milites humilitatis
Hic mereri cum beatis
Fructu tuae bonitatis
Refici per saecula.

Miss. ms. S. Mariae in Capitolio Coloniensi saec. $^{14}/_{15}$. Cod. S. Mariae in Capitolio Colonien. s. n. add. saec. 15. A. — Orat. ms. s. Caeciliae Coloniensis saec. 15. Cod. Colonien. 1. B. — 2 b, 2 gessit B. — 3 b, 3 praecoferae B. — 4 b, 2 militem munere B. — 7 a, 1 Agnus pius est B. — 7 a, 2 tua B. — Str. 11 a fehlt B. — 11 b, 1 En prophetes B. — 13 a, 3 Grati AB. — Melodie offenbar: Laudes crucis attollamus.

57. In Visitatione BMV.

1 a. Virgini immensae
cantemus honorem
Vocibus alternis
memorando tempus,

1 b. Quando Dei mater
ivit ad minorem
Conficiens tantum
pietatis opus.

2 a. Egrediens miro
movetur amore,
Pectus ei magna
caritas accendit,

2 b. Unde tenerrima
nulli parcens morae
Montis in excelsum
festinans ascendit.

3 a. Intrat ad ancillam
regina caelorum,
Eloquio dulci
cognatam salutat;

3 b. Nec mora, dum sentit
regem angelorum,
Clausus adhuc alvo
Iohannes exsultat.

4 a. O pius, o dulcis
ambarum complexus!
Una Deo plena
alteram replevit;

4 b. Nam fiunt utrumque
paracleti nexus,
Qui cor et affectum
pariter explevit.

5 a. Nunc miseros tandem
clementer visita
Atque Iesum nobis
pacatum ostende,

5 b. Virgo, super omnes
genetrix inclita,
Sola quidem, per quam
nati vivunt Adae.

Miss. Lausannense imp. Lausannae 1493. A. — Miss. Lausannense imp. Lugduni 1522. B. — 4 b, 1 utrumque als kontrahierte Form des gen. plur. darf kaum vermerkt werden.

58 a. In Purificatione BMV.

1. Rex laudes Christe nostras
vultu nunc sereno capias,

2 a. Impius
ne nobis hostis, ut optat,
noceat;

2 b. Pectora
sed casta spiritus sanctus
protegat.

3 a. Tu, princeps
pastorum, populum
hunc iugiter, Petre, serva,

3 b. Laxare
crimina cui datum
omnia constat humana;

4 a. Qui super caerulea
pergere
valuisti aequora,

4 b. Obtentu tuo praesta,
crimina
ne nos premant gravia.

5 a. Ave, virgo Maria
virginum, colenda,
Facta luminis porta
fulgida filiique
gravida creantis
omnia.

5 b. Et nostra memor esto,
poscimus, domina,
Rebus malis expurga,
carminis nostri odas
et libens a nobis
audias.

6a. Nam Michaelis magna
sunt suffragia
nobis per aevum imploranda

6b. Spiritus atque omnis
Christo famulantis
vatum et poli beata.

7a. Pulsisque iam torporibus,
Christe sancte,
te poscimus, hostem praesta
vincere posse, nullus
ne nostrum pereat,

7b. Ut valeamus spiritu
paraclito
dante vitare futura
tartari saeva maris
data supplicia.

8a. Iesu, tergere dignare
animo mala

8b. Et, ut te, plebi largire
ignea dona.

9a. Patri gloria, laus
et honor permaneat

9b. Cum spiritu una
potestas prole quoque beata

10. Per cuncta saecula.

Grad. ms. Nivernense saec. 11. Cod. Parisin. 9449. A. — Antiph. et Grad. ms. Nivernense saec. 22. Cod. Parisin. Nouv. acq. 1235. B. — 2a, 2 hostias A. — 3b, 3 constant B. — 4a, 2 sq. valuisti pergere AB. — 4b, 1 Obtenta A. — 4b, 2 crimine A. — 4b, 3 premant gaudeant A. — 5a, 4 filioque A. — 5b, 1 nostra AB. — 5b, 4 notu odas A. — 5b, 5 bibens A. — 6a, 1 Lies: Iam (?) 6b, 1 omnia B. — 6b, 2 famulantia B. — 6b, 3 natum (vielleicht = natorum?) AB. — 7a, 1 temporibus AB. — 7a, 4 poscit B. — 7a, 5 nostra AB. — 7b, 4 tartarei B. — Melodie: Caelica resonant clare resp. Christi hodierna pangimini. Abgesehen von der Einleitungsklausel decken sich alle Klauselnpaare nebst den Zeilen in der Silbenzahl vollständig genau mit der Sequenz Caelica resonant (Anal. VII, Nr. 21); hier wie dort ist am Schlufs der Klauseln stets, der einzelnen Zeilen meist die Endassonanz a gewahrt. Eine Differenz, wie öfters bei diesem Schema, zeigen die Klauseln 8 u. 9 (vgl. oben unter Nr. 4 die Sequenz „Ecce iam venit nostra"). Beachtenswert ist, dafs das Schema für 9a, 9b u. 10 völlig gleich ist jenem, welches das Tropar von Fontevrault (saec. 11. Cod. Parisin. 10508) bei der Sequenz „Christi hodierna" resp. „Caelica resonant" für den Schlufs aufweist, während die anderen Quellen dort längere und ganz symmetrisch gebaute Doppelklauseln haben.

Von Interesse ist es, mit vorstehender Sequenz die Bearbeitung zu vergleichen, welche dieselbe in italienischen u. deutschen Quellen erfahren hat, die ich in vollständigem Wortlaute folgen lasse.

58b. In Purificatione BMV.

1. Rex nostras Christe laudes
vultu nunc sereno sumito,

2a. Impius
ne nobis hostis, ut optat,
insidietur;

2b. Pectora
sed casta spiritus almus
servet ubique.

3a. Tu, princeps
pastorum, populum
hunc, Petre, serva corde
benigno,

3b. Laxando
cui datum est nexus
caelo terrae(que) solvere
humanos;

4a. Gressus qui per caerula
valuisti magistro
aequora regi,

4b. Obtentu, sic pondere
ne ruamur inique,
effice, paesul.

5 a. Ave, Maria,
virgo virginum
valde colenda,
Facta fulgida
lucis omnia
porta creantis
nosque redimentis
potenter;

5 b. Et nostri memor
esto, poscimus,
talia praesta:
Exutis rebus
inde corporis
carminis novi
odas reboemus
ovanter.

6 a. Nam Michaelis sunt
suffragia magna
nobis requirenda
per aevum

6 b. Spiritus ac omnis
Christo famulantis
in arce polorum
beati.

7 a. Pulsis iam torporibus, Christe,
sancte [te] deposcimus,
hostem fugacem
vincere posse
dato perituris
ab hoste;

7 b. Debellans insidiatoris
maligni molimina
dira potenter
protege clemens
tibi famulantes
in aevum.

8 a. Iesu, tergere
cura medicina
vulnera vera
adunatae plebis
opime,

8 b. Pellens nubila
tibi supplicantum
atque canentum
tuos gloriosos
triumphos.

9 a. Nunc gloria,
laus et honor tibi
semper, Christe, redemptor,
rex saeculorum,

9 b. Cum patre sit,
unaque potestas
cum sancto spiritu in
saecula. Amen.

Collectan. ms. Emmeramense saec. 9. Clm. Monacen. 14843. A. — Grad. ms. Bobbiense saec. 12. Cod. Taurinen. F IV 18. B. — 1, 1 nostra Christus B. — 1, 2 submitto B. — 2b, 3 serves B. — 3a, 2 populum pastorum AB. — 3a, 3 hunc Aper B (verrät die Entlehnung). — 3a, 4 benignum A. — 3b, 2 cui einsilbig; data est AB. — 3b, 4 humano B. — 4a u. 4b umgestellt A. — 4a, 1 Gressusque A, Gressus quos B. — 4a, 2 voluisti AB; magistri A. — 4a, 3 adquire rege A, hecora regi B. — 4b, 1 Obtentus A. — 4b, 2 inique B. — 5b, 3 praestans A. — 5b, 7 reboantes A, reboamus B. — 6b, 1 Spiritus adque A, Spiritus haec B. — 6b, 4 beatis B. — 7a, 2 poscimus A. — 8a, 2 medicinam A. — 8a, 4 ad adunata A. — 8b fehlt A. — 9a, 1 Hunc A. — 9b, 1 sq. patre simul aeque potestas B. — 9b, 4 gloria B. — Der bekannte Hexameter in 9a: Gloria laus et honor etc. nebst der Adaptierung am Ende bedarf kaum eines besonderes Vermerkes. — Die Differenz beider Sequenzen tritt besonders in den Klauseln 5, 7, 8 u. 9 hervor. Im übrigen weisen fast alle Klauseln einen Überschufs von 1—3 Silben auf; der gröfste Überschufs ist in den Klauseln 5a u. 5b. Klausel 8 u. 9 nähern sich bedeutend mehr der Stammsequenz „Caelica resonant“ als die entsprechenden Klauseln in der Fassung a. Eigentümlich ist, dafs die a-Assonanz am Schlusse keiner Klausel vorkommt. — Nach allem vermute ich, dafs beide Fassungen unserer Sequenz auf ein älteres nicht mehr vorhandenes Original hinweisen, dem die französische Fassung am meisten getreu blieb. Vgl. übrigens oben Nr. 4a u. 4b.

59. In Purificatione BMV.

1 a. Germinavit radix Iesse,
Virgo mater coepit esse
Peperitque filium;

1 b. Novo fructu fecundatur,
Sed non tamen defloratur
Virginale lilium.

2 a. Humanatur verbum patris
Et in sinum missum matris
A superno cardine

2 b. Ad priorem vocat statum
Adam pomo degradatum
Dignitatis omine.

3 a. Virgo parit, virgo manet,
Et ut Deus nostrae sanet
Cicatricis vulnera,

3 b. Terram rigat novo rore
Et infundit novo more
Gedeonis vellera.

4 a. Spina florem procreavit,
Cuius odor recreavit,
Recreando suscitavit
Iam foetentem Lazarum;

4 b. Virgo regem generavit,
Cuius ortus conturbavit,
Conturbando triumphavit
Et confregit tartarum.

5 a. Rubus quondam salvus igne
Novum signum et insigne
Fuit, de quo fari digne
Transcendit ingenium;

5 b. Rubus ardet, nec ardoris
Flamma perit decor floris,
Virgo parit nec pudoris
Perdit privilegium.

6 a. Salve, virgo, sed fecunda,
Salve, mater, virgo munda,
Tuos servos a profunda
Libera voragine.

6 b. Via caeli, regis cella,
Porta clausa, maris stella,
Nos a maris duc procella
Et a mundi turbine.

7 a. Iesu bone, spes lapsorum,
Piae matris prece chorum
Istum salva nos caelorum
Ducens ad palatia,

7 b. Ut a iure Pharaonis
Et fornace Babylonis
Salvi tuae visionis
Perfruamur gloria.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracen. 123. A. — Miss. ms. Casinense saec. 14. ex. Cod. Casinen. 128. B. — Collectan. ms. Claraevallense saec. 15. Cod. Trecen. 1612. C. — 1 b, 2 tamen non C. — 2 a, 2 Cum in B. — 2 b, 2 pomo spoliatum B. — 2 b, 3 ordine C. — 3 b, 1 more B. — 3 b, 2 infundat novo rore B. — Str. 5 a u. 5 b fehlen A. — 6 b, 1 Pia caeli BC. — Str. 7 a u. 7 b fehlen A. — 7 a, 3 salvans B. — 7 b, 1 Ut C.

60. In Assumptione BMV.

1 a. Sanctum diem celebremus
gloriosae genetricis,

1 b. Quam Dominus Iesus Christus
(ad) suam sedem collocavit.

2 a. Quem portare meruit
in utero,
ipsum rogemus,
ut abstrahat crimina;

2 b. Ipsum rogemus atque
deprecemur,
ut eius meritis
consequamur gratiam.

3 a. Laudes illi referamus
sedulas, quae baiulavit
salvatorem Dominum.

3 b. O gloriosa genetrix
virgo, ora tu pro nobis
apud tuum filium,

4 a. Ut mereamur
eum videre
in aethera,

4 b. Patri aequalem
Dominum Iesum
Christum gloria.

5 a. Te imploramus, genetrix,
fuga sordis nostrae
[maculas] et peccata
et relaxa nobis
crimina.

5 b. Rogemus et deprecemur,
pariter emendemur,
melliflua qui regit
arva et gubernat
sidera,

6 a. Per interventum
tuum, Dei
genetrix et virgo,

6 b. Ut mereamur
regnare cum
illo in aeternum.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Patavin. A 47. A. — Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen. O I N 7. B. — Trop. et Grad. ms. S. Benedicti Mantuani saec. 11. Cod. Capit. Veronen. CVII. (100). C. — 1 a, 2 virginis C. — 1 b, 1 Quem C. — 2 a, 4 abstrahas C. — 2 b, 3 eis B. — 3 a, 1 Et ut laudes ABC. — 3 a, 2 sedula quem C. — 3 b, 2 tu fehlt ABC. — 4 a, 3 in aeternum A. — 5 a, 2 fugam AB. — 5 b, 2 paite C; emendemus ABC. — 5 b, 3 regis BC. — 5 b, 4 guberna scidera C. — 6 a, 3 et fehlt ABC.

61. In Assumptione BMV.

1. Regina

2 a. Inclita et pia
virgo, Maria,
post natum et ante
almum que unctum Dominum,

2 b. Melopoëseos
cum sonu nos te
obsecrantes Deus
exaudiat nunc et semper.

3 a. Ut iuvamen
tuum iugi rogatu
consequamur
nos famuli,

3 b. Supplicamus
nunc tibi incumbentes
et devoti
veneramur.

4 a. Ac iunctus tecum
omnium chorus
sanctorum deposcat te

4 b. Nostra pro noxa,
ut cuncta Deus
remittat et deleat.

5 a. Efficiat ut nos
dignos sibi,
intercedentes omnes
vos pii,
religiosi, almi,

5 b. Eia, o milites,
satagite
flagitare, quaesumus,
trinum et
unum verumque Deum,

6 a. Ut cito ignoscat
atque aboleat,
quae gessimus,

6 b. Gratiam ut praestet
et dona, quae nobis
obsecramus.

7. Quos redemisti, Domine,
pretio magno, introducas
ad vitam.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123 (B III 18). — 2b, 1 sq. Meloposeorum sonoros te. — 3a, 2 rogata. — 3b, 1 nunc fehlt. — 4a, 1 Acinctis tecum. — 4a, 3 deposite. — 5b, 1 militas. — 5b, 5 verum Deumque. — 6b, 1 et praestat. — 6b, 2 dona ut quam nobis.

62. In Assumptione BMV.

1a. Vernans rosa castitate,
Rubens tota caritate
Transplantatur hodie;

1b. Lucens plena claritate
Variatur venustate
Pro virtutum munere.

2a. Desiderium impletur
Videndi discipulos
Ante mortis exitum;

2b. Sed sic assunt, ut miretur;
Narratur per singulos
Miraculum editum.

3a. In excelsum saliens
Transcendisti saeculum,
Virgo delectabilis;

3b. Ad dilectum gradiens
Tenuisti speculum
Vitae immutabilis.

4a. Occurrentes admirantur
Caeli cives et laetantur
Inter se dicentes:

4b. „Quae est ista“, sic obfantur,
„Pro qua omnes iucundantur
Gaudio plaudentes?“

5a. Ierarchia triplici
Constipata veniunt
Angelorum agmina,

5b. Cum laude multiplici
Adorantes procidunt:
„Ave, caeli domina“.

6a. Iesus festivus gloria
Matrem laetanter excipit
Et collocat in solio.

6b. Sed o miranda gaudia,
Cum natus eam suscipit,
Quem tenuit in gremio!

7a. Stella mira et resplendens,
Per quam sol iustitiae
Nobis inclinatur,

7b. Caelum ditans et transcendens
A rege laetitiae
Summe coronatur.

8a. Super choros angelorum
Sublimatur per sanctorum
Omnium solamen,

8b. Christum datum spem reorum,
Qui nostrorum peccatorum
Dissolvat ligamen.

9a. O lux radiosa,
Clara et iocosa,
Pro nobis exora;

9b. Nubes pluviosa,
Tota gratiosa,
Super nos irrora.

Grad. ms. Senense saec. 14. Cod. Cathedr. Senen. s. n. A. — Seq. et Hymn. ms. Carmeli Senensis saec. 14. Cod. Senen. G III 2. B. — 2a, 1 implevit B. — 2b, 3 caelicum B. — 3b, 3 immirabilis B. — 5a, 2 constipati B. — 5b, 2 prodeunt A. — 7a, 1 mirans B. — 9a, 1 O fehlt AB.

63. In Assumptione BMV.

1 a. Laudes claras canticorum
Sacer chorus ante thorum
Moduletur virginis.

1 b. Digna valde venerari
Voto, lingua virgo clari
Et praecelsi germinis.

2 a. Cor exsultet, sonent ora,
Sursum voces hac in hora
Levent terrae termini;

2 b. Caelos flore gratiarum
Colorata variarum
Scandit mater Domini.

3 a. Totus caeli potentatus
Exit illi laureatus
Titulo victoriae;

3 b. Sculptae gemmis fores urbis
Patent, eunt iuncti turbis
Senatores curiae

4 a. Radiantes veste, vultu;
Novo stupet prae tumultu
Micans auro civitas;

4 b. Vasis modos sub canoris
Flectit psaltes; intus, foris
Resonat centenitas

5 a. Angelorum milium
Sonis alludentium;
Murrae, turis ignibus

5 b. Cellae fumant aetheris;
Filius prae ceteris
Collo matris vultibus

6 a. Haerens tenet dexteram:
„Tibi, quam selegeram",
Ait „ecce, copia

6 b. Summi boni"; singulis
Dignitatum titulis
Pollet finis nescia.

7 a. Pectus gemmis, annulis
Manus, collum circulis,
Lacte, rosis faciem

7 b. Pingit, addit duplicem
Vestem, auro verticem
Cingit, offert requiem.

8 a. Hoc decore supernorum
Clara, felix angelorum
Superfertur ordini,

8 b. Ubi laudes indefessi;
Laeti cives hoc professi
Trino canunt numini.

9 a. O quam mira, quam festiva,
O quantorum contentiva
Fulget illa mansio,

9 b. Cuius cives, cuius statum,
Cuius nescit apparatum
Vestigare ratio!

10 a. Illic illa, quae mamilla
Pavit regem, iungat gregem
Nostrum ad caelestium.

10 b. Ope Christi fulta tristi
Morte reos tollat eos
Caelum usque tertium,

11 a. Ut ablutos et exutos
Poena dura, carnis cura,
Solo dono gratiae

11 b. Regno donet et coronet
Nos in fine sine fine
Sitos throno gloriae.

Grad ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX. A. — Orat. et Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. B. — 1 b, 1 Digna vere B. — 1 b, 3 Lingua voce. B. — 3 b, 2 Patent ei iuncti Aurmis A; iunctae B. — 4 a, 2 stupent A. — 4 b, 1 modis A. — 4 b, 2 Flectat A. — 4 b, 3 Resonet AB; aeternitas B. — 5 b, 1 Calle B. — 6 a, 1 Heres A. — 6 b, 1 singuli B. — 6 b, 2 tituli B. — 7 a, 1 Lectus A. — 7 b, 1 Purgat B; Cingit A. — 9 a, 3 Pollet B. — 10 a, 1 Illic illae B. — 10 a, 3 in caelestium B. — 10 b, 1 fulta iusti B. — 11 a, 1 ablutas et exutas B. — 11 a, 2 carens cura B. — 11 a, 3 in throno B. — Diese Sequenz findet sich auch im Prosar. ms. Franciscanum saec. 14/15. Cod. Parisin. 1339.

64. In Assumptione BMV.

1 a. Ave, regina gloriae,
Splendor caelestis curiae,
Nostrae causa laetitiae,
Salomonis palatium,
Cella virtutum omnium;

R. Eia, mater fidelium,
Ora pro nobis filium,

1 b. Vitae via, spes veniae,
Mater misericordiae,
Porta supernae regiae,
Singulare subsidium
Ad te, virgo, clamantium.

R. Eia, mater fidelium,
Ora pro nobis filium.

2 a. Expers virilis seminis,
Sancti repleta flaminis,
Lumen aeterni luminis,
Patremque paris proprium,
Virgo post puerperium.

2 b. Mater mirae dulcedinis,
Per te caelestis culminis
Porta patet, quam hominis
Primaevi clausit vitium;
Ave, salus credentium.

3 a. Arbor fructus mirabilis,
In te, mater amabilis,
Rubus ardenti similis
Adimplevit mysterium;
O quam felix praesagium!

3 b. Regina ineffabilis,
Per te fiet placabilis,
Cum iudex quam terribilis
Fulminabit iudicium;
Ave, nostrum refugium.

4 a. Iesum, Virgo perpetua,
Placa, mater, assidua
Prece, voce melliflua;
Da reis necessarium,
Benigna, patrocinium.

4 b. A cordibus evacua,
Quae animis sunt nocua,
Ut per bona continua,
Eia, mater, consortium
Consequamur caelestium.

Miss. ms. Minorum saec. 14. Cod. Vatican. 4743. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 14/15. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83,17. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18 D. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. E. — 2a, 2 repleti A. — 2a, 4 Patrem paris CD. — 3a, 1 Ave fructus A. — 3a, 3 Rubo BCDE. — Str. 3b sqq. fehlen E. — 3a, 1 und der Anfang der 2 folgenden Verse fehlen A, weil hier die Hs. zerstört. — 3a, 4 Fluminavit A. — 4a, 2 Placa virgo A. — 4a, 3 Prece et B. — 4b, 2 animae BCDE. — In den Quellen beginnt mit dem Refrain die Sequenz. Schon das Akrostichon „Ave Maria“ zeigt, was als Anfang der Sequenz gelten mufs. — Der Inhalt ist eher De Beata im allgemeinen.

65. In Assumptione BMV.

1 a. Gaude, virgo, plena Deo,
De qua natus fortis leo,
Christus mortem Philistaeo
Dedit, id est zabulo.

1 b. Orbem luce destitutum
Tu illustras, dum virtutum
Regem paris, nostrum scutum
In omni periculo.

2 a. Rex est Christus, qui gravatis
In Aegypto captivatis
Donum praestat libertatis
Ruptis vinclis validis;

2 b. Nam in luti servitute
Nostrae manus involutae
Sunt a luto iam solutae
Operisque sordidis.

3a. Ergo per te iam placatus
Deus olim provocatus
Aufert nobis miseratus
Servitutem lateris;

3b. Deus quoque miserator,
Omnis boni dispensator,
Plagae nostrae fit sanator
Plaga sui lateris.

Miss. ms. Hispalense saec. 14/15. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 15. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 17. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. D. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin., 12. E. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. bis: fol. 171b. F; fol. 185a. G. — F hat nur die Halbstrophe 1a. — 2b, 4 sordidi G. — Der Inhalt der Sequenz paſst wenig zur Überschrift. — Melodie offenbar: Verbum bonum et suave.

66. De Beata Maria ad Nives.

1a. Pro basilica futura
Nivis sub forma, tu pura,
Locum, virgo, deputas;

1b. Romanos, mater o Christi,
Stupidos plane fecisti,
Hoc facto cum promicas.

2a. O quam fertilis hic actus,
Per quam sterilis est nactus
Prolem venter feminae,

2b. Civis Romani uxoris,
Patricii pulchrioris
Novo dato semine!

3a. Ostenso sibi in loco
Vir praeclarus sub devoto
Corde cunctis inclitam

3b. Piae matris in honorem
Fundavit sollemniorem
Iohannes basilicam.

4a. Inde papa, cardinales
Structuras aulae reales
Dedicarunt laetius;

4b. Ueniae papa mox cunctis
Gratiam contulit iunctis
Aulae tunc perfectius.

5a. Summo dedicata more
Genetricis in honore
Ipsa tunc basilica

5b. Festum cepit singulare,
Iussit papa proclamare
Voce quod almifica.

6a. Eia, boni per exemplum,
Vere deitatis templum,
Ars vera sophistica,

6b. Confer nobis, gemma pura,
Tu flos florum, post haec dura
Dona, mater, mystica.

Grad. ms. Pelsinense anni 1491. Cod. Mus. Bohem. Pragen. XII A 20. — 1b, 3 facto tunc. — 2a, 2 natus. — 2a, 3 Prole. — 5b, 1 capit. — 6b, 3 Mit der Silbe my- endet das Blatt, das folgende Blatt ist weggerissen. Nach Ausweis des Akrostichons „Procopius fec[it]“ fehlen mindestens 2 Halbstrophen; nach der Melodie „Gaude Sion quod egressus“ erwartet man noch 4 Halbstrophen.

67. In honorem B. Mariae V.
pro mulieribus praegnantibus.

1. O ancilla Christi,
Maria, mater Dei,
pauperem exaudi
peccatorem
ad te vere suspirantem
ne matrum in utero
periclitentur
infantuli.

2. Qui propter defectum
baptismi
macula irretiti
originali
in limbum condescendunt,
qui pars est inferni.

3. Maria, itaque miseris
succurre puerulis,
qui pro gravi Adae
protoplasti nebula
visione Dei
ibi carent perpetua.

4. O iudicia Dei,
abyssus multa!
Qui licet sine culpa
pereant,
non tamen sine causa.

5. Quam igitur pernitiosus
pomi vetiti
Evae fuit morsus,
quo mors posteris
sic concludebatur.

6. Sed o quam felix fuit
et laetabundus,
o Maria,
inter te et angelum
dialogus,
quo vita orbi toti
oriebatur.

7. Prae ceteris autem
tuus videtur
splendescere
beatissimus
absque dolore partus.

8. Per quem Evae
maledictio
est soluta
nec minus benedictio
est mulieribus
cunctis condonata.

9. Ad quem ergo confugient
desolatae praegnantes,
nisi ad te,
cunctarum consolatrix,
cum lacrimis gementes?

10. Audi eas,
virgo immaculata,
nec parentum aspiciat
unigenitus tuus
ad peccata.

11. Sed parvulorum
ululatus
clementer exaudi,
ne in perenni
subiciantur inferni
formidolosa
a Deo poena.

12. Eos denique post sacri
baptismatis undam
regeneratos
perducere digneris
ad aeterna gaudia.

Missale Traiectense imp. Parisiis 1507. A. — Missale ad consuetudinem FF. Praedicatt. et S. Crucis imp. Parisiis 1517 B. — Missale Aquense imp. Lugduni 1527. C. — Missale Remense imp. Remis 1553. D. — 1, 1 O fehlt A. — 2, 5 descendunt D. — 3, 1 igitur B. — 3, 4 protoplastorum ABC. — 9, 1 Ad quam B; refugient A. — 9, 4 cunctorum D. — 11, 7 adeo D. — Die Sequenz, einer Votivmesse angehörig, ist vielleicht niemals gesungen worden; jedenfalls scheint sie jedes Parallelismus zu entraten. Sicherheit darüber ist allerdings mangels der Singweise nicht zu erzielen.

68. De Beata Maria V.

1. Ave, virgo, mater Christi,
Per quod salvos nos fecisti.

2a. Maria, o quam suave
Nobis liquet istud Ave,
Per quod Evae crimen grave
Almo germine fregisti.

2b. Gratia, qua te beavit
Summus pater, cum intravit
Claustrum tuum stirpe David,
Caelos nobis aperuisti.

3a. Plena tam puro liquore
Gabrieli, sacro ore
Nuntio, Iesum decore
Ex te nasci consensisti.

3b. Dominus in te descendit,
Pro salute nostra scendit
Lignum crucis, quo pependit,
Morte functus est tam tristi.

4a. Tecum tua in carina
Stetit trusa lux divina,
Nono mense, o regina,
Quam praecellens tu fuisti!

4b. Benedicta sis, tu vitis,
Ex qua floret Christus mitis,
. . . . . .
Morte dira sic frondisti.

5a. Tu in mulieribus es
Lux splendentior ut dies,
In qua pendet nostra quies,
Gratia quam meruisti.

5b. Benedictus Deus, mater,
Natus tuus est et pater,
Zelans noster esse frater
In te venit, ut avisti.

6a. Fructus tuus talis fuit,
Per quem daemon hostis ruit,
Nostros lapsus quia luit
Morte dira, quam vidisti.

6b. Ventris tu nulla iactura
Sed procedens mente pura
Trinitatis summa cura
Virgo Christum peperisti.

7a. Tui fructus, te rogamus,
Quod saporem habeamus,
Ut cum ipso gaudeamus,
Prece qua mundum vicisti.

7b. Amen, fervens da iuvamen,
Quod inflammet sanctum flamen,
Nos habere consolamen
In caelo, quod ascendisti.

Sequent. et Hymn. Carmeli Senensis saec. 14. Cod. Senen. G III 2. — 2b, 4 aperisti; aperuisti viersilbig durch Synizese. — 4a, 4 procellens. — 5a, 1 mulieribus ex. — 5a, 2 et dies. — 5a, 4 qua. — 7b, 1 fervens de. Der Choral von 2a wiederholt sich in allen Klauseln bis zum Schlufs.

69. De Beata Maria V.

1a. Ave, mundi gaudium,
Ave, salus gentium
Ave, caeli gloria.

1b. Maria, lux luminum,
Honor, iubar virginum
Nardorum fraglantia.

2a. Gratia gratuita
Dei tibi tradita
Te replet virtutibus.

2b. Plena sancto flamine,
Parens sine crimine,
Fulgens in caelestibus.

3a. Dominus te dominam
Fecit et conterminam
Maiestatis culmini.

3b. Tecum ens humillimo
Intus ens in animo
Te secundat nemini.

4a. Benedicta diceris,
Quia gloriaberis
Aeterno in filio.

4b. Tu rosa, tu viola,
Tu es virtutum schola
Divertens ab invio.

5a. In te spes est populi,
Vita, virtus saeculi,
Nostrae moris femina.

5b. Mulieribus decus,
Ne nos tartari specus
Mergat, cave, domina.

Prosar. ms. Franciscan. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Parisien. 1339. — 5a, 3 Nostra moris famina. — Melodie vermutlich: Veni sancte spiritus.

70. De Beata Maria V.

1. Laetare, regina regni caelorum,
Tibi misit rex omnium regnorum
Angelum suave
Dicentem Ave.

2a. De verbo, quod erat
in principio,
Venit angelica
salutatio
Tibi missa, pia
Virgo Maria.

2b. Verbum erat apud
Deum, exivit,
Deus erat verbum,
te concupivit,
Dei potentia
Tibi gratia.

3a. A spiritu sancto
tu concepisti,
Deum et hominem
tu genuisti,
Vivi fontis vena
Salute plena.

3b. Ab aeterno tu es
praeordinata,
Nunc salutari tuo
exaltata.
Tuus est filius
Rex et Dominus,

4a. Quem uberibus tuis
nutrivisti
Et in brachio tuo
habuisti,
Gaudens secum,
Quod Christus fuit tecum.

4b. Chori angelorum
congratulantes,
Omnes sancti Dei
te venerantes;
Non afflicta
Parens, benedicta tu.

5a. Duplici nomine
glorificata,
Annulo
virginali subarrhata
Gloriosius
In mulieribus.

5b. Mater Dei, in caelo
coronata,
Assumpta
ad regnum, bene dotata.
Ditavit dictus
Rex et benedictus,

6a. Qui venit in gloria
patris sui,
Et pater dixit:
ego te genui.
Gaude, Maria,
fructus ventris tui

6b. Cum patre et spiritu
sancto regnat,
Caelum et terram,
omnia gubernat
Et sperantes in
eum laetificat.

7. Trinitati sit aeterna gloria
Nobis maiestatis Dei gratia,
Maneat per saecula infinita.

Miss. ms. Hildesheimense saec. 13. Cod. Capit. Treviren. 153. add. saec. 14. — 3b, 5 filius est. — 4b, 6 Durch Umstellung „tu benedicta“ liefse sich der zerstörte Reim herstellen. — 5b, 5 sq. Rex dictus ditavit. — Nur aus technischen Rücksichten sind die Langzeilen von je 11 Silben gebrochen; die Schlufszeile jeder Halbstrophe aber, mit Ausnahme der 3 letzten, erheischt durch den Binnenreim eine Teilung.

71. De Beata Maria V.

1a. Ad rosae titulum,
ad laudem lilii,
Ad decus violae
vos, Evae filii,
Laetos accingite.

1b. Triplex sub triplici
flore mysterium;
Ad dulce virginis
matris praeconium
Laeti concinite.

2a. Maestum exhilarat
et sanat saucium,
Mentis contemperat
furores febrium
Mira dulcedine.

2b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . .

3a. Flos ergo florida
virgoque floribus
His tribus: specie,
virtute, moribus,
Et soli similis,

3b. Fac frui pascuis
nos patris gloriae,
Viroris uberant
ubi deliciae
Immarcessibilis.

4a. Non sinas tartarum
precantes laedere
Nec te cum cantico
laudantes fallere
Sua fallacia;

4b. Sed serva famulos
tuos a carie,
Ut fiant stabiles
in caeli culmine,
O plena gratia.

Brev. et Miss. ms. Coronense saec. 14. Cod. Vatic. 4757. — Die Überschrift lautet daselbst: „Tractus de sancta Maria“. Unmittelbar darauf folgt eine Reihe von Sequenzen.

72. De Beata Maria V.

1a. Aeterni numinis
Mater et filia,
Divini luminis
Lucerna praevia
Nostrique germinis
Gemma primaria
Sine contagio,

1b. Decurso stadio
Nostri certaminis
Sedes in solio
Promissi culminis,
Regnas cum filio
Nostrae propaginis
Celso dominio.

2a. Nos clausi carcere
Gravis exsilii
Gravamur verbere
Hostis trifarii,
Dum carnis tenerae,
Mundi, daemonii
Premunt nequitiae.

2b. Sis horum hostium
Nostra victoria
Per tuum filium
Tua instantia,
Sis nostrum gaudium,
Nostra laetitia
Et vena veniae;

3a. Spes indulgentiae
Sed paenitentibus,
Vas sanctimoniae
Sed castis mentibus,
Cella clementiae
Deum timentibus,
Nostrum refugium.

3b. Fuga spirituum
Pravas insidias
Et cogitantium
Muscas nefarias,
Quae trahunt fatuum
Partes in varias
Cordis arbitrium.

4a. O, munda copulam
Immundi corporis,
Expelle maculum
Nostri facinoris,
Accende faculam
Inculti pectoris
Divina gratia.

4b. Et conscientiae
Sine cauteria
Mens sapientiae
Sit tributaria,
Dispenset sobriae
Vitae vicaria
Activae nimia.

5a. Peregrinantibus
Procul a patria
Prosint exsulibus
Tua suffragia;
Sit in operibus
Perseverantia
Christi fidelibus.

5b. Et post militiae
Nostrae victoriam
Carnis incuriae
Mutemus scoriam
Caelestis curiae
Veram in gloriam
Tuisque precibus.

Tropar. ms. S. Patricii Dublinensis anni 1352. Cod. Cantabrigen. Add. 710. A. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. B. — 1a, 1 luminis B. — 1a, 3 Divini fehlt A. — 1b, 5 Regnans B. — Str. 2a u. b lauten in A:

2a. Nos clausi carcere
Gravis exsilii
Gravamur misere
Regno sub impii,
Nos carnis tenerae,
Nos trahunt noxii
Mundi nequitiae.

2b. Sis apud filium
Mundi propitia,
Clemens humilium
Propitiaria,
Salus languentium,
Culparum venia
Et vena gratiae.

2b, 7 Et vera B. — Str. 3 sqq. fehlen B. — 3b, 1 Fugas spirituum (offenbar Ditographie) A. — 5a, 5 Sic in A. — Schema sichtlich gleich jenem von „De Christi corpore“ (s. o. Nr. 38).

73. De Beata Maria V.

1a. Almi regis mater pia,
Dei genetrix Maria,
Sacra virgo virginum,

1b. Tu es stella matutina,
Rosa florens absque spina,
Quae portasti Dominum.

2 a. Tu es virga dedicata,
De radice Iesse nata,
David regis filia;

2 b. Tu es thalamus ornatus,
Hortus clausus, fons signatus,
Omni plena gratia.

3 a. Tu es, virgo, flagrans rubus
Quondam visus Moysi,

3 b. Qui manebat incombustus
In deserto Sinai.

4 a. Ardet ille, sed non sentit
Ardoris incendia,

4 b. Et tu paris, sed non perdis
Virginis insignia.

5 a. Tu es vellus Gedeonis
Madefactum pluvia,

5 b. Tuque templum Salomonis
Dei plenum gloria.

6 a. Tu es portus atque hortus
Paradisi floribus,

6 b. Tuque rosa speciosa,
Nata in convallibus.

7 a. Tu es virga Aaron,
Tu mater fortis Samson,
Tu es ros, qui in Hermon,
Ac cupressus in Sion;

7 b. Tu porta Ezechiel,
Ex te lapis Daniel,
Tu es salus Israel,
Genetrix Emanuel.

8 a. Tu superna clara stella,
Paradisi lilium,

8 b. Tu aurora, lux decora,
Ora tuum filium,

9. Ut ad regnum sempiternum
Nobis, pia, tu sis via,
O dulcis, sancta Maria.

Sequent. ms. Aquilegiense saec. 14/15. Cod. Semin. Goritien. I. — 3 a, 1 virga. — 6 a, 1 potus.

74. De Beata Maria V.

1 a. Arens virga, ferens fructum,
Primae matris tollens luctum.
Nobis confer gaudia.

1 b. Haec est summi mater Dei,
Quae pudoris virginei
Servat privilegia.

2 a. Ut vitrum solis radio
Non laeditur, nec filio
Matris castimonia.

2 b. Decantate omnes ei
Corde, voce, quamvis rei,
Laudes et praeconia.

3 a. Haec est nardus dans odorem,
Cuius odor salvatorem
Traxit ad humilia;

3 b. Fons signatus, clausus hortus,
Ex quo Christus est exortus
Corporis praesentia.

4 a. Flos campi atque lilium
Singulare convallium
Vitae praeminentia,

4 b. Humilitate viola,
Mundi contemnens frivola
Virtutis constantia.

5 a. Tu murtus temperantia,
Rosaque patientia,
Oliva clementia.

5 b. Fons hortorum et puteus
Aquae vivae non luteus,
Fluens abundantia.

6 a. Voluptatis paradisus
Libanusque non incisus
Spirans beneficia.

6 b. Cedrus fugans venenata
Haereticorum dogmata
Odoris fraglantia.

7 a. Balsamus et cinnamomum,
Ex te fecit sibi domum
Deus creans omnia.

7 b. Tu civitas refugii,
Spes totius auxilii,
Tu pia potentia.

8 a. Turris, quae nequit deici
A facie inimici,
Diceris, o Maria.

8 b. Nunc, virgo venerabilis,
Per te sit excusabilis
Nostra iniustitia,

9 a. Ne nos pro nostro vitio
Deputemur supplicio
Hostis a nequitia,

9 b. Sed gaudiis tecum frui
Nos quaesumus servi tui
Queamus in gloria.

Oration. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 6b, 1 fugens. — 7b, 3 pie. — Überschrift in der Hs. „Prosa“.

75. De Beata Maria V.

1 a. Ave, Iesu mater pia,
Mundi lumen, o Maria,
Salutis triclinium.

1 b. Ave, decus virginale,
De qua Christus singulare
Vitae prodit lilium.

2 a. Tu signatum et sacratum
Vas, politum et conditum
Condimento gratiae.

2 b. Tu superni Salomonis
Thronus, vellus Gedeonis
Es roratum numine.

3 a. Nescit mundus tibi parem,
Nam per palmam singularem
Dei es hospitium.

3 b. Rosa, novum promis florem,
Qui refovet per odorem
Sunamitis filium.

4 a. Tu in caeli curia
Habes privilegia,
Angelorum domina,
Cunctis praestans coetibus.

4 b. Luna praeest omnibus
In caelo sideribus,
Sic tu praees omnibus
Sub caelo degentibus.

5 a. Ave, virgo lactans prolem,
Stella sinu fovens solem,
Angelorum domina.

5 b. Ave, Iesse germen iustum
Fructum terrae dans venustum
Per arcana semina.

6. Nato, mater, nos commenda,
Ut exutos omni menda
Nos locet in gloria.

Oration. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 5a, 1 lactens. — Die Hs. bezeichnet Vorstehendes ausdrücklich als „Prosa“.

76. De Beata Maria V.

1 a. Ave, salutata
ab angelo Maria;

1 b. Ave, salus mundi
per quam venit, Maria.

2 a. Ave, virgo virginum,
Sponsa regis omnium,
Virginitatis
candens lilium, Maria.

2 b. Ave, rosa de spina,
Reginarum domina,
Te benedicunt
caeli, terrae, Maria.

3 a. Ave, caelestis margarita,
Caelesti regi congrua,
Maria.

3 b. Ave, rutilans velut rosa,
Aestivo sole fulgida,
Maria.

4 a. Ave, superna
cuncta creantis
Mater intacta
regis, Maria.

4 b. Ave, caelorum
domina, virgo,
Mater et sponsa
Dei, Maria.

5 a. Ave, o theotocos,
virgo peperisti,
virgo fuisti
post partum permanens
integra et incorrupta,
Maria.

5 b. Ave, o eusebia
Noemi formosa,
stella praeclara,
praecellens cetera,
inclita et sine labe,
Maria.

6 a. Ave, decora
David filia,
cuius est ab intus gloria,
Maria.

6 b. Ave, cunctarum
decus virginum
et plena gratia Domini,
Maria.

7 a. Ave, benedicta,
caeli super astra rutilans,
formosa ut sol,
radians ut luna;
tota pulchra es
Dei velut sponsa,
Maria.

7 b. Ave, gloriosa
Iesu Domini genetrix, splendiflua cuncta
Cherubim gloria,
vincens omnia
sanctorum agmina,
Maria.

8 a. Ave, pia
peccaminum medicina,
Maria.

8 b. Ave, nostra
post Dominum salus tota,
Maria.

9 a. Ave, dulcis et benigna,
Tuo nato nos praesenta,
O felix Maria.

9 b. Ave, tibi sine fine
Ut possimus decantare
In caelis, Maria.

10 a. Ave, domina caeli,
terrae et maris, Maria.

10 b. Ave, cunctorum era,
Duc nos, quo manes, revera.

Miss. ms. Hispalense saec. 14/15. Cod. Univ. Iannen. A VII 3.

77. De Beata Maria V.

1 a. Ave, virgo singularis,
Radix Iesse, stella maris,
Mater Dei, Maria.

1 b. Ante partum et in partu
Et post partum sine tactu
Virgo manens, Maria.

2 a. Ante legem praesignata
Et in lege praemonstrata
Virgo exstas, Maria.

2 b. O quam dulcis, o quam pia,
Quam praedixit prophetia,
Haec est mater Maria!

3 a. Iacob sanctus hanc in somnis
Scalam vidit, per quam omnis
Nobis venit gratia.

3 b. Aula regis et templum Domini
Vitam reddens perditam homini,
Nostra delens crimina.

4 a. Nata patris, mater Dei,
Spes et salus omnis rei,
Cuncta mundans crimine.

4 b. Virga Iesse dedit florem,
Nostra virgo salvatorem
Sine viri semine.

5 a. Nulla manu lapis parvus
Est abscissus, sed mons magnus
Crevit fracta statua.

5 b. Nullus partus est intactus
Nisi hic, quo Deus factus
Homo sine macula.

6 a. Arbor ferens fructum vitae,
Porta clausa, via vitae,
Origo clementiae.

6 b. Arbor mater, verbum fructus,
Quo peccator ut reductus
Carpit iter gratiae.

7 a. O quam piu m, quam suave,
Gabrielis quod per Ave
Donatur remedium.

7 b. Fit mox virgo mater Dei
Prolem gestans, per quam rei
Vitae captant gaudium.

8 a. In deserto ac frutecto
Manna pavit atque pavit
Israelis populum;

8 b. Est desertum et frutectum
Plebs Hebraea semper rea,
Virgo manna fulgidum.

9 a. Virgo verbo impraegnatur,
Verbum Dei humanatur
Non virili germine.

9 b. Creatura creatorem
Parit, virgo salvatorem
Nostro medicamine,

10 a. Hic est fortis vincens fortem,
Nostrae mortis delens sortem,
Degustans pro nobis mortem
Sua pro clementia,

10 b. Sauciatus in iumento,
Carnis tectus velamento,
Ne subactus sit tormento,
Sola porta gratia.

11 a. Scala caeli, porta vitae
Pandit nobis iter vitae,
Quo refecti ligno vitae
Adeamus patriam.

11 b. Fons, origo pietatis,
Reos lavans a peccatis,
Culpis cunctis expiatis
Nobis dona veniam.

12 a. Mater patris, iube natum,
Ora patrem, ut reatum
Solvat gratis, miserorum
Nexus graves peccatorum
Pie data venia;

12 b. Quo post huius vitae gressum
Pandat nobis et ingressum
Aulae caeli refulgentis,
Regni Dei permanentis
In aeterna gloria.

Cod. Vatican. 3087 saec. 13. — 4a, 3 crimina. — 6b, 3 gratia. — 8a, 2 l. Manna pavit, saturavit; oder das erste pavit als Perf. von pasco, das zweite als Perf. von paveo in transitivem Sinne „in Staunen setzen“? Oder Manna cadit atque pavit? — 11a Die dreimalige Wiederholung von „vitae“ als Reimwort ist auffallend; cfr. 6a. — Melodie: Lauda Sion sa vatorem.

78. De Beata Maria V.

1 a. Consolatrix pauperum;
Vita, spes credentium,
Angelorum domina,
Benedicta femina,
O Maria.

1 b. Mater, plena gratia,
Sontes ad solacia
Iuva caeli pergere,
Dignentur ut psallere,
O Maria.

2 a. O sancta virginitas,
Nostra nequit pravitas
Te dignanter commendare,
Ergo iuva nos laudare,
O Maria.

2 b. O virgo, mortalium
In salutem hominum
Concepisti nobis prolem
Salva, iustitiae solem,
O Maria.

3 a. O matrona regis almi,
Psalle Deo voce psalmi
Ferque opem, quam precamur,
Ne in culpa moriamur,
O Maria.

3 b. O nos, mater pietatis,
Audi flentes pro peccatis
Et a malis nos tuere,
Peccatorum miserere,
O Maria.

Cantion. et Sequent. ms. Pragense saec. 15. Cod. Vissegraden. V C η. — 1 b, 1 O mater. — 3 a, 3 que fehlt. — Hat eine eigene Melodie.

79. De Beata Maria V.

1 a. Cordis melos et vris
In virginis praeconia

1 b. Concordet, creatoris
Quae mater est et filia.

2 a. Haec lucens stella maris
Et ancora naufragii,

2 b. Haec portus salutaris,
Haec nostri spes exsilii.

3 a. Haec virgo sine macula,
Haec scutum contra iacula,

3 b. Haec risus in tristitia,
Post maerorem laetitia.

4 a. Tu, Maria,
Vitae via,
Tu norma pudicitiae;

4 b. Te filiam
Sponsan suam
Sol elegit iustitiae.

5 a. Tu es vellus
Madens Gedeonis,

5 b. Sicca tellus,
Rubus visionis.

6 a. Sine viro
Alvo impraegnaris,

6 b. More miro
Virgo Deum paris.

7 a. Tu Dei secretarium,
Sacrarium
Es omnium virtutum;

7 b. Tu regis habitaculum,
Tu vasculum
Es nectare imbutum.

8 a. Mater misericordiae,
Munditiae
Flos, spes desperatorum;

8 b. Tu omnis plena gratiae,
Te curiae
Collaudant angelorum.

9a. Tu virga florens Aaron,
Quae fructu fecundaris,
Dum incorrupta paris.

9b. Tu inter filias Sion
Beata praedicaris,
A reginis laudaris.

10a. Archangelus te Gabriel
Et missus salutavit
Et verbo fecundavit.

10b. Tu porta, quam Ezechiel
Clausam praememoravit,
Quam [vir] non reseravit.

11a. Tu flos florum, tu lilium
Convallium,
Tu Moysi fiscella,

11b. Spes pauperum, debilium
Refugium,
Tu verbi Dei cella.

12a. Aromatizans balsamus,
Tu thalamus
Sponsi, vas unguentorum;

12b. Tu rosa spinae nescia,
Tu filia
Regis, tu fons hortorum.

13a. Tu nardus aromatica,
Tu virgula turifica,

13b. Tu sanitatis oleum,
Tu medela languentium.

14a. Tu morum flos
Virtutum dos
De stirpe David inclita;

14b. Tu viae dux,
Tu noctis lux,
Tu caritatis semita.

15a. Veri solis
rutilans aurora,

15b. Tu pro nobis
filium exora

16a. Melle precum,
Ut nos cum beatis

16b. Locet tecum
Sede claritatis

Passionale ms. saec. 11. Cod. Vatic. Reg. 498. add. saec. 13. Mit Melodie. — Auf 9a folgt in der Hs. 10a, 10b, 9b. — 10a, 3 Nach Quam in der Hs. ein Loch.

80. De Beata Maria V.

1a. Florens Iesse virgula,
Vera veris primula
Salutem nuntians;

1b. Rosa semper vernula,
Tota sine macula
Maculas expians.

2a. Uterus virgineus,
Fons hortorum, puteus
Aquarum viventium;

2b. Immo thronus aureus,
In quo rex aethereus
Coronavit filium.

3a. Domus aromatica,
Quam arte mirifica
Fecit summus artifex.

3b. In qua Christus unica
Sumpta carnis tunica
Consecravit pontifex.

Miss. ms. Zagrabiense saec. 15. Cod. Cathedral. Zagrabien. XLIV 2. 323. A. — Miss. ms. Zagrabiense anni 1495. Cod. Cathedral. Zagrabien. LV 3. B. — Ob die Sequenz vollständig ist, erscheint zweifelhaft.

81. De Beata Maria V.

1a. Gloriosae matris Dei
Agitur memoria,

1b. Decantemus semper ei
Laudes et praeconia.

2 a. Salve, splendor firmamenti,
Virgo, mater, filia;

2 b. Tu caliginosae menti
Desuper irradia.

3 a. Placa mare, maris stella,
Mortis rumpe retia,

3 b. Ne involvat nos procella
Vel tempestas obvia.

4 a. Tu nos offer tuae proli,
Genitoris filia.

4 b. Laus et honor Deo soli,
Qui gubernat omnia.

Prosar. ms. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Parisien. 1339. — Mit eigener Melodie.

82. De Beata Maria V.

1 a. In suprema hierarchia
Residenti dominae
Personemus voce pia
Servitutis nomine.

1 b. Decet alte sublimatam
Altis coli vocibus,
Huic offerre laudem gratam
Studiis velocibus.

2 a. Haec est illa benedicta
Sub se tenens femina
Lunam, sole praeamicta,
Luce clarens gemina.

2 b. Velut gemmis coronata
Bis senis sideribus,
Cunctis disparet praelata
Sola mulieribus.

3 a. Ave, dulcis mater Dei,
Casti candor lilii,
Ave, nostrae robur spei
Per vallem exsilii.

3 b. In procinctu lapsis viae
Manum nobis porrige
Ac, ne deviemus, pie
Gressus nostros corrige.

Grad. ms. Aquilegiense (?) saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Fol. 34. — 3b, 3 deviamus.

83. De Beata Maria V.

1 a. Laetetur gens credula,
Saltet cum tripudio

1 b. Pietate sedula
Virginis praeludio.

2 a. Quae sine collegio
Tali privilegio
Flos produxit lilium.

2 b. Roma cum Pompeio,
Simul omnis regio
Placet istum filium.

3 a. Matrem laudemus
in filio,

3 b. Natum virginis
in lilio.

4 a. Virginis eximiae
Sudemus honoribus

4 b. Honestatis nimiae
Congruis amoribus.

5 a. Mater, flecte,
quae sunt rigida;

5 b. Pater, corda
cale frigida.

6 a. O felix nativitas,
Nos ducas vestigio;

6 b. Supernorum civitas,
Cura nos prodigio,

7 a. More vestis veteris
Vermibus ne ceteris
Rodamur et tinea.

7 b. Ducimur navigio,
Tu sis in remigio;
Vulpes est in vinea.

8 a. Ductrix pia vitae,
Tege nos a lite
Noctis in exsilio,

8 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

9 a. Alma,
Iter para praevium;

9 b. Palma
Rege, quod est devium.

10 a. Tuis adminiculis
Offer adminicula.

10 b. Salva nos periculis,
Praedulcis ovicula.

11 a. Duc nos illuc,
ubi copia

11 b. Et quo nulla
fit inopia.

12 a. O Maria,

12 b. Maris via,

13 a. Prodigia
Caeli harmonia

13 b. Tu cum pia
Loca nos sophia.

Oration. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 7 a u. 7 b umgestellt. — 7 b, 2 Cum sis. — 13 b, 1 Tu fehlt. — Einzelne Entlehnungen aus der Pfingstsequenz „Veni sancte spiritus“ springen von selbst in die Augen. — Überschrift in der Hs. „Prosa“.

84. De Beata Maria V.

1. Mundi salvatrix, Maria,

2 a. Flores in duplici palma
caeli super agmina:

2 b. Corpore glorificato,
conregnante anima.

3 a. Induta es stola bina
cum sanctis, quibus
Christus dedit singularia:

3 b. Fulges sicut sol electa,
pulchra ut luna
supra caeli luminaria.

4 a. Omnes rogamus,
mater pia,
Maria, ad
te suspirant nostra corda;

4 b. Una omnium
vox est nostra,
ut impetres
pro nobis sempiterna

5. Gaudia.

Missale Rhemense imp. Rhemis 1553. — 3 a, 3 singulas. — 4 b, 4 fehlt eine Silbe, etwa tu?

85. De Beata Maria V.

1 a. Novis cedunt vetera:
Celant terrae viscera
Caelum celans cetera,
Centrum claudit circulum;

1 b. Vitem nectens hedera
Facta est fructifera,
Dum cepit puerpera
Verbo verbi surculum.

2 a. Sicut solis radius
Penetrat innoxius
Et transit ulterius
Per fenestram vitream,

2 b. Sic, immo subtilius
Intrat et suavius
Transit Dei filius
Per aulam virgineam.

3a. Lux in testa conditur,
Hinc et rubus cernitur
Ardere nec uritur;
Dum Mariae gremio

3b. Caeli lux illabitur,
Virgo nec corrumpitur
Nec in suo laeditur
Mater puerperio.

4a. In te, plena gratia,
Vestitur camisia
Scissa de substantia
Tuae carnis deitas.

4b. Quis audivit talia?
In te fiunt socia
Haec olim contraria,
Partus et integritas.

5a. Cella pudicitiae,
In te pax iustitiae
Dedit amicitiae
Exoptatum osculum.

5b. Nos in pace patriae
Fac, o mater gratiae,
Tecum patrem gloriae
Laudare per saecula.

Miss. ms. Hispalense saec. 14/15. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 15. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 17. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. D. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin., 12. E. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. F. — 2b, 3 aurem F. — 3a, 1 intesta BCF. — 3b, 3 In sono F. — Str. 4 sqq. fehlen F. — Verwendung fand die Sequenz „In Nativitate s. Mariae", obgleich der Inhalt auf dieses Geheimnis keinen Bezug nimmt.

86. De Beata Maria V.

1a. O regina sanctitatis,
Fons totius bonitatis,
Exemplum munditiae;

1b. Tu es via veritatis,
Tu es mater pietatis,
Iter praebens gratiae.

2a. Si non ducis, deviamus,
Deviati oberramus
Omni hora dici.

2b. Tibi ergo supplicamus,
Te ducente veniamus
Ad locum requiei.

3a. In hoc mundo sic dubio
Pleni sumus fastidio,
Viventes cum maerore.

3b. Quare, virgo, par lilio,
Te precamur cum filio,
Riga nos caeli rore.

4a. Tu es regina caelorum,
Tu domina angelorum.
Supra cuncta principaris.

4b. Tu es gaudium maestorum,
Advocata peccatorum
A cunctis nominaris.

5a. Nostri ergo miserere
Nec velis nos deserere,
Quaesumus humiliter;

5b. Sed fac nos hic sic vivere,
Ut cum sanctis resurgere
Possimus feliciter.

Prosar. ms. Ambianense (Gulielmi Lovel) anni 1572. Cod. Ambianen. 132.

87. De Beata Maria V.

1a. O virgo pulcherrima,
O mater melliflua,
O Dei filia;

1b. O stella clarissima,
O rosa purissima,
O parens lilia.

2 a. O lumen luminum,
O flos convallium,
O viri nescia;

2 b. O decus virginum,
O spes fidelium,
O plena gratia.

3 a. Fac nos tuum filium
Amare in perpetuum,
Mater pia,

3 b. Ac perduc ad gaudium
Olympi suavissimum,
O Maria.

Oration. ms. Anglicanum saec. 14/15. Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. — Mit Melodie.

88. De Beata Maria V.

1 a. Prodit puer de puella
Sana castitatis cella,
Sicut exit lux de stella
Et de sole radius.

1 b. Verbum quidem introivit
Atque verbum hinc exivit,
Et sic laetus parturivit
Venter viri nescius.

2 a. Res a saeclis inaudita,
Quod puella parit ita,
Et quod ita sunt unita
Terrestribus caelestia.

2 b. Sic est homo factus Deus,
Ne periret homo reus,
Quod si crederet Iudaeus,
Non esset in miseria.

3 a. Gloriosa mater Dei,
Mater magni Nazarei,
Mater Iesu, nostrae spei,
Mater misericordiae.

3 b. Te precamur, tu precare
Tuum natum nos iuvare,
Fac nos tecum habitare
In paradiso gloriae.

Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX. A. — Seq. et Trop. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Seminarii Goritien. I. B. — 1 a, 2 Castitatis Dei cella A. — 1 b, 3 sic tuus parturivit B. — 2 a, 4 Caelestibus terrestria B. — 2 b, 1 factus homo B. — Melodie: Verbum bonum et suave B; A bietet eine eigene Melodie.

89. De Beata Maria V.

1 a. Salve, caelorum regina,
Salve dulcis, et inclina
Nostris aurem precibus.

1 b. Plena virtute divina,
Salve, salutem propina
Tuis his supplicibus.

2 a. Singulari digna laude,
Sola super omnes gaude
Caeli sedens solio;

2 b. Hostis nostri pulsa fraude
Portas mortis clemens claude,
Mortis laeta spolio.

3 a. Virga de radice Iesse,
Germinasti verum esse,
Deum, Dei filium.

3 b. Mole delictorum pressae
Plebi ne velis deesse,
Sed supple consilium.

4 a. O quam admirabilis,
Quae virgo peperisti!

4 b. O vere laudabilis,
Quae genetrix es Christi!

5 a. O nova genitura,
Tu matris tenes iura
Cum flore puellari;

5 b. O virgo semper pura,
Te nostra quaerunt iura
Cum laude singulari.

6 a. Salve, salus et salutis
Causa, formam da virtutis
Contra mortis taedium.

6 b. Opem confer destitutis,
Labe peccati pollutis
Reatus remedium.

7 a. Mater Dei dulcis, vale,
Iesse germen triumphale,
Flos caeli, Maria,

7 b. Decus nostrum speciale,
Pulsa peste mortis malae
Tua prece pia.

Grad. ms. incert. orig. saec. 13. Cod. Bruxellen. Fétis 1173. A. — Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisin. Arsen. 135. B. — 3 b, 1 Sole B. — 4 a, 2 Ave virgo B. — 4 b, 1 O quam laudabilis A. — 4 b, 2 Ave genetrix esse Dei B. — 5 a, 3 Dum B. — 5 b, 3 Dum B. — B bietet die Melodie.

90. De Beata Maria V.

1 a. Salve, claris
Stella maris
Gemmis decorata;

1 b. Virgo paris,
Lux solaris,
Christum trabeata.

2 a. Fons ardoris
Et amoris
Mater pietatis;

2 b. Fax splendoris
Et odoris
Flos virginitatis.

3 a. Sublimaris,
Honoraris,
Digne recolenda,

3 b. Quae ditaris
Et ornaris,
Cunctis reverenda.

4 a. Stella poli,
Lampas soli,
Thronus Salomonis,

4 b. Digna coli,
Nos da proli,
Vellus Gedeonis.

5 a. Dulce melos
Tangat caelos,
Virgo speciosa

5 b. Collaudetur
Et ametur
Summe pretiosa.

6 a. Cella Dei,
Porta spei,
Te magnificamus,

6 b. Nosque rei,
Lux diei,
Te glorificamus.

7 a. Vitae vena,
Deo plena,
Regem genuisti;

7 b. Lux serena,
Carens poena
Prolem peperisti.

8 a. Mater, ave,
Quae nos a vae
Purgas, benedicta;

8 b. Virgo, cave,
Ne mors prave
Laedat maledicta.

9 a. Stilla roris,
Nardus floris,
Vitae reparatrix;

9 b. Vas dulcoris
Et honoris,
Caeli dominatrix.

10 a. Virgo parens,
Fac placatum
Patrem pietatis;

10 b. Labe carens,
Placa natum,
Fontem bonitatis.

Collect. ms. Emmeramense anni 1351. Clm. Monacen, 14343. — 6 a, 3 magnificatos. — Aufschrift „Sequentia de beata Maria“.

91. „Sequentia de s. Maria V“.

1 a. Salve, salve, mater pia,
Mundi salus, o Maria.
Sanctitatis speculum.

1 b. Salve, per quam salus orta,
Paradisi patens porta,
Qua salvatur saeculum.

2 a. Salve, stella matutina,
Sol, aurora, lux divina,
Fons misericordiae.

2 b. Angelorum tu regina,
Peccatorum medicina,
Spes et vena veniae.

3 a. Salve, per quam vita data,
Deo cara, Deo grata,
Salve, plena gratia.

3 b. Super omnes sublimata,
Sis pro nobis advocata
In caelesti curia.

4 a. Speciosa,
Fragrans rosa,
Mater honorata;
Generosa,
Gloriosa,
Femina beata.

4 b. Pluviosa,
Fructuosa,
Cedrus exaltata;
Generosa,
Speciosa,
Salus exspectata.

5 a. Tu benigna,
Laude digna,
Tu dulcora,
Tu decora,
Tu perenne gaudium.

5 b. Mediatrix,
Exaltatrix,
Omni hora
Sine mora
Roga tuum filium.

6 a. O virginum principium,
O castitatis lilium,

6 b. Trinitatis hospitium
Salutisque consilium.

7 a. Animarum solacium,
Nostrum decus et gaudium;
Quem genuisti filium,

7 b. Nobis redde propitium;
Expelle nostrum vitium,
[Ad] caeli duc palatium.

8 a. Clara Maria,
Benigna Maria,
Iucunda Maria,
Beata Maria.

O suavissima,
O benignissima,

8 b. Tota dulcissima,
Tota sanctissima.

Eia, domina,
Exaudi, domina,
Defende, domina,
Succurre, domina.

9 a. Ad te currunt, o Maria,
Peccatores, caeli via,
Portus et umbraculum.

9 b. Peccatorum miserere,
Salva, mater, et tuere
Christianum populum.

10 a. Benedicta mater Dei,
In te sperant omnes rei,
Salus et refugium;

10 b. Ne mergamur in infernum,
Roga regem sempiternum,
Creatorem omnium.

11 a. Ad te clamat totus mundus,
Omnis homo maerebundus;
Fac, succurras homini.

11 b. Imperatrix et regina,
Nos conserves a ruina,
O virgo, mater Domini.

12 a. Commendamus nos hac die
Tibi, nobis dulci, piae,
Tibi, virgini Mariae,
Salvatrici saeculi.

12 b. Te, domna, te, maris stella,
Sancta parens et puella,
Paradisi te ut mella
Tui gustant servuli.

13 a. O Maria, salus nostra,
Iesu Christo tu demonstra
Tuum pectus, ubera,

13 b. Tu, quae salvas totum mundum,
Ne mergamur in profundum,
Virgo salutifera.

Miss. ms. Camaldulense saec. 16. Cod. Laurent. Conv. sup. 418. — 1 b, 1 saluti. — 6 b, 2 que fehlt. — 11 a, 3 succurens hominum. — 12 a, 3 virginis. — 12 a, 4 Salvatricis. — 12 b, 3 tue me melle. — 13 a, 2 Iesum Christum demostra. — 13 a, 3 et ubera. — 13 b, 1 quae salus.

92. De Beata Maria V.

1 a. Sponsa Dei, virgo mitis,
Lignum vitae irretitis
Peccatorum nexibus,

1 b. Dare nobis hoc dignare,
Quod possimus te laudare
Totis pure sensibus.

2 a. Indignatur lex naturae
Tibi factam pariturae
Fidem impossibilium.

2 b. Sacrae voci sic intendis,
Quod omnino non attendis
Legem naturalium.

3 a. Te salutat, quem ignoras,
Fidem facit, et imploras,
Ut sic fiant omnia.

3 b. Fecundaris salutata,
Nullo metu praegravata
Vel dolore saucia.

4 a. Virgo carne, virgo mente,
Virgo mater es repente,
Virgo paris filium.

4 b. Nulla talis genitura,
Qua creator fit factura,
Altum hoc consilium.

5 a. Perhorrescit hoc natura,
Quod tu, virgo, paritura
Solo verbo concipis.

5 b. Stupet, tremit, admiratur,
Quod hic nihil sibi datur,
Cum tu verbum suscipis.

6 a. Nescit modum, nescit causam,
Nescit illum, qui te clausam
Intrat et egreditur.

6 b. Signa fontem, hortum claude,
Dignus tamen omni laude
Ex te fructus editur.

7 a. Semper clausa manet porta,
Tamen ex te proles orta,
Cuius stat imperium.

7 b. Ferens fructum virga floret;
Tui fructus quis ignoret
Hoc esse mysterium?

8 a. Ecce, mira virtus Dei,
Ecce, patens ordo rei
Velata mysterio.

8 b. Caro vestit deitatem,
Unde trahit puritatem
Dignam tanto parvulo.

9 a. Casta caste castum paris,
Cuius morte liberaris
Et omnis condicio.

9 b. Mortem morte natus stravit
Et nos vitae reparavit
Felici commercio.

10 a. Illum parit ista mater,
Quem et Deum Deus pater
In se Deo genuit.

10 b. Ipse factus est infectus,
Nam ut panno carne tectus
Deum non deseruit.

11 a. Geminata iam natura
Est et factor et factura
Idem Dei filius.

11 b. Una tantum hic persona
Naturarum duo bona
In se unit unicus.

12 a. Matrem ergo deprecamur,
Ut a morte retrahamur
Impetrata venia.

12 b. Placa, mater, iram nati,
Iuste sumus iam damnati,
Et est opus gratia.

13 a. Ex te sola spes salutis
Pressis iugo servitutis,
Mater, placa filium.

13 b. Da spem digne resurgendi
Et aeternum obtinendi
Tecum, virgo, praemium.

Comment. ms. Sconaugiensis (Rhabani Mauri in libr. Regum) saec. $^{10}/_{11}$. add. saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Vatican. Palatin. 293. — 7 b, 2 Tuus.

93. De Beata Maria V.

1 a. Stella maris, o Maria,
Praedicaris vitae via,

1 b. Vitae via praedicaris,
O Maria, stella maris.

2 a. Complanato nobis callem
Transituris per hanc vallem,

2 b. Ad hoc opus praesignata
Et a Deo nobis data.

3 a. Preme pede praevalenti
Caput anguis virulenti,

3 b. Qui felices nos seduxit
Et in mare nos eduxit.

4 a. Tu Abrahae iam promissa
Et per Iesse nobis missa,

4 b. Virga florens, produc fructum,
Qui excludat Evae luctum.

5 a. Sicca virga sine unda
Tis onusta nucibus,

5 b. Corda nostra tu fecunda
Fronde, flore, fructibus.

6 a. Legislator admiratur,
Quia rubus succendatur
Nec succensus aduratur,

6 b. Dum admirans intuetur,
Ab accessu prohibetur,
Nudos pedes admonetur.

7. Solvit iussus nec accedit,
Quia vetus lex recedit.

Grad. ms. Longoretense saec. 13. Cod. Parisin. 10 511. — 5 a, 1 Signo virgo. — 6 b, 2 accensu. — Leider fehlt der Schlufs der Sequenz.

94. De Beata Maria V.

1 a. Tota pulchra es, amica
Regis angelorum,
Virgo prudens et pudica,
Claritas caelorum.

1 b. Intus pulchra, pulchra foris
Vere comprobaris,
Veneranda cunctis horis,
Mater expers maris.

2 a. Intus pulchrioribus
Ornaris virtutibus

2 b. Et decentioribus
Foris polles moribus.

3 a. A verticis caesarie
Usque imum plantae

3 b. Tu es sine carie
Te Deo servante.

4 a. Nulla virtus est, quae posset
Cor tuum transcendere,
Immo cunctas sibi nosset
Virtutes attrahere,
Quibus Deo placuisti
Et choris caelestibus,
Quibus mundo profuisti
Perplexo maeroribus.

4 b. Sicut cunctis es facturis
Vere virtuosior,
Sic et cunctis creaturis
Factura venustior;
Evae prolem denigratam
Peccati fuligine
Caeli regi reddis gratam
Tua pulchritudine.

5 a. Summa virtus te virtutum
In terris constituit,
Tibi iungi
Et te fungi
Cui summe placuit;

5 b. Unde virtus de supernis
Te virtutem adiit,
Ut humanum
Genus sanum
Fieret, quod periit.

6 a. Iunctus factor est facturae,
Iunctus Deus homini,
Venerandus omni iure
Iunctus partu virgini.

6 b. Iuncta virtus est virtuti,
Decor pulchritudini,
Iuncta salus est saluti
Et dulcor dulcedini.

7 a. Deus hominem creavit
Ad suam imaginem,

7 b. Ad cuius in te formavit
Se similitudinem.

8 a. Tu es paradiso
tanto dignior,

8 b. Quanto tuus fructus
est utilior.

9 a. O quam pulchra tu fuisti,
Cum sit factus vultus Christi
Tibi matri similis,

9 b. Cui tu es voluntate,
Caritate, pietate.
Facta non dissimilis.

10 a. Si te Deus non vidisset
Creaturam optimam,

10 b. In matrem non elegisset
Te sibi carissimam.

11 a. Ergo, virgo, pulchra [tota],
Nos viles non despice,
Sed a quavis mentis nota
Nos mundari perfice.

11 b. Fac, ut tuo placeamus
Praedilecto filio
Et felices transeamus
A mortis exsilio.

12 a. Solis, lunae vel stellarum
Splendor parum cernitur,
Sive virtus planetarum,
Plene dum attenditur,

12 b. Quanta dignae Christi matris
Fulget virtuositas,
Quam prae cunctis Dei patris
Illustravit claritas.

13 a. Crystallinum vel stellatum
Caelum vel empyreum
Non est Deo magis gratum,
Quam illud hospitium
Ventris casti, quo celasti
Iesum Dei filium;
Hunc in morte virgo pia
Nobis fac propitium.

13 b. Laus aeterno genitori,
Laus aeterno filio,
Nostro pio redemptori
Sit et veneratio,
Charismatum infusori
Mariae solacio,
Matri Dei, nostrae spei,
Perpes iucundatio.

Antiph. ms. Brigittin. saec. 16. (Privatbesitz.) — 4 a, 3 Imo cunctas tibi nosti. — 4 b, 1 Et cunctis es facturis. — 6 a, 4 Partus.

III.

DE SANCTIS.

95. De Omnibus Sanctis.

1. Almae caelorum turmae
concrepent Alleluia

2 a. In die hac sacrosancta,
sanctis omnibus splendida,

2 b. Quae nobis exstat annua,
sed iis est continua.

3 a. Celsa angelorum agmina
laude iucunda
Christo resultant organa,

3 b. Mundanaque modulamina
iam nunc intonant
praeconia cum laetitia.

4 a. Quae supra sidera pulchra,
quae sunt profunda, omnimoda
quae sunt laudum genera,

4 b. Proclamant voce sonora
Christum Dominum laudantia
per saecula omnia.

5 a. Qui sanctorum gloria
est et victoria,
Laus et corona,
lux atque laetitia,

5 b. Praestans illis talia
aurea praemia,
Quae vox humana
non explicat aliqua.

6 a. O stella maris inclita,
O domina,
mundi regina,
Oratione pia
tu nostra ablue facinora

6 b. Donante Dei gratia,
Cuius sacra
rutilant dona,
Queis aeternae magna
consequamur vitae praemia

7 a. Per suffragia
tua, beata
virgo puerpera,

7 b. Porta aurea,
purpura regis
atque dignissima.

8 a. Vox angelica
quam clara,
quae Deo semper concinit
Alleluia!

8 b. Terra que sata
humana,
quam beata sanctorum
sunt agmina.

9 a. Quae patriarchica
lustrat plebs atque
prophetica,

9 b. Lux apostolica
mors ac martyrum
pretiosa.

10a. O praesulum
perspicua,
Confessorum praecelsa,
atque virginea,
omniaque sancta
agmina

10b. Quam pulchra sunt
et quam laeta!
Trinitatem sanctam
cernentia per cuncta
(in) gloria aeterna
saecula,

11a. Quae miseratione sua
nos abluat
ab omni macula

11b. Et sua pietate sola
sanctis iungat
in illa patria,

12. In qua sine fine regnat
pax sempiterna.

Trop. ms. Wintoniense saec. 10/11. Cod. Oxonien. Bodl. 775. A. — Trop. ms. Wintoniense saec. 11. Cod. Collegii Corp. Christi Cantabrigen. 473. B. — Miss. ms. Sarum saec. 15. Cod. Londinien. Lausd. 432. C. — 2a, 1 sacra sancta C. — 2b, 2 his ABC. — 3a, 3 resultent B. — 3b, 2 intonent C — 4a, 2 quae sunt omnimoda ABC; Endassonanz auf a ist sonst stets gewahrt. — 4b, 1 Proclament BC. — 6a, 5 absolve C. — 6b, 4 Quis BC. — 6b, 4 sq. vitae consequimur (consequamur B) magna ABC; die Endassonanz empfiehlt Umstellung. — 9a, 1 Ave patriarchica C. — 11a, 1 sua miseratione ABC. — 11a, 2 absolvat C. — Melodie nach A: Pretiosa.

96. De Omnibus Sanctis.

1a. O quam dulcis illa vita,
In qua sancti fulgent ita
Ut flores cum flagrantia!

1b. Vere dulcis est et bona,
In qua sanctis crescunt dona
Illa possidentibus.

2a. Ibi novem angelorum
Ordines sunt beatorum
Collaudantes Dominum.

2b. Ibi dominationes,
Quas collaudant nationes
Per terrarum circulum.

3a. Ibi decus prophetarum
Non est vile, sed praeclarum
Fulget supra sidera.

3b. Sequitur apostolorum,
Martyrum et confessorum
Triumphalis acies.

4a. Quae ut rubicunda rosa
Et ut gemma pretiosa
Semper ibi rutilat;

4b. Sicut odor violarum
Virginum et vidnarum
Chorus ibi redolet.

5a. Restat ergo, ut sequamur
Viam, per quam mereamur
Illa vita perfrui.

5b. Utinam sic faciamus,
Ut ipsam possideamus
Cum sanctis agminibus.

Tractat. ms. S. Bernardi super Cantica canticorum saec. 13. Cod. Vatican. Ottob. 138. add. saec. 13. A. — Grad. ms. Franciscano-Romanum saec. 15. Cod. Roman. Vitt. Eman. XX (Varia 290). B. — Überschrift in B: „In festivitate omnium sanctorum sequentia“. — 1b, 2 Quia sanctis B. — Beide Hss. bieten die Melodie.

97. De Omnibus Sanctis.

1 a. Summa summae deitati
Laus, aeternae trinitati,
Patri, nato, flamini.

1 b. Clara iugis et devota
Laus resultet mente tota
Gloriosae virgini.

2 a. Attollatur corde puro,
Non torpente nec obscuro,
Dignitas angelica.

2 b. Patriarchis ac prophetis
Cum Baptista sonent laetis
Cordibus haec cantica.

3 a. Apostolicus senatus
Et cruore laureatus
Exaltetur populus.

3 b. Sint in laude confessores
Et quas legit quasi flores
Iesse virgae flosculus.

4 a. Isti nobis Christum placent
Et quicunque tibi placent,
O beata trinitas.

4 b. Ut ex nobis et his cunctis
Fiat in te, Iesu, iunctis
Gloriosa civitas.

Trop. et Sequent. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVI (20). A. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX B. — 2 b, 1 ac B. — 4 b, 1 Ut et nobis B.

98. De Omnibus Sanctis.

1 a. Alpha et O nominaris
Tu, qui cunctis dominaris,
Caeli, terrae quoque maris
Plasmator et omnium.

1 b. Hic tibi dies dicatur,
Primum primo melos datur,
Quem factura protestatur
Trinum, unum Dominum.

2 a. Hinc in sanctis hunc laudemus,
Sed prae cunctis exaltemus
Iesu matrem, qua gaudemus
Nostra pelli crimina.

2 b. Lunam calcans, leva pressum,
Sole cincta, firma fessum,
Stellis compta, para gressum
Ad virtutum limina.

3 a. Ierarchiis praesidentes,
Summo regi praecinentes,
Vestras laudes depromentes
A malis defendite.

3 b. Puri, nos purificate,
Clari, nos illuminate,
Sancti, nos perfectos date,
Sic nobis intendite.

4 a. Patres Christum figurantes,
Vates hunc praenuntiantes
Atque viam praeparantes
Eius ante faciem,

4 b. Quem venturum sperabatis,
Nunc in caelis conregnatis,
Ut cernamus hunc, tergatis
Nostrae mentis aciem.

5 a. Caeli verbis intonantes,
Claris signis coruscantes,
Gratiam desuper rorantes
Arefactis cordibus,

5 b. Irrigate verbi sata
Vestro dogmate plantata
Cordaque vitiis foedata
Expurgate sordibus.

6 a. Oculati post et ante,
Retro culpae excaecante
Veri solis radiante
Luce, nos eripite.

6 b. Vos gestorum summi regis
Scribae quoque novae legis,
Ut delictis sui gregis
Parcat, intercedite.

7 a. Zelatores mandatorum
Ad instar elephantorum
Ad bella provocatorum.
Vecti mori sanguine;

7 b. Qui pro nobis dimicavit,
Agni cruor vos armavit,
Vestra prece, quos salvavit,
Iuvet in certamine.

8 a. Almi Christi confessores
Et ecclesiae doctores,
Vitiorum evulsores,
Virtutes inserite;

8 b. Qui fideles exstitistis
In paucis, nunc possedistis
Multa; quos hic genuistis
Natos, non deserite.

9 a. Virginum uterque sexus
Iunctus per amoris nexus,
Christi dulces ob amplexus
Sprevistis luxum saeculi,

9 b. Nos feratis ad vestrarum
Grata festa nuptiarum,
Ut tersorem lacrimarum
Nostri cernant oculi.

Sequent. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 3. — 6 b, 3 suae. — 7 a, 4 Vue (!) et.

99. De Omnibus Sanctis.

1 a. Ad honorem salvatoris,
Intus corde, voce foris
Concinat haec contio.

1 b. Dulcis erit harmonia,
Si concordent ista tria:
Cor, os, operatio.

2 a. Admirandus est in sanctis
Suis Deus; sed, cum tantis
Tandem bonis satiat.

2 b. Cur, dum spirant in hac vita,
Vix respirant, eos ita
Flagellat et cruciat?

3 a. Numquid, Christe pie, odis,
Quos diversis poenae modis
Dignum ducis affici

3 b. Et attritos in tormentis
Saepe sinis et consentis
Dirae neci subici?

4 a. Sed non odit, sed explorat,
Quo affectu quis laborat
In eius obsequio.

4 b. Amat cunctos, probat tamen
Per sudorem et certamen,
Quanta sit devotio.

5 a. Certant enim contra mundum,
Hostem nequam et immundum,
Carnis quoque vitia;

5 b. Hac imprimis confessores
Martyresque formant mores
Virili constantia.

6 a. Est certamen speciale,
Quod confligit capitale
Martyri supplicium;

6 b. Sed interdum confessori
Litor deest in litori
Carnis optans gaudium.

7 a. Ob amorem ergo Christi
Certant il[li, certant] isti,
Tam mares quam feminae.

7 b. Qui plus sudat in agone,
Plus mercedis et coronae
Refert pro certamine.

8 a. Omnes Deo sunt electi;
Velit Deus horum flecti,
Meritis et precibus,

8 b. Ut cum dies erit dira,
Non nos sua subdat ira
Tartari tortoribus,

9. Sed hunc nostra laudet lyra
Cum caelorum civibus.

Miss. ms. Hispalense saec. 14/15. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin., 12. C. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. D. — 2a, 2 sed constantis ABCD. — 2b, 1 spirat ABCD. — 2b, 2 respirat ABCD; vor „eos ita“ ist im Sinne „cur“ wieder zu ergänzen. — 3a, 1 pia ABCD. — 3a, 3 effici A. — Str. 4a sqq. fehlen C. — Str. 4b sqq. fehlen BD. — 6b, 2 Zu litor als Nebenform von litus (Diener, Henker) cfr. Du Cange „litores“; oder l. lictor?

100. De Omnibus Sanctis.

1a. Superni regis curia,
Cuius instant sollemnia,
Vocis, cordis concordia
Te recolat ecclesia.

1b. Inprimis matri virgini,
Odoris rosae gemini,
Qua datur salus homini,
Sit laus ad laudem Domini.

2a. Angelorum praeconia
Pari sonent laetitia,
Ut post carnis exsilia
Secum fruamur patria.

2b. Patriarcharum ordini
Non cessent hymni concini,
Ut nos ascribant nomini,
Quo recte gloriamini.

3a. Apostolorum gloria
Cum martyrum victoria
Colantur et eximia
Confessorum collegia.

3b. Sit virginum laus lumini
Omnique caeli culmini;
Suo nos iungant agmini
Post huius cursum termini.

Miss. ms. Hispalense saec. 14/15. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3 A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18 B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod Columbin. Hispalen. Vitrin. 12. C. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. D. — 1b, 1 matris AC. — 1b, 2 rosi AC. — 2b, 2 hymnis AC. — 2b, 4 recti BD. — 3a, 3 Colatur AC. — Str. 3b fehlt BD. — 3b, 2 Omniumque AC.

101. De Omnibus Sanctis.

1. Cuncta in iubilo
personent redempta.

1a. Omnes simul iucundemur
Et cunctorum veneremur
Sanctorum sollemnia.

1b. Hi sunt mundi contemptores,
Angelorum sectatores,
Ut docet ecclesia.

2a. Hunc imprimis collaudemus,
Illi primi laudem demus,
Qui creavit omnia.

2b. Exaltemus consequenter
Illam matrem, quae decenter
Est repleta gratia.

3a. His summi chori caelitus
Adnectatur contio,
Qui natura est spiritus,
Angelus officio.

3b. Patriarchis et prophetis
Adplaudant praeconia,
Quibus fide et spe spretis
Summa datur gloria.

4 a. Lucem mundi, solem terrae
Laude decet nos efferre,
Sicut iubet veritas.

4 b. Hos sequantur Christi testes,
Dum dealbant suas vestes,
Agni tenent semitas.

5 a. Confessorum sacer chorus
Et virginum castus thorus
His intra sunt laudibus.

5 b. Dignos laude iudicavit
Christus quosque laureavit
In paternis sedibus.

6 a. Nos, quos vergit in hoc mundo
Vita lapsus quotiens,

6 b. Quos demergit in profundo
Charybdis insiliens,

7 a. Horum preces imploremus
Et reatus propere

7 b. Omnes faeces expiemus
Corde, ore, opere.

8 a. Non avertat ab hac laude
Flagitium quempiam,
Quisque vertat et a fraude
Mentem mutet turpiam.

8 b. Qui accusat se fallacem,
Ad Deum convertitur,
Et excusat se veracem,
Hunc Deus fatebitur.

9 a. Qui nos monet interesse
Sanctorum sollemniis,

9 b. Nobis donet secum esse
In aeternis gaudiis.

Oration. et Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 3 a, 2 Adnectatur cunctis. — 6 b, 1 demergat. — 8 a, 4 mutat. — 8 b, 4 Hinc.

102. De sancto Adalberto.

1 a. Consurgat in praeconia
Universa Polonia
Reboans prece sedula;

1 b. Festiventur praegrandia
Adalberti sollemnia,
Laudes tonet vox credula.

2 a. Hic suorum facinore
Martyr praeditus honore
Exsulavit de patria;

2 b. Boleslai cum favore
In praesulem sueto more
Sumitur in Polonia.

3 a. Per quem dempta metropolis
Slavae gentis ab idolis
Est gratiae restaurata;

3 b. Docta fidei symbolis
Curatur Satanae dolis,
Spe salutis roborata.

4 a. Qui cum vellet vitae viam
Subduxisse in Prussiam,
Gens trux scelere privatur;

4 b. Nam hostis ob invidiam
Fert in Prussos zizaniam,
Sanctus mucrone necatur.

5 a. Gens perfida, gens delira,
Cernens factorum tot mira,
Cur perimis sanctum Dei?

5 b. Cur tibi tam cervix dira?
Te spectat perennis pyra,
Ni velis labe revehi.

6 a. Hinc halitus almi donis
Fertur corpus a Polonis
Et in Gnezna tumulatur;

6 b. Ubi signa, prodigia:
Claudi sumunt vestigia,
Caecis visus reformatur.

7 a. Varia pestis sedatur,
Vis daemonis vacuatur
Summi regis potentia,

7 b. Poscimus, quatenus per te,
O beate Adalberte,
Defensetur Polonia.

Officia. ms. Tridentina anni 1473. Cod. Palat. Vindobonen. 1795. — Mit Melodie. — 1 b, 3 tonat.

103. De sancto Aegidio.

1 a. Ore, corde, manu purus,
De mercede iam securus
Psallat chorus noster, murus
Fortis contra vitia.

1 b. Sunt beati confessoris
Aegidii, oratoris
Veri Dei et cultoris,
Hodie sollemnia.

2 a. Graecus fuit natione,
Constans in oratione,
Facto placens et sermone,
Plenus Dei gratia.

2 b. Vere debet venerari
Iste sanctus et amari,
Qui virtutes operari
Coepit ab infantia.

3 a. Puer erat, vestem dedit
Aegro cuidam, salus redit,
Hac accepta morbus cedit
Cum omni molestia.

3 b. Fides eius Deo grata,
Quo volebat, tulit data
Sibi a papa celata
Cupressina ostia.

4 a. Multos aegros liberavit,
Daemoniacos curavit,
Mortuum resuscitavit
Divina potentia.

4 b. Gotis dans hilaritatem,
Removens sterilitatem
Terrae dedit ubertatem
Sua per suffragia.

5 a. Quoddam Karoli peccatum,
Regis Franciae, celatum
Est huic sancto revelatum
Angeli praesentia.

5 b. Haec et plura mira facta
Sunt per eum olim acta,
Quae in scriptis sunt redacta
Pro ipsius gloria.

6 a. Nunc in caelis coronatus
Nobis est adiutor datus,
Nam exaudit invocatus
Grata dans auxilia.

6 b. Nos exaudi supplicantes
In hoc festo te laudantes,
Pie pater, et laetantes
Duc ad caeli gaudia,

7. Ubi tecum gloriantes
Canamus Alleluia.

Sequent. ms. Aquilegiense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Semin. Goritien. I. Mit Melodie. — 3 a, 2 Ergo cuidam.

104. De sancta Agatha.

1. Eia, organica cantica,

2 a. Harmonica cuncta genera,
hydraulica musica

2 b. Dulcisona clangant Alleluia
per aeona tempora.

3 a. Nostra phalanx parvula
simul atque iubilans,
dic Alleluia
in hac diecula,

3 b. In qua sancta Agatha
spernens cuncta terrea
laeta superna
captavit praemia.

4 a. Gaudeat nunc et virginea
sacra turma,
clarissima,
serta gestans duplicata
florida,

4 b. Cui sociata Agatha,
virgo alma,
cyanea
atque crocea corona
rutilat.

5 a. Ergo sancta
nos Agatha
prece sua custodiat,

Quo calcantes
universa rurica

5 b. Ad aeternam
transferamur patriam,

In qua sancta
sine fine
regnat [cum] sapientia.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen. O I N 7. A. — Grad. ms. incert. origin. anni 1071. (Nach Georgius l. c. III, 460). B. — 2a, 2 ydrolica B. — 2b, 1 clangat A. — 2b, 2 ferrea A. — 3a, 2 atque iubilans A; iubilas B. — 3b u. 4b umgestellt A. — 3b, 1 Agathes B. — 3b, 2 praeter cuncta B — 3b, 3 laeta fehlt A. — 4a, 1 et fehlt AB. — 4a, 2 turba B. — 4b, 1 Agatha fehlt A, Agathes B. — 4b, 3 cyranea A, cyonea B. — 4b, 5 rutilans B. — 5a, 1 sq. nos sancta A. — 5a, 2 Agathe B. — 5a, 3 preces suas B. — 5a, 4 calcata B. — 5a, 5 universa doppelt A; lurica B (rurica wohl = terrena; oder l. ludrica?). — 5, 2 transeamus B. — 5b, 5 regnant A.

105. De sancta Agatha.

1 a. Ave, virgo, dedicata
Summo regi, desponsata
Et coniuncta foedere;

1 b. Gloriosa claruisti,
Sicut stella splenduisti,
Velut sol in aethere.

2 a. Adfuerunt te scrutantes,
Defecerunt promittentes,
Sunt confusi nequiter.

2 b. Torsiones et flagella,
Ignem et ferrum, puella,
Superasti fortiter.

3 a. Hic advenit Simon Petrus,
Curat angelorum coetus
Condiditque virginem.

3 b. Agatha nobilitatis,
Esto nostra advocatrix
Ad supernum iudicem,

4 a. Ut ab igne vitiorum
Et a poena damnatorum
Possimus evadere.

4 b. Sancta sponsa digna Christi,
Quae tot signis claruisti,
Fac nos caelum scandere.

Grad. ms. Parmense saec. 14/15. Cod. Capit. Parmen. s. n. — 2b, 2 ferrum et.

106. De sancto Agilolpho.

1 a. Adest dies laetitiae,
In quo sidus iustitiae
Fulgidum emicuit;

1 b. De profundis tenebrarum
Divinitus lumen clarum
Ortum mundo claruit.

2 a. Agilolphus, Deo gratus,
Agrippinae pastor datus,
Inflammatus caelitus,

2 b. Firmans fidem, formans mores,
Legis sacrae perversores
Superavit penitus.

3 a. Hic sanctitatis speculum
Et doctrinae spectaculum,
Vas virtutum omnium,

3 b. Regis consiliarius
Legis et operarius,
Bonus pastor ovium.

4 a. Cum mittitur a Karolo
Pro conservando populo,
Amblanam progreditur;

4 b. Tunc Raginfridi gentibus
Helpricique crudelibus
Invasus occiditur.

5 a. Sic Christi factus hostia
Caelorum transit ostia,
Cum palma martyrii.

5 b. Aegri currunt et curantur,
Laesi, claudi reparantur
Meritis Agilolphi.

6 a. In tam felici transitu
Columba candidissima
Eius ore processit

6 b. Signans, quod absque gemitu
Anima beatissima
Sic superos accessit.

7 a. Et cruore rubricata
Talis athletae gramina
Servant viriditatem,

7 b. Cuius morte sunt signata
Hodie designantia
Martyris sanctitatem.

8 a. Martyrum gaude contio,
Tali tantoque socio
Innocenter mortuo,

8 b. Quem laudet et devotio
In laudum exercitio
Et concentu mutuo.

9 a. Sexus et gradus populi,
Singulariter clerici,
Mariae Colonia

9 b. Qui ad gradus canonici
Vel Malmundae sunt monachi,
Devota symphonia.

10 a. Eia, pastor noster bone,
Memor sis proprii gregis
Custos et praesidium,

10 b. Pertingamus ut, patrone,
Favore superni regis
Sanctorum fastigium.

Miss. ms. Noviomagense saec. 15. Cod. Mus. Noviomagen. Ia Nr. 2. A. — Antiphon. et Grad. ms. S. Mariae ad Gradus saec. 15/16. Cod. Capit. Colonien. s. n. B. — 1 a, 2 laetitiae B. — 1 b, 2 rarum A. — 3 a, 1 Sic A. — 3 b, 2 Et legis A. — 4 a, 3 Amblanam l. Ambianum? — 4 b, 1 Regni fridi B. — 4 b, 2 Helperici A. — 4 b, 3 Invasis A. — 8 b, 1 laudent B. — 10 b, 2 superare regis A. — Nach dem gleichen Schema, vielfach ganz gleichlautend, geht die Sequenz auf Evergislus (s. unten Nr. 186).

107. De sancta Agnete.

1. Ecce iam, sancta Agnes,
aetheris te chorus laudat,
quae nunc fulges beata,

2 a. Quique iubilat
veluti decantans,
pneumata concrepans
lyrica;

2 b. Suscitans laudum
coetus vernantia
hodie gloriosa
resonat:

3 a. „O mansueta
virginum agmina, quae
nunc fulget in arva!“

3 b. „Ὦ ἐπουράνιε
ἔρως, τὰς ἁμαρτίας
τοῦ cosmi eleison!“

4 a. Sic ὑμένος
et inscia

4 b. Τοῦ πατρός γε
μονογενεῖ

5 a. Polo resultat mox
virginalis aula.
* *
* *
Sic reddidit iocosa *
musica campi * *
praelata floribus; * *

5 b. Adportabat beata
Agnes manibus
rosas virginibus;

Coeperuntque cantum
novum assumere:

6 a. *Δόξα*
ἐν ὑψίστῃ, ὦ θεός, tu,
pater *κρατῶν.*

6 b. „*Δόξα,*
κύριε καὶ βασιλεύων,
Iesu Christe,

7. Eleison, Amen.

Grad. ms. incert. origin. anni 1071 (Nach Gergius l. c. III. 457). — 1, 2 chorus fehlt. — 1, 3 fulget. — 2a, 2 velut. — 2b, 2 caeci vernantia. — 2b, 3 hodie zweisilbig. — 3a, 1 mansuetas. — 3a, 3 fulget ist nicht auffallend; bei einem Subjekt gen. neutr. im Plur. steht öfters das Verbum finit. im sing. (vgl. Anal. VII. S. 13, Nr. 4). — 3b, 1 sq. O eporaniae erotas amartia. — 4a, 1 Sit inmenos. — Ich konstruiere: Sic et (= etiam) *ὑμένος* (thori) inscia virginalis aula mox [in] polo resultat *τῷ τοῦ πατρός γε μονογενεῖ.* — 4b, 1 sq. Tu patros kemonogenis. Bei „Tu" kein Alinea, welches aber der Parallelismus erheischt. — 5b, 1 Asportabat. — 5b, 3 rosas deferens virginibus. — 6a, 1 sq. Doxa enipsisti (offenbar — Gloria in excelsis) o theos tu pater craton. — 6b, 1 sq. Doxa kyrie ebasileon. — Leider fand ich den Text dieser jedenfalls sehr interessanten Sequenz in keiner anderen Quelle; Georgius, wie man sieht, bietet ihn als ungenießbar. Ob er in der vorgelegten Gestalt dem Originale nahe kommt?

108. De sancta Agnete.

1 a. Hodiernae lux diei
Dies est beatae spei
Et salutis animae;

1 b. In hac die collaudatur
Agnes virgo, dum locatur
In sanctorum agmine.

2 a. In aetate iuvenili,
Corde tamen iam senili
Mundum fugit penitus;

2 b. Viri thorum detestatur,
Iesum Christum protestatur
Sponsum suum caelitus.

3 a. Propter fidem salvatoris
Denudatur veste foris,
Sed crine contegitur.

3 b. Locum foedum fecit sanctum,
Dum compescens patris planctum
Natus vitae redditur.

4 a. Ignem intrat copiosum,
Populum seditiosum
Flamma crescens concremat.

4 b. Orat virgo stans in igne,
Exaudita quidem digne
Vocem laudis concrepat.

5 a. Ferro tandem iugulatur,
Angelorum sociatur
Coetibus in gloria.

5 b. Stant adfines ad sepulcrum,
Vident agnum Dei pulchrum
Praecellentem omnia.

6 a. Chorum cernunt virginalem,
In quo locum specialem
Tenet beatissima.

6 b. Ad reginam currit fama,
A sepulcro redit sana,
Fit christianissima.

7 a. Mundum spernit propter Deum,
Et Agnetis mausoleum
Cumulat honoribus;

7 b. Crescit fides castitatis
Multis secum congregatis
Ibidem sororibus.

8 a. O miranda salvatoris
Et laudanda cunctis horis
Tam mira potentia,

8 b. Per quam Agnes triumphavit,
Mundum quoque illustravit
Felici memoria.

9 a. Omnes ergo gratulemur
Et Agnetem deprecemur
Sic dicentes pariter:

9 b. Agnes, agnum roga Christum,
Ut conservet locum istum
Et defendat iugiter.

10 a. Nosque tua sancta prece
A gehennae salvet nece
Et peccati macula,

10 b. Ut cum ipso simus tecum,
Qui donavit, ut sis secum
Per aeterna saecula.

Grad. ms. S. Agnetis Bononiensis saec. 14. in. Cod. Mus. Bononien. 12. A. — Grad. ms. Praedicatorum saec $^{14}/_{15}$. Cod. Civitaten. XLVI. B. — Grad. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Esten. Mutinen. XI H 3. C. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. D. — 2 b. 1 Veri D. — 3 b, 1 fecit D. — 9 a, 3 puriter B.

109. De sancto Agnete.

1 a. Sospitati dat augustam
A leprae contagio;

1 b. Castum reddit sacerdotem
Eius desponsatio.

2 a. Capillorum angelorum
Vestitur suffragio;

2 b. Suscitatur suffocatus
Maechus a daemonio.

3 a. O quam probat sanctam Dei
Flammarum divisio!

3 b. Sed ut agnus iugulatur
Agnes ab Aspasio.

4 a. Ergo laudes det Agneti
Haec devota contio;

4 b. Nam ut agnus sociatur
Agnes agno socio,

5. Fulgens ostenditur.

Miss. Romanum imp. Parisiis 1517. A. — Miss. Romannm imp. Parisiis 1523. B. — 4 a, 1 dent AB. — Melodie natürlich: S o s p i t a t i d e d i t a e g r o s. Dieses Schema eignet zunächst den Verbeten; die Quellen zeugen aber hier für die Verwendung als Sequenz.

110. De sancto Albano.

1. Albanus roseo cruore
compsit haec sollemnia.

2 a. Qui gratia divina
evocatus ad astra
fide atque miranda
claruit vita,

2 b. Trinitatis gloriam,
unitatis naturam
praedicans Arriana
vicit dogmata.

3 a. Studia
tam pia
gerens in fide catholica,

3 b. Ad regna
superna
lucra deportavit maxima.

4a. Post multa
exacta proelia
tyrannide [vesana]
potitur corona;

4b. Sanctorum
sancto consortio
cum martyrii palma
plena sunt gaudia.

5a. O Albane
martyr, ave,
dux in regis curia,

5b. Pelle mala,
praebe bona
in sanctorum patria,

6. Quo fruamur vita aeterna.

Miss. ms. Salisburgense saec. 15/15. Clm. Monacen. 15719. A. — Miss. ms. Sanblasianum anni 1466. Cod. S. Pauli ad Laventum ex Sanblasian. memb. 59. B. — 2b, 3 Arriam A. — 3b, 1 Initiale fehlt AB. — 5a, 3 regia B.

III. De sancto Albano.

1. Gaude, mater ecclesia,
Festa ducens sollemnia
Sancti Albani martyris.

2a. Lux advenit veneranda,
Lux in choris iubilanda
Luminosis cordibus.

2b. Cuius lacta lux dici
Refert nostrum sanctum Dei
Decantandum laudibus.

3a. Qui in caelis coronatus
Est patronus nobis datus
Iesu dono salvatoris.

3b. O quam purus adolevit
Puer sanctus, cum quo crevit
Mentis innocentia.

4a. Adulescens amplexatur
Literarum studia,

4b. Alienus et immunis
Ab omni lascivia.

5a. Hunc divinus adimplevit
Spiritus, in quo quievit
Ab eius infantia.

5b. Fit salutis speculum
Morumque spectaculum,
Vas virtutum omnium.

6a. Carnis pudicitiam
Et baptismi gratiam
Conservat viriliter.

6b. In studiis sic profecit,
Quod profunda patefecit
Arcana divinorum

7a. Laurea digne insignitus,
Plene certe eruditus
Supra multos magistrorum,

7b. Verbi semen seminavit
Errores exterminavit
Verbo pugnans fortiter.

8a. Hic est mitis atque fortis
Victor mortis,
Dei pollens gratia,

8b. Qui labores et sudores
Et dolores
Pertulit pro gloria.

9a. Cum non cedit hostibus
Resistens haeresibus,
Iusti sanguis funditur.

9b. Prodit martyr conflicturus,
Sub securi stat securus,
Consummatur gladio.

10. Se cadaver non erexit,
Truncus truncum caput vexit,
Quo ferentem hoc direxit
Angelorum legio.

11 a. Stupenda patent signa
Post mortem quam in vita
Divinae potestatis;

11 b. Quae, naturam dum transcendunt,
Argumenta clara reddunt
Huius vitae sanctitatis.

12 a. Vita functi reducuntur,
Claudi, caeci reponuntur
Membrorum ad officia.

12 b. Surdi, muti reparantur,
Aegri cuncti liberantur
Per ipsius suffragia.

13 a. Albane, doctor veritatis,
Veni cum dulcedine
Et in regno claritatis
Duc tuo precamine.

13 b. Mane nobis tunc auditam
Fac Dei clementiam,
Ad aeternam perduc vitam
Per divinam gratiam.

14 a. O interpres verbi Dei,
Ad caelestis nos diei
Perduc luminaria.

14 b. Nos ad portum ex hoc fluctu,
Nos ad risum ex hoc luctu
Tua trahat gratia.

Grad. ms. Mosaetraiectense saec. 15. Cod. Hagen. J 7. — 2b, 2 nostro sancto. — 9a, 2 haereticis. — Die Sequenz ist ein Muster, wie aus zusammengetragenen Bruchstücken ein neues Ganzes schlecht zusammengeflickt wird. Die Melodie soll sein: „Lauda Sion“; aber wie? Es stehen sich musikalisch parallel gegenüber: Str. 1 u. 2a; 2b u. 3a; 3b + 4a + 4b u. 5a + 5b!; 10 u. 11a!; 11b u. 12a; 12b u. 13a!; 13b, 14a u. 14b werden unter die gleiche Melodie gezwungen. — Aus technischen Gründen habe ich davon abgesehen, diesen Parallelismus der Melodie bei Anordnung der Strophen zur Anschauung zu bringen.

112. De sancto Alexio.

1 a. Phaleratus vitiis
Hostis, praegnans exitiis,
Prostratus est supinus,
Dum stupor mirificus
Deificus
Mundum cupivit minus.

1 b. Linquens patris palatium
Sponsae fugit solacium,
Spretum amictum sumens
Mendicando pascitur,
Qui noscitur
Ut princeps gazis tumens.

2 a. Adoptati
Lucis nati,
[Hunc] canite psallendo;
Trabea carnis latuit,
Altissimo quo placuit
Angelice vivendo.

2 b. Navem mari
Scandens lari
Dulci renuntiavit,
Civitatem in Edissam
Venit vestem portans scissam;
Se foribus aptavit

3 a. Virginis basilicae
Mariae, matris piae,
Victum quaerens mendice,
Deifice,
Cum annis ibi decem septem,
Marcebat ut despectus.

3 b. Sanctus tandem proditus
Venerabatur die,
Aufugebat concitus
Ut profugus,
Laodiceam sibi navem
Captabat allectus.

4 a. Tarsum volens Ciliciae
Freto remigare
Nutu Dei Romanicae
Flatu ventorum
urbi propinquare
Coepit, patrem contuens
Matremque, sponsam piam,
Quos vir Dei pertransiens
Ad patriae
caelestis tendens viam.

4 b. Patrem propter Alexium
Rogans, suum natum,
Largiri sibi ferculum,
Ut faciat hunc
Dominus beatum.
Gemens pater recipi
Mox iussit peregrinum
Ipsumque digne refici
Sibi mittens
cottidie catinum.

5 a. Servi tamen
peccato servientes,
A vetitis
cavere non valentes
Coquinae squaloribus,
Iniuriis, doloribus
Omnigenis
sanctum lacessarunt.
Qui patienter sustinens,
Grates Deo referens,
Quod pati pro eo
dignus fuit,
Qui mortis saevae
crucem non effugit.
His se tradens,
Qui fel, acetum
sibi propinarunt.

5 b. Demum labo-
ris bravium instabat,
Incognitus
annis qui latitabat
Decem atque septenis
Afflictus diversis poenis
In aula
patris Eufemiani,
Vitae totius seriem
Scribens et maneriem,
Cartulam [in] manu
sua claudens,
Fallentem mundum
deserendo gaudens,
Christo reddens
Spiritum, fraudes
vincens hostis vani.

6 a. Plangite gaudentes,
Gaudete plangentes,
Mira miranda
mente revolventes!
Venit de caelo
vox in sanctuario
„Sanctum“ dicens
„quaerite in solario
Eufemiani,
pro vobis ut oret“;
Qui inventus
vultu ut rosa floret.
Currunt ad hoc spectaculum
Papa cum Innocentio
imperatores,
Mortis cernentes iaculum
Angelica sub forma latitare,
Coruscare
Mortuum ut paradisi flores.

6 b. Cartulam cernentes
Vulgus et parentes
Extrahere de
manu non potentes,
Nisi Romanus
pontifex devotus,
Qui flens legens
palam; sic patri notus,
Matri, sponsae
primum fit tunc Alexius.
Heu, cordibus
eorum nil perplexius
Imprimitur; insaniunt,
Pilos evellunt, scindunt,
rumpunt, vestimenta,
Carnem discerpunt, laniunt,
Incitantes astantes ad ploratum,
Ululatum.
Morborum aufugiunt tormenta.

7 a. Ad templum Bonifatii
Imperatores divi,
Arcadius, Honorius,
Ac praesul Innocentius
Umeris, palmis propriis
Cum hymnis et canticis
Sanctum corpus
devotius portarunt,
Odor de quo
fragrabat dulcissimus.
Piissimus
Confessor Alexius
pro nobis sit precator.

7 b. Cui culmen palatii,
Ubi de fonte rivi
Emanant purissimi,
Qui Christus est, dulcissimi,
Post hoc Vae fac, ut scandamus,
Barathri ne nos hamus
Mergat, sed qui
canere non cessarunt
„Sanctus, Sanctus“,
nos laetos suscipiant,
Alliciant,
In aevum ubi trinus (et unus)
regnat orbis plasmator.

Miss. ms. incert. origin. anni 1363. Cod. Musaei Hung. Pestinen. 91. A. — Miss. Misnense imp. Lipsiae 1510. B. — 1 a, 2 pugnans B. — 2 b, 1 sq. scandens mari B. — 2 b, 2 sq. dulci lari B. — 3 a, 3 petens A. — 3 a, 5 decem ibi B. — 4 b, 1 sq. fehlt A, weil die Hs. beschädigt ist. — 5 a, 8 lacesserunt B (Korrektur!). — 5 a, 11 Qui pati A. — 5 b, 5 et septenis B. — 5 b, 8 regis A. — 6 a, 1 Die erste Silbe von Plangite fehlt A. — 6 a, 4 recolentes A. — 6 a, 20 florem A. — 6 b, 16 laniant (Korrektur!) B. — 6 b, 17 Incitant A. — 6 b, 19 ab aegris fugiunt fomenta AB. — 7 a, 2 Imperatoris B. — 7 b, 8 cessant B.

113. De sancto Alexio.

1 a. Mundi pompae contemptorem,
Verae doxae dilectorem
Laudemus Alexium,

1 b. Paupertatis amatorem,
Castitatis servatorem
Penitus innoxium.

2 a. Hic pauper voluntarius,
Quod bonum nunc est rarius,
Fuit in divitiis;

2 b. Sed Christo fore carius
In multis evidentius
Patuit prodigiis.

3 a. Esse domi sponsae iunctus
Potuit et iuste functus
Sacro matrimonio;

3 b. Sacro flamine perunctus
Hanc reliquit, pauper cunctus
Spreto patrimonio.

4 a. Spernens noxia cum Saulo
Vovit licita cum Paulo
Studiose quaerere.

4 b. Navem scandit dato naulo,
Ut sic terram sanctam paulo
Posset post invisere.

5 a. Hunc uterque parens plorat,
Et medullitus implorat
Pro salute filii;

5 b. Sancta sponsa cum his orat,
Cuius mentem dolor forat
Coniugis exsilii.

6 a. Degentem cum pauperibus
Orantem et frequentius
Mentis flexo poplite

6 b. Per novenos uno minus
Annos hunc Edissae sinus
Fovit, urbis Syriae.

7 a. Virum custos non sinebat
Hunc orare, dum volebat,
Semper in ecclesia;

7 b. Qui, dum laesus sic tacebat,
Illum semel arguebat
Virginis iconia.

8a. Ab Edissa post recedit,
Vanitati vanae cedit
Tarsum volens petere;

8b. Ostiae sed sic accedit
Nutu Dei et procedit
Patris domum visere.

9a. Hospes factus in propria,
Mundi quaerens opprobria,
Incognitus latebat;

9b. Caeli terebat atria
Pernoctans in vigilia
Carnemque premebat.

10a. Migraturus ad aethera
Nomen scribit et munera,
Quae sponsae dereliquit;

10b. Mortisque solvens foedera,
Invisus scribens opera
Sancta mundum reliquit.

11a. Nolens tamen sic latere
Rex caelorum hunc patere
Voce fecit caelica,

11b. Quae papam et reges vere
Provocavit hunc videre
Suavitate melica.

12a. Quem inventum venerantur,
Cartam legunt et scrutantur,
Quae vir Dei scripserat;

12b. Sed parentes lamentantur
Et pro nato cruciantur,
Sponsa crines lacerat.

13a. Tumulatus cum honore
Planctus fugat cum dolore;
Templo Bonifatii

13b. Martyris laudatur ore,
Cunctorum replens odore
Patriam solacii.

14a. Caecus videt, mutus fatur,
Surdus audit et laetatur
Tuis sanctis precibus,

14b. O Alexi, venerantur
Qui te, fac, ut decernantur
Cum beatis omnibus.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellens. 9786—90. A. — Oration. ms. Windesheimense anni 1508. Hs. der Wiener k. u. k. Familien-Fidei-Kommifs-Bibliothek 7955 B. — 1a, 2 delectorem A. — 4a, 3 Studiose gratiae B. — 6b, 2 huic B. — 8a, 2 navi cedit B. — 9a, 2 gerens B. — 9b, 1 tenebat B. — 12a, 3 Quam A. — 14b, 1 veneratur A. — 14b, 2 decernatur A; decorantur B. — Cfr. Anal. Bolland. VI, 392.

114. De sancto Amore.

1. Eia, nunc promanus
Domino laudes dignas,

2a. Hanc diem sanctam qui suo
initiavit
venerari Amori;

2b. In qua mortem reliquerat
ac vitam felix
sumpserat florigeram.

3a. Hodie saeculo
est abreptus
atque vectus
caelorum altis sedibus;

3b. Quae olim lacrimans
seminavit,
pergaudendo
feliciter nunc colligit.

4a. Nam mitis, castus,
dulcis, benignus
fuit et quietus
et pacificus;

4b. Et totas mundi
spreverat pompas
caelorum quaesivit
et divitias.

5 a. Patrem atque matrem deserens
patriamque tunc respuens,
5 b. Exsul esset huic saeculo
et tutus coram Domino.
6 a. Et iam huic factus advena
nunc constat caelicola,
6 b. Secutus pium verbigenam
tenet, ecce, palmulam.
7 a. Israelita verus,
in quo non erat dolus,
refulgebat virtutum
dote praevius.
7 b. Caecis visum praebebat
languidosque curabat
daemonesque fugavit,
captos redemit.
8 a. Talibus gradibus
caeli scandebat ascensus,
8 b. Ubi cum Domino
potitur vero gaudio.
9 a. [O] patrone noster
unice,
tu ad nos respice
semper mitissime;
9 b. Tu nobis sedulo
insere,
quo tibi possimus
iure deservire.
10 a. Hostem fuga,
pacem dona,
crimen nostrum relaxa,
10 b. Ut post metam
huius vitae
iter caeli scandere

11. Mereamur Christo donante.

Miss. ms. Mosaetraiectense saec. 15. Cod. Hagen. I 10 A. — Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. B. — 2 a, 1 sibi B. — 2 a, 2 iudicavit A; eine Silbe zu wenig. — 2 b, 1 morte A. — 2 b, 2 atque AB. — 3 a, 2 ademptus A. — 3 b, 4 collegit A. — 6 a, 1 iam fehlt AB; hic B. — 8 b, 1 Ibi B. — 9 a, 1 tu fehlt A. — 9 b, 1 In B; visere B. — 10 a fehlt B. — 10 b, 3 caelo B. — Melodie offenbar: E i a turm a. Im Verhältnis zur Stammsequenz zeigt 4 a, 2 und 4 b, 2 eine Silbe zu viel,. 8 a, 2 und 8 b, 2 sowie 9 a, 3 und 9 b, 3 hingegen eine zu wenig. — Cfr. Anal. Bolland. VI, 393.

115. De sancto Andrea.

1. Pater summe,

2 a. Praeconia
reddimus tibi debita,
2 b. Ut valeant
eadem fore placita.
3 a. Est namque dignum,
ut lauderis
ab ecclesia,
3 b. Pro qua cruoris
effusa sunt
sacra flumina.
4 a. Tu quippe scelera
eius lavisti maligna,
4 b. Quae erat squalida
ante baptismata sacra.
5 a. Talibus pro pietatis
donis reddit vota
5 b. Et supra stellarum loca
dirigit cantica,
6 a. Quibus poscit
tuam adipisci
misericordiam.
6 b. Una, sancta
trinitas, relaxa
nostra facinora

7. Andreae sancti sacra
per merita.

Grad. ms. Bobbiense saec. 12. Cod. Taurinen. F IV 18. — 2 a, 1 Praeconiam. — 2 a, 2 debitam. — 5 a, 1 proprietatem. — 6 b, 1 sq. Una trinitas sancta.

116. De sancto Andrea.

1 a. Exsultantes concinamus
Triformi concordia,

1 b. Plausu mentis, oris, vocis
Andreae praeconia.

2 a. Hic virilis nuncupatus,
Piscens, hamans est hamatus,
Captus hamo gratiae.

2 b. Nam dum rete ducebatur,
Pisces trahens trahebatur
Ad doctrinam gloriae.

3 a. Fit piscator
Novus pastor,
Sequens regem
Quaerit gregem,
Quem errantem didicit.

3 b. Hic non iustus
Factus iustus
Reddit sanos,
Quos non sanos
Resanandos conspicit.

4 a. Lex invito suffragatur,
Lumen caeco reparatur,
Ac de morte suscitatur
Natus ex Demetrio.

4 b. Matris pudor incitatur,
Christi fides augmentatur,
Stat in cena, reformatur
Fugato daemonio.

5 a. Mirantur hunc Byzantium,
Philippi, Nicomedia,
Mare, litus, navigium,
Macedones, Achaia;

5 b. Et confines admirantur
Aegris salute reddita,
Gaudent cuncti, gloriantur
Vita defunctis praestita.

6 a. Dum Marmedon gens vesana
Servos Dei cibum quaerit,
Christo nata via plana
Moriturus vitam gerit
Custodum exitio.

6 b. Dum dissolvit, hic ligatur
Catenatis substitutus,
Poenam demens poenae datur
Volens, in agone tutus
Christi ministerio.

7 a. Duri gente,
Duri mente
Dure castigantur
Eorum nequitia.

7 b. Mira poena,
Mira vena,
Mire suffocantur
Spreta Dei gratia.

8 a. Patras, finis victoriae,
Parat coronam gloriae,
Dum docet, dum recluditur,
Dum cruci vinctus figitur.

8 b. Nam pendens Dei nuntius
Turbas docet instantius;
Rogant omnes proconsulem,
Ut reddat eis praesulem.

9 a. Crucis triumphus quaeritur,
Nec se deponi patitur,
Sed vita in hac redditur
Magistri per mysteria.

9 b. Corpus almum diligitur,
Per Maximillam tollitur,
Terrae conditum traditur
Odorum cum fragrantia.

9 c. Aegeathas arripitur,
Praecipitatus moritur,
Frater ad fidem ducitur
Spreta eius perfidia.

10 a. O Andrea, frons herilis,
Sancte pater et virilis,
Sis nobis ad veniam;

10 b. Nobis esto suffragator,
Dux, lux, via, sustentator
Ad aeternam patriam.

Grad. ms. Parmense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Capit. Parmen s. n. — 5 a, 2 Philippis. — 5 b, 1 has mirantur. — 6 b, 3 Poenam clemens.

117. De sanctis Angelis.

1 a. Iuga Bethel, mens, conscende,
Supernorum comprehende
Quae sit distributio;

1 b. Quam distinxit thearchia
Triplici sub ierarchia
Gradu novenario.

2 a. Igne Dei sunt ardentes
Seraphim, sed excellentes
Cherubim scientia.

2 b. Thronus Dei nominatur,
In quo caeli rex laetatur
Decernens iudicia.

3 a Hae tres primae ierarchiae
Iuncti divae monarchiae
Sunt sine distantia;

3 b. Hi divinum sunt agalma
Divinaeque mentis alma
Prae cunctis ecmagia.

4 a. Dominantes hi dicuntur,
Quorum nutu disponuntur
Actus ministrantium.

4 b. Quinque nempe subiectorum
Vicem agit ministrorum
Circa nos collegium.

5 a. Coetus inter quos Virtutum
Supra physim est ad nutum
Signa quod exhibeat.

5 b. Potestatum est arcere
Nequam omne, ne nocere,
Quantum velit, valeat.

6 a. Habent terrae personatus
Limitare Principatus
Et iura decernere.

6 b. Submovere superborum
Sedes ducum et bonorum
His datur statuere.

7 a. Mystica consiliorum
Eruditi divinorum
Nuntiant Archangeli.

7 b. Dignitas est animarum
Specialis, ut earum
Sint custodes Angeli.

8 a. Hic ornatus, hi superni
Distributi sunt ter terni
Secundum officia:

8 b. Assistunt superiores,
Circa nos inferiores
Agunt ministeria.

9 a. Purgant praelati subiectos,
Illuminant et perfectos
Fonti lucis uniunt.

9 b. Verbum sono nil diffuso
Fantur, tamen inconfuso
Sensu se percipiunt.

10 a. Ex his habet Michaelem
Primatem et Raphaelem
Medicum ecclesia,

10 b. Gabrielem robur Dei,
Per quem primum dantur ei
Salutis eulogia.

11 a. Tantis, Iesu, nos athletis
Ducibus et allocetis
Dona semper protegi.

11 b. Assint nobis in agone,
Consequendae sint coronae
Tuis archistrategi.

Sequent. ms. S. Georgii Villingensis saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 3. — 2b, 1 Throni. — 3b, 3 ethmagia; ἐχμαγεῖον = ἔχμαγμα, Abdruck. — 6a, 2 potestatus; um die Neunzahl der Chöre voll zu machen, sind hier die Principatus einzusetzen. — 6b, 1 Submonere. — 8a, 2 terceni. — 11a, 2 Zu „allocetis“ cfr. Du Cange s. v. allocatus = procurator.

118. De sancta Anna.

1a. Felix Anna, iucundare,
Regis summi venerare
Almam matrem et mirare
Tuam esse filiam.

1b. Eras enim, Anna, clausa,
Rite templo nihil ausa
Immolare legis causa,
O beata sterilis.

2a. Hoc evenit, ut mirandus,
Anna, fructus ex te dandus
Nobis esset, incarnandus
Ex quo Dei filius.

2b. Sacer fructus, sacra planta
De te venit, arca tanta;
Esto nobis, Anna, sancta
Prece tua gaudium.

3a. Alma, gaude, quae Mariam,
Regis summi natam piam
Meruisti, caeli viam,
Anna sancta, parere.

3b. Mediatrix ergo praesto,
Anna sancta, nobis esto,
Gloriosa die festo
Iam aeterne iubilas.

3c. Sis pro nobis advocata,
Tu et felix tua nata,
Esto nobis via lata,
Regis radix gloriae.

Collectan. ms. Parmense (?) saec. 15. Cod. Esten. Mutinen, XII C. 11. add. saec. 15. — 1a, 4 Esse tuam. — 1b, 1 Erat. — 1b, 2 Et in templo. — 3a, 2 Summi regis. — 3b, 4 Nam aeterne. — Schema der Sequenz wahrscheinlich: Verbum bonum mit Repetition der letzten Melodie. — Das Akrostichon, welches in der Hs. stellenweise zerstört ist, nennt uns den Verfasser: „Frater Iohannes de Parma, magister“. Es sind nicht weniger als 8 Iohannes de Parma bekannt. Unser Dichter, der sich obendrein als „magister“ bezeichnet, dürfte vielleicht der 1289 gestorbene Franziskaner-General Iohannes Buralli sein.

119. De sancta Anna.

1. Iesu, caelorum
regis, omnes
laudemus aviam
devotis carminibus,
Annam,

2a. Omni laude dignam,
quae non subiectam
originalis culpae naevo,
puram, sanctissimam concepit
peperitque Mariam.

2b. Anna, digna stirpe,
suboles nitens,
veneranda Iudae, nostris
adesto precibus iugiter,
quibus te veneramur.

3a. Nempe rex caeli
tuas, Anna, preces omnes
exaudire creditur
praestans peccatorum
omnium veniam.

3b. Nil tibi tuus
negat, Anna, nepos, cui
puritatis unicum
templum peperisti,
matrem et virginem.

4a. Excelso fulgens
throno dominatorem
caeli terraeque,
beata, nepotem
una cum filia tua
contueris.

4b. Sub tuis ergo
nobis confidentibus
alis liceat
misellis defendi,
qui tuum sedulo nomen
honoramus.

5a. Te nobiles
et ignobiles
amant, te docti
et indocti
mirum in modum
suis laudibus
devote prosequentes
matrem reginae caeli
sanctam praedicant,
immolantes ad aram
cum prece tuum nepotulum.

5b. Rex hominum
et angelorum,
Deus, creator
omnipotens,
tuis subdidit
cuncta nutibus;
te, matrem genetricis
suae, post eam fecit
potentissimam;
ergo clamant te iure
caeli cives dignam laudibus.

6a. In caelo potens
succurre, mater
Anna, famulorum
paupertati,
qui sincera mente,
precibus et votis
tui nominis sacri
memoriam
devoti veneramur.

6b. Te nostros omnes
curare morbos,
[Anna,] confitemur
corporales
et mentales posse
cunctaque reorum
delicta tuis sacris
precibus
in caelis emundare.

7a. Eia, nunc tuum
pro nobis ora nepotem.

7b. Magne rex, salva
nos aviae ob honorem.

8a. Intende nostris precibus,
quas piae mentis oculo
ad te deferimus,

8b. Ut dones Annae meritis
felicem vitae terminum,
quem [a te] petimus.

9. Salve, nuptarum decus
sanctissimum,
afflictorum
spes et solacium;
Anna, aeterni regis avia,
per te sit nobis gloria.

Oration. ms. Underdorfense saec. 15. ex. Clm. Monacen. 7834. — 2a, 3 fehlt eine Silbe. — 3a, 2 Anna fehlt. — 6b, 8 l. precatibus? — Im Akrostichon „Ioannes Tritemius“ nennt der Verfasser seinen Namen. Das Schema der Sequenzen erster Epoche weist sonst nie ein Akrostichon auf. — Melodie natürlich: Ave praeclara.

120. De sancto Ansano.

1 a. Nobili prosapia
Prodiit Ansanus,
Quem de gente devia
Traxit Dei manus,
Dia luce praevia
Praeest christianus.

1 b. Illustratus lumine
Fidei sereno
Et divino flamine
Erat corde pleno,
Stabat in certamine
Velut in amoeno.

2 a. Carcere et vinculis
Deum non negavit,
Immo locis patulis
Constans praedicavit,
Quem Deus miraculis
Plene illustravit.

2 b. Sanctus charismatibus
Sic est illustratus:
Dum postulat vocibus
Oculis orbatus,
Statim sancti precibus
Est illuminatus.

3 a. Pro quo sanctus angitur
Ab imperatore,
Carcere includitur
Torquendus livore,
Mox inde egreditur
Angelo ductore.

3 b. Demum Roma exiens
Morabatur Senis,
Quem Lysias audiens
Artavit catenis
In Ansanum saeviens
Cum immensis poenis.

4 a. Gaudet felix civitas
Tali viro dotata,
Quo est cunctis sanitas
Infirmis collata,
Et multorum caecitas
Est illuminata.

4 b. Ex quo martyr traditur
Igne cruciari
Et, quia non laeditur,
Iubet decollari,
Sancto fine moritur
Dignus honorari.

5 a. O Ansane, gratiam
Postula devotis,
Qui colunt memoriam
Tuam plenis votis;
Veniant ad gloriam
Qui stant a remotis.

5 b. Creatori omnium
Laudes sint immensae,
Qui per Christum filium
Commune Senense
Deducat ad prandium
Angelicae mensae.

Grad. ms. Senense saec. 14. Cod. Cathedr. Senen. s. n. A. — Grad. ms. Senense saec. 15. Cod. Cathedr. Senen. 11. B. — Sequent. et Hymn. ms. Carmeli Senensis saec. 14. Cod. Senen. G III 2 C. — 1a, 6 Est B. — 2a, 2 Diu non C. — 2b, 1 Sanctis BC. — 2b, 5 sanctis AB. — 4a, 3 Que est C.

121. De ss. Ansano, Savino, Crescentio, Victore.

1 a. Cum ingenti iubilo
Canticum eructet
Devotoque modulo
Coetui decantet
Sanctorum, radiolo
Sena quo relucet.

1 b. Ansano christicolae
Primo melodia,
Senarum agricolae
Iussione dia,
Metrum honorabile
Det votaque pia.

2 a. Tibi grates reddimus,
Inclite patrone,
Nam, per te qui credimus,
Dabuntur coronae,
Bona si egerimus,
In caeli balcone.

2 b. Exempli mirifici
Vigilem pastorem,
Savinum, veridici
Sermonis doctorem,
Honoret dominici
Gregis bellatorem.

3 a. Savine doctissime,
Tribue doctrinam
Vitandi cautissime
Mundanam ruinam,
Servandi tutissime
Fidei carinam.

3 b. Sit memor martyrii
Pueri beati
Undeni Crescentii,
Urbe alma nati,
Pro poenis supplicii
Caelo coronati.

4 a. Te, quem novo ordine
Misit Deus Senas,
Precamur hoc carmine,
Aufer nobis poenas,
Crescenti, cum lumine
Gratiae da venas.

4 b. Militis fortissimas
Siculi Victoris
Poenas inclitissimas
Penset corde, choris,
Quas tulit asperrimas
Zelo creatoris.

5 a. Largire potentiam,
Victor, ut serpentis
Possimus proterviam
Delere mordentis,
Qui ad tis custodiam
Sumus defendentis.

5 b. Summa Dei bonitas
Laude veneretur,
Qua quaterna sanctitas
Senis retinetur,
Ut eius auctoritas
Semper invocetur.

Sequent. et Hymnar. ms. Carmeli Senensis saec. 14. Cod. Senen. G III 2. — 2 a, 6 palcone. — 4 b, 4 cordis coris.

122. De sancto Antonino.

1 a. Attollamus Deum verum
In sanctorum gestis rerum
Cunctarumque creatorem;

1 b. Collaudemus hunc, in sanctis
Illo dante nos quem tantis
Novimus triumphatorem.

2 a. Huius ergo bonitatis
Agamus memoriam,
Qui cum palma post laborem
Sanctos fert ad gloriam.

2 b. Eia, fratres, Antonini
Memoretur passio,
Qui ad laudem Dei trini
Cucurrit in stadio.

3 a. Ut tempestas cessaretur,
Nec a pravis vexaretur
Honestorum contio,

3 b. Vinctis martyr praedicabat,
Lapsis iter dedicabat
Plures monstrans Domino.

4 a. Perlustratis multis pridem
Sumpta cruce martyr idem
Christum sequi properabat,

4 b. Dei laudibus insistens
Sceleratis aut resistens
Hostes Christi superabat.

5 a. Duce ductus caelico
Populo catholico
Nuntiat prophetico
Finem sanctus ore.

5 b. Ululat, flet populus
Hoc audito querulus,
Christo preces sedulus
Fundit pro pastore.

6 a. Quo frendebat gens, pius
Sese miles transtulit,
Quae pollutis manibus
Hunc ad fana compulit.

6 b. Recusati ritus eius
Nequam plebs irascitur;
Antoninus propter fidem
Membratim dividitur.

7 a. Sic per ista
Agonista
Perrexit ad gloriam.

7 b. Benedictus
Iesus Christus,
Qui dedit victoriam.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellens. 9786—90. — 1 b, 2 qui. — 2 a, 3 der Reim ist nicht gewahrt; dasselbe gilt von 6 b, 3. — 5 a, 1 Dulce. — Cfr. Anal. Bolland. VI, 395.

123. De sancto Antonino Ep.

1. Antonino magno laudes
concinant christiani.

2 a. O praesul mitissime,
tuis Christo precibus
reconciliemur
peccatores.

2 b. Mors et vita caelesti
refulsere nitore,
vivens et mortuus
micat signis.

3 a. Da, pastor benigne,
Doctor clemens et digne,
Muniri nos hic viventes,
Non deseri abs
te morientes.

3 b. Virtutum da vestes,
Culparum tolle pestes,
Doctrinae lampas et morum,
Noctem disperge
densam errorum.

4 a. Credendum est esse
illum nunc magnum in caelo,
Qui tanto
Christi exarsit zelo.

4 b. Scimus te gemina
ornatum gloria vere,
O virgo,
o doctor, nos intuere.

5. Alleluia.

Prosar. ms. Pisciacense saec. 15. Cod. Londin. Egert. 2601. A. — Miss. Praedicatorum imp. 15** (unvollst. Exemplar), B. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1600. C. — Miss. Romanum imp. 1545 (Luc. Ant. Iunte heredes). D. — 2 a, 3 reconcilientur BCD. — 2 b, 3 vivens fehlt AC. — 2 b, 4 nitet C. — 3 a, 4 Non deleri D. — 3 b, 1 Virtutum munda C. — 3 b, 3 sq noctem morum C. — Melodie natürlich: Victimae paschali.

124. De sancto Antonio.

1 a. Psallat voce laetabunda,
Solvat odas manu munda
Sacra cleri contio;

1 b. Plebs Minorum astans laeta,
Laudans absque laudis meta
Iubilet Antonio.

2 a. Ex Hispanis stella micat,
Cuius mundi lux extricat
Erroris phantasticum.

2 b. Arca legi consecratur,
Intus foris deauratur,
Manna spirat mysticum.

3 a. Crucifixi verax testis
Mutat ritum victus, vestis
Sub Francisci regula

3 b. In armatum ruit fortem,
Ut pro morte reddat mortem,
Ensi parat iugula.

4 a. Audax praeco veritatis
Non personae, non aetatis
Demulcetur gratia;

4 b. Aequae lancis pauper, dives,
Peregrini, sive cives,
Plectuntur sententia.

5 a. Surdus, mutus, claudus, caecus,
Epilensis, latro, maechus
Vim virtutis sentiunt;

5 b. Morbi, pestes et, quae restant,
Argumenta laudis praestant,
Dum pulsa diffugiunt.

6 a. Eia, pater supplicantum,
Audi vota, cerne planctum,
Nos ad chorum duc cantantum
In excelsis G l o r i a.

6 b. Quo sequamur iuncti spei
Et in domo requiei
Collocemur dono Dei;
A m e n dicant omnia.

Miss. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXX (13). A. — Sequent. ms. S. Georgii Villingensis saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 3. B. — Die 2 ersten Strophen lauten in B:

1 a. Psallat voce laetabunda
Sacer coetus, mente munda
Iubilet Antonio.

1 b. Cultor legis, norma morum,
Pastor gregis, dux Minorum,
Novo sidus radio.

2a, 1 Iam Franciscus prole micat B. — 3a, 3 Natus patris aemulus B. — 3b, 3 Crucis Christi baiulus B. — 4c, 1 Summae praeco B. — 6 b, 1 vincti spei B.

125. De sancto Antonio.

1 a. Olim mundo minoratus,
In supernis coronatus
Exsultat Antonius.

1 b. Cur quaeruntur hic honores?
En, honorum contemptores
Honorantur amplius.

2 a. Spretis mundi blandimentis
Hic in manu blandientis
Maechae liquit pallium;

2 b. Se denudans vestimentis
Parvipendit illudentis
Nihil improperium.

3 a. Augustini tenens normam,
Post vivendi mutans formam,
Ad Minores transiit;

3 b. Sub Francisco patre degens
Et pro Christo factus egens
Caelum dives adiit.

4 a. Intus Deo parans templum,
Foris formam et exemplum
Dedit sanctimoniae,

4 b. Dans virtutum viam, morum,
Victor fuit vitiorum,
Carnis, paenitentiae.

5 a. Hic superni praeco regis
Tuba tonans novae legis
Flagrabat ut facula;

5 b. Magnos monet et pusillos
Non palpando hos vel illos,
Aeque librans singula.

6 a. Caeci vident, muti fantur,
Et defuncti suscitantur
Per ipsius merita.

6 b. Maris sedat tempestates,
Aegris praestat sanitates
Redditque deperdita.

7 a. O Antoni, flos Minorum,
Miserere miserorum,
Nos de caelis respice.

7 b. Da triumphum vitiorum
Et in via mandatorum
Gressus nostros perfice.

Grad. ms. Franciscanum saec. 14. Cod. Roman. Vitt. Eman. XX (Varia 290). A. — Miss. Romano-Franciscanum imp. Lugduni 1535 B. — Steht auch in: Miss. ms. Franciscanum saec. 14. Cod. Carpentoracen. 107. — Prosar. ms. Franciscanum saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Parisin. 1339. — 1 b, 2 bonorum A. — 2 a u. 2 b fehlen B. — 3 b, 2 degens A. — 3 b, 3 petiit B. — 4 a u. 4 b fehlen B. — 5 a, 1 supernis A. — 5 b 1 movens B. — 5 b, 2 palpabat B. — Statt Str. 6 b sqq. in B nur noch: Per hunc nobis rex caelorum | Det praemia gaudiorum | Per peccatum perdita.

126. De sancto Antonio.

1 a. Verbum bonum et suave
Cantet chorus, dicat Ave;
Plebs fidelis, iucundare
Ad sancti sollemnia;

1 b. Te nunc decet gratulari,
Quae iam cernis visitari,
Per hunc vides frequentari
Tuos fines, Padua.

2 a. Te, Antoni, tuba Dei,
Digna causa huius rei,
Supplicamus licet rei,
Sis nostrorum venia.

2 b. Stella, splendor firmamenti,
Fons hortorum, vas unguenti,
Tuae proli, tuae genti
Da salutis gaudia.

3 a. Ave, splendor Hispanorum,
Honor, decus clericorum,
Tu cunctorum via morum,
Salus et refugium.

3 b. O Antoni, flos sanctorum,
Spes, solamen miserorum,
Sancte pater, sis nostrorum
Memor ante Dominum.

Cant. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. — 2 b, 4 gaudium. — Melodie natürlich: Verbum bonum.

127. De sancto Antonio Eremita.

1 a. Oriundus
Aegyptoque vacabundus
Energia

1 b. Patrem patrum
Coluit in mundo mundus,
Res miranda.

2 a. Firmus evangelii
Mansit sine crimine
Puer cella.

2 b. Stella cunctis eminens
Bonis et oboediens,
Semper clara.

3 a. Ignis per incendium
Dat aegris remedium
Pari forma.

3 b. Antonii taedio
Non fuit daemonio
Mens corrupta.

4 a. Lucis ardor clibani
Vere fuit sub typo
Valle nostra.

4 b. Nam auri vilissimi
Zelo Dei motus est
Carne prompta.

5 a. Marcianus oravit,
Pro filia cecinit,
Sed nec fides desinit
Esse mera.

5 b. Miris cum martyribus
Atque confessoribus
Splendet hic virtutibus
Per praedicta.

6 a. Excelsum re vera
Docet hunc litera,
Poenas sustulit
et aspera.

6 b. Antoni, propera,
Tua per opera
Pro nobis ores
ad aethera.

Miss. Tullense imp. Tullii 1551. — Melodie offenbar: Laetabundus.

128. De sancto Apollinare.

1. Ecce, beatus
alumnos harmonica
nos cogit suos hodie
laudis cum decore

2 a. Apollinaris
carmina sibi reboare;

2 b. Qui, cum a Petro
missus fuisset apostolo

3 a. Ravennam, coepit
praedicare
baptismum populo.

3 b. Mox Irenaei
restauravit
gemina nati lumina.

4 a. Tribuni quoque
adepta est priscae
coniunx salutis gratiam.

4 b. Praecipiente ipso
vanuit deserens
puellam nequam spiritus.

5 a. Os nobilis viri mutum
vinculi
solvit nexibus.

5 b. Christicolarum denique
sic turba
augebatur plurima.

6 a. Patricii natam
Rufi commovens
threnara ad vitae
revexit lumina.

6 b. Leprosus quidam
ab eodem
praeteritae cutis
sumpsit gratiam.

7 a. Quem cernens paganorum
augere tanta
cuneus

7 b. Diversis caesum flagris
tradidit neci
senium.

8 a. Quaesumus, tuis, pastor,
suffragiis nostri laxa
noxam criminis,

8 b. Quo duce te mereamur
alta polorum
scandere templa.

9. Tu cuncta praesta
nobis gaudia.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen. O I N 7. A. — Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Patavin. A 47. B. — 1, 1 beatos B. — 2a, 2 Apolenaris AB. — 4a, 2 quod adepta B; prisca B (vielleicht Eigenname Prisca; alsdann wäre priscae unter die Varianten zu verweisen). — 4b, 1 ipse A. — 4b, 2 evanuit B. — 5a, 2 vinculis B. — 5b, 3 augeatur B. — 6a, 3 vita A. — 6b, 3 sq. sumpsit cutis B. — 8a, 1 Quaesumus tu pastor A. — 8a, 2 nostris AB. — 8b, 3 celsa über templa geschrieben A. — Wenn überhaupt, so bietet namentlich hier nur die Melodie die feste Grundlage für die Abteilung der parallelen Klauseln. — Ich habe jene Silben durch den Druck hervorgehoben, die mit der korrespondierenden Parallelzeile nicht gleiche Melodie haben. Stellenweise (wie 6a, 1 u. 6a, 2) ist eine Silbe Überschufs; dort ist in der Melodie einfach die entsprechende Note verdoppelt. Das Nähere wird der Band mit den Melodieen der Sequenzen lehren.

129. De sancto Arnulpho.

1. Collaudet chorus iste
regem caeli, terrae Dominum,

2a. Vocibus alternis
harmonicisque modulis

2b. Praesulis Arnulphi
sollemnitate celebri.

3a. Hic quondam Troiano
stemmate progenitus
emicuit,

3b. Principumque primus
produxit nobiliter
exercitum.

4a. Hoc parente prodeunt
saeculo
duo clara lumina:

4b. Ecclesiae pontifex
fuerat,
alter aulae signifer.

5a. Quam, Domine, mira
tua sunt consilia!
Qui crimine pressis
miseris mortalibus
tanta solamina
praeparas.

5b. En, hominem saecli
vinculis implicatum,
Mox securum bellis,
liberis, coniugio,
sanctae ecclesiae
praeficis.

6a. O pastor insignis,
o dominici cultor
sanctissime iugeris,

6b. Quantas animarum
fruges Domino plenis
(trans)miseras manipulis!

7a. Tu castae vitae specimen
coniugatis,
recti regula palatinis,
iustitiae forma
micueras clericis.

7b. Tu pridem spreta saeculi
dignitate,
linquens deinde praesulatum
te monachis normam
virginibusque praebes.

8a. Ergo vota persolventes
te poscimus
iam nunc, egregie
[Arnulphe] pontifex,

8b. Christum roges pro famulis,
quo veniam
det, mala (cuncta) auferat
et bona conferat;

9. Conservet
cum populo clerum,
donet omnibus pacem
vitamque perennem.

Miss. ms. S. Arnulphi Metensis anni 1342. Cod. Meten. 42. A. — Miss. ms. S. Arnulphi Metensis anni 1321. Cod. Meten. 133 B. — Miss. ms. S. Arnulphi saec. 14. Cod. Meten. 219. C. — 4b, 3 alter autem AB. — A enthält die Melodie.

130. De sancto Augustino.

1. Splendescit hodierna
dies ingenti laetitia,

2a. In qua catholica
gloriatur ecclesia,

2b. Atque angelica
in caelis ovant agmina,

3a. Augustini festa,
patris nostri,
renovando celebria,

3b. De cuius doctrina
ecclesia
fulget per mundi climata.

4a. Cuius eloquia
redolent ultra
thymiamata,

4b. Studens qui carmina
scripsit multa
valde utilia.

5a. Clericos norma
indidit vivere congrua,
Ut communia
essent omnia
quaeque sua,
nec haberent ultra propria.

5b. Gaudet Africa
de tanto patrono praedita
Atque civitas
Hipponis illa,
quae doctrina
claruit illius sedula.

6a. Ergo nostra chorea
resultet carmina
Domino cum cantu
rhythmica;

6b. Sit voci mens consona,
ut placeant nostra,
quae Deo pangimus,
cantica.

7a. Omnes una
conclamemus voce celsa,
mente fida, fide pura,
ut in terra Deus nostra
regat opera,

7b. Qui haec festa
sancti sui gloriosa
cebramus atque digna
et in caelo nos aeterna
ditet gloria.

8a. O beate Augustine,
praesul digne,
nos tua iuvent suffragia;

8b. Tu praesulum flos et gemma,
prece pia
pro nobis Dominum supplica,

9a. Ut nostra exaudiat
clemens precamina

9b. Et ducat ad caelica
regna, quo laetemur

10. in gloria
per cuncta saecula.

Grad. ms. Hierosolymitanum saec. 12. in. Cod. Roman. Angelic. D VII 3. A. — Miss. ms. Clarofontanum saec. 15. in. Cod. Ducis Northumbriae s. n. (nach Weale II, 526). B. — 5a, 1 Norma clericorum A: Norma clericos B; die Umstellung wahrt die Endassonanz in a. — 6a, 2 sq. Domino carmina AB. — A bietet die Melodie, nämlich: Mater. Während aber die Stammsequenz in 8b Silbenüberschufs hat, ist hier Text und Melodie von 8a und 8b ganz parallel. Die Schlufsklausel der Stammsequenz, die sich nach Silbenzahl und Melodie vollständig mit 9b+10 in unserer Sequenz deckt, ist hier durch eine Parallelstrophe 9a erweitert, die in den neun ersten Silben mit 9b gleiche Melodie aufweist.

131. De sancta Aurea.

1a. Ad Aureae sollemnia,
Pro summi regis gloria
Iam laudes et praeconia
Solvat mater ecclesia.

1b. Quae pro fidei gratia
Sponsa regis et filia
Tot pertulit opprobria
Et corporis supplicia.

2a. Post fidei primordia
Corruptionis inscia,
Post corporis supplicia
Transit ad caeli gaudia.

2b. Ergo, consors angelica,
Ut tueatur, supplica,
Nos virtute deifica
Virginis proles unica.

3. Laus tibi sit ingenito,
Laus tibi unigenito,
Laus et tibi paraclito
Virginis huius merito.

Offic. ms. Ostiense S. Aureae saec. 15. Cod. Vatican. Regin. 1949. — Nach der äufseren Form zu schliefsen möchte man in Vorstehendem einen Hymnus vermuten; auch steht es in der Hs. nicht innerhalb der Messe, sondern nach derselben. Die Melodie jedoch bekundet den Charakter einer Sequenz, und die Überschrift lautet ebenfalls „Prosa“.

132. De sancto Balderico.

1a. Adest dies celebris,
Qua de mundi tenebris
Triumphat in patria

1b. Pater huius patriae,
Baldericus; hodie
Eius sunt sollemnia.

2a. Regali progenie
Omni carens carie
Vixit ab infantia;

2b. Sacerdos sanctissimus,
Doctor fidelissimus
Fulsit in ecclesia.

3a. Totus Deo deditus,
Mundum fugit penitus,
Dum reliquit propria;

3b. Christi crucem corpore
Tulit omni tempore
Iugi abstinentia.

4a. Claruit virtutibus
Et factis insignibus,
Mundi vicit vitia.

4b. Quem post carnis onera
Christus super aethera
Invitat ad praemia.

5 a. O sancte Balderice,
Fidei catholicae
Lumen Dei gratia,

5 b. Christum, lumen, Dominum,
Fac nobis propitium
Tua per suffragia.

Miss. Rhemense imp. Rhemis 1553. — Melodie: Veni sancte spiritus.

133. De sancta Barbara.

1. Ave, praeclara
martyr sacra,
ignara
sceleris, ex gnara
prosapia orta.

2 a. Euge, Dei stella,
facie bella,
veritatis lumen
gestans, solis iustitiae
anhelans cacumen
adhuc tenella.

2 b. Virgo, robur astris,
viribus castris
dominaris limbi
ut sol in mortalia,
perflata miro
pneumatis rore.

3 a. Te plenam fide,
almae ritum prudentiae
indagantem, rigidae
turris in acie
firmavit Gabriel.

3 b. Te lignum vitae
sancto ditavit pneumate,
parituram divinae
nucis amygdalum
mox per martyrium.

4 a. Tu magnum regem,
terrae dominatorem,
vana idola
parentis horrendo
vicissim amoris ara
transformasti.

4 b. Tuque furentem
Leviathan serpentem,
castrimargiae
fautorem, collidens
damnoso crimine nullas
excessisti.

5 a. Hinc gentium
nolens colere
dulci sub cultu
memoriae
trini in uno
dissipando
delusum idolorum
ritum affectus zelo
figuraliter
passum crucis in ara
exclamans
fando moraliter.

5 b. Hinc manna verum
sitis gustando,
crucis dum merum
potas bellando,
per nulla patris
machinamenta
nec ulla blandimenta
nacta carnis cara
mente praescia
morte sentis mactandum
te dira
iam temporaliter.

6 a. Fac fontem dulcem,
quem latus caesum
Christi rivulabat,
degustare
cum sincero nisu,
vulnere
sale fricato
quem lassato
curas, baiulans
eculeum moriendo.

6 b. Fac verbo patris
nos redimita
veste polymita
triumphali
zona et polita
moribus
ita ratis
et paratis
fide, operi
virtutis inhiare.

7 a. Audi nos,
nam te virginum
sponsus gaudens honorat.

7 b. Salva nos,
Iesu, pro quibus
virgo Barbara (te) orat.

8 a. Da fontem innocentiae,
da pura mente visere
amictum iubare,

8 b. Quo hausto tunc clementiae
gyrum mens solis verius
valet attingere,

9. Christianismi fidem
operibus
redimire
corporisque esu
in carne praemuniri
obtine,
culmen pacis adire.

Collect ms. Altahense saec. 15. Clm. Monacen. 9508. A. — Collect. ms. Eremitarum S. Augustini saec. 15. Cod. Palat. Vindob. 5094. B. — 1, 2 mater Sara. B. — 2 b, 3 lumbi B. — 2 b, 4 ut sol minoralia B. — 2 b, 6 pneumatisque celi A. — 3 a, 2 providentiae B. — 3 b, 2 cibavit A. — 3 b, 3 divini A. — 3 b, 4 natus amygdalum A; nutus amygdalum B. — 3 b, 5 permox martyrium B; per morum martyrium A. — 4 a, 3 vaga B. — 4 b, 1 verentem B. — 5 a, 2 credere A. — 5 a, 8 rictum B. — 5 b, 5 parvulam A. — 5 b, 10 mortis A. — 5 b, 12 intemporaliter AB. — 6 a, 7 fricato vale A; fricato sale B. — 6 a, 8 quem lassaturas B. — 6 b, 6 viribus A. — 6 b, 7 ita cactis et A. — 6 b, 8 pacatis A. — 6 b, 9 opere AB. — 9, 6 optime. — In B steht der Anfang der Sequenz fol. 161 a sq., die Fortsetzung fol. 159 a. — Mel.: Ave praeclara maris stella.

134. De sancta Barbara.

1. Ave, praeclara
stirpe nata,
rutilans aurora,
Barbara, summo regi grata.

2 a. Euge, dulcorosa
rubens ut rosa,
ex spina procedens,
sed spinae nescia,
sincera fide
nitens in orbe.

2 b. Virgo, flos virtutum,
pudoris scutum,
saecli vanitates
discerptans provido
cursu, numina
vana refutans.

3 a. Te plenam fide
almi pneumatis virore
agnus vitae perlustrans
amictu velleris
sui contexerat.

3 b. Te pater atrox,
Satan fallax, mundus vorax
elidere desudant,
mella palliantes
artis ingenio.

4 a. Tu agnum verum
baptismate renata
es amplexata,
marmori praeduro
victricis vexillum crucis
invocando.

4 b. Tuque in turre
expolita structuris,
dum profiteris
trinos fore unum,
fenestram adiecisti trinam
voto mero.

5 a. Hinc gentibus
stupor adcurrat,
nam haec virgo
ut ovis perdurat
inter frendentes
lupos, nec tamen
ipsorum
voragines abhorret,
sed claro
plectro cordis et oris
agno suo cruento
colludit ipsumque sequitur.

5 b. Hinc novum mirum
mire graditur,
lupus atrox
ab agna vincitur,
stridet, fremit ac
rugit, tenellam
peroptans
devorare puellam,
sed stratus
ab illa ingemuit,
et haec virgo resultat
agno suo dans libamina.

6 a. Fac, clamat pater,
o, quaeso, praeses,
istam rebellantem
natam meam,
Christum adamantem,
per minas, tormenta
nec non flagella
numina nostra
venerari, nam haec sprevit.

6 b. Fac uber eius
pudicum ferro
evelli corpusque
distractari
equis adligatum
caputque contundi
enseque saevo
praecipitari.
Ad quae virgo ovans festinat.

7 a. Audi nos,
florum flos,
pro quo haec cohors,
o benigna, te orat.

7 b. Salva nos,
caeli ros,
quos peccatorum
vastus livor devorat.

8 a. Da fontem paenitentiae,
da normam abstinentiae
teque diligere.

8 b. Quo dono tuae gratiae
ardorem Christi valeat
mens nostra induere,

9. Christianismi fidem
operibus
redimire
ad teque, spes nostra,
post vitae cursum
secure
ovans queat transire.

Miss. ms. S. Bartholomaei Friedbergensis saec. 15. Cod. Plagen. 255. A. — Miss. ms. Altovadense saec. 15. Cod. Altovaden. 119. B. — Miss. ms. Pataviense (?) saec. 14. Cod. Zwethalen. 229. add. anni 1521. C. — 2b, 2 tutum A. — 2b, 5 patris numina C. — 3a, 2 in rore C. — 3a, 3 perlustrans fehlt C. — 3b, 2 vallax C; mundusque ABC. — 4a, 2 fonte baptismatis renata AB; fonte baptismi renovata C. — 4a, 3 amplexataque es AB; amplexa es C. — 4b, 2 exspoliata A. — 4b, 3 dum fehlt ABC; profitens A. — 4b, 5 trina A. — 5a, 2 accurat C. — 5a, 7 corum C. — 5a, 11 cruento fehlt C. — 5b, 7 cupiens C. — 5b, 10 ingemit A. — 6a, 5 Christo A. — 6b, 6 praecipitare A. — 6b, 9 Atque virgo A. — 8 Str. 7a und 7b haben je drei Silben (7a, 2 und 7b, 2) mehr als die Stammsequenz, indem die vier ersten Noten der Klausel repetiert werden. — 8b, 3 Überschufs einer Silbe. — 9, 6 succurre ovans C. — Melodie: Ave praeclara maris stella.

135. De sancta Barbara.

1. Prae hominum natis
formosum angelus adfectat
et eius gerentis
imaginem nisus.

2a. Nitor paternus,
cordium penetrans
secreta,
efficit filios gratos
amoris;

2b. Nulla senectus
fluvii obstruit
meatum,
pietas ignea sudat
quem caris.

3a. Hausit ex hoc fonte
caelica fluenta
Barbara
tenerae aetatis,
dum nullo mortali tradente
trinitatis praedicat
mysteria.

3b. Sprevit mundi decus
scelerisque thorum
renuit,
idolis delusis
se patri obiecit latranti
vanitatis derogans
libamina.

4a. Ad deorum pater cultum
iturus virginis
mirae pulchritudinis
considerata
eminentia
turris iubet ut fiat.

4b. Quo tendente ad profana,
morante virgine
turris in cacumine,
trium proclamat
fenestrarum
radio orbem impleri.

5a. Genitore reverso
trium cancellorum
reperiens radium,
succensus insania
puellam innocentiae
instat ense perdere.

5b. Sed satore praesente
turris inclinatur;
exsiliens Barbara
subterfugit rabiem,
in montem velocissime
meat degens in antra.

6a. Tradidit illam Dioscoro
gregis pastor temere,
cuius Deo operante
oves fiunt locustae.

6b. Privatur veste, protrahitur
nuda, inde cyclade
caeli lucis obumbrata
visum latet vesanum.

7 a. Suspenditur eculeo,
verbere
laceratur horrido,
feritur caput malleo.

7 b. Hinc truditur in carcerem,
iubare
consolatur aetheris,
sanantur cladis stigmata.

8 a. Praesentatur praesidi,
visa medicina gratiae
clamant omnes perfidi:
En, idolorum remedia!

8 b. Revelatur iudici
diae ierarchia gloriae,
tradit morti virginem,
vox Gabrielis ut praenosticat.

9 a. Dum ad locum passionis
virgo meat laeta, more
emittens vota
petitionum,
procurat colentibus
peccatorum veniam.

9 b. Ictu caesa ensis diro
turba psallit supernorum;
caelesti rogo
consumpto patre
credidit perversorum
multitudo Domino.

10. O felix Barbara,
intra poli residens moenia,
cordis corrige amentiam,
commissorum indulgentiam
da, esum
corporis Iesu,
beatorum da gaudia perennia.

Collect. ms. Eremitarum S. Augustini saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 5094. A. Mit Melodie. — Cod. Palat. Vindobonen. 3818. saec. 15. B. — 1, 2 formosam B. — 2b, 1 Ulla B. — 3a, 5 nulla B. — 3b, 7 libamini B. — 4b, 4 ternum A. — 5b, 4 rabie A. — 8b, 2 ierarchiae B. — 9a, 4 petitionis A.

136. De sancta Barbara.

1. Psallat cum laetitia
Vocum consonantia
Die hac ecclesia.

2 a. Omnis nostra contio
Psallat cum tripudio
Ad tanta sollemnia;

2 b. Diem festum agimus
Barbarae, recolimus
Sacra natalitia.

3 a. Haec secundum saeculi
Dignitatem nobili
Nascitur prosapia.

3 b. Videns, transitoria
Quod sit mundi gloria,
Haec spernit conubia.

4 a. Mente Deum concipit,
Duas in domo conspicit
Fenestras, sed praecipit,
Ut iam fiat tertia;

4 b. Crucis facit signaculum,
Sed erit ad miraculum
Hoc omne per saeculum
In domo patria.

5 a. Planta pura
Fit figura,
Nova fons iura
Sumit plura
Dans aegris remedia.

5 b. Virgo deos
Spernens eos
Detestatur,
Iam culpatur
De fenestra tertia.

6 a. Trinitatem profitetur,
Dolet pater, commovetur,
Evanescit filia.

6 b Grex pastoris fit locustae.
Capta virgo caesa fuste
Clauditur in cellula.

7 a. Iam praesidi praesentatur.
Verum Deum protestatur,
Verberatur,
Arta damnatur
Iam carceris custodia.

7 b. Carcer resplendet lumine,
Sanat Deus plagas in virgine;
Absque fine
In certamine
Haec devovet sculptilia.

8 a. Isti latus aperitur,
Ardens lampas adponitur;
Plus punitur,
Nam tunditur
Caput, truncantur ubera.

8 b. Iam nudata agitatur,
Dei stola iam velatur,
Decollatur,
Deportatur
Ad regna caelestia.

9. Hinc aeterna
sint nobis gaudia.

Miss. ms. Leodiense saec. 15. Cod. Vatican. 3808. A. — Miss. ms. Traiectense saec. 15. Cod. Mazarin. 433 (224). B. — Miss. ms. Mosaetraiectense saec. 15. Cod. Hagen. J. 10. C. — Grad. ms. Boscoducense saec. 15. Cod. Arch. S. Ioannis Boscoducen. s. n. D. — Miss. ms. Noviomagense saec. 15. Cod. Mus. Noviomagen. I a 2 E. — Grad. ms. Aquisgranense anni 1330. Cod. Capit. Aquisgranen. XIV. F. — Miss. Leodiense imp. Delf s. a. (1485). G. — 2 a, 1 Huius E. — 2 b, 1 Diem istum A. — 3 b, 2 sint mundi gaudia G. — 3 b, 3 sprevit A. — 4 a, 1 induit E. — 5 a, 4 Sinit C. — 5 b, 2 eos fehlt A. — 6 a, 3 facia B. — 7 a, 1 Nam G. — 7 b, 1 splendet E. — 7 b, 3 Sine fine B. — 8 a, 1 Christi latus B. — 8 a, 3 fehlt B. — 8 a, 4 tonditur AB. — 8 b, 2 clam velatur B. — 8 b, 3 Decollata ACD. — F ist leider nicht kollationiert. — Die manchen Silbenüberschüsse können bei der Übereinstimmung der Quellen nicht als Textkorruption bezeichnet werden.

137. De sancta Barbara.

1 a. Virgo mitis, generosa,
Gemma caeli pretiosa,
Sponsa Christi speciosa,
Dioscori filia.

1 b. Tecum, virgo, lapis volat,
Ut sic tuus pater colat
Trinitatem, quem violat
Haeresis ludibria.

2 a. Christus eam visitavit
Et in vinclis confortavit,
Plagas eius mox sanavit,
Sana refert gratias.

2 b. Veste caeli sibi data
Migrat virgo haec beata
Sicque patris decollata
Manus sensit impias.

3 a. Ave, proles creatoris,
Ave, sponsa redemptoris,
Salve, serva salvatoris,
Angelorum nuntia.

3 b. Supplicat nunc chorus iste
Per Barbaram, pie Christe,
Irasci nobis desiste,
Qui es vera venia.

Prosar. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Andegaven. 90. A. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduen. s. n. (125). B. — Miss. ms. S. Maturini Parisini anni 1510. Cod. Mazarin. 430 (233). C. — Grad. ms. Strahoviense saec. 16. Cod. Strahovien. Ho 1. D. — Miss. Cabilonense imp. Lugduni 1500. E. — Miss. Romanum imp. Parisiis 1523. F. — Miss. Romanum [Franciscanum] imp. Lugduni 1535. G. — Miss. Senonense imp. Parisiis 1543. H. — 1b, 1 marmor volat A; axis C; saxis D. — 1b, 2 suus D. — 1b, 3 quae FG; qui BE. — 1b, 4 Haeresum A. — 2a, 1 Eam Christus A. — 2a, 2 Et fehlt B; vinculis ABCDE. — 2b, 1 Teste FG. — 2b, 4 sentit EFGH. — 3b, 1 Supplicat te chorus FG. — 3b, 3 Nasci nobis ediscite D. — Melodie offenbar: Verbum bonum.

138. De sancta Barbara.

1a. Magna summae trinitati,
Uni sed divinitati,
Exstet laus per saecula;

1b. Astra poli quam adorant,
Plausu laudant et honorant
Cum Christi plebecula.

2a. Testis cuius virgo pia
Acrum tranat nacta dia
Barbara martyrium.

2b. Haec sunt enim eius festa,
Quibus scandit post molesta
Felix ad empyrium.

3a. Ista virgo, praeformosa
Vultu, fide virtuosa,
Actu sancto claruit.

3b. Atrox pater huius quidem
Dios est et corus, idem
Fide Christi caruit.

4a. Struxit altam parens sibi
Turrim, ut moretur ibi
Forma compta nimia.

4b. Vult fenestram mox post binam
Sacra lucis trinae trinam
Praedicans eximia.

5a. Unus, inquit, cuncta regit
Deus, deos sacro fregit
Patrios litigio.

5b. Abdit saxus hanc ab ira
Patris, vecta stat, en mira,
Montis in fastigio.

6a. Latet virgo, sed prodentis
Hanc locustae grex pascentis
Ovium fit verius.

6b. Raptam crine pater ellam
Flagris torquet addens cellam
Artam hinc severius.

7a. Ast praefecto praesentavit
Pater natam, flagitavit
Poena premi varia.

7b. Mandat praeses adorari
Deos, in hoc imitari
Patrum exemplaria.

8a. Insons virgo hos irridet,
Praeses fremit, frendet, stridet
Ut exsensis dentibus;

8b. Artim flagris fit punita,
Tectis cilicinis trita
Desuper stringentibus.

9a. Minae, carcer nec assura
Membra neque quaeque dura
Vincunt pueritia.

9b. Alba stola destinatur
Et a patre decollatur
Dira post supplicia.

10a. Taetra patrem tis averna,
Virgo, terrent, sed superna
Tibi lucet gloria;

10b. Illam nobis, ubi quies
Perpes est et laeta dies,
Fer post transitoria.

Grad. ms. Margaretae Scheiffart de Merode saec. 15. Cod. Mus. Hungar. Pestin. lat. 259. — Akrostichon: Mathias Walrami Amati.

139. De sancta Barbara.

1 a. Laeto corde resonemus
Et in arce iubilemus
Ad ipsam cum canticis,

1 b. Ex qua manant arguendi
Modi recte et vivendi
In figuris caelicis.

2 a. Quos ad primam tunc reduxit,
In Barbaram dum effluxit
Universa gratia;

2 b. In qua nulla reperitur
Negativa, sed nescitur
Mentis, carnis macula.

3 a. Ut exermis carne mente
Recto verbo inhaerente
Per amoris vinculum

3 b. Haec conclusit omne verum,
Dum ens primum claudit rerum
Per illapsum caelicum.

4 a. Martyrio et doctrina,
Castitate quasi trina
In figura disputat.

4 b. Vertex eius crucis signo
Dum munitur, cum maligno
Hoste trino dimicat.

5 a. Deum trinum unum docet,
Pater saevit, sed non nocet
Statim eius gladius.

5 b. Sponsa Christi quia credit,
Murum transit et non laedit
Velut lucis radius.

6 a. Flagellata, concremata,
Eculeo tormentata,
Adflicta suppliciis.

6 b. Inter poenas quam amoenas
Veri sentit fontis venas
Innixa deliciis!

7 a. Patris domo est eiecta,
Terram circuit ut despecta,
Denudata penitus;

7 b. Caelum orans dum aspexit,
Stola munda hanc protexit
Formata divinitus.

8 a. Eia, virgo, nos agnosce,
Sacramento nos deposce
Salvatoris refici,

8 b. Vita ista dum gravamur,
Ut aspectu mereamur
Creatoris perfici.

Miss. ms. S. Sigismundi Cremifanensis saec. 15. in. Cod. Cremifanen. 41. A. — Miss. ms. Patavience saec. 15. Cod. Sitanstetten. 247. B. — Miss. ms. Alrispacense saec. 15. Clm. Monacen. 2873. C. — Miss. ms. Speciale (incert. origin.) saec. 15. Cod. Linceu. Γ q 9. D. — Grad. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Fol. 34. E. — Miss. Misnense imp. Lipsiae 1510. F. — Steht auch im: Miss. Aquilegiense imp. Augustae (Radolt) 1494. — Miss. Pragense imp. Venetiis 1503. — 1 a, 1 Toto BE; Laeto plausu C. — 1 b, 1 manat BCDE. — 1 b, 2 Modus BCDE; recti A, vere et E. — 2 a, 2 Barbara dum A; tunc BCDE. — 2 a, 3 Universalis AF. — 2 b, 1 repetitur A. — 3 a, 1 extremis carnis ABCD. — 3 a, 2 Centro AF. — 3 b, 1 Hic BCDE, Sic F; exclusit E. — 3 b, 2 claudat E; clausit BCD. — 4 a, 1 Martyrio instructura E. — 4 a, 2 Quasi trina in figura BCE. — 4 a, 3 Castitate BCE. — 4 b, 2 Dum inimicus a maligno A. — 5 a, 2 Saevit pater AF. — 5 a, 3 Statum D. — 5 b, 1 Sponsam E; quoque E; cedit AEF. — 5 b, 2 sed non A. — 6 a, 2 Eculei haec tormenta E. — 6 a, 3 Adflixa BC, Adfixa E. — 6 b, 1 Inter portas A. — 6 b, 3 Infixa D. — 7 a, 1 deiecta E. — 7 a, 2 cernit sed E. — 8 a, 3 Salutari BCE. — 8 b, 3 Salvatoris refici F. — Melodie: Elisabeth Zachariae. — Cfr. Kehrein, Nr. 858; dort auf Noburga!

140. De sancto Barnaba.

1 a. Dum sphaera caeli volvitur,
Praeclara dies oritur
Barnabae apostoli;

1 b. Qui spe venturae gloriae
Commotus et dulcedine
Vana horret saeculi.

2a. Apostolus et levita,
Clarus fide, clarus vita,
Clarus et miraculis;

2b. Sub hac luce triumphavit
Et triumphis insultavit
Barnabas incredulis.

3a. Pro corona non marcenti
Perfert brevis vim tormenti,
Nam manet victoria.

3b. Ei fuit mors natalis,
Sibi poena terminalis
Vitae dat primordia.

4a. Plenus iam sancto spiritu
Puro ducit intuitu
Saulum ad apostolos.

4b. Antiochiam transmissus,
A fratribus recte visus
Congregat discipulos.

5a. Divinitus confortatus
Et a Paulo segregatus
Ad Cyprum mox navigat.

5b. A Iudaeis ergo captus
Et igni adiudicatus
Sic ad caelum properat.

6a. O vir sancte et decore,
Laude dignus et honore
Iugique memoria,

6b. Cuius nomen est iucundum,
Languescentem fove mundum
Caelesti fragrantia.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. — Enthält Anklänge an die Laurentius-Sequenz Adams v. St. Victor.

141. De sancto Bartholomaeo.

1a. Detur laus Bartholomaeo,
Sed perprius detur Deo,
Cuius fulsit lux in eo,
Servo et apostolo.

1b. Luce fulsit hic virtutum
Monstrans iter, nostrum scutum,
Daemonemque fecit mutum
Inclusum in idolo.

2a. Praedicator veritatis
Nubem fugat falsitatis,
Lumen praestat excaecatis
Et salutem languidis.

2b. Signis fulget et virtute
Plebis orans pro salute,
Spoliatur tandem cute
Damnatus a perfidis.

3a. Sed tot poenis cruciatus
Et vivus excoriatus
Nunquam fuit superatus
Memor Christi lateris.

3b. O quam felix praedicator,
Memor, quam sit miserator
Christus nobis, qui salvator
Est humani generis.

4a. Hic te, Christe, sic dilexit
Et terrena sic despexit,
Quod hunc terror nullus flexit
Nullumque supplicium.

4b. Hic te, Christe, semper fassus
Est ab Indis mortem passus;
Per hunc nobis sis compassus,
Da caeli solacium.

Miss. ms. Hispalense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univers. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 15. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin., 12. D. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. E. — 2b, 2 ornans A. — 2b, 3 Exponatur ABD, Exspoliatur CE. — Str. 3b sqq. fehlt CDE. — Str. 4 fehlt B. — 4b, 1 fissus A.

142. De sancto Bartholomaeo.

1 a. Exsultet cum laetitia
Virgo mater ecclesia,
Apostoli gaudium

1 b. Bartholomaei incliti,
Praeclari civis caelici,
Concinens martyrium.

2 a. Qui ad Indiam directus
Mox ruina est effectus
Idolorum ritibus.

2 b. Nam Astaroth obmutuit
Et tunc adfari potuit,
Cum iussit apostolus.

3 a. Dum ergo Christum praedicat,
Mirandis signis emicat
Doctor sic veridicus.

3 b. Daemonem nequam eicit
Et ecclesiam erigit
Praeco evangelicus.

4 a. Rege dehinc baptizato
Ac in praesulem dicato
Ordinat ecclesiam.

4 b. Post multorum pro salute
Acquirenda cum virtute
Christi spargit gratiam.

5 a. Sed iniqui scelerati
Sacerdotes congregati
Astyagem adeunt,

5 b. Ut praeclarae vir virtutis
Plecteretur poena mortis,
Toto nisu satagunt.

6 a. Sic apostolus insignis,
Sanctus, clarus et nobilis
Caeditur acerrime.

6 b. Dehinc pelle iam privatus
Ense sic est decollatus
Vir supernae gloriae.

7 a. Iesu dulcis, Iesu pie,
Te laudamus in hac die,
Salva nos ab hostibus,

7 b. Precibus Bartholomaei
Nos perducas, fili Dei,
Ad te in caelestibus.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523.

143. De sancto Benedicto.

1. Gaudens monachorum
legio coniubilet,

2 a. Patris intonans merita,
Sunt quae tot miris prodita
Miraculis.

2 b. Ortus nobili stemmate,
Sed virtutum fit lampade
Nobilior.

3 a. Nursia genetrix
almae prolis,
Roma doctrix
eiusdem fertur subolis.

3 b. Aetate lubrica
spernens cuncta
ad superna
tendebat mentis lumina

4 a. Vasis fracti
maestae nutricis
naturam reformans
reddit integram.

4 b. Multos schema
rite vivendi
Romano tradente
laetus accipit.

5 a. Hinc iam cassa
laudis fugitans,
ferarum lustra quaeritans;

5 b. Et nec ibi
lampas latuit,
sed mox pluribus patuit.

6 a. Occulta cordis
inspiciens,
puerum redarguens;

6 b. Defuncti membra
resuscitat,
morbida mox reparat.

7 a. Miranda relaturus
subditur ei mundus,
cernit esse collecta
quaeque creata.

7 b. Mutatur et natura,
cum vehit ferrum unda,
Maurum iussa complentem
portat currentem.

8 a. Quis queat plurima
eius promere miracula,

8 b. Mundo qui splendidus
fulsit ut solis orbiculus?

9 a. Prophetis
hunc parem credimus,
apostolis quam plura
gessit aequalia;

9 b. Iam stola
praenitens candida
sequax illius [agni]
gaudet caelicola.

10 a. Alme summae
norma vitae,
nostro fave iubilo,

10 b. Intercede
crebra prece
pro devotis famulis.

11. Trinitati
sit laus aeterna.

Grad. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. Fétis 1174. A. — Miss. ms Belisianum. saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. B. — 4b, 1 Cultoris schema A; Multorum schema B. — 5b, 3 claruit B. — 6b, 3 morbidata AB. — 7b, 1 Miratur B. — 7b, 2 cum velut ferrum B. — 9b, 4 caelicolis AB. — Melodie: Eia turma. — Cfr. Anal. Bolland VI, 391.

144. De sancto Benedicto.

1 a. Pater sanctus Benedictus
Christi pugil fit invictus,
Fulsit signis variis;

1 b. Hostes fregit, mundum sprevit
Carnis labem hic subegit
Virtutum potentiis.

2 a. Hic fit rutilans lucerna,
Luce succensus superna
Lucis spargens radios.

2 b. Dum per sanctae vitae mores
Bonos facit meliores
Et informat alios.

3 a. Hic idola destruit,
Fidem rectam instruit
Christum praedicando.

3 b. Vir fuit propheticus,
Totus evangelicus
Proximos amando.

4 a. Hic est lator novae legis,
Fidus ductor Christi gregis
Ad caeleste horreum.

4 b. Hic est alter Elisaeus,
Propter cuius preces Deus
Auxit fratrum oleum.

5 a. De profundo ferrum mersum
Eius iussu est reversum,
Visu solvit vincula.

5 b. Vas confregit signo crucis,
Quo in mortem sui ducis
Grex ferebat pocula.

6 a. Vas confractum solidavit
Corque fratris denudavit
Producens in lucidum.

6 b. Dum oboedit Maurus patri,
Super undas plantis Petri
Currens traxit Placidum.

7 a. Super saxum vitrum iactum
Est levatum sed non fractum,
Petra fundit fluvium.

7 b. Membra fratris sanat fracta.
Christo pia prece facta
Patri reddit filium.

8 a. Aegros multos qui sanasti
Mortuosque suscitasti
Tua prece,

8 b. Animarum nunc languores
Sana, pater, rege mores,
Purga faece.

9 a. Pro quo decertasti pridem.
Nunc coniunctus es eidem
In caelesti patria.

9 b. Post te trahe tuum gregem,
Ut videntes tecum regem
Perfruamur gloria.

Miss. ms. Raigradense saec. 12. Cod. Raigraden. $\frac{D}{K}$ I β 2. add. saec. 15. — 2 a, 1 rutilans fit. — 4 b, 2 Fidus auctor. — 7 a, 1 vitem. — Melodie natürlich: In superna hierarchia.

145. De ss. Benedicto, Mauro. Placido, Scholastica.

1 a. Benedicti grandia
Maurique praeconia,
Placidi martyria
Resonemus,

1 b. Scholasticae merita,
Christi dona inclita,
Iam cum laude debita
Memoremus.

2 a. Regulam exhibuit,
Re ac verbo docuit,
Miraculis floruit
Benedictus.

2 b. Claudis gressum tribuens,
Mortuo vitam reddens
Et futura praenoscens
Hic est dictus.

3 a. Huic Maurus subditur,
Dei vas efficitur,
Super aquas graditur
Petrum sequens.

3 b. Res miras exsequitur,
In Galliam mittitur,
Ubi demum moritur
Summa petens.

4 a. Placidus praeinnocens,
In Siciliam pergens,
Nomen Christi exprimens
Fustigatur.

4 b. Lingua post inciditur,
Sed hinc magis loquitur
Et, cum caput scinditur,
Coronatur.

5 a. Scholastica oravit,
Imbres caelum donavit,
Gressum fratris artavit
Et recursum.

5 b. Nobis dent auxilium,
Ut in fine temporum
Casinum collegium
Scandat sursum.

Miss. Casinense saec. 14. ex. Cod. Casinen. 128. — 3 b, 4 potens. — 4 b, 1 incidatur. — 4 b, 2 hic. — Mel. wohl: Mariae praeconio.

146. De sancto Bernardino.

1 a. Apud salvatorem Christum
Mundum recommendes istum,
Bernhardine,
Vir divine,
Ut mundetur melius.

1 b. Bernhardine, praedicator,
Paupertatis observator,
Doctor magnus,
Mitis agnus,
Minor, sed egregius.

2 a. Iesus in nativitate
Matris suae cunctis gratae
Mundo natum
Sed renatum
Te elegit dulciter.

2 b. Ortus ab honestis pie
Prece virginis Mariae
Honestate,
Pietate
Praecellebas iugiter.

3 a. Scholas puer frequentando,
Vitiosa detestando
Consodales,
Coaequales
Instruxisti moribus.

3 b. Crucifixo Iesu gratus
Et ab eo confortatus
Festinanter
Et laetanter
Tua das pauperibus.

4 a. Iuvenis ingeniosus,
Honestissime formosus,
Pius verbis
Non acerbis,
Stella fulgens saeculo.

4 b. In Francisci via tute
A primaeva iuventute
Ambulasti,
Ut optasti,
Praebens iter populo.

5 a. Virginali vita fretus,
Facie venusta laetus,
Ut crystallus
Et corallus
Rutilas egregie.

5 b. Legis decem chordas sonans,
Bernhardine, praeco tonans
Iesum ducem,
Veram lucem
Medio ecclesiae.

6 a. Mel eructas praedicando,
Iesu nomen propalando,
Mente mera
Dicens vera
De scripturae floribus.

6 b. Verum profers vere gratis
Praedicator veritatis,
Ut in signis
Factis dignis
Plus laborans omnibus.

7 a. Ut memoria Iosiae,
Sic tu filio Mariae
Per doctrinam
Sic divinam
Redoles suaviter.

7 b. Exis animo iucundo
De hoc lacrimoso mundo
Sine fletu,
Sine metu
Moriens hilariter.

8 a. Evangelio devotus,
Deo plus quam mundo notus,
Post peracta
Digna facta
Frueris caelestibus.

8 b. Haustor gratiae divinae,
O confessor Bernhardine,
Alme pater,
Vere frater,
Fratres iuva precibus.

9 a. Melos laudis decantatur,
Dum laus tua declaratur
Gratiose,
Gloriose
Meriti praeconiis.

9 b. Lux delectet nos aeterna
Et laus Dei sempiterna
Velut rosa
Speciosa
Mentium praeconiis.

Miss. ms. Franciscanum Amstelodamense anni 1531. Cod. Weerten. F a 7. — 4 a, 3 Pius. — 6 b, 1 gratis vere.

147. De sancto Bernardo.

1 a. Sacrum festum celebremus,
Corde, voce decantemus
Pro Bernardi gloria;

1 b. Qui, dum ventre gestabatur.
In figura monstrabatur
Catuli per somnia.

2 a. Doctor magnus post futurus,
Lingua mentes curaturus,
Clamans contra vitia.

2 b. In aetate iuvenili
Corde peragens senili
Respuit carnalia.

3 a. Mente fervens, mundum spernens,
Sic ad iugum Christi pergens
Secum duxit alios.

3 b. Velut stella matutina
Vita pollens et doctrina
Mundo sparsit radios.

4 a. Mitis fuit conversando,
O quam dulcis praedicando,
Favum stillans labiis.

4 b. Mente caelum ascendebat,
Peregrinus dum manebat
A supernis gaudiis.

5 a. Fratres regens abbas verus,
Libros dictans doctor merus,
Agnus innocentiae.

5 b. Vas refertum, vas decorum,
Fons redundans, fons dulcorum,
Lilium munditiae.

6 a. Caritate vulneratus,
Verbo vitae sublimatus,
Rectus, simplex, humilis.

6 b. Castitate decoratus,
Sacris moribus ornatus,
Fulsit in miraculis.

7 a. Alter hic Israelita
Sine dolo ducta vita
Obiit feliciter.

7 b. Nunc in caelis cum honore
Regem videt in decore
Christum suum iugiter.

Collect. ms. SS. Angelorum Florentin. saec. 15. Cod. Laurent. Conv. sup. 466. — 5 a, 2 verus. — 6 a u. 6 b zeigen Anklänge an den häufig vorkommenden Tropus „Caritate vulneratus“. — Die Überschrift in der Hs. lautet: „Sequentia in honorem s. Bernardi.“

148. De sancto Bernardo Parmensi.

1. Laudes

2 a. Sancto Bernardo
canat ecclesia mater,

2 b. De talis nati
profectu gratulans semper.

3 a. Hic velut sidus
eximium,
Deo [praeelectum]

3 b. Inter fraternas
caligines
rutilans emicat.

4 a. Hic Iesu Christi
praeceptis
paruit promptus.

4 b. Hic eius membris
subvenit
minimis largus.

5 a. Hinc suae perfectae
vitae se testem
exhibet,

5 b. Debiles curando
atque tuendo
supplices.

6a. Hunc iam coetibus
coniunctum sanctorum
cuncti precemur,

6b. Ut nos fragiles
semper conciliet
Domino Deo,

7. Qui regnat per saecula cuncta.

Grad. ms. Parmense saec. 14/15. Cod. Capit. Parmen. s. n. — 2b, 1 De fehlt. — 5a, 1 Hunc.

149. De sancto Bernardo Parmensi.

1a. Sanctus pontifex Bernardus,
Claris natus, fragrans nardus,
Ortus de Florentia,

1b. Soporatum quem vocavit,
Miro modo visitavit
Domini clementia.

2a. Monachili veste lata,
Nondum nota, demum grata,
Plena sanctimonia,

2b. Adulescens in aetate,
Morum gratus honestate
Mundi sprevit omnia.

3a. At intendens bonitati
Servos donat libertati
Pietatis gratia.

3b. Regulariter vivebat,
Sanctitate reflorebat,
Scandit ad sublimia.

4a. Pastor bonus stat ad postes,
Lupum arcet, fugat hostes,
Protegit ovilia.

4b. Fide Christi loricatus
Summae sedis fit legatus
Ad pellenda vitia.

5a. Haeresum perversitates,
Tyrannorum tempestates
Pellit ab ecclesia.

5b. Per quem trinitas beata
Est patenter operata
Multa mirabilia.

6a. Adversantium multorum
In virtute meritorum
Saepe stravit milia.

6b. Rota solis olim lenta
Et hic anima retenta
Aequa sunt prodigia.

7a. Cum ad Padum sanctus ivit
Inundantem, repetivit
Flumen loca propria.

7b. Aegros plures et infirmos
Sua prece reddit firmos,
Eiecit daemonia.

8a. Carceratos, catenatos,
Dirae morti condemnatos
Solvit ab angustia.

8b. Suum exitum praedixit
Et indiciis praefixit
Temporisque spatia.

9a. Mole carnis absolutus
Prima stola est indutus,
Iubilat in gloria.

9b. Praesul hic et cardinalis
Nos ereptos cunctis malis
Ducat ad caelestia.

Collectan. ms. Constantini Caietani saec. 17. Cod. Roman. Alexandrin. 96 (II). A. — Chronica Parmensia imp. Parmae 1858. p. 544. „Ex codice Laurentiano.“ B. — 1a, 2 flagrans B. — 2a, 1 lato A. — 2a, 2 noto demum grato A. — 2a, 3 Pleno A. — 2b, 1 iam aetate B. — 2b, 3 spernit B. — 3a, 1 Et B. — 4b, 3 pellendum A. — 6b, 1 lento A. — 6b, 2 animo retento A. — 7a, 2 Inundant A.

150. De sancta Bertha.

1. Orta stirpe nobili
Bertha, famula Dei,
Nostra spes et gloria.

2 a. Stirpis decus inclitum
Propter vitae meritum
Morum pinxit gratia.

2 b. Quae prolis intuitu
Traxit, non pro coitu,
Gumberti consortia.

3 a. Ambo, stirpe nobiles,
Permanserunt steriles
Dei providentia.

3 b. Sed dum tempus praeterit,
Uterque se deserit
Mente consentanea.

4 a. Ut videret Dominum,
Salvatorem omnium,
In Sion aetherea,
Bertha sprevit terrea.

4 b. O beata lumina,
Quibus talis femina
Hac in carne posita
Cernebat insolita.

5 a. Quae dum orat
Et explorat,
Quo beata
Deo grata
Condat habitacula,

5 b. Virtus Dei
Locum ei
Declaravit,
Quo paravit
Templum mater sedula.

6 a. Postquam templum
Ad exemplum
Mater illa
Hac in villa
Struxit Aveniaca,

6 b. Christi parens
Huic apparens
Moniales
Spiritales
Distinxit sub regula.

7 a. Fons huic loco deerat solus,
Quem advexit Berthae colus
Ducens viam per devia,
Quem nunc habet ecclesia;

7 b. In qua fecit multa signa
Bertha degens, laude digna,
Morbis praebens remedia
Et expellens daemonia.

8 a. O virago gloriosa,
Quae cruoris tui rosa
Reddidisti,
Martyr Christi,
Christo testimonia.

8 b. Audi preces tui gregis,
Ut in aula summi regis
Tuo ductu
Pleno fructu
Consequamur gaudia.

Miss. Rhemense imp. Rhemis 1553. — 6 b, 2 huic ist einsilbig zu lesen; das Gleiche gilt von huic resp. deerat in 7 a, 1. — Melodie wahrscheinlich: Mane prima sabbati mit Repetition der 5. Strophe.

151. De sancta Birgitta.

1. Alleluia

2 a. Iucundum resonet
praesens ecclesia

2 b. Felicis Birgittae
concinens gloriam.

3 a. Haec, dum vivebat,
angelorum meruit
colloquia

3 b. Et nunc in caelis
inter eorum laetatur
agmina.

4 a. Hanc misit apostolam
Christus
sua per orbem
populis pandere
scelera Deique
iudicia.

4 b. Huic evangelistae
datur,
incarnati verbi
secreta scriberet
ut evangelica
mysteria.

5 a. Haec prophetiae
dono claruit
mirifico

5 b. Et carnem domans
adflixit iugi
martyrio.

6 a. Confessione
fidei nituit

6 b. Ac mundi probra
libens sustinuit.

7 a. Spe forti solida
cuncta sprevit vana,
perenni caritate fervida.

Virginalem
vitam in votis praetulit,

7 b. Coniugalem
sed obaudiens tenuit.

Casto conubio
tandem regi Christo
se totam sanxivit obsequio.

8 a. Septiformi
sic dotata praeconio

8 b. In supremi
sponsi regnat palatio

9 a. Coronata,
amplexata;
ob hoc caelica tonant organa.

O quam delectaris,
Iesu, per talia!

9 b. Euge, sponsa, sponsi
possidens gaudia!

Alleluia
laude pia
congaudentes iubilemus una.

10 a. O mater Birgitta,
duc nos ad regna,

10 b. Ut tecum cantemus
semper Alleluia.

Collect. ms. Halense saec. 15. Cod. Vindobonen. 1316. mit Mel. — Verfasser der Sequenz ist vielleicht Birgerus Gregorii, da sie in der Hs. auf sein Birgittenofficium folgt.

152. De sancta Birgitta.

1 a. Surgit mundi
vergente vespere
Velut stella
micans in aethere
Birgitta, vas gratiae
Rosaque munditiae.

1 b. Stans fortis in
amoris foedere
Scandit Christum
decenter capere
Cordis in hospitio
Dulci desiderio.

2 a. Nil dulce quaerens,
nil amabile
Carni, mundo
vel vanae gloriae
Christi sub gremio
cor humile
Requiescit.

2 b. Hostis caput
contrivit fortiter,
Dum in bono
subcrescens iugiter
Christo sponso
frui feliciter
Inardescit.

3 a. Sponsus sponsam
frequenter instruit.
Novam vitae
normam instituit,
Ut sic in sponsa,
prout congruit,
Delectetur.

3 b. Grato fruens
amore properat,
Iugum sponsi
ferre desiderat,
Libens et prona,
quod statuerat,
Profitetur.

4 a. In caelis sua
conversatio
Miro placens
virtutum radio
Dei sanctorumque
colloquio
Recreatur.

4 b. Tandem vitae
completo stadio
Mundi transfertur
de naufragio
Et in summo
caeli consortio
Coronatur.

5 a. Sis, Birgitta,
nobis propitia,
Mira de te
clarent prodigia,
Plebsque laeta
Dei magnalia
Confitetur.

5 b. O Maria,
dulce praesidium,
Fac Birgittae
per patrocinium,
Ut optatum
in caelis bravium
Nobis detur.

Miss. ms. Hospitalense s. Birgittae saec. 14. Cod. Vatican. 5742; bis: fol. 42. A; fol. 47 (mit Melodie). B. — Miss. ms. Tichobucense saec 14 et 15. Cod. Pragen. XIV B 17. C. — Brev. ms. Pragense saec. 15. Cod. Altovaden. XXV. D. — Miss. ms. Cremsense saec. 15. Cod. Pragen. XII B 13. E. — Miss. Cracoviense imp. Nurembergae 1492. F. — Miss. Lundense imp. Parisiis 1514. G. — 1a, 5 via gratiae C. — 1b, 1 Stans foras CD. — 1b, 4 dicenter D. — 2a, 1 Nihil dulce quaerens et CD; nihil amabile C. — 2b, 4 succurrens D. — 2b, 5 Christi G. — 2b, 7 Et ardescit C. — 3a, 1 Sponsam sponsus AG. — 3a, 4 instruit D. — 3a, 5 Ut sic fehlt G; prout cognovit D. — 3b, 1 fervens AB. — 3b, 4 desiderans D. — 3b, 5 atque prona C; quae statuerat C, qui statuerat D. — 5a, 3 sq. clarent de te G. — 5a, 5 laeta fehlt CG; laetari magnalia D. — 5b, 6 fehlt C. — In D ist, obgleich Brevier, die ganze Messe der h. Birgitta eingetragen. — Melodie: Nativitas Mariae virginis. — Die Cäsur nach dem zweiten Versfufs ist oft nicht gewahrt.

153. De ss. Birino et Swithuno.

1. Laude resonet
te, Christe, devote
supplex turma,

2a. Ecclesiae qui gemmas
de mundi pulvere
tollis ad sidera,

2b. Per quas pacis visio,
mater Ierusalem,
ornata rutilat.

3a. Patrem ab arce
Birinum
missum Romulea,

3b. Misit Swithunum
patria
natum et Anglica.

4a. Qui candelabra
Christi aurea
spargunt charismata
superna,

4b. Quorum lavacri
prior dat fontem,
sequens pluit signa
triumphans.

5a. Sanat hic corda,
curat hic corpora,

5b. Dux et hic tonat,
lux et hic fulgurat.

6a. Hic plantat,
hic rigat,
hic talenta duplicat,
hic fidus consecrat
numisma.

6b. Baptisma
hic praebet,
chrisma hic sanctificat,
hic docet, hic orat,
hic firmat.

7a. Hic prorecta est
fidei,
hic est et ancora,

7b. Ambo praesules,
angelis
Anglos qui sociant.

8. Nos promere
per quos tu fac, Christe,
in astris Alleluia.

Trop. ms. Wintoniense saec. 11. Cod. Collegii Corporis Christi Cantabrigen. 473. — Titel der Sequenz: Ecce quam bonum.

154. De sancto Blasio.

1a. Lyra laudis formet sonum,
Laudet Blasium patronum,
Nec obstet desidia.

1b. Pater, verbum, pneuma sanctum
Praesit laudi, ducat cantum,
Conferat praesidia.

2a. Hic ab aevo iuventutis
Se a naevo spe salutis
Alium exhibuit.

2b. Fretus arte medicinae
Tam hac parte quam divine
Multis opem tribuit.

3a. Ad honorem praesulatus
Iuxta morem sui status
Sublimari meruit.

3b. Mentis sanae, vitae rectae
Mox profanae locum sectae
Fugiens deseruit.

4a. Mons Argei
Virum Dei
Intra specum
Celat secum
Nec sine solacio.

4b. Adest isti
Cura Christi;
Ne desperet,
Huic haeret,
Spes est confortatio.

5 a. Sanctus orat et ieiunat,
Christo semper se adunat
Sacro vacans ritui.

5 b. Dum in bono se assuescit,
Carnem domat et compescit
Et subdit spiritui.

6 a. Praeses vocat hunc inventum,
Et, dum vadit ad tormentum,
Larga fit curatio.

6 b. Os a fauce devulsatur,
Porcus redit et salvatur
Victus sustentatio.

7 a. Vir suspensus laniatur,
Ut offensus compellatur
Ferre sacrificium.

7 b. Hostis furit et rebelli,
Qui a fide nequit pelli,
Minitat supplicium.

8 a. Sicco pede supra mare
Sanctum videt ambulare
Nec cedit malitiae.

8 b. Sicut lapis capit fundum,
Mersi cadunt in profundum
Comites stultitiae.

9 a. Sic pro fide decollatur
Nec a fide segregatur
Supernorum civium.

9 b. Fides sapit tunc profectum,
Quando capit iter rectum
Et concludit trivium.

10 a. Iesu bone, tu nos dita
Tuis donis tam in vita
Quam perenni gloria;

10 b. Ne damnemur ut confusi,
Salva nos, qui sumus usi
Blasii memoria.

Grad. ms. S. Gereonis anni 1424. Cod. Mus. Archiep. Colonien. VI 5 — 9 b, 2 capit ita. — Melodie: Maiestati sacrosanctae. — Str. 2, 3, 7 u. 9 zeigen Binnenreim.

155. De sancto Bonaventura.

1 a. In superna hierarchia
Iubilans cum prole dia
Christo simul ac Maria
Sanctisque perenniter.

1 b. Bonaventura beate,
Per te nobis sint paratae
Mansiones, quae tam gratae,
Caelestes finaliter.

2 a. Te pater praedestinavit,
Ab aevo natus vocavit,
Pneuma te instificavit
Clementer in tempore.

2 b. Te Deus gratificavit,
Mire nunc magnificavit,
Tibi secum praeparavit
Claro sedem opere.

3 a. Vita simul ac doctrina
Tua clamant haec divina,
Quod ereptus a ruina
Exstas cuncti vitii.

3 b. Sanctis moribus ornatus,
Deo summo summe gratus,
A civibus honoratus
Sempiterni gaudii.

4 a. Te gravissime languentem
Matris ob precem ferventem
Sacer saluti gaudentem
Franciscus restituit.

4 b. Capti doni non ingratus
Per te cursus exaratus
Vitae patris est sacratus,
Qua felix hic floruit.

5 a. Cinctus cordula Minorum
Gradiendo vias morum
Ad thesauros meritorum
Aspiras celeriter;

5 b. Quos contemptu mundanorum,
Fuga saecli et honorum
Affectuque supernorum
Congeris viriliter.

6 a. Sacer o Bonaventura,
Tibi cor, corpus in cura
Ad colendum velut rura
Fructus ad propaginem.

6 b. Pastor duxque sic Minorum
Ducis, pascis ferculorum
Verbi vitae plurimorum
Adponens dulcedinem.

7 a. Exstirpator serpentinae
Haeresis, fons disciplinae,
Vas caelestis medicinae,
Puritatis caelicae.

7 b. Stella clara lucens mundo
Christum, lignum vitae, mundo
Pectore fers ac iucundo,
O doctor seraphice.

8 a. O columna nimis fortis
Sponsae Christi et consortis,
Quae praevalet portis mortis
Vitae servans lineam.

8 b. O gemma sacerdotalis,
Dignus sponsae cardinalis,
Vitae post cursum a malis
Sublatus ad gloriam.

9 a. Sancte praesul, pie pater,
Celse doctor, care frater,
Per te nobis absit ater
Infernus horribilis.

9 b. Per te conscendamus caelos,
Evadamus orci delos,
Gloriae canamus melos
Incomprehensibilis.

Miss. ms. Franciscanum Amstelodamense anni 1531. Cod. Weerten Fa 7. — 6 b. 1 duxque sis. — Mel. vermutlich: Sanchitatis nova signa.

156. De sancto Bonaventura.

1 a. Catervae, o altissime,
Dono tuo, piissime,
Voto suae carissimae
Divus Bonaventura.

1 b. Iesu, sanctorum tuorum
[Rex, corona confessorum,]
Natura fulgens suorum
Morum Bonaventura

2 a. Laete iunctus collegio
Tecum in throno regio
Gaudet Bonaventura.

2 b. Iustitia comprobata,
Pietate roborata,
Duxit Bonaventuram

3 a. Ad contemptum huius mundi;
Adam, hominis secundi,
Exemplo fructus fecundi
Rexit Bonaventuram.

3 b. Nomine hereditavit,
Miserans praedestinavit,
Benefecit et amavit
Aevo Bonaventuram.

4 a. Uerus hic Israelita,
Nec dolosa eius vita
Fuit Bonaventurae,

4 b. Sicut testantur opera
Ac religio aspera
Magni Bonaventurae.

5 a. Gregem tuum, pastor bone,
Rege, cum sit in agone,
Et participem coronae
Sancti Bonaventurae,

5 b. Gaudeat, fac, ut laetetur;
Orat, pulsat, conservetur;
Rogat, errans revertetur
Prece Bonaventurae.

6 a. Iuste pater omnipotens,
Uere filius sapiens,
Summa caritas procedens
Bonum Bonaventurae,

6 b. Quo ditatus mirifice
Seraphicus deifice
Quiescit iam pacifice
Doctor Bonaventura.

7. Oramus, tribue,
Miseris adnue,
Famulos respice,
Tecum da vivere
Cum Bonaventura;
Amen dicant omnia.

Sequent. ms. S. Georgii Villingensis saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 3. — 1a, 2 u. 1a, 3 vielleicht umzustellen; ich konstruiere nämlich: Catervae suae carissimae voto, o altissime, [et] dono tuo, o piissime, divus [est] Bonaventura. — Auf 2b, 1 folgt „Virtutibus ornata“. — 6, 1 dicatus. — 7, 4 da videre. — Eigentümlich ist das Akrostichon: Cilianus Gregorius. — Dem ungelenken Texte ist die Melodie der Antonius-Sequenz „Psallat voce laetabunda“ förmlich aufgedrängt.

157. De ss. Bova et Doda.

1. Amatorem virginum
Collaudemus Dominum
Celebri laetitia,

2a. Qui vernante solio
Ditat eas bravio
Mira pro victoria;

2b. Quas ex dono gratiae
Flore pudicitiae
Coronat et gloria.

3a. Hac regali semine
Splendent Dei munere,
Felici praesagio.

3b. Earum humilitas
Praecellit et sanctitas
Virtutum fastigio.

4a. Nam ut almus arbiter
Docet eas pariter;
Mundi spretis opibus
Iunguntur caelestibus.

4b. Prudenti consilio
Lumen parant Domino,
Sacra nitent gratia
Teste conscientia.

5a. Optant sponsum tota mente,
Personatque clamor nocte:
„Sponsus venit, exite!“

5b. Venit Iesus, adest sponsus;
Intrant aulam nuptialem,
Sponsi vident faciem.

6a. Virgo, Bova, tu regalis,
Quae cunctorum es adiutrix,
Tua nos potentia

6b. Fac transire callem viae,
Nobis redde fontem vitae,
Sitientes satia.

7a. Virgo Doda, bona datrix,
Nostra clemens interventrix
Sponsum placa, pro quo regna
Praeoptasti caelestia.

7b. Sponsi flagrans in amorem,
Hunc exorans fer dulcorem.
Absit nobis damnatio,
Prosit dulcis oratio.

8a. O praeclarae et beatae
Castitatis templum factae,
Per vos detur victoria,
Elidentur vitia.

8b. Summi regis mater digna,
Stella maris, dux benigna,
Harum prece nobis praebe
Sempiterna gaudia.

9. Amen dicant omnia.

Missale Rhemense imp. Rhemis 1553. — 5a, 2 clamor harum nocte. Auffallend ist die Vernachlässigung des Reimes in dieser und der correspondierenden Halbstrophe. — 8b, 2 l. lux? — Melodie wahrscheinlich: Mane prima sabbati.

158. De sancta Caecilia.

1a. Mater Sion sancta, gaude,
Dies adest digna laude
Virginis Caeciliae.

1b. Voce, voto, corde mundo,
Thoro casto, laetabundo
Sion assint filiae.

2a. Haec nunquam se permiscuit
Participemve praebuit
Ludentium lasciviae,

2b. Nec clamorem exaudivit
Exactoris, sed contrivit
Caput anguis nequitiae.

3a. Fide vera desponsavit
Sponsum et cohabitavit
Illi castis amplexibus.

3b. Et, de quo sollicitatur,
Frater sponso colligatur
Religionis nexibus.

4a. Hos Christus in ea gignit,
Hos confortat, hos insignit
Florum sertis
Ex consertis
Rosis atque liliis.

4b. Hos transmittit ad Urbanum
Baptizandos et profanum
Docet mundum
Moribundum
Esse cum deliciis.

5a. Fide fulta,
Mundo culta
Virginum regalium

5b. Doctae mentis
Argumentis
Superat Almachium.

6a. At iniquus hanc cremari
Iussit, flamma balneari
Crudeli sententia;

6b. Sed vi tridui caloris
Nec terroris nec sudoris
Laxantur vestigia.

7a. Tandem martyr inconcussa
Ferro collo ter percussa,
Nec mox vita functa tamen
Christo sacrum fit libamen.

7b. Per tres dies orans vixit
Et concessam esse dixit
Pacem sanctis ac adivit
Sponsum, semper quem sitivit.

8a. Eia, virgo, sponsa Dei,
Nos astare faciei
Sponsi fac in gloria.

8b. Eia, martyr, victrix mortis,
Nos consortes tuae sortis
Fac in caeli patria.

Grad. ms. Arnoldi saec. 13. in. Cod. Capit. Aquisgranen. XII. add. saec. 14. A. — Grad. ms. Aquisgranense anni 1330. Cod. Capit. Aquisgranen. XV. B. — Grad. ms. Aquisgranense saec. 13. Cod. Arenbergen. Bruxellen. 9. C. — Miss. ms. Aquisgranense saec 15. Cod. Bruxellen. 162. D. — Grad. ms. S. Gereonis Coloniensis anni 1424. Cod. Mus. Archiep. Colonien. VI 5. E. — Grad. ms. Boscoducense saec. 15. Cod. Arch. S. Iohannis Boscoducen. s. n. F. — Miss. ms. Mosaetraiectense saec. 15. Cod. Hagen. J 10. G. — 4b, 1 transmisit FG. — 6b, 1 Nec vi F. — 6b, 2 torroris F. — 7a, 4 sacrum fert FG. — 7b, 3 et adivit FG. — 7b, 4 quaesivit FG.

159. De sancta Caecilia.

1 a. Iubilemus exsultantes,
Passionem memorantes
Beatae Caeciliae;

1 b. Quae nobilis et Romana
Ex gentili christiana
Fit, subiecta latriae.

2 a. Valerio sponsa datur,
Sed fidelis aspernatur
Gentilis conubia,

2 b. Dum vox sonat tibiarum,
Cilicium lacrimarum
Clam rigabat pluvia.

3 a. Soli Deo decantabat,
Cui servandum commendabat
Pudorem virgineum.

3 b. Nec a mente discedebat
Christi sanctumque gerebat
Semper evangelium.

4 a. Haec gentilem et profanum
Cum fratre Valerianum
Convertens edocuit.

4 b. Cuius intercessione
Angelica visione
Confortari meruit.

5 a. Ab Urbano baptizatur
Et a sene roboratur
Cum fratre Tiburtio.

5 b. Sic uterque decollatur,
Et Caeciliae paratur
Balneorum ustio.

6 a. Cumque non exureretur,
Decollari mox iubetur
Et sic petit supera.

6 b. Illis ergo conformemur,
Ut post ipsos sublevemur
Tandem supra sidera.

Grad. ms. Parmense saec. 14/15. Cod. Capit. Parmen. s. n.

160. De sancto Carauno.

1 a. Christo laudes exsolvamus,
Dono cuius celebramus
Carauni sollemnia.

1 b. Eius diem veneremur,
Nos beata qui fovemur
Ipsius praesentia.

2 a. Quod vox oris sonat foris,
Hoc affectus per effectus
Adprobet concordiam.

2 b. Cum in terris sic laudatur,
Hanc in caelis delectatur
Audire melodiam.

3 a. Tuum lauda, plebs, patronum
Per patroni praesens donum
Spem habens ad reliqua.
Ne desperes, cum sis peccabilis,
Est hostia prope placabilis,
Hostia pacifica.

3 b. Qui pro nobis deprecatur,
Hic quiescit et laetatur
In caeli palatio.
Psallant omnes et dicant hodie,
Dicant: Ave, martyr egregie,
Nostra consolatio.

4 a. Cesset Doeg Idumaeus,
Super astra suum Deus
Athletam remunerat.

4 b. Ibi gustat in aeternum
Quod optarat, quod internum
Mens eius sitiverat.

5 a. Per ascensum martyr purpureum
Salomonis conscendit aureum
Ad reclinatorium,

5 b. Ubi carnis solutis nexibus
Veri sponsi iunctus amplexibus
Verum habet gaudium.

7 a. Senatorum
stirpe progenitus,
Literarum
studiis traditus
Ad supernum
dictamen spiritus
Evidenter floruit.

7 b. Germinavit
prius ut lilium
Mundum spernens
et matrimonium,
Pro fratribus
nactus martyrium
Factus rosa rubuit.

8 a. Caecus videt et mutus loquitur,
Invocato daemon eicitur
Trinitatis nomine.

8 b. Imbecillis sana regreditur,
Et collisus auriga redditur
Sanitati pristinae.

9 a. Inimicus nil proficit,
Mortis potestas deficit,
Vita post mortem sufficit,
Vivit corpus exanime.

9 b. Caput deportat proprium
Collaudans Dei filium,
Post mortem testimonium
Reddit salutis animae.

10 a. Laetare, Sion filia,
Lauda Dei magnalia,
Cuius novit potentia
Sic mortis iura frangere.

10 b. Caedit hostis et vincitur,
Vincit martyr et caeditur,
Decollatur nec moritur,
Vivit hic et in aethere.

11 a. Ave, consors angelorum,
Martyr, decus aliorum,
Ave, par apostolis.

11 b. Fac nos mundos a peccatis
Coheredes civitatis
Supernae, quam recolis.

12 a. Tu, qui morti succumbere
Voluisti pro fratribus,
Digneris intercedere
Pro tibi famulantibus,

12 b. Ut in futuro saeculo
Possidentes duplicia
Sponsi fruamur osculo,
Vera Dei praesentia.

Trop. ms. S. Carauni Carnotensis saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Angelic. 435 (D V 3). Mit Melodie. — 5 a, 1 Cesset dohec.

161. De sancta Clara.

1 a. Clara lux apparuit
Mundo, quando claruit
Clarae virtus operum;

1 b. Quam Franciscus docuit,
Clare vitam tenuit
Dominarum pauperum.

2 a. Huius clari sideris
Clarescendi posteris
Clarum fit initium,

2 b. Vox de caelo nuntia,
Praestat hoc pro filia
Matri natalitium.

3 a. Dum petens genimina
Per sanctorum limina
Defleret exitium,

3 b. Clare vox tunc sonuit,
Parens natae posuit
Nomen ob indicium.

4 a. Orta claro sanguine
Purpuris sub tegmine
Clara fert cilicium;

4 b. Longas per vigilias
Orans fugit filias
Hominum et vitium.

5 a. Tempus in miraculis
Non capescit operis
Et vitae profluvium.

5 b. Clara, clara meritis,
Clari dari miseris
Ora regni gaudium.

Prosar, ms. Franciscanum saec. 14/15. Cod. Parisin. 1339 A. — Cantuar. ms. S. Clarae Crumlovieusis saec. 15. ex. Cod. Pragen. XII A 17. B. — Miss. ms. Franciscanum Amstelodamense anni 1531. Cod. Weerten. Fa 7. C. — 1a, 2 quam declaruit B. — 2a. 1 Cuius B. — 2b, 2 Praestet AB; Promisit hac pro B. — 4a, 2 Sub honesto tegmine B. — Melodie: Veni sancte spiritus.

162. De sancta Clara.

1 a. Gaude, caeli hierarchia,
Plaude, felix ecclesia,
Novo fulta lumine;

1 b. Cui decantet melodia
Chori, cordis harmonia,
Clarae claro germine.

2 a. Haec est rosa venustatis,
Fune cincta castitatis,
Nova plantans lilia.

2 b. Iesum mater dum precatur,
Nascitura praemonstratur
Lumen orbis filia.

3 a. Gaudent astra matutina,
Quod in hora vespertina
Ortu novi sideris

3 b. Caeli sidus illustratur,
In quo terrae designatur
Ortus novi foederis.

4 a. Vere sidus tu praeclarum,
Quod a sole differt parum
Et luna lucidius.

4 b. Tu quod sole sis amicta,
Carne probat hic relicta
Lucis tuae radius.

5 a. Crucis signo morbus cedit,
Turba Clarae panem edit
Christi sui munere.

5 b. Effluens Clarae claritas
Puellas sibi creditas
Docet Christo vivere.

6 a. In paupertatis horreo
Turba dum caret oleo,
Vas plenum caelo datur.

6 b. Orbem exornat flosculis,
Lucerna manens saeculis
In caelo collocatur.

7 a. Illic praeclare rutilat,
Sponsum complexa iubilat
Cum virgine Maria.

7 b. O quam clare pestes planat,
Languidorum clades sanat
Tumuli fragrantia.

8 a. Ergo laudes Clarae demus,
Claram clare personemus
Novo docti gaudio.

8 b. Et nos, mater pietatis,
Cum Maria salvans gratis
Iunge Dei filio.

Sequent. ms. S. Georgii Villingensis saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 3. A. — Miss. ms. Franciscanum saec. 15. Clm. Monacen. 23277. B. — Miss. ms. Attilense anni 1450. Clm. Monacen. 3311 C. — Oration. ms. SS. Udalrici et Afrae anni 1469. Clm. Monacen. 3702. D. — 1b, 1 Qui C; decantat A. — 1b, 3 Clara A. — 2a, 2 Fune iuncta BCD. — 2b, 1 Iesu ABCD; prostratur BCD. — Str. 3 u. 4 fehlen BCD. — 3b, 3 Ortu A. — 5a, 1 Signo crucis BCD. — 5a, 2 Turbae BC. — 5b, 1 Affluens BD. — 6b, 1 Urbem A. — 7b, 1 clare praestes A. — 7b, 2 claudes sanat A. — Str. 8 lautet in A:

8a Eia, mater, nos agnosce,
Libro vitae nos deposce
Cum electis inseri,

8b. Ut consortes tuae sortis
Et a poenis et a portis
Eruamur inferi.

Ist eine Entlehnung. — Melodie: Gaude Sion quod egressus.

163. De sancta Clara.

1a. Clara, Dei famula,
Tenera infantula,
Cilicii baiula,
Vivens sine macula,
Sanctitate primula,
Multarum praeambula,
Prole replens saecula.

1b. Tu forma humilium,
Castitatis lilium,
Paupertatis titulum,
Sanctitatis speculum,
Novum es prodigium,
Mariae vestigium,
Eius sequens filium

2a. Christus tecum loquitur,
Praesaepe ostenditur,
Mens extasi rapitur,
Maria aggreditur,
Pie te amplectitur,
A te caelum scanditur,
Signis virtus panditur.

2b. Imperas daemoniis,
Lupis raptos eripis,
Caecis, claudis, languidis,
Gravatis a glandulis
Sanitatem tribuis,
Vitam praestas mortuis,
Te petenti subvenis.

3a. Ergo nunc nequitiam
Pelle ac tristitiam,
Maestis da laetitiam,
Foedatis munditiam.

3b. Omnes, qui te invocant,
Precata accipiant,
Vitam bene finiant,
Ad Christum perveniant.

Sequent. ms. S. Georgii Villingensis saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 3. — 3b, 2 Peccata. — Melodie: Mundi renovatio; mit Kürzung der 3. Strophe.

164. De sancta Clara.

1a. Qui fecit ad imaginem
Franciscum redemptoris,
Non solum liquit hominem
In paradisi choris.

1b. Formavit Claram virginem
Ex latere Minoris,
Virtutibus imaginem
Angelici vigoris.

2a. Haec sprevit pure saeculum
In disciplinae loris,
Dum fugit ad ergastulum
Spretis delicti thoris.

2b. Assiduis corpusculum
Officiis laboris
Vexavit et pectusculum
Suspiriis amoris.

3a. Clara, carne sterilis,
Spiritu fecunda,
Clara, quondam flebilis,
Caelo iam iucunda,

3b. Quos hic caro fragilis
Turbat [et] immunda,
Tuis datos iubilis
Precibus emunda.

Miss. Romanum imp. Parisiis 1517. A. — Miss. Romanum imp. Parisiis 1523 B. — 1b, 3 Virtutibus virginem AB.

165. De sancto Clemente.

1. Gaudet hodie
proles Deo devota.

2a. Adest namque
dies alma et magno
gaudio plena,

2b. Quam celebrem
festa sancti Clementis
revolvunt nobis.

3 a. Hodie
caelestis laetatur turba,
qua Gloria cantant
in excelsis
voce dulcisona
cum symphonia.

3 b. Hodie
polorum sancta agmina
collaudant regem
regum nostrum,
natum ex virgine
sancta Maria.

4 a. Ave, inclite
martyr Christi, Clemens.
flos pulcherrime.

4 b. Tu vestigia
Christi secutus es
fide devota.

5 a. Aeterni regis
adeptus es regna;
Iam gratularis
in domo superna
possidens sedes almas.

5 b. Te deposcimus
et petimus una:
Adiuva tua
sancta suffragia
consona voce nostra.

6 a. O beate,
o sancte Clemens,
salva catervam hanc
fidelem.

6 b. O beate,
o sancte Clemens,
laus tibi, gloria
sit semper.

7 a. *Nos una*
mereamur sancta
polorum alta
~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~

7 b. ~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~
Possidere laeta,
certantes alma
gaudia, quae sunt plena.

8 a. Sit Deo
laus, honor et
iubilatio casta,

8 b. Qui regnat
per omnia
saeculorum saecula

9. Amen dicant omnia.

Grad. ms. Vercellense saec. 11. Cod. Capit. Vercellen. CLXI. — Die Melodie ist in Neumen verzeichnet; sie ist offenbar nach dem gleichen Schema, wie Haec dies est sancta (Anal. VII, Nr. 16) mit geringen Differenzen. Hier wie dort haben die drei ersten Silben von Str. 7a und die Schlufs-Silben von 7b kein musikalisches Gegenstück. — Zu 5b, 3 sqq.: „nostra“ gehört als acc. zu „suffragia“, „tua sancta consona“ sind Attribute von „voce“. — 7b, 3 certantes = erstreiten.

166. De ss. Clemente et Ildefonso.

1 a. Omnis homo piae mentis
Laudes beati Clementis
Psallat cum laetitia.

1 b. Hic vir sanctus Deo gratus
Est post Petrum sublimatus
Pastor in ecclesia.

2 a. Fecit, ut petra manaret
Aquas, ut et abundaret
Aperire maria.

2 b. Hodie sunt magni regis,
Custodis gentis et legis,
Alphonsi natalia
~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~

3 a. Hac in die laetabunda
Multa fecit et iucunda
Placens mirabilia.

3 b. Hoc in festo venerando
Illustri regi Fernando
Data est Sibilia.

4 a. Quibus fides exaltatur,
Et Maurorum lex vastatur,
Gaudeat Hispania.

4 b. Eia nunc, beate Clemens,
Ut sit nobis Christus clemens,
Fac tua clementia.

5. Auge dies nostro regi,
Auge metas sanctae legi,
Auge nobis gaudia.

Miss. ms. Hispalense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 17. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin. 12. D. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. E. — 1a, 3 Psallet ABCD. — 3a, 1 Hic A. — 4a, 1 exultatur BCDE. — Str. 5 fehlt BCDE.

167. De sancto Clemente Metensi.

1 a. Regi summo exsultando
dicamus Alleluia,

1 b. Qui beatum collocavit
Clementem in gloria.

2 a. In hac die omnis nostra
gaudeat ecclesia

2 b. Recolendo gratulanter
praesulis sollemnia.

3 a. Hic insignis et praeclarus
in Christi familia

3 b. Praesulatum rexit iuste
vitae monens gaudia.

4 a. Felix confessor,
cui dedit princeps Petrus
haec sacra officia,

4 b. Quod illustraret
Metensium plebem fide
docens spiritalia.

5 a. Pontifex doctus, humilis,
immunis malitia,
Plenus Deo effugavit
draconis imperia.

5 b. Aedificavit firmiter
sapiens altaria
Atque plebem reparavit
in baptismi gratia.

6 a. Unde nostra cohors laeta,
poli petens celsa,
divinitus accensa
psallat dulci symphonia.

6 b. Melos chorus sonet ita
celebrando festa,
humiliter plangendo
lapsa, tremens dicat: Eia,

7 a. Pastor digne,
Tu benigne,
Ut non volvamur in igne,
Orans pelle vitia.

7 b. Nostra te mens
Clamat gemens:
Posce nobis, praesul Clemens,
Divina praesidia.

8 a. Sic vivamus Christo pie,
Gratulando omni die,
In eius praesentia,

8 b. Qua laetantur caeli cives,
Quos regit in se rex dives
Caritate nimia.

9 a. In regno istius dulcis
semper est pax socia,

9 b. Honor, laus atque potestas
cunctaque fulgentia.

10 a. Illic et rosarum flores
Astant cunctique odores,
Qui fragrant clementia.

10 b. In his rex regum quiescit,
Qui maculam ullam nescit,
Pascens inter lilia.

11 a. Ibi ergo collocati
Sempiternae maiestati
Demus pia,

11 b. In aeternum exsultantes,
Sanctifluum iubilantes
Alleluia.

Miss. ms. S. Arnulphi Metensis anni 1321. Cod. Meten. 133. — 6 a, 4 dulce. — 7 b, 1 Ad te mens nostra. — 8 b, 3 Claritate. — 9 a, 1 dulces. — 10 a, 3 flagrant. — 11 b, 2 Iubilando sanctifluum. — Melodie: Congaudentes exsultemus.

168. De sancto Columbano.

1. Ad extrema, ecce, mundi
mirabili
candore Titani
radiavit insula,

2 a. Tribuens lucifluas
comas luminis
eximii,

2 b. Scilicet occiduo
ponti margine
cum properat

3 a. Columba,
sacer nuntius,
ortus Hibernia,

3 b. Barbara
corda instruit
petens Britanniam

4 a. Ac demum Sicambros
sacro gladio
coercuit,

4 b. Dum sanat aegros
una mortuos
vivificans.

5 a. Daemonum
furorem taetrum
proicit ab homine,

5 b. Lustrando
lumen caeci,
parere dat sterilem.

6 a. Dehinc Italiam
pressus ingreditur

6 b. Regum iniuriis,
construit Bobbium

7. Trinitatis gloria.

Grad. ms. Bobbiense saec. 12. Cod. Taurinen. F IV 18. — 4 b, 1 lies aegrotos? — 5 b, 2 lies lumina?

169. De sancto Daniele Patavino.

1 a. Confitentes recitemus
Laudes Dei, quod debemus,
Ut testatur Raphael;

1 b. Qui Tobiae reparavit
Visum, in quo praenotavit
Hoc, quod sanctus Daniel

2 a. Reparavit visum Tusco,
Cui nocte sed corusco
Vultu venit obvius

2 b. Spem promittens oculorum,
Quam medela medicorum
Denegavit penitus,

3a. Si sepulcri visitaret
Locum; quem cum ignoraret,
Haesitavit, huc an huc

3b. Ire posset, sed monstratur,
Ubi quaerat, nec frustratur,
Et ut alter Abacuc

4a. Danielem hic invenit.
In Patavum cum pervenit,
Tamen primo tumulum

4b. Ignoravit, sed monstratur,
Quo monstrato mox sanatur:
Sanus ad episcopum

5a. Venit, visa recitavit
Et antistes convocavit
Clerum atque populum.

5b. Qui cum testem Christi quaerunt,
Hunc recenti reppererunt
Sanguine purpureum.

6a. Quem, quo ferant, dum certabant
Et certantes disputabant,
Abstulit oblivio

6b. Mores brumae naturales,
Sed supponit aestivales
Nubium concussio.

7a. Hoc audito sunt commoti
Omnes et se freno voti
Stringunt, ut huic martyri

7b. Templum struant; sic cessavit,
Quem ventorum vis conflavit,
Impetus tonitrui.

8a. Ad precatus Danielis
Nos conserves, qui de caelis
Virginis in gremium

8b. Miro passu descendisti,
Propter culpam, quam lavisti,
Dans aeternum praemium.

Grad. ms. S. Petri Patavini saec. 15. in. Cod. Capit. Patavini A 20 *. A. — Grad. ms. Patavinum saec. 14/15. Cod. Capit. Patavin. B 20* B. — 2a, 1 visum cusco B. — 3a, 2 Lacum B. — 4a, 3 Tamen fehlt B.

170. De sancto Deodato.

1. Adest dies celebranda,
Dies digne praedicanda
Celebri laetitia.

2a. Hac in luce
Christo duce
Deodatus
Laureatus
Triumphat in gloria.

2b. Iam post luctum
Metit fructum,
Christum videt,
Cuncta ridet
Dudum adversantia.

3a. Servus prudens operatus
De talento et lucratus
Reportat duplicia.

3b. O quam felix haec usura
Subditorum [allatura]
De profectu gaudia!

4a. Clarus quidem
parentum titulis
Plus effulsit
cunctorum oculis
Morum elegantia;

4b. Sacri dignus
arce regiminis
Deodatus
sigillo nominis
Et operum gratia.

5 a. Fructus sede pastorali
Vigil stetit spiritali
Gregis in custodia.

5 b. Nunc cum Rachel, nunc cum Lia,
Ibi Martha, hic Maria
Diversa per studia.

6 a. Sed ut soli Christo vacet,
Spreta lippa Rachel placet
Noctis atrae nescia;

6 b. Illam fugit, huic haeret,
Viduata sedes maeret
Fuga patris anxia.

7 a. Hostis adest invidus,
Virum vexat callidus
Multa per exsilia.

7 b. Commutatis sedibus
Gallilaeae vallibus
Quies datur placida.

8 a. Longo latens in recessu
Omni fugit ab accessu
Plebis et frequentia.

8 b. Dape pastus ultro nata,
Iunctus feris miscet grata
Cum Deo colloquia.

9 a. Fame longa maceratus
Est caelitus revelatus
Humo inter somnia,

9 b. Et qui baiuli ciborum
Et ductores sunt virorum
Ad sancti tuguria.

10 a. Nam eremus innotescit,
Signis praesul inclarescit,
Fama cuius increbrescit
Mundi per confinia.

10 b. Vas pro vino muscam dedit,
Ea morsu virum laedit,
Vir compunctus fundam reddit
Impetrata venia.

11 a. Quam natura depravavit
Et brevitas deprobavit
Trabem, sanctus adaptavit
Domus in fastigia.

11 b. Hic est prudens architectus,
Culpa iacet qui abiectus,
Sublevatur per hunc rectus
Aula in aetherea.

12. O caelestis architecte,
Quam meremur, iram flecte,
Culpa gravi nos abiectos
Fer in aulam caeli rectos
Pia per suffragia.

Miss. Tullense imp. Tullii 1551. — 9a, 3 Am Rande ist vermerkt: „Alias Huno."

171. De sancto Dionysio.

1 a. Ex caelesti hierarchia
Virtus fulget ac sophia
Divi Dionysii,

1 b. Qui, cum mundi pro salute
Cruce pendet auctor vitae,
Scius fit mysterii.

2 a. Mundus, inquit, aut peribit,
Vel poenalis sors collidit
Deum, qui obtenebrat.

2 b. Sed hunc scholis perorantem
Paulus format ignorantem,
Dum caecum illuminat.

3 a. Alpha, solvens dubia,
Errorum conubia,
Sensus pandens graves,

3 b. Hunc mira clementia
Replesti scientia
Tactus per suaves.

4 a. Sic firmato firmas omnes,
Ut ad Francos fidem fundes
Praesulis officio.

4 b. O quam forti caritate
Mores struit et damnatae
Subvenit Parisio!

5 a. Sed non suffert leo fremens
Sanctum hunc et suos tenens
Perfidorum rabie;

5 b. Quos iam fortior Samsone
Per te vincit, Iesu bone,
Victor fit tam varie.

6 a. Felix, per quem feritas
Sternitur et falsitas
Vultu dissipatur.

6 b. Morum nam iucunditas,
Fides ac serenitas
Cunctis commendatur.

7 a. Sed erroris falso victi
Sunt atroces iam praedicti,
Quaerentes supplicia.

7 b. Crate, foco clibanorum
Foro sanctis parant thorum,
Et sunt haec initia.

8 a. O quam probat feris mitem!
Poenis purgant Christi vitem,
Late quod fructificet.

8 b. Cibum Christus sese donat,
Ut sic caput lictor ponat,
Quod extinctum deferet.

9 a. Laudes ergo doctissimo
Et martyri fortissimo
Dic, gens conversa,

9 b. Cuius dogma divinitus
Ast theorema dignius
Lucent emersa.

10 a. Sed tu, praesul, doctor pie,
Semper ora, ierarchiae
Ut iungamur superum.

10 b. Apud thronum regis summi
Te iuvante simus mundi
Hic et in perpetuum.

Grad. ms. Crucigerorum Coloniensium saec. 15. Cod. Semin. Colonien. 10. A. — Grad. ms. Crucigerorum Coloniensium saec. 15. Cod. Semin. Colonien. 11. B. — Grad. ms. Crucigerorum Coloniensium saec. 15. Cod. Semin. Colonien. 14. C. — Grad. ms. Crucigerorum Coloniensium saec. 15. ex. Cod. Semin. Colonien. 13. D. — 3a, 3 Accensus AB. — 4a, 2 fundes statt fundas erscheint durch den Reim und die Tradition der Hss. geschützt. Der Reim von fundes mit omnes weist überdies nach Frankreich als der wahrscheinlichen Ursprungsstätte dieser Sequenz. — Melodie: In caelesti hierarchia.

172. De sancto Dionysio.

1 a. Animemur ad agonem
Celebrantes passionem
Magni Dionysii;

1 b. Qui de mundo laetabundus
Caelos scandit coronandus
Cum palma martyrii.

2 a. Nam Athenis educatus
Vir in fide reformatus
Est Paulo praedicante.

2 b. Hic est doctor ille clarus
Et prophetiis praeclarus
Christo Iesu donante.

3 a. Qui tres sacros principatus
Angelorum est rimatus
Novem ponens agmina,

3 b. Et ad ima non deflexus
Miro modo est complexus
Sacra Dei nomina.

4 a. Sacra [scripta] hic compegit,
Ministrorum hic collegit
Ordines ecclesiae,

4 b. Conscripserit quod apice,
Cum nobis dedit mysticae
Sensus theologiae.

5 a. Praesul ergo consecratus
Atheniensi est datus
In pastorem populo,

5 b. Quem scientia supina
Mox convertit ad divina
Relicto diabolo.

6 a. Inde Romam sic profectus
Est a Clemente directus
Ad Gallorum patriam.

6 b. Venit ergo Parisius,
Quam possedebat subdolus
Hostis velut propriam.

7 a. Ubi structo Christo templo
Verbo docet et exemplo,
Coruscat miraculis.

7 b. Turba credit, error cedit,
Fides crescit et clarescit
Tanti nomen praesulis.

8 a. His auditis fit insanus
Saevus rex Domitianus
Mittitque Fescennium,

8 b. Qui pastorem animarum,
Vita, fide, signis clarum,
Trahat ad supplicium.

9 a. Prodit martyr conflicturus,
Ferit lictor, sicque purus
Consummatur gladio.

9 b. Se cadaver mox erexit,
Truncus truncum caput vexit
Caelesti tripudio.

10 a. Tu ergo, martyr inclite,
Animae sordes oblitae
Terge tuis precibus.

10 b. Quem hic doctorem sensimus,
Te defensorem petimus
Stantem cum caelestibus.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. — 10a, 2 sordis. — Melodie wahrscheinlich: In caelesti hierarchia.

173. De ss. Quattuor Doctoribus.

1 a. Rex delatus in quadriga,
Rector, currus et auriga
Fert, quo fertur ferculum;

1 b. Rotae sunt allegorica,
Textus mos anagogica,
Scriptura vehiculum

2 a. Nunquam labens,
Equos habens
Fortes, pulchros, pariles;
Orbem girant
Nec delirant,
Sed girantes orbi spirant
Hinnitus terribiles.

2 b. Hi doctores,
Qui ductores
Currus infallibiles,
Regem gerunt,
Summa quaerunt
Et errores rupes terunt
Per passus difficiles.

3 a. Augustinus
Aquilinus
Trans gradus angelicos
Solem cernit
Et prosternit
Errantes haereticos;

3 b. Praesul factus
Rursum actus
Per actus exstaticos
Sub figuris
Dat scripturis
Sensus anagogicos.

4 a. Dux gregis egregius,
Lux legis Gregorius
Fit regis vicarius
Et princeps pastorum;

4 b. Morum dogma seminat,
Cleri cantus ordinat,
Cuius nos illuminat
Venustas verborum.

5 a. Dum sacros apices
Legit Hieronymus,
Hebraeos codices
Translatos novimus,
Stat inter frutices,
Fit doctor maximus;

5 b. Dum se ieiuniis
Prorsus attenuat,
Corpus incendiis
Solis exaestuat,
Mentem molestiis
Carnis evacuat.

6 a. Leo monstrat
apum examine
Favo plenus
fide perspicua,

6 b. O Ambrosi,
de Christi nomine
Distillantem
verba melliflua.

7 a. Te, dum pastor
fore reniteris,
Vox infantis
prodit in publico;

7 b. Templo Dei
pastor praeficeris,
Gregem pascis
sermone mystico.

8 a. Primi lucens
albescit veritas,
In secundo
rubescit caritas,

8 b. Sequens niger
cuius austeritas,
Pallet quarti
simplex humilitas.

9 a. Agnus passus
hos equos astruit
His bis binis
tinctos coloribus.

9 b. Qui sigilla
septem aperuit,
Nos adiungat
turbis caelestibus.

Sequent. ms. Sedunense saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Capit. Sedunen. s. n. (1) add. saec. $^{14}/_{15}$. A. — Miss. Lausannense imp. Gebennae 1505. B. — Miss. Lausannense imp. Lugduni 1522. C. — 1 b, 2 mox C. — 3 a, 4 sternit BC. — 5 b, 6 evacuet C.

174. De ss. Quattuor Doctoribus.

1 a. Iesus Christus collaudetur
Et semper sanctificetur,
Qui creavit omnia,

1 b. Philosophos et doctores,
Veritatis inventores
Plenos sapientia.

2 a. Unus de numero quorum
Pastor fuit populorum,
Nomine Gregorius,

2 b. Humilis in omni morum
Honestate divinorum
Doctor et egregius.

3 a. De profundis tenebrarum
Lumen venit portans clarum,
Augustinus nomine,

3 b. Cui Ambrosius praedicavit
Et in fide confirmavit
Trinitatis culmine.

4 a. Qui doctor fuit praeclarus
Atque praesul non avarus
In suis dogmatibus,

4 b. Quibus mundum illustravit
Haeresim et consumavit
In locis compluribus.

5 a. Cardinalis hic doctorum,
Sanctus doctor divinorum
Advenit Ieronymus;

5 b. Testamentum illustravit
Vetus novum et firmavit
Ut Christi yconimus.

6 a. Omnes vos, sancti doctores,
Iesu Christi servitores,
Illi preces fundite,

6 b. Ut nos in hac vita puros
Reddat atque transituros
Ponat suo tramite.

Grad. ms. Parmense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Capit. Parmen. s. n. — 5 b, 3 Sicut. — Zu yconimus (= oeconomus), das hier der Reim schützt, vgl. Du Cange s. v. yconomus.

175. De sancta Domitilla.

1. Gaude, columba simplicis
Prudentiae, vestita purpuris.

2 a. Tu es virgo gloriosa,
Domitilla speciosa,
Paradisi fulgens viola.

2 b. Te convertit Achilleus,
Te confortat et Nereus,
Ut contemnas sponsum mortalem.

3 a. Dum tu purpuris te vestis
Ornatis gemmis, auro textis,
A sanctis Dei praedicaris:

3 b. Quanto studio ornaris,
In his vanis delectaris,
Ut placeas proli consulis!

4 a. Animam si tu ornares
Et sponsum mundi refutares,
Possideres Dei filium.

4 b. „Utinam", tu respondisti,
„Doctrina, quam docuisti,
Olim ad memet pervenisset"!

5 a. Te velavit Clemens sanctus,
Benedixit pastor tantus
Ad tuum pergens palatium.

5 b. Stella fulgens, Domitilla,
Rosa vernans et scintilla
In caelesti arundineto.

6 a. Romam exis, Domitilla,
Ut servilis et ancilla
Propter virginalem gloriam;

6 b. Exsulans peregrinaris,
In insula sancta moraris
Pontiana dilecta maris.

7 a. Caecis reddis lumen verum,
Cruce mutis verbum merum,
Terracina evangelizaris.

7 b. Virgines tu convertisti,
Sponsas sanctas velavisti
Et es lucrata sponsas Christo.

8 a. Multitudo paganorum
Sumit legem christianorum,
Qui per te a Roma venerant.

8 b. Persecutor induratur,
Saltans sponsus strangulatur
Et subito cadens moritur.

9 a. Cum virginibus sacratis
In cubiculo firmatis
Per ignem transis ad gaudia.

9 b. O beata virgo Dei,
Hodie sis memor mei,
Ut et tecum Iesu gaudeam.

Miss. ms. Vallisumbrosanum anni 1471. Cod. Laurent. Conv. sup. 232.

176. De sancto Donato Aretino Ep.

1. Laudes Deo dignas
concinat omnis aetas

2 a. Magni praesulis celebrans
Donati diem sollemnem cum
gloria,

2 b. In qua ad alta sidera
collocandam reddidit Deo
animam.

3 a. Hodie in astris
gaudent cuncta angelorum
atque resultant agmina.

3 b. Gaudeat quapropter
plebs devota, digna semper
illius poscens merita.

4 a. Cuius virtus
fulsit praeclara,
dum visum recepit
Syranna caeca;

4 b. Mox ut sacra
tincta est unda,
illuminata est
Christi gratia.

5 a. Gaudet Aretina patria
eius [miro]
obtentu lustrata,

5 b. Quia calix fractus ruerat,
quem levita
sacer obtulerat.

6 a. O valde
calicis laudanda
ac beata ruina!

6 b. Donati
per quam laus praeclara
resonat in saecula.

7 a. In vitrea fractura
mutata est natura,
et in Donato virtus
ostensa est praeclara.

7 b. Calicis nam fragmenta
[diversa iam] collecta
oratione facta
in unum sunt reiuncta.

8 a. Quem adhuc plebs tota
habet ad magna
miracula;

8 b. Draconis venena
extinxit ipse
pestifera.

9 a. Theodosii magni
filiam
daemonio liberans
patri reddidit sanam;

9 b. Per quam non modica
praedia
dona atque maxima
possidet ecclesia.

10 a. Cuius clara miracula
perlustrant cunctas
patrias.

10 b. Eius sancta nos gratia
Deo commendet
semper assidua.

11. Laus et gloria
Christo per saecula.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123 (B III 18). — 7 a, 4 ostensa sunt. — 9 a, 1 l. Theodosi? — 9 a, 4 reddit. — 9 b, 4 eius possidet. — Das Schema gleicht sehr jenem von „Virgo Israel“ (Anal. VII Nr. 102).

177. De sancto Donato Aretino Ep.

1 a. Psallat laeta contio
Recolens cum gaudio
Votiva sollemnia,

1 b. Quod Donatus hodie
De lacu miseriae
Transit ad caelestia.

2 a. Puer Romae studuit
Studioque floruit
Docente Pigmenio;

2 b. Fugit in Aretiam
Perdi timens etiam
Iuliani gladio.

3 a. Qua Primani filium
Liberat Austerium
A daemonis nexibus;

3 b. Clamat daemon exiens:
Cur incendor totiens,
Sancte, tuis precibus?

4 a. A Syranna caecitatem
Fugat et integritatem
Reddit orbae luminis.

4 b. Euphrosyna fiscum prodit
Viro suo, quem subfodit
Sub ingressu liminis.

5 a. Hinc Satyrus annis satur
Obit, eo viduatur
Civitas Aretia;

5 b. Ergo trahitur Donatus
Ad hoc culmen praesulatus
Omnium concordia.

6 a. Pastor pius, pastor bonus,
Pastorale ornans onus
Vita, verbo, spiritu,

6 b. Carbo prius ignis tectus,
Lampadarum tunc aspectus
Discurrens cum impetu.

7 a. Calix fractus reparatur,
Et defunctus suscitatur
Testis census redditi;

7 b. Draco perit, fons mundatur,
Et ab hoste liberatur
Nata Theodosii.

8 a. Cogit hunc Quadratianus,
Ut dis surdis ceu profanus
Ferat sacrificia;

8 b. Qui resistit stans invictus,
Tormentorum suffert ictus,
Deridet supplicia.

9 a. Tandem capite truncatur
Et aeterna coronatur
Vita, quam cupierat,

9 b. In odorem suavitatis
Offerens se cum beatis,
Videns, quem dilexerat.

10 a. Ave, pater gloriose,
Casti candor lilii,
Ave, mixtus odor rosae,
Robore martyrii;

10 b. In procinctu viae stamus,
Manum lapsis porrige,
Tua prece, ne cadamus,
Gressus nostros dirige.

Miss. ms. Pollingense saec. 15. Chm. Monacen. 11888. A. — Collect. ms. s. Congregat. Rituum saec. 17. Cod. Roman. Vallicellan. G 76. B. — Miss. Magdeburgense imp. Lubecae 1480. C. — Miss. Misnense imp. Lipsiae 1510. D. — Miss. Misnense imp. Lipsiae 1515. E. — 1b, 1 Qua AD; Quo B. — 2a, 3 Pigmentio D. — 3a, 1 Pruniani (Qua fehlt) B; Aprimani C. — 4a, 3 orbi ABCDE. — 5a, 1 carnis satur C. — 5b, 1 Hinc rapitur C. — 5b, 3 Civium constantia B. — Str. 6 u. 7 fehlen B. — 6b, 3 post aspectus C. — 8a, 2 et profanis C; ceu profanis ABDE. — 8b, 1 resistens stat BC. — Str. 9 fehlt B. — 9a, 3 quod cupierat C. — 10a, 1 Salve C. — 10a, 2 Castus A. — 10a, 3 Salve C; Age E. — 10a, 4 Robore hier = Rubore? — 10b, 2 Servos tuos respice B. —

178. De ss. Donato et Sociis MM.

1 a. Grates agens Christo gratis
Gratuletur Civitatis
Clerus, miles, populus;

1 b. In qua florent velut rosae.
Quos illustrat gloriosae
Passionis titulus.

2 a. Quorum primus est Donatus,
Caelo dives et donatus
Immortali gloria;

2 b. Quo victore vir profanus
Victus est Victorianus
Martyris constantia.

3 a. Iubet enim praeses dirus
Mentis inops et delirus
Vana coli numina;

3 b. Sed invictae vir virtutis
Surdis sua dis et mutis
Denegat libamina,

4 a. Illum docens adorari,
Cuius nutu saepta mari
Firma pendet arida,

4 b. Quo iubente sol et luna
Vice nobis opportuna
Luce nitent fulgida.

5 a. Verba vitae sanctus serit,
Praeses furit, sanctum ferit
Capitis sententia.

5 b. Fratrem cuius, virum iustum,
Sic inflicta mors Venustum
Rapit ad caelestia.

6 a. Per eandem Christus manum
Sacerdotem fert Silvanum
Cum levita Romulo.

6 b. His adiunctus Hermogenis
Collocatur in amoenis
Cum felice populo.

7 a. Cuius prece templum ruit,
Ruunt, quorum daemon fuit
Prolocutor, idola;

7 b. Quem inclusum in puella
Fide gerens Dei bella
Depulit christicola.

8 a. Ergo, quibus dies iste
Dedicatur, tua, Christe,
Nobis pandant atria.

8 b. Ibi regnant laureati,
Qui ad agni sunt vocati
Mystici convivia.

Trop. et Sequent. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVI (20). A. — Miss. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXX (13). B. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. in. Cod. Civitaten. LVIII C. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX. D. — 3 b, 2 diis ABCD. — 8 a, 2 Declaratur A.

179. De sancta Dorothea.

1. Ave, praesignis
margarita,
polita
castitatis vita,
virtutibus fulcita.

2 a. Euge, Deo digna,
pace nos consigna,
veritatis lumen,
verum solem iustitiae,
fac post mortem clare
nos illuminare.

2 b. Virgo, Deo nata,
Dorothea grata,
praeelecta ut sol,
pulchre refulgens ut sidus,
per te sint ablata
nostra nunc peccata.

3 a. Tu plena fide,
Christus sic stabilivit te,
ut nec minas curares
nec hostis tormenta saeva
formidares.

3 b. In ligno vitae
salvator subarrhavit te
sibi sponsam ornatam,
coronae caelestis serto
decoratam.

4 a. Tu agna Christi
esse meruisti
angelorumque germana,
nam vana
nefandi gaudia mundi
vicisti.

4 b. Tuque furentis
Fabricii praesidis
multa magnaque saevarum
poenarum
genera divino nutu
superasti.

5 a. Hinc gentilium
nos reliquiae
laudes Deo
decantemus hodie
mirabilium
eius, quae fecit
cum Sion filia,
quae mactata
erat temporaliter,
sed iam vivit in caelis
cum Christo perpetualiter.

5 b. Hinc manna verum
nobis tribue
ob meritum
martyris Dorotheae,
praefiguratum
quondam in lege,
sed nunc ecclesiae
triumphanti
datum aeternaliter.
Fac nos, Christe, caelesti
pane semper digne refici.

6 a. Fac aquam mundam,
excussam quondam
de petra per virgam,
nos gustare
cum perfecta fide,
peccata deflere
contrito corde,
agnum typicum
ferventer nos vorare.

6 b. Es igne laesa,
fustibus caesa,
mammillis cremata,
macerata,
uncis lacerata,
Christi Nazaraea,
faculis tandem
usta flammeis,
o dulcis Dorothea.

7 a. Audi nos,
nam te virginum
sponsus tuus honorat.

7 b. Salva nos,
virgo, pro quibus
te supplex clerus orat.

8 a. Fac fontem nobis gratiae
necnon caelestis praemii
fructum adfluere,

8 b. Ut haustu sapientiae
possimus transitoria
cuncta respuere,

9. Tuam praeclaram vitam
operibus
imitari
sanctisque aequari,
post mortem in caelesti gloria
cum honore coronari.

Miss. ms. Cremifanense saec. 15. Cod. Cremifanen. 339 A. — Miss. S. Floriani saec. 14. Cod. S. Floriani XI 389 B. — Miss. ms. Walthusense saec. 14. Cod. Lincen. *I* p. 23. C. — Miss. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Hilarien. LI. D. — Miss. ms. Pragense (?) saec. 15. Cod. Pragen. XII A 18. E.

1, 1 Ave praefulgens AD. — 2 a, 5 fac clare post mortem nos A; fac nos post mortem clare BD. — 2 b, 1 Vera Dei B. — 2 b, 6 nunc fehlt A. — 3 a, 1 Te A. — 3 b, 4 caelesti luce A. — 4 a, 4 non vana B; nos vana D. —

4a, 6 devicisti B. — 4b, 4 poenarumque A; genera poenarum B. — 5a, 3 Deo fehlt B. — 5b, 10 sq. pane caelesti ABD. — 6a, 5 sincera fide B. — 6a, 9 manducare D; das biblische vorare (Ex. 12, 9) jedenfalls ursprünglich. — 6b, 6 tu Christi A. — 6b, 7 tandem fehlt A. — 7b, 3 supplex te D; adorat A. — 8a, 1 bonis gratiae B. — 8a, 3 fructu B. — 8b, 3 cuncta fehlt B. — Mel.: Ave praeclara maris stella.

180. De sancta Dympna.

1a. Hac in die
Grex noster extollat pie
Alleluia,

1b. Qua transivit
Dympna, quae cum Deo vivit,
Res miranda.

2a. Haec est virgo sapiens,
Quam dilexit prodiens
Sol de stella.

2b. Regis ex progenie
Orta fulget facie
Semper clara.

3a. Matri fide stabilis
Iam defunctae similis
Pari forma.

3b. Spretis patris nuptiis
Minis nec blanditiis
Fit corrupta.

4a. Vires infernalium
Crebro sedat ignium
Valle nostra.

4b. Insistentis operi
Manum sanat miseri
Carne sumpta.

5a. Ferri vincla reserat
Et captivos liberat,
Ut mens nostra desinat
Esse caeca.

5b. Obsessos daemonibus
Sensus reddit usibus
Praepotens virtutibus
Haec praedicta.

6a. Nunc, regis filia,
Mortis supplicia
Ne patiatur
gens misera,

6b. Prece propitia
Nobis concilia
Hunc, quem genuit
puerpera.

Vita ms. S. Dympnae Gelensis saec. 15. Cod. Gelen. s. n. A. — Grad. ms. Gelense saec. 15. Cod. Gelen. s. n. add. saec. 16. B. — Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90 C. — 1a, 1 sq. Laudes Dympnae | Plebs nostra decantet pie A. — 1b, 1 Caelos scandit A. In beiden Fällen ist der Reim zerstört. — 2b, 1 Regis proles Hiberniae A. — 2b, 2 fulsit C. — 3b, 1 patri C. — 5b, 2 und alles folgende fehlt infolge von Verstümmelung B. — 6a, 1 Erge stirpe regia C. — 6b, 1 Parce C. — Melodie: Laetabundus, deutsche Singweise. — Aus C in Anal. Bolland. VI, 396.

181. De sancto Eligio.

1a. Emicat virtutibus
Confessor Eligius,
Sanctitatis speculum,

1b. Regnans super sidera,
Sublimis in gloria
Apud patrem luminum.

2a. Sub aquilae specie
Eius matri gravidae
Monstratur praesagium,

2b. Quo puer iste sanctus
Virtutibus pennatus
Totus volet in Deum.

3 a. Eruditur literis
Adplicatur iuvenis
Studio fabrilium;

3 b. Fit faber eximius,
Mira cudens, caelitus
Massas augens operum.

4 a. Medetur pecudibus,
Medetur hominibus
Salus hic languentium.

4 b. Fit praesul Noviomi,
In hoc statu sublimi
Humillimus omnium.

5 a. Demum te, faber sancte,
Te praesul gloriose,
Obsecramus plurimum,

5 b. Clementer, clemens ipse,
Nos rege, nos dirige
Per hoc iter devium.

Cod. Bernen. A 94 [Nr. 19] saec. 15. — Aufschrift: „Prosa de sancto Elegio, quam composuit Domnus Stephanus abbas Pontis-Thieffridi Metensis.“

182. De sancta Elisabeth.

1 a. Iucundetur plebs fidelis,
Elisabeth quod in caelis
Scandens gaudet hodie;

1 b. Sancta radix et regalis,
Sancti regis specialis
Flos et germen nobile.

2 a. Sociata uni viro
Firma fide de tyranno
Christi fecit militem.

2 b. Sui viri post decessum
Mutat mores et processum
Et excessum corrigit.

3 a. Quidquid habet, dat egenis,
Egens magis pro egenis
Victum quaerit manibus.

3 b. Curam gerens aegrotorum,
De spe certa futurorum
Servit aegris sedula.

4 a. Immundorum manu munda
Sordes tergit, lavat unda
Multis immunditias.

4 b. Elisabeth ex hoc grata
Tibi, Iesu, per te multa
Fecit haec miracula.

5 a. Caeci, claudi, surdi, muti,
Sunt defuncti restituti
Sanitati pristinae.

5 b. Patris poenam mitigavit,
Fontis aquam immutavit
In piscibus precibus.

6 a. Eia, fratres, exoremus
Hanc et eius imploremus
Proni patrocinia,

6 b. Ut nos solvat a peccatis,
Sursum ducat cum beatis
Ad aeterna gaudia.

Grad. ms. Zagrabiense saec. 15. Cod. Cathedral. Zagrabien. s. n. A. — Miss. ms. Zagrabiense saec. 15. Cod. Cathedral. Zagrabien. XLIV 2. 323. B. — 1 a, 2 quae in A. — 2 a, 1 viro uno B. — 2 a, 2 Fide firma B. — 2 a, 3 Mitem fecit B. — 3 b, 1 egenorum A. — 4 b, 3 Haec fecit A. — 5 b, 1 Matris B. — 5 b, 3 piscibus fehlt A. — 6 a, 2 ut eius A.

183. De ss. Euphemia, Dorothea, Thecla, Erasma.

1 a. Gaude, chorus fidelium,
Sanctorum rex convallium
Hodie legit lilium
In Aquilegia.

1 b. Descendens ad aromatum
Areolam caelestium
Sorores sacras civium
Fert ad collegia.

2a. Hae sunt novi Sion flores,
Quae cunctorum formant mores
Virginali foedere,

2b. In aetate dum tenella
Fide dira vincunt bella,
Cogunt Christo credere.

3a. Harum duas christianus,
Duas nequam et vesanus
Idolatra genuit,

3b. Quas cum novit baptizatas,
Christo sponso consecratas,
Ira fremens gemuit.

4a. Furens saevit, cedunt natae,
Flagrat magis vis innatae
Flagris trita fidei.

4b. Sequens ad germani tendit
Domum, servus has ostendit
Spreto cultu fidei.

5a. Vis verborum probat fidem,
Verbo namque servus idem
Statim datur funeri.

5b. Parens natas cum germanis,
Furor quem vexat inanis,
Domo claudit funebri.

6a. Hostis proli,
Servus doli,
Factus frater sceleris,
Tradit natas
Iam renatas
Potestati Caesaris.

6b. Iubet eas
Quasi reas
Caedi timens parcere;
Praeses caesas
Sed illaesas
Demum claudit carcere.

7a. Post abscidit his mamillas
Et per urbem trahit illas
Stirpe natas celebri.

7b. Tandem iubet has punire
Gladio, quas vult finire
Vitam morte celeri.

8a. Tunc has pater domum duxit
Intrans, illis quam construxit,
In turrim, magnopere.

8b. Quintus hic in domo visus
Et in quattuor divisus
Necat sanctas propere.

9a. Has ostendit finis rei
Patris esse sanctas Dei
Et turris destructio,

9b. Praeceps pestis perversorum,
De Natissa submersorum
Corporum reductio.

10a. Coniunguntur nunc in caelo
Christo, cuius passae zelo
Conculcantes lolium.

10b. Harum, Christe, prece pia
Gradientes vitae via
Duc ad caeli solium.

Trop. et Sequent. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVI (20). A. — Miss. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXX (13). B. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. in. Cod. Civitaten. LVIII. C. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX. D. — Trop. et Sequent. ms. Aquilegiense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Seminarii Goricien. I. E. — 1b, 4 collegium C. — 2a, 1 novae ABCD. — 2a, 2 cunctarum E. — 7b, 3 celebri ABCD. — 9b, 1 Preces E. — 9b, 2 Natissa = die durch Cividale fliefsende Natissone. — Man könnte versucht sein, 6a und 6b in je 2 correspondierende Halbstrophen zu zerlegen; die Melodie aber verlangt die vorgelegte Fassung.

184. De sancto Eustachio.

1a. Adest dies gloriae,
Dies complacentiae,
Plena Dei gratia,

1b. Dies, inquam, luminis,
Expers haec caliginis,
Vere dies regia.

2 a. Haec dies, quam Dominus
Deus, rex interminus,
Fecerat a saeculo.

2 b. Gaudeat plebecula
Haec in hac diecula,
Qua carnis ergastulo

3 a. Triumphatis hosticis
Minis Adrianicis,
Syrti senatoria

3 b. Rutilante laurea,
Scandit in aetherea
Digna cum victoria

4 a. Vir magnus Eustachius,
Non pressurus amplius
Nobili collegio,

4 b. Qui polorum agmina
Cum terrarum machina
Illustrant martyrio.

5 a. Aeternae vitae complices,
Vos precamur supplices
Nostris pro excessibus,

5 b. Sitis apud Dominum
Memores iam hominum
Regnis in caelestibus.

Miss. ms. Mosaetraiectinum saec. 15. Cod. Hagen. I 10. — 4 b, 1 Cui. — Melodie jedenfalls: Veni sancte spiritus.

185. De sancto Evasio.

1 a. Caeli iubar, mundi lumen,
In quo splendet Christi numen,
Nunc fulget Evasius;

1 b. Inter astra micans poli,
Rosa vernans, digna coli,
Gaudet gloriosius.

2 a. Noster chorus
Sit sonorus,
Decoratus
Et dotatus
De pastore inclito;

2 b. Nisu toto,
Cordis voto
Supplicemus,
Melos demus
Ante Deum posito.

3 a. Septena daemonii
Per preces Evasii
Virtus effugatur;

3 b. Virtute oraculi
Dignus praesul populi
Astensis sacratur.

4 a. Pestem vanam
Arianam,
Vasa mortis
Pugil fortis
Damnat fultus caelitus;

4 b. Nam vesani
Et profani
Lumen Dei
Mente rei
Respuebant penitus.

5 a. Virga florens pastoralis
Monstrat, intus erat qualis,
Totus namque floridus.

5 b. Tentus lassus adligatur,
In cavernam sic iactatur,
Sed manet intrepidus.

6 a. Inter spinas lilium
Stat exspectans gladium,
Pro fide mactatur;

6 b. Rosa rubens sanguine,
Gemma fulgens lumine
In caelo locatur.

7 a. Dux crudelis
Fit fidelis,
Excaecatur,
Illustratur
Terrae per suffragium.

7 b. Luitprandus,
Rex amandus,
Fundat aedem
Christi sedem
Victor per Evasium.

8a. Ergo lauda in hac die,
Qua caelestis hierarchiae
Aguntur sollemnia.

8b. Trinae, simplae monarchiae
Odas demus melodiae
Et oris obsequia.

9a. Lauda sanctum Evasium
Eius poscens suffragium,
Plebs egena,

9b. Lauda ducem mirificum,
Lauda et civem caelicum
Mente plena.

10a. Pastor bone
Ac patrone,
Tuum gregem
Apud regem
Recommenda sedula

10b. Tua prece,
Ut a nece
Liberati
Et translati
Regnemus in saecula.

Ioannis Andreae Irici. . de S. Evasio. . . dissertatio historico-critica. Mediolani 1748, p. 225, nach Chorbüchern von Casale. — Die Melodie der Sequenz war augenscheinlich: In caelesti hierarchia.

186. De sancto Evergislo.

1a. Adest dies laetitiae,
In quo sidus iustitiae
Fulgidum emicuit;

1b. De profundis tenebrarum
Divinitus lumen clarum
Ortum mundo claruit.

2a. Evergislus, Deo gratus,
Agrippinae pastor datus,
Inflammatus caelitus,

2b. Firmans fidem, formans mores,
Legis sacrae perversores
Superavit penitus.

3a. Hic salutis fit speculum
Morumque spectaculum
Sequens evangelium.

3b. Salve, gemma confessorum,
Praesul et lux martyrum,
Vas virtutum omnium.

4a. Dum missus a Domino
Pacem procurando populo,
Iusti sanguis funditur,

4b. A profanis manibus
Evergislus, vir egregius,
Invasus occiditur.

5a. Christi factus est hostia,
Caelorum transit ostia
Cum palma martyrii.

5b. Aegri currunt et curantur,
Caeci, claudi reparantur
Meritis Evergisli.

6a. Loci illius perfusa
Sacri cruore gramina
Non perdunt viriditatem.

6b. Qui te patrem venerantur,
Te ductor[e] consequantur
Aeternam felicitatem.

7a. Felix, per quem gaudia
Militans ecclesia
Sumens exaltatur,

7b. De cuius praesentia
Sancta nunc Colonia
Tota gratulatur.

8a. Laudemus ergo mirificum
Pontificem Evergislum
Mente pura,

8b. Ex cuius ore ut nix alba
Processit ad alta tendens-
que columba.

9 a. Sed tu, Christi martyr pie,
Pastor clemens et patrone,
Prece semper sedula

9 b. Derelicti vices gregis
Pietati summi regis
Commenda per saecula.

Oration. ms. S. Caeciliae Coloniensis saec. 15. Cod. Colonien. 1. — Wird in der Hs. als „Sequentia“ bezeichnet. — Die Melodie soll offenbar sein: „In caelesti hierarchia“, freilich um eine Strophe gekürzt und vielfach entstellt. Die Schlufs-Strophen sind starke Entlehnungen aus jener Sequenz, währeud der Anfang sich mit der Sequenz gleichen Anfanges auf den hl. Agilolph (oben Nr. 106) deckt.

187. De sancto Evurtio.

1 a. Venit sanctus spiritus
Adducens divinitus
De Roma Evurtium;

1 b. Venit pater pauperum
Odiosum veterum
Terminans exitium.

2 a. Consolator optime,
Praesul beatissime,
Urbis desiderium,

2 b. Animae datur quies,
Quae per singulos dies
Linquit purgatorium.

3 a. O lux beatissima,
Qua fruitur anima
Post poenae suspirium;

3 b. Mundata a crimine
Exit de voragine
Per Dei imperium.

4 a. Mundat, quod est sordidum,
Fugat, quod est horridum,
Turpe facit candidum;

4 b. Verbum Dei validum
Per praelatum providum
Confortat cor pavidum.

5 a. Da viris fidelibus,
Dei servitoribus,
Robur constans cordium,

5 b. Da virtutis meritum,
Religionis ritum
Ac perenne gaudium.

Offic. ms. Aurelianensia saec. 15. Cod. Vatic. Regin. 623. — Melodie natürlich: Veni sancte Spiritus unter Entlehnung des jedesmaligen ersten Verses.

188. De sancta Fide.

1 a. Felix dies et iucunda,
In qua Fides, virgo munda,
De lethali transit unda
Ad caeli palatia.

1 b. Diadema sempiternum
Laeta sumit in aeternum
Laudes cantans ad supernum
Regem regis filia.

2 a. Contra minas stat secura
Daciani virgo pura,
Sed columba mulcet dura
Flammarum incendia.

2 b. Carcer, ignis, crux, pruina,
Nexus, crates, uncus, mina,
Serra, mucro, mors, ruina
Sunt Fidis supplicia.

3 a. Lepra fugit, salus datur,
Claudus vadit, mutus fatur,
Caecus videt, mors fugatur
Sanctae Fidis gratia.

3 b. Miles fortis, Sunamitis,
Nos ad pedes verae vitis
Duc, ut tecum, virgo mitis,
Laetemur in gloria.

Passionale ms. s. Fidis Conchensis saec. 11. ex. Cod. Selestadien. 95 (1187) add. saec. 13. — Nachgetragen ist die Sequenz im Fideskloster zu Schlettstadt. — Melodie: Verbum bonum et suave.

189. De sancta Fide.

1 a. Alta voce chorus iste
Dulce pangat Alleluia,

1 b. Sancta tua, Iesu Christe,
Praeconizans magnalia.

2 a. Hodierna namque luce
Virgo Fides Christo duce
Dacianum superat,

2 b. Cum tyranni rugientis
Poenas, minas in tormentis
Patienter tolerat.

3 a. Praeses ergo Dacianus
Praesentata virgine
Sanctissima

3 b. Nomen suum rogat atque,
Sub quo degat numine
Pulcherrima.

4 a. At illa cum fiducia
Respondet ei talia:

4 b. Numen Fidis est Messias,
Deus natus ex Maria,

5 a. Qui fecit aridam,
sidera, maria,
Qui cuncta condidit
sola prudentia,

5 b. Cuius cuncta regit
omnipotentia;
Qnos autem colitis,
dii, sunt daemonia.

6 a. Dum Fides ista loquitur
Dacianus irascitur;
O impietas!

6 b. Cratemque iubet aeream
Parari atque flammeam;
O crudelitas!

7 a. In hac ergo craticula
Versatur Dei famula.

7 b. Servorum inclementia
Exasperat incendia.

8 a. Gaudet victrix iuvencula
Inter tanta patibula

8 b. Combustionis . . .
[O] quanta mirabilia!

9 a. Columba nempe candida
Nubesque rore fluida

9 b. Flammas extinguit tenera
Circa virginis latera.

10 a. Ita fides vera Fidis
Fidei constantiam

10 b. Sanam servat et acervat
Magnam sibi gloriam.

11 a. Sed post truncata gladio
Cum beato Caprasio
Christi sequens vestigia
Migrat hinc ad caelestia;

11 b. Et voce iugi Dominum
Laudat in choro virginum
Martyrumque per agmina
Nova concrepat carmina.

12 a. Ergo laeta contio
Promat cum tripudio
Mellicaque symphonia,
Quanta sunt haec sollemnia.

12 b. Voce cum organica
Nova cantans cantica
Voluptuosa neumata
Solvat mater ecclesia.

13 a. Ave, iam nunc
beata domina,
Te precantum
audi precamina,

13 b. Per te nobis
culparum venia
Tribuatur
divina gratia.

14. Amen dicat haec chorea.

Passionale ms. s. Fidis Conchensis saec. 11. ex. Cod. Selestadien. 95 (1187) add. saec. 13. — Mit Melodie. — Eingetragen ist die Sequenz im Fideskloster zu Schlettstadt. — 8 b, 1 sq. In der Hs. ist hier eine so abgeschabte Stelle, dafs sie völlig unlesbar ist.

190. De sancto Florentio.

1. Sacerdotum praefulgens gloria
Florentius eximia,

2 a. Scoto natus stemmate
Finibus Alsatiae
Floruit sub praesule
Arbogasto,

2 b. Sexaginta fortium
Gerens se praecipuum
Salomonis astantium
Lecti strato.

3 a. Hic est nubes, vox in rota,
Hic columna et immota
Stans in templo Domini.

3 b. Hic meretur non superbis
Gestis ferre, solis verbis,
Aegrotis remedia.

4 a. Stupescit bestia
Ad huius imperia,

4 b. Naturae suae ius
Perdit solis radius.

5 a. O praesul, o confessor,
o cultor Domini,
eius crucem baiulans;

5 b. Tu quadrigas Aminadab
ferens, nobis impetra
posse sequi, quod praedicas.

6 a. O Florenti, florens vita,
Flumen fundens documenta,
Tu sanctorum flores morum
Sensu nostro germina;

6 b. Interventu tuo Christi
Dona, quae promeruisti,
Futurorumque bonorum
Nobis confer gaudia;

7. Ibi Christo gloria.

Miss. ms. Vallis s. Gregorii Monasteriensis saec. 15. Cod. Colmarien. 408. A. — Grad. ms. Offenburgense saec. 15. Cod. Engelbergen. 1. B. — Miss. Argentinense imp. Hagnoe 1520. C. — 2 b, 3 Der Überschufs einer Silbe zeigt sich auch in jeder Zeile von Str. 5 b. — 2 b, 4 Leti A. — 3 a, 3 Stans fehlt B. — 3 b, 2 superabis C. — 4 b, 1 vis B. — 5 b, 2 sq. impetrasse sequi A. — 7 Tibi C.

191. De sancto Foillano.

1. Adest nobis
dies ista
celebris atque iucunda,

2 a. In qua praesul
martyrque
Foillanus
carne deposita
caelesti indutus
est gloria.

2 b. Meritorum
praemia
assecutus
iam super aethera
sanctorum sortitus
collegia.

3 a. Hic Christo devotus
a pueritia
regalia deseruit
patrimonia.

3 b. Vagus hinc divino
nutu per maria
renuntiavit patriae
factus advena.

4 a. Hunc a cunis
fovit Hibernia,
occiduorum insula,
post et ipsa
ab eo fota
spiritualis escae copia.

4 b. Imitantem
hunc apostolica
pio nisu vestigia
sicut pacis
evangelistam
excepit feliciter Gallia.

5 a. Plures enim huius
praeconio
sunt imbuti vitae
documentis
Dei operante gratia.

5 b. Tam quoque virtutum
ornamento
quam materiali
incremento
compta mater est ecclesia.

6 a. O quam gloriosa
vitae viri merita!

6 b. O quam pretiosa
viri necis gloria!

7 a. Sinceris praeco moribus
in vita clarus nituit
ac clarior a morte
resplenduit
per quam plura
miraculorum prodigia;

7 b. Inter quae eius passio
columba, sanctitas angelo,
corporis absconsio
columna sunt
consignata
trini numinis gratia.

8 a. Ergo cuius est pietas
tanti patris
nos amplecti
pignora,
sit et ipsius gratia
nos eius mereri
patrocinia.

8 b. Et tu, caelestis accola,
cuius festa
celebramus
annua,
tibi devotos adiuva
nosque Christo benigne
concilia,

9. In quo nobis per te
sint festiva gaudia.

Collect. ms. S. Laurentii Leodien. saec. 12. Cod. Bruxellen. 9742 A. — Collect. ms. S. Laurentii Leodien. saec. 11. Cod. Bruxellen. 18653—57. B. — Miss. ms. Trudonense (?) saec. 14. Cod. Monten. 28 (107) C.

2b, 5 sortitus fehlt B — 3a, 1 Christus C. — 3b, 1 Vectus hinc C. — 4a, 6 spiritualis est copia B. — 7b, 2 sanctitatis AB. — 7b, 2 angeli B; consolatio B, consolatione A. — 9, 2 sunt C. — Vgl. Acta SS. Oct. XIII, 383.

192. De sancto Francisco.

1 a. Alme dux, minorum pater,
Per te lucet mundus ater,
O lux solaris gentium;

1 b. Tibi datur signum regis,
Per quod auctor novae legis
Mutavit vocem flentium.

2 a. Sonat vox novi praeconis,
Sacco tectus, cinctus zonis,
Iam mundum linquens transiit;

2 b. Nam siccato carnis flore
Exonustus, in odore
Post Christum currens abiit.

3 a. Novitate aquilari
Rugas mentis denotari
Virtutum quaerit cardine;

3 b. Stupet caro delicata,
Miro vomere sulcata,
Respersa caeli semine.

4 a. Audi, cultor introductus,
Tu plantator novi fructus
Ditas tellus, maria.

4 b. Partus tuus triplicatus
A ruina praeservatus
Sit cum Sion filia.

5 a. Audi pater nos Francisce,
Tuae prolis pondus disce
Et a malis nos tuere,

5 b. Ne damnemur cum impiis,
Placa Deum pro miseris
Et dic: horum miserere.

Sequent. ms. S. Georgii Villingensis saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 3. — 2 a, 1 Sonet. — 2 b, 2 Exhonustus. — 4 b, 3 filia Sion.

193. De sancto Francisco.

1 a. Ave, pater, pacis lator,
Paupertatis renovator,
Novae gentis gloria;

1 b. Post te currit nova schola
Pede nudo, vili stola,
Zona, bursae nescia.

2 a. O Francisce, vas virtutum,
Tu sprevisti velut lutum
Bona temporalia;

2 b. Crucem praefers specialem,
Nec in terris habet talem
Sanctus nec in patria.

3 a. Signa probant te beatum,
Cuius ossa sanitatum
Vaporant dulcedinem;

3 b. Quot sunt morbi, tot medelae,
Visus, gressus et loquelae
Praebes plenitudinem.

4 a. Lepra, languores fugiunt,
Mors, daemones oboediunt
Ad tua imperia.

4 b. Iesu, fili summae matris,
Prolem ducas tanti patris
Ad aeterna gaudia.

Miss. ms. Franciscan. Amstelodamen. anni 1531. Cod. Weerten. Fa 7. A. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1492. B. — 1 b, 1 stola B. — 1 b, 2 Pede mundo A. — 1 b, 3 Zonae B. — 2 a, 2 Tui spernunt sicut B. — 3 b, 3 praebens A. — 4 a, 2 effugiunt A.

194. De sancto Francisco.

1 a. Salve, pater, forma morum,
Praecolende dux Minorum,
Duc ad regna nos polorum
Tuis sacratis precibus.

1 b. Salve, pater, institutor
Novae prolis atque tutor
Miserorum et adiutor
Devotarum plebium.

2 a. Salve, noster patriarcha,
Qui salvasti nos in arca,
Cuncta mala nostra calca
Tuis praeclaris meritis.

2 b. Lingua nempe laudatoris,
Peritissimi doctoris
Nec metam tui fervoris
Collaudare sufficit.

3 a. Nudus nudum es secutus
Christum, gaudens valde tutus,
Post eum pergis non indutus
Mundi huius opibus.

3 b. Quibus omnibus despectis,
Calciamentis abiectis,
Veste rudi, chorda electis
Crucifixum sequeris.

4 a. Paupertatem desponsasti
Et prae cunctis eam amasti,
Nunquam fuit regina Vasthi
Tali honore praedita.

4 b. A criminibus remotum,
Divinali igne fotum
Apostolicumque totum
Te vocavit Dominus.

5 a. Proles gignis te sequentes,
Totum orbem adimplentes,
Christi gestis adhaerentes,
Ut exemplis panditur.

5 b. Corpus tuum, saepe lassum,
Post magistrum cruce passum,
Tendit cursum non incassum
Sequens sua vestigia.

6 a. In Alverni monte degens,
Crucem Domini perlegens
Et gemitibus te regens
Meruisti stigmata.

6 b. Qui patibulo pependit,
Ex Olympo mox descendit
Mane quodam et ostendit
Tibi amorem maximum,

7 a. Crucifixus et alatus,
Ut Seraph pennis velatus,
Statim tecum amplexatus
Vultu amoeno et hilari.

7 b. Disparente visione
Eiusque locutione
Statim ab impressione
Cicatricum laederis.

8 a. In te plagae remanentes,
Manus pedesque affligentes
Sicut latus, ut videntes
Verbo certo praedicant.

8 b. Sed de clavis mire factis,
Nervo duro iam peractis,
Parum desuper extractis
Idem testes asserunt.

9 a. Tu es ergo caelo missus,
Sine cruce crucifixus,
In quo signo iam abyssus
Secretorum panditur.

9 b. Nunquam hoc fuit auditum,
Sacramentum tale scitum,
Hoc que donum infinitum
Praestat cunctis gaudium.

10 a. Pater igitur Francisce,
Qui laetaris recepisse
Christi plagas, fac, ut ipsae
Prosint nobis omnibus,

10 b. Ut a culpis eruamur
Meritisque induamur
Ac in caelis perfruamur
Sempiternis opibus.

Miss. ms. Franciscanorum Melitensium anni 1506. Cod. Vat. Ottobon. 221. — 3 b, 3 et chorda. — 5 b, 1 quod saepe. — 6 a, 1 Alverne. — 7 b, 1 Disperante. — 9 b, 3 Hoc donum. — „Subscripta prosa ab ecclesia approbatur et 40 dies indulgentiarum ex devotione dicentibus conceduntur.“

195. De sancto Gallo.

1. Concentu parili
hic te, patrone,
veneratur populus
teque piis colit cordibus.

2 a. Generosi Abrahae
fidem secutus,
deserens propria,
effectus hinc
caelestis incola.

2 b. Sanctitate corporis
castitateque
morum prae omnibus
insignitus,
tu decus abbatum.

3 a. Laetare, pater, nobili
genitus prosapia
velut gemmula
nobilissima, auream
accersisti coronam Dei.

3 b. In cuius sacratissimo
corpore insignita
per catenulam
evidentius aeneam
claruere Christi stigmata.

4 a. Te virga Domini
sanat, purgat, erudit
disciplinae spiritu
tamquam pater filium
febre valida.

4 b. Tu porta gentibus
ad vitam, idolatriae
cultum delens, populos
Christo novos generans,
doctor optime.

5 a. Sed tu tamen,
pater virtutum, dum nobis
exemplum
humilitatis verae
commendasti, strenue
regem secutus gloriae.

5 b. Ad templumque
mundi cordis tecum Christus
cenando
subintrat, praeparando
tibi cenam pinguem
mentisque iuge convivium.

6 a. Laetare, quem scrutator
cordis et renum (Deus)
novit, fovit gratia
spiritaliter
cor replens et animam.

6 b. Exsulta, cui mundus
non risit, daemon
siluit, caro pressa
[fuit] iugiter
suavi iugo Domini.

7 a. Ergo quique colimus
festa famuli Christi,
beati Galli,
eius piis nos iunge
meritis.

7 b. Si non Dei possumus
tantam exsequi tardi
humilitatem,
forma sit nobis pater
humilis.

8 a. Laus patri gloriae,
qui sunm famulum
idoneum gentibus
doctorem destinavit
caelitus.

8 b. Laus eius filio,
qui suo sanguine
nos patri (re)concilians
supernis hunc adiunxit
civibus.

9. Laus quoque sancto spiritui
sit per aevum.

Miss. ms. Voraviense saec. 14. Cod. Voravien. 92 (35). A. — Sequent. ms. S. Petri Salisburgensis saec. 16. Cod. S. Petri Salisburgen. IV F (Appendix ms. Miss. Romani, imp. Venetiis 1513). B. — 1, 4 colit mentibus B. — 2a, 3 deserendo AB. — Str. 2b fehlt in den auffindbaren Quellen; ist von mir nach dem Texte der Stammsequenz ergänzt. — 3a, 5 accessisti A; Domini AB. — 4a, 1 Tu A. — 5b, 1 que fehlt AB. — 5b, 2 sqq. tecum cenando subintrat Christus AB. — 6b, 2 sq. risit caro daemon siluit pressa AB. — 8a, 3 gentibus idoneum B. — Melodie: Symphonia. Die Stammsequenz Notkers gleichen Anfanges auf Purificatio BMV. ist derart als Vorlage benutzt, dafs immer die Eingangsworte jeder Klausel entlehnt wurden, bei Str. 1 u. 7b sogar wortgetreu fast die ganze Strophe.

196. De sancto Geminiano.

1a. Glorietur laetabunda
Facta satis et iucunda
Mutinensis contio

1b. In adventu sui ducis,
Amatoris verae lucis,
Festi cum tripudio.

2a. Hic ex carne Mutinensis
Nunc in caelo fortis ensis
Exstat rebus in immensis
Praesenti collegio.

2b. Adulescens spernit vana,
Ut per eum plebs mundana
Deum colat et arcana
Largiatur unctio.

3a. Iam Geminianus
Literis ornatur,
Cuius fortis manus
Nunquam fatigatur,
Ut omnes curentur.

3b. Christi miles fortis
Clero sociatur,
Amatores mortis
Cunctos aspernatur,
Ut resuscitentur.

4a. Pauper consolatur,
Quia sublevamen,
Nudus adornatur,
Nam ipse iuvamen,
Quique infirmatur,
Habet delectamen
A Geminiano.

4b. Forma decoratur,
Castitate floret,
Ac mens non quassatur,
Si peccata ploret
Plebis, gloriatur,
Christum si adoret
Consilio sano.

5a. Hic Laurentium levita
Factus imitatur ita:
Ille Systo ut in vita,
Servit hic Antonio.

5b. Quo defuncto hic clamatur,
Fugit, latet, revocatur,
Favet tandem, praesulatur
Ac sedet in solio.

6a. Petri quaerit mansionem,
Ubi post orationem
Daemonis temptationem
Fugat cum daemonio;

9b. In excelsis daemon fatur,
Quaerit, quare molestatur,
Post haec fugit et minatur
Dare hunc exitio.

7 a. Regnat tandem qui profani
Iovianus Iuliani
Legem spernit, firmat sani
Statuta concilii,

7 b. Rapit cuius daemon natam,
Lugent, quia laniatam
Eam cernunt et turbatam
Milites imperii.

8 a. Imperator consternatur,
Et regina contristatur,
Ope quia non curatur
Medicorum filia.

8 b. Dum incassum cura datur,
Sola daemon protestatur
Mutinensis, ut pellatur,
Praesulis auxilia.

9 a. Catervatim destinati
Mare transeunt legati,
Eo viso sunt laetati,
Quem fama praedixerat.

9 b. Causa viae praelibata
Hic per hostem haec minata
Noscit atque praedicata
Plebe cursum properat.

10 a. Dum per mare navigatur,
Daemonum vi perturbatur
Classis, vento imperatur,
Turbo cedit numini.

10 b. Aula regis coronatur,
Sospitati cum donatur
Regis proles, et fugatur
Daemon servo Domini.

11 a. Aegris omnibus sanatis
Atque sibi donis datis
Sua plebs exsultat satis
Sancto duce reddito.

11 b. Post haec Attilae crudeli,
Asserenti regis caeli
Se flagellum, cum fideli
Corde favet subito.

12 a. Imminente mortis hora
Clamat Christi vox decora:
Serve bone, sine mora
Veni, tolle praemium.

12 b. Plangit turba populorum,
Chori gaudent angelorum,
Cum ad diem praemiorum
Pater ducit filium.

13 a. Est Severus Ravennatum
Praesul praesens et beatum
Spiritum huius sanctis datum
Sancto signat famine.

13 b. Plebs Ravennae admiratur,
Cum praesentia fruatur
Sui patris, et dicatur
Simul esse Mutinae.

14 a. Iam defunctus aegros sanat,
Morbos pellit; qui profanat,
Ei obstat, cunctis manat
Eius patrocinium.

14 b. Dies festi cum lucescit,
Fluvialis aqua crescit,
Nullum laedit, sed arescit
Circa domicilium.

15 a. Tandem furit Hungarorum
Gens nefanda et cunctorum
Loca perdit, sed suorum
Sanctus servat moenia.

15 b. Ergo, pater, nunc conserva
Nos indignos cum caterva.
. . . . . .
. . . . . .

Grad. ms. Mutinense saec. 12. Cod. Capit. Mutinen. O I N 16. A. — Aus einer nicht näher bezeichneten Hs. Modenas: Gius. Cappelletti, Le Chiese d'Italia (Venezia, 1859. tom. XV, p. 215). B. — 4 b, 5 Plebs B. — 5 a, 2 ita fehlt B. — 6 b, 4 exsilio A. — 11 b, 2 Asserentis A; caelis B. — 12 a, 2 Clamant vox Christi A. — 14 b, 1 festiens lucescit B. — 15 b ist offenbar unvollständig.

197. De sancto Gengulpho.

1 a. Maiestati sacrosanctae
Militans cum triumphante
Iubilet ecclesia;

1 b. Deo patri, Deo nato,
Deo flamini beato
Sit laus, honor, gloria.

2 a. Trino Deo honor unus,
Uni trinum laudis munus
Cuncta sit per saecula,

2 b. Qui in Christo, vera vite,
Suos suae aptat vitae
Palmites agricola.

3 a. Inter quos hunc sanctum virum,
Vita et virtute mirum,
Gengulphum excoluit;

3 b. Quem excultum et suffultum
Ad ferendum fructum multum
Vitae vitis tenuit.

4 a. Ex primaevo vitae flore
Fide, ope, sacro rore,
Plenus fructu gratiae,

4 b. Surgit in virum perfectum,
Christi servans iter rectum,
Semitam iustitiae.

5 a. Mirum dictu: uxoratus
Miles, clara stirpe satus,
Redundans divitiis,

5 b. Non est his illaqueatus,
Sed in mundo conversatus
Mundus absque vitiis.

6 a. Militans Pipino regi
Christi regis servit legi
Vir virtute inclitus;

6 b. Qui per fidem transfert fontem
Et per fontem monstrat sontem
Feminam divinitus,

7 a. Quam in viri armat mortem
Satan suae per consortem
Hominem malitiae.

7 b. Saevit hostis, sauciatur,
Martyr obit, palma datur
Et corona gloriae.

8 a. Poena reos comitatur,
Virtus sancti declaratur
Signis et prodigiis.

8 b. Qui in caelis nunc laetatur
Et in terris honoratur
In Christi ecclesiis.

9 a. Christus ergo imploretur,
Ut post viae cursum detur
Nobis vitae bravium.

9 b. Iesu bone, cuius dona
Nostra bona, qui corona
Es sanctorum omnium,

10 a. Huius sancti sancta prece
A peccati munda faece
Et a mundi scoria;

10 b. Fac nos patris, fac nos tui
Et amoris sacri frui
Sempiterna gloria.

Grad. ms. Aquisgranense anni 1330. Cod. Capit. Aquisgranen. XV. A. — Miss. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Darmstadien. 874 (cfr. Roth, 121). B. — 4a, 2 Fide spe sacro amore B. — Melodie die der Drei-Königssequenz gleichen Anfanges.

198. De sancto Georgio.

1 a. Diem sanctum Georgii
passione Christi
laude canamus omnes

1 b. Cum chorisque angelorum
laetantes simulque
et sanctorum gaudentes.

2 a. „Veni, puer
dilectissimus meus,
cum corona(m)
ascendas in gloria,“

2 b. Vocavitque
nomen eius et dicens:
„Georgius,
ego sum Deus tuus.“

3 a. Tunc respiciens
in caelum
beatus Georgius

3 b. Obsecrando et
deprecando
in aevum Dominum:

4 a. Qui dedisti fiduciam
servis tuis, magne,

4 b. Quod memor sum mandatorum
tuorum, Domine,

5 a. Tu eripias
me de dolore,
quo circumdant me, et deduc
in gloriam fulgentem;

5 b. Furor illorum
valde malorum
venenum serpentium, et
insurgunt malignantes.“

6 a. Et visus est ei
Dominus in custodia
nocte confortans
eum: „Ne timeas omne
genus tormentorum“.

6 b. Omnes nos populi
te deprecamur, sancte, ut
intercedere
pro nostris facinoribus
ad Deum digneris.

7 a. Qui tuam memoriam
sollemnitate [magna]
celebramus,

7 b. Mereamur (tecum) habere
consortium, gaudia
paradisi.

8. Qui cum patre regnat
in aeterna saecula.

Grad. et Trop. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123. (B III 18). — 1 a, 1 sancti. — 1 a, 3 laudes (laude canamus diem = lobsingen den Tag, der geheiligt ist (sanctum) durch das Leiden des h. Georg für Christus). — 2 a, 4 ascendant. — 3 a, 3 beatum Georgium. — 3 b, 1 sq. Obsecrantes et deprecantem. — 4 a, 1 Quod. — 4 b, 1 memores. — 5 a, 1 Ut eripias. — 5 a, 3 quae circumdant me et sicut. — 5 a, 4 gloria. — 5 b, 4 insurgentes malignantibus. — 6 a, 4 omnes. — 5 b, 4 facinoris. — 6 b, 5 dignemini. — 7 a, 2 sollemnitatem. — 7 a, 3 celebrant.

199. De sancto Georgio.

1 a. Laudes Christo persolvamus
Nos, qui Christi frequentamus
Martyris sollemnia;

1 b. Cuius actus, vita mores
Multos reddit meliores
Operante gratia.

2 a. Sacri verbi spargit flores,
Quibus fiunt laetiores
Sustinentes tristia.

2 b. O quam felix agonista,
Qui docente nos psalmista
Velut palma floruit.

3 a. Palma virens
virtutis gratia,
Qua suffultus
domuit vitia
Vivens mediocriter.

3 b. Fide firmus
sprevit praesentia,
Spe succinctus
futura praemia
Concupivit iugiter.

4 a. Quem nec blandus citharista
Nec violentus lanista
Deviare potuit.

4 b. . . . . .
. . . . . .
. . . . .

5 a. Haec est scala mandatorum,
Per quam martyr ad caelorum
Conscendit palatia.

5 b. Quem cultores idolorum,
Per diversa tormentorum
Dum trahunt supplicia,

6 a. Primo quaerunt legis cultum,
Dicunt, quod non sit inultum
Iovis sacra spernere.

6 b. Ad sedandum hunc tumultum
Mente cernens Dei nutum
Coepit martyr dicere:

7 a. Non sunt nova penitus,
Quae sunt data caelitus,
Veritatis dogmata.

7 b. Hinc est Deo deditus
Cordis mei spiritus
Christi ferre stigmata.

8 a. Vani monstrum numinis,
Daemonis et hominis
Innuunt effigiem;

8 b. Auctor vero luminis
Veri monstrat numinis
Claritatis speciem.

9 a. Christus, verbum Dei patris,
Quos in claustris trusit atris
Zabuli versutia,

9 b. Carnem sumens alvo matris
Hinc eductos more fratris
Pares facit gloria.

10 a. Ipsum totis votis colo,
Verba cuius sine dolo,
Verba sunt salubria.

10 b. Ipsi dare tura volo,
Ritus vestros sequi nolo,
Pleni sunt spurcitia.

11 a. Ad haec praeses indignatur,
Sancto mortem cominatur,
Unde statim vinclis datur,
Tenetur ergastulo.

11 b. Inde ductus cruciatur,
Fuste, ferro laniatur,
Poenis corpus dissipatur
Coram omni populo.

12 a. Letum potu propinatur,
Vorax flamma ministratur,
Rotae totus applicatur,
Sed haec gaudens superat.

12 b. Nam de fine cogitatur,
Sicque tandem decollatur,
Terris corpus commendatur,
Sursum flatus properat.

13 a. O Georgi, spes tuorum,
Audi preces servulorum
Et quam habes meritorum
Inter choros beatorum
Confer nobis gratiam.

13 b. Audi, martyr, et intende,
Motus nostros tu suspende,
Arma, scutum apprehende,
A paganis nos defende
Nostramque substantiam.

Trop. et Sequent. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVI (20). A. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX. B. — 6 b, 2 l. Dei vultum? — 8 b, 3 specie AB. — 10 b, 3 spurcitio A. — Melodie: Laudes crucis.

200. De sancto Gregorio.

1 a. Organum spirituale
Tangat decus clericale,
Dum recolitur natale
Vigilis Gregorii.

1 b. Scriba regis angelorum
Floruit hic lux doctorum
Et apostolus Anglorum,
Qui prius inglorii.

2 a. Ex prosapia Romana
Spreta mundi pompa vana
In doctrina christiana
Vigilanter studuit.

2 b. Rhetor magnus et urbanus
Cuius pater Gordianus,
Felix, pontifex Romanus,
Atavus resplenduit.

3 a. Virgo saeculo pusilla
Eius amita Tarsilla,
Deo vigilans ancilla,
Vidit Iesum dulciter.

3 b. Uivens Silvia caelestis
Mater huius, digna gestis,
Fixit cor aeternis festis
Finiens feliciter.

4 a. Monasteria construxit
Ac prudentia adfluxit,
Monachalem vitam duxit
Derelinquens omnia.

4 b. Sed cum cuperet sincere
Mori cunctis et latere,
Cogebatur apparere
Ut flos inter lilia.

5 a. Eruditus in virtute
A primaeva iuventute
Iter vadens viae tutae
Devitavit crimina.

5 b. Retexendo cantilenas
Sublevavit febris poenas,
Odas addidit amoenas
Per scripturae carmina.

6 a. Videns pueros Anglorum,
Pulchros vultu angelorum,
Mox misertus est eorum
Suspirando graviter.

6 b. O pontificem beatum,
Per columnam demonstratum
Et a naufrago probatum
Dignum mirabiliter!

7 a. Recta scribens recte dixit,
Quo malivolos adflixit,
Sed correctis benedixit
Pastor bonus omnibus.

7 b. Uigil iste sanctus fuit,
Qui ut nubes magna pluit
Et ut ros de caelo ruit,
Utilis fidelibus.

8 a. Monstra fecit in hac vita
Verus hic Israelita,
Quod cognovit eremita
Ex divina gratia.

8 b. Deus fecit Levi pactum
Nec paenituit transactum
Pacis atque vitae factum
Cum honoris gloria.

9 a. Aes in zonis non compegit
Sed pauperibus redegit,
Quem salvator praeelegit
Organum mellifluum.

9 b. Istum deprecemur sanctum
Nos viventes, vita tantum,
Ut cantemus agni cantum
Nunc et in perpetuum.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellens 9786—90. — Akrostichon: O servum servorum Dei.

201. De sancta Hedwige.

1 a. Consurge iubilans,
Vox quaevis hominum,
Laudesque resonans
More fidelium
Christo credentium,

1 b. Hedwigis inclitae
Dum festa recolis,
De cuius meritis
Angeli hodie
Congaudent in caelis.

2a. In hac miseriae
Valle, mater, pie
Succurre miseris
Et zyma scoriae
Tollas de medio,

2b. Tot dum phantasmatum
Incursu turbatur
Mentale sabbatum
Et carne movente
Diversum proelium.

3a. Curas haec propellat
Mundanas, noxias,
Christi nos faciat
Secum participes,
Patris imperii.

3b. Nam cum tot fulgeat
Inter nos meritis,
Caecos illuminans,
Claudis gressum parans
Auditumque surdis,

4a. Mortuos suscitat,
Febres eliminat,
Sese invocantes
Aegros plures curat
Et loqui efficit.

4b. Quam felix famula
Hedwigis inclita,
Vivens cum gloria
In caeli patria
Per aevi saecula!

5a. Ubi nec senium,
Nec languor mentium,
Nec terror hostium,
Nec cura vestium,
Nec fraus nec odium;

5b. Illic archangeli,
Prophetae, angeli
Sunt canentes Deo
Gloriam in caelis
Voce mirabili.

6. Qui nobis tribuat
Peccati veniam
Hedwigis precibus
Et donet patriam
In caeli gloria.

Vita ms. S. Hedwigis saec. 14/15. Cod. Vatic. Palat. 857. A. — Miss. ms. S. Floriani saec. 15. Cod. S. Floriani XI 385. B. — Miss. ms. Schlierbacense anni 1484. Cod. Schlierbacen. I 14. C. — Sequentiar. ms. Cremifanense saec. 15. ex. additum Miss. Romano imp. Venetiis 1484. D. — Miss. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Mellicen. 979. E. — Miss. Pataviense imp. Venetiis 1503. F. — Miss. Magdeburgense imp. Lubecae 1480. G. — Ausserdem: Miss. ms. S. Floriani saec. 15. Cod. S. Floriani III 9. — Miss. ms. Garstense saec. 15. Cod. Lincen. Γ q 10. — Miss. Misnense imp. Lipsiae 1510. — 1a, 3 resonant DF. — 1a, 4 In ore EF. — 1a, 5 In Christo ABCEFG. — 2a, 2 sq. fehlen C. — 2a, 2 pia E. — 2a, 5 tollat C. — 2b, 1 sq. Incursu phantasmatum tot dum turbatur A u. alle anderen Quellen. — 3a, 1 Foras AEFG. — 3a, 3 Et Christi BCDF; nos fehlt D. — 3b, 1 Iam C. — 3b, 4 Gressum claudis donas A; donans G. — 4a, 1 suscitans A. — 4a, 5 Et sanos efficit AG. — 4b, 1 femina A, familia BC. — 4b, 5 Perenni BCDEF; gloria A. — 5a, 1 Ibi G. — 5a, 3 furor BC. — 5a, 5 vel odium A. — 5b, 1 Illuc C. — 5b, 3 sq. canentes gloriam Deo A u. alle anderen Quellen. — 6, 2 Peccatorum C. — 6, 4 gloriam A. — 6, 5 caeli patria A. — Die Melodie bietet A, nämlich: Mittit ad virginem.

202. De sancta Hedwige.

1a. Alma mater gratiosa,
Dux Advigis gloriosa
Ducatus Poloniae,

1b. De radice generosa
Est exorta vernans rosa
Regalis prosapiae.

2 a. Est exemplum coniugatis
Ceterisque viduatis
Verae continentiae,

2 b. Uti prolem sanctitatis
Quaerat thorus castitatis
Summaeque munditiae.

3 a. Intrat claustrum dominarum,
Ubi lumen reddit clarum
Fidei lucidius.

3 b. Gerit actum gratiarum,
Fructum carpit ceterarum
Virtutum praecarius.

4 a. In caelorum est locata
Regno, gaudet coronata
Cum sanctis feliciter,

4 b. Sit ipsius prece grata
Ut et nobis vita data
Cum ea perenniter.

Collect. ms. Constantini Caietani saec. 17. Cod. Roman. Alexandrin. 95. — Akrostichon: Adevigis.

203. De sancto Herculano.

1 a. Bone praesul, Herculane,
Tu infirmae factae sanae
Impetrasti gratiam;

1 b. Quae mamilla torquebatur,
Tanto patre laetabatur,
Dum fugat nequitiam.

2 a. Aeger quidam laborabat,
Morbus eum nam vexabat,
Ut se ferret manibus;

2 b. Dum ad ostium accedit,
Macula procul recedit
Praesulis pro precibus.

3 a. Huius meritis diversa
Fugat Deus et adversa
Humanorum iacula,

3 b. Corporum atque impendit
Sanitates, qui rependit
Fugando piacula.

4 a. Hoc ostendit caput sancti
Corpori unitum tanti,
Quod abiectum fuerat,

4 b. Quod hic praesul sanctus fuit,
Ibi quod sit, unde ruit
Hostis atque fugerat.

5 a. Hoc Gregorius testatur
Libro suo, protestatur
Verbis evidentibus;

5 b. In dialogo ostendit
Ipsum sanctum, qui defendit
Perusinos precibus.

6 a. Rogent eum nati gregis,
Rexit quem pro morte regis
Bene ac fideliter,

6 b. Ut pro eis roget Deum,
Ut accedant non ad eum,
Qui vexat crudeliter.

7 a. Ergo sciant ipsum Deum
Convertantur et ad eum,
Quod salutem habeant;

7 b. Extra quam non invenitur,
Qua quis bene praefulcitur,
Ergo fidem teneant.

Antiph. ms. S. Laurentii Perusini saec. 13. Cod. Capit. Perusin. 30. — Wird in der Hs. ausdrücklich als „Sequentia“ bezeichnet.

204. De sancto Hieronymo.

1 a. Gaude, virgo, sponsa Christi,
Quae doctorem genuisti
Virginem Hieronymum.

1 b. Laudes eius iubilantes
Veneremur, celebrantes
Diem festum maximum.

2 a. Oriundus de Stridone,
Romae legens in Platone
Iugiter et Tullio,

2 b. Raptus ante tribunal iudicis
Flagellatur, divini codicis
Mancipatur studio.

3 a. Iunctus hic devoto clero
Rubicundo sub galero
Rexit templi cardinem.

3 b. Orans, arguens abusus
Plurimorum, his delusus
Sprevit celsitudinem.

4 a. Sacrum dogma christianum
Constantinopolitanum
Sumit per Gregorium.

4 b. Uastam solitudinem,
Asperam crepidinem
Petit inde montium.

5 a. Summa paenitentia,
Flagellis, inedia
Carnem domat, atterit.

5 b. Inde sanctus remeat
Bethlehem, ut doceat,
Numen quod adnuerit.

6 a. Exiendo templum Dei,
Quidquid canonis Hebraei
Continent volumina,

6 b. Ruminavit exponendo,
In Romanis transferendo
Literas et nomina.

7 a. Officiorum
Ordo cunctorum
Primus per hunc claruit;

7 b. Nec admirari
Cuncta nec fari
[Potes], quae composuit.

8 a. Illustravit orbem totum
Propinando vitae potum
Filiis ecclesiae.

8 b. Monachis, quos adgregavit,
Et virginibus dictavit
Nomen pudicitiae.

9 a. Uere pater inclitus,
Cuius fulget transitus
Luce fusa caelitus.

9 b. Sacco vili tegitur,
Humo nudus ponitur,
Fratres docens (cum) moritur.

10 a. Sonant dulces melodiae,
Adest Christus neci piae,
Assunt omnes ierarchiae
Supernorum civium;

10 b. Uia lucis, quae decorum
Ducit in terram, binorum
Chorus regis angelorum
Lumina ferentium.

11 a. Mira cernit haec Cyrillus;
Augustini quoque stilus
Scribit, quod haec anima

11 b. Mortis hora lucet fulta
[Christo] sibi et occulta
Revelavit intima.

12 a. Uoces, cantus, dum ascendit
Pater sanctus, apprehendit
Severus cum sociis.

12 b. Sic Baptistae et par iste
Revelatur, comprobatur
Caelestibus nuntiis.

13 a. Donat vitam tribus functis
Graecis, haeresi compunctis,
Et Silvanum bis a cunctis
Liberavit aemulis.

13 b. Opem donis iste binis
Contulit Alexandrinis
Et Romanis peregrinis
Necis in periculis.

14 a. Caedit hostem eius vultus,
Percussoris pavet ultus
Pravitate, cuius cultus
Cito prodest famulo.

14 b. Terra sacris membris cedit,
Cuius corpus aegris redit,
Sacra membra postquam reddit
Exhibitor tumulo.

15 a. Obsecremus redemptorem,
Qui Ieronymum doctorem
Verbo, signis et exemplo,
Quasi solem eius templo,
Contulit clarescere.

15 b. Refovendo sua prece
Nos purget ab omni faece,
Ut micante alma luce
Donet pius ipso duce
Regna caeli scandere.

Antiphon. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVII. add. saec. 15. A. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVIII. add. saec. 15. B. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX. add. saec. 15. C. — 1a, 1 Ave virgo A. — 2b, 3 studiis ABC. — 3b, 1 Orens ABC. — 4b, 2 crepitudinem BC. — 4b, 3 Petiit B. — 5a, 3 attriterit B, attrivit B. — 5b, 3 Et munerum ABC. — 6a, 3 Continet AC. — 7b, 1 mirari ABC, l. Neque mirari? — 8b, 3 Nomina ABC. — 10b, 1 quem ABC. — 10b, 2 terra ABC; binum ABC. — 10b, 3 Chorus dextra regis ABC. Vielleicht ist zu lesen: Ducit terra binum chorum | Dextra regis angelorum etc. — 11a, 2 quoque salus ABC. — 13b, 1 donec iste B; iste bonis A. — 13b, 2 Alexandrinis contulit ABC. — 13b, 3 Et fehlt A. — 13b, 4 Necis et periculis ABC. — 14a, 2 pavet vultus ABC. — 14b, 1 Serra ABC (Das Akrostichon verlangt T). — 15b, 2 expurget ABC. — Akrostichon: Gloriosus Ieronimus, summus doctor. — Melodie: Laudes crucis, mit einigen Einschiebseln.

205. De sancto Hieronymo.

1 a. Hieronyme sanctissime,
Tua festa nunc colimus,
Precamur, beatissime,
Intende nostris precibus.

1 b. Hieronyme, par angelis,
Excelsior hominibus,
Apostolis consimilis,
Ardens Iesu dulcoribus.

2 a. Devote pater virginum,
Hieronyme beatissime,
Amator sancte pauperum,
Assis nobis piissime.

2 b. O sacerdotum gloria,
Virgo Christi, Hieronyme,
Per mundi fulget climata
Tua doctrina hodie.

3 a. Tu norma, forma virginum,
Tu sanctitatis gloria,
Tu monachorum omnium
Via, doctrinae semita.

3 b. Christi devote servule,
Iesu sacerdos inclite,
Ardens amator patriae,
Succurre nobis hodie.

4 a. Funde preces, Hieronyme,
Ad summum patrem luminum,
Ut nos purget a crimine
Et tollat hoc incendium.

4 b. O eremita, gloriae
Caelestis fruens gratia,
Tu vivens inter homines
Divina potas flumina.

5 a. Te lux divina inebriat,
Caelorum cibo pasceris,
Hieronyme, te satiat
Christus, quem semper conspicis.

5 b. Quo maior fuit caritas
Et fortior dilectio,
Eo tu gloriosior
Es caelesti consortio.

6 a. O Christi ardens Seraphim,
Hieronyme sanctissime,
O lucens [quo]que Cherubim
Aeternae sapientiae.

6 b. O sancte virgo virginum,
Gloriose Hieronyme,
O confessorum omnium
Et martyrum sanctissime.

7a. Te quaeso, pater unice,
O beate Hieronyme,
Ad te clamantes aspice
Et mala peste protege.

7b. Ad te devoti currimus,
O sanctitatis vasculum,
Hieronyme, te quaesumus,
Affer nobis subsidium.

8a. O [tu] devote servule,
Doctor legis, Hieronyme,
Adesto nunc piissime
Nobis, tu pater optime.

8b. In sanctorum splendoribus
Uni Deo sit gloria,
Qui Hieronymi precibus
Det nobis caeli gaudia.

Offic. ms. Hieronymitarum saec. 15. Cod. Roman. Casanaten. B V 33 (520). — 3a, 4 doctrinae hodie (cfr. 3b, 4). — 4b, 1 sq. gloria caelesti.

206. De sancto Hieronymo.

1. O quam venerandus est
Gloriosus Ieronymus,
Christi confessor egregius!

2a. Hic doctor veritatis,
Destructor falsitatis,
Claritatis speculum.

2b. Vas humilitatis,
Rosa caritatis,
Castitatis lilium.

3a. Clara stella firmamenti,
Rutilans in caelis,

3b. Veterisque testamenti
Translator fidelis.

4a. Hic fidei catholicae
Planus illustrator,
Serviminis ecclesiae
Primus ordinator
Sacrosanctaeque scripturae
Verus declarator.

4b. Eius sapientia
Lucet per mundi climata,
Qui fulget in ecclesia
Tamquam sol et luna,
Et splendet catholica
Ubique fides nostra.

5a. Eius virtus florida
Fulget ante Dominum,

5b. Et doctrina lucida
Sonat per linguas hominum.

6a. Eius fama gloriosa
Est in terris et in caelis,
Eius de miraculis
Exsultat plebs fidelis.

6b. Eius sanctis meritis
Deus honoratur,
Et laetantur angeli
Mundus illustratur.

Sequent. et Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 6b, 3 Et fehlt.

207. De sancto Hieronymo.

1a. Laude lauda, gens Slavorum,
Pium patrem et patronum,
Doctorem Ieronymum.

1b. Assunt laudes angelorum
Atque cives supernorum
Migrante Ieronymo.

2a. Et Cyrillus Iesum cernens
Ad dexteram Ieronymi
Acta pandit gaudia,

2b. Salvatore comitatus
Cum e vita fit translatus
Ad aeterna gaudia.

3 a. Rem miratur patriarcha,
„Quis es“, inquit, „ita felix,
Qui ad caelum properas“?

3 b. Ad quem inquit ille laetus:
„Fuit unquam tibi notus
Presbyter Ieronymus“?

4 a. „Quem nominas, singulari
Diligo affectione;
Esne eius anima“?

4 b. „Sum anima eius vere,
Quae ex procellis huius maris
Vitae portum teneo.

5 a. Vade, o care Cyrille,
Ad dilectos discipulos
Ut mihi congaudeant.“

5 b. Mox se confert in Bethleem,
Ibi pandit visionem
Filiis Ieronymi.

6 a. Tres mortuos suscitasti,
Haereticos confutasti,
Ecclesiam irrigasti
Tuo sancto dogmate.

6 b. Caecum natum illuminasti,
Atque prece Theodoneum
Senatorem liberasti
A barathris inferni.

7 a. Tu par es in merito
Iohanni praecursori,
Sicut narrat Augustini
Doctoris epistola.

7 b. Eia, pater, funde preces,
Flecte Deum, ut illustret
Pectus nostrum; in patronum
Te pium eligimus.

Grad. ms. Zagrabiense saec. 15. Cod. Cathedral. Zagrabien. s. n. A. — Miss. Zagrabiens. imp. Venetiis 1511. B. — 2a, 2 dextram A. — 2b, 2 Fuit atque translatus B. — 3b, 1 laetus B. — 3b, 2 tibi nunquam B. — 4b, 2 de procellis B. — 4b, 3 Portum vitae attingo B. — 5a, 1 o fehlt B. — 5b, 1 Mox abiit in B. — 5b, 3 Filiis caris B. — 7a, 1 in fehlt B. — 7a, 3 Augustinus B. — 7b, 1 Eia pie pater B. — 7b, 3 sq. te patronum eligimus B. — Diese abnorme Sequenz ist um so mehr von kulturhistorischem Interesse, da sie in verschlimmerter Auflage ins gedruckte Missale von Agram wanderte.

208. De ss. Hippolyto et Cassiano.

1. Nitet Leucothea
martyrum roseo
perfusa sanguine

2 a. Hippoliti
Cassianique,

2 b. Quos sors iunxit,
tellus divisit,

3 a. Caelicam qui nunc simul
aulam possidentque. * * * *

3 b. Alter namque
Roma editus,

4 a. Alter vero * * * *

4 b. Corneliensium nam
urbis praefulgidae.

5 a. Quem livor pristinus
truculentis

5 b. Saeve laniavit
cum stimulis.

6 a. Nam pueris,
quibus praecerat magister,

6 b. Puniendus
datus est [hic] crudeliter.

7 a. Qui stilis membra
perforant, tabulis
namque caput collidunt.
Mille fossus plagis
sic felicem vehitur
ad aedem poli summam.

7 b. Te [nunc] quaesumus,
benigne martyr, ut
preces sumas denique
Horum, qui iugiter
tua credunt se posse
prece sancta salvari

8. Apud Deum.

Grad. et Tropar. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123 (B III 18). — 1, 3 perfusu. — 6a, 2 praefuerat. — 6b, 1 sq. Puniendum doctus est. — 7a, 5 sit felicem vegitur. — 7a, 6 polis. — 7b, 3 preces suma. — 7b, 6 salvare.

209. De sancto Hyacintho.

1 a. Funde de caelestibus,
Hiacynthe, sedibus
Quid, quo fulges, luminis,

1 b. Cum te magnis vocibus
Invocamus precibus,
Nostri splendor ordinis.

2 a. Tu contemptis opibus
Et fluxis honoribus
Petisti caelestia.

2 b. Tu coruscas lumine
Et beato flamine
Adflatus per patriam.

3 a. Verbo fidem praedicasti,
Magnis signis coruscasti,
Ut lumen ecclesiae,

3 b. Caecis, claudis, surdis, mutis
Sanitati restitutis
Magno dono gratiae.

4 a. Dum sagitta fluvius
Effluebat ocius
Ventis et aeriis,

4 b. Strata veste saepius
Tibi fuit pervius,
Pervius et aliis.

5 a. Fratres Deum collaudantes
Te sequuntur, admirantes
Impressis vestigiis. * * *

5 b. Tua prece plurima
Remigravit anima
* E carcere stygio.

6 a. Te virgo sanctissima * *
Monuit gratissima *
Esse vota filio.

6 b. Sacro die assumptionis
Binis scandis cum coronis *
Doctoris et virginis.

7 a. O pater sanctissime,
O virgo purissime,
Tuis assis filiis.

7 b. Tu, doctor doctissime,
Tu, Deo carissime,
Assis in angustiis.

8. Tuis meritis tuere
Nosque posce congaudere
Sempiternis gaudiis.

Antiph. ms. S. Katharinae Divodurensis saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis.) add. saec. 15/16. A. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1600. B. — Miss. Praedicatorum imp. Romae 1639. C. — 1b, 1 Dum BC. — 2b, 1 coruscus BC. — 3b, 2 sanitatem A. — 4a, 3 et turbinibus C. — 5b, 2 remigavit A. — 6b, 2 Pius scandis A. — 7a, 2 purrissima A.

210. De sancto Iacobo.

1 a. Hodiernae lux diei
Iacobo det Zebedaei
Votiva sollemnia.

1 b. Immolemus, licet rei,
Modulando servo Dei
Laudis sacrificia.

2 a. Inhaerendo Christo regi
Dum constanter novae legi
Fundit testimonia,

2 b. Synagoga debacchatur,
Ab Herode trucidatur,
Sic migrat ad gaudia.

3 a. Mox a suis Ioppem fertur,
Hinc ab isdem dum transfertur,
Applicat in Iria.

3 b. Pavet, ovis sub figmento
Lupi plena condimento,
De vectis Luparia.

4 a. Rege necem moliente
Unda praecludit repente
Sequentum vestigia.

4 b. Colla boum mansuescunt,
Signis visis emollescunt
Matronae praecordia.

5 a. Illustratur sacro rore
Iacobique in honore
Consecrantur praedia.

5 b. Hoc patrono, vitae dono,
Isto duce, vera luce
Fruamur in gloria.

Miss. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXX (13). — Trop. et Sequent. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVI (20). B. — Grad. ms. Civitatense saec. 14 in. Cod. Civitaten. LVIII. C. — 4a, 1 Regem A. — 5b, 2 dulce AB. — Melodie: Mariensequenz gleichen Anfanges.

211. De sancto Ianuario.

1 a. Salve pater, praesul summe.
Gregis Christi pastor alme,
Noster Ianuarie.

1 b. Salve, victor gloriosus,
Martyr constans, vigorosus
Fidei certamine.

2 a. Salve miles, vincens monstra,
Ignem, plagas, mortis castra,
Nervorum excidium.

2 b. Salve, lumen veritatis,
Amor vemens caritatis,
Fidei auxilium.

3 a. Salve, consul bellatorum,
Robur, virtus sociorum
Pro Christo certantium.

3 b. Salve, norma sanctitatis,
Sidus splendens, bonitatis
Et virtutum specimen.

4 a. Salve, decus angelorum,
Honor summus comprensorum
Supernorum civium.

4 b. Salve, salus peccatorum,
Tutor grandis subditorum
Beneventi civium.

5 a. Salve, rector nostrae urbis,
In qua iaces, manes, dormis
Corpore, Parthenopae;

5 b. Cives ergo tu intende
Tuos cunctos et defende
Ab omni periculo,

6. Ut salvati possint tuti
Et in caeli loco laeti
Fieri per gloriam.

Miss. ms Minorum Melitensium anni 1506. Cod. Vatic. Ottob. 221. — 1 b, 3 certaminis. — 2a, 1 vincens nostra. — 2 a, 2 plangas. — 2 a, 3 Et. — 2 b, 2 Amor veniens (vemens = vehemens?). — 5a, 1 nostrae verbis. — 6, 1 Et; tute. — 6, 2 caelo loci laete.

212. De sancto Ioachim.

1 a. Benedictus
Es caelorum reginae
Genitor, prolis divinae
Matris, regis gloriae.

1 b. Ex te clara
Maris stella formatur,
De qua mire generatur
Christus, sol iustitiae.

2 a. Patriarcharum,
Prophetarum et regum
Simul et sacerdotum
Sacra stirps te genuit.

2 b. Ex te matrona
Digna, sterilis Anna,
Vas plenum caeli manna
Donum Dei concepit.

3 a. Hoc vas honoris
Pietas factoris,
Ut mater esset salvatoris,
Cuius erat filia,

3 b. Sanctificavit
Sanctumque servavit
Atque in bonis confirmavit
Summa providentia.

4. Nunc, pater, exora natam
Super choros elevatam,
Ut vitam iustis paratam
Impetret in patria.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. — 1 a, 3 et prolis. — 1 a, 4 Ave regis. — 1 b, 2 Maria. — 2 a, 2 et fehlt. — 2 a, 4 stirpe genitus (gegen den Reim). — 2 b, 2 Sterilis Anna dignum (gegen den Reim). — 3 b, 2 que fehlt. — 3 b, 3 Et in. — 4, 3 praeparatam. — Aus der gleichen Quelle Anal. Bolland. VI, 398. — Als Vorlage diente offenbar die Sequenz: Benedicta es caelorum regina.

213. De sancto Iohanne Baptista.

1. Alme mundi

2 a. Rex, Christe, qui
regis saecla
et arva
sataque cuncta.

2 b. Tu gubernas
astra supra
marisque
habitaculum.

3 a. Ipse es,
qui vocaris
alpha et ω,
Initium et finis,
lapis quadrus
angularis
et concordia.

3 b. Qui facis
prisca nobis
praesentia,
Quaesumus, ut concedas,
cui superni
chori canunt
te laudantia,

4 a. Per suffragia
praecursoris
tui atque baptistae,

4 b. Qui inter vates
solus maior
manet plus quam propheta,

5 a. Una cum illo
angelico agmine *
*
*
Tuum mirabile *
collaudare nomen *
valeat phalanx nostra.

5 b. Iam nunc omnis turba
* fidei subiecta
* levet in excelsa
*
*
* canoraque sancta
Domino dicentia:

6 a. Dignus es accipere laudes,
cui canunt Cherubim

6 b. Alleluia, alleluia,
hagie rex aeterne,

7 a. Qui solus regnas cum
patre et paraclito

7 b. Per immortalia
saeculorum saecula.

8. Amen dicant omnia.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Angelic. B III 18 (123). A. — Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Patavini A 47. B. — Trop. ms. Nonantulense saec. 11. Cod. Vitt. Em. 1343 (Sessor 62). C. — Trop. ms. Nonantulense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Casanaten. C IV 2 (1741). D. — Grad. ms. Patavinum saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Capit. Patavini B 16*. E. — Grad. ms. S. Petri Patavini saec. 15. in. Cod. Capit. Patavini A 20*. F. — Steht auch im Trop. et Sequent ms. S. Benedicti Mantuani saec. 11. Cod Capit. Veronen. CVII (100).

2b, 4 habitaculum A. — 3a, 1 est A. — 3a. 5 quadrus CD. — 3b, 5 quae supernus EF. — 3b, 6 chorus canunt EF. — 3b, 7 te laudantes in saecula A. — Nach Str. 3b schiebt A ein:

O beate
Iohannes
Baptista,
praecursor Domini,

Intercede
pro nobis
ad Deum
omnipotentem.

5a, 2 angelica agmina BCD; angelico agmina A. — 5a, 3 Tu mirabilem A. — 5a, 5 fallax A. — 5b, 3 excelso AD. — 5b, 4 canticaque C. — 5b, 4 sancto C. — 6b, 1 laudem B. — 6b, 2 ave rex A. — 8 Blos Amen B.

214. In Nativitate s. Iohannis Baptistae.

1. Nativitatis
colamus debito sacra

2 a. Iohannis Baptistae,
martyris et
praeconis, festa.

2 b. Quem insignis veniens nuntius
arce stellata

3 a. Praedixit ponenti
sacrificia
nascendum fore patri
iusto, comptum
virtutibus,
ex matre sacra.

3 b. Cuius ingenitus
fovens viscera
adventum Christi sensit,
exsultando
propheticum
signum demonstrans.

4 a. Qui multis fecit editus
gaudia,
dum patris linguam

4 b. Enodavit, quam nexuit
angelus
contemptus causa.

5 a. Hunc redemptor noster
laude praecipua

5 b. Extulit maximum
prophetarum vocans,

6. Mira fultum gratia.

7 a. Divinum
haec verbum vox praecesserat,

7 b. Hinc maior
inter natos claruerat.

8 a. Quapropter devotae
mentis promamus organa

8 b. Pangentes in laude
dulcia huius cantica,

9. Precem dantes sedulam,

10 a. Uti cordis nostri
rectam patret semitam,

10 b. In qua Christi poni
dignentur vestigia.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123 (B III 18). A. — Grad. ms. Modoetinum saec. 12. Cod. Modoetin. K 11. B. — 1, 2 delitos A. — 2a, 3 feste A. — 3a, 1 ponendi A. — 3a, 3 nasiturum B; fores patris A. — 3a, 4 iusto cum tu. — 3a, 6 sancta B. — 3b, 1 sq. fovens ingenitus AB. — 3b, 6 demonstra A. — 4a, 3 lingua A. — 5a, 2 laudat A. — 5b, 1 Keine Initiale A. — 6 Keine Initiale B; Klausel 6 ist parallel zu 9. — 7a, 2 hoc B. — 7b, 2 inter creatos A. — 8a, 1 Quampropter A, mente devota B. — 9 Praecedentem sedula A; Initiale fehlt B. — 10a, 1 cordi A. — 10a, 2 patrat B, patris A. — 10b, 2 dignantur A. — B enthält die Melodie; danach haben Klausel 6 u. 9 den gleichen Choral, ein ziemlich einzig dastehendes Beispiel dieser Art.

215. In Nativitate s. Iohannis Baptistae.

1 a. Nobis orta praecursoris
Exortu laetitia;

1 b. Sonent foris laudes oris,
Cordis in praecordia.

2 a. Nuntiatur Christus matri,
Nuntiatur iste patri
Ab eodem nuntio;

2 b. Nam Gabriel ad Mariam
Destinandus Zachariam
Visitat eloquio.

3 a. Virgo credens fecundatur,
Verbum verbo concipit.

3 b. Hic in verbo condemnatur,
Dum verbum non suscipit.

4 a. Hic dubitans
mutus efficitur;

4 b. Dum vox verbi
de muto nascitur,

4 c. Verbum votis
in muto solvitur.

5 a. Non hic lux est, sed lucerna,
Christus verbum lux aeterna,
Lux illustrans omnia.

5 b. Verbum praeit verbi praeco,
Verbum docet verbum, de quo
Manant lux et gratia.

6 a. Vitans urbes et oppida
Deserti colit arida,
Pellis praecinctus zona;

6 b. Elias est in spiritu,
Victu, verbis et habitu,
Sed alter in persona.

7 a. Nullo vitae luxu victus,
Sed et eius fuit victus
Mel silvestre cum locusta;

7 b. Indumentum huic camelus,
Aqua potus, fovens zelus,
Sermo rectus, vita iusta.

8 a. Non dicendus est propheta,
Prophetiae legis meta
Praesens agnum indicat;

8 b. Paranymphus et baptista,
Virgo, doctor, agonista
Fructum vitae replicat.

9 a. Hic est magnus teste Christo,
Non surrexit maior isto
Natus ex muliere.

9 b. Trina sancti laus praeconis,
Nam qui trinus in coronis,
Dignus trino munere.

10. Hunc ut digne collaudemus,
Laudes eius triplicemus
Corde, verbo, opere.

Grad. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Mutinen. Esten. XII L 8. — 1 b, 1 laudent. — 5 b, 3 Manent. — 7 b, 1 hunc.

216. In decollatione s. Iohannis Baptistae.

1 a. In deserto vox clamantis
Viam verbi demonstrantis
Veneratur hodie.

1 b. Opem cuius imploramus,
Ipsi voces extollamus
Cantico laetitiae.

2 a. Hunc, cum sponsi sit amicus
Plus quam vates, rex iniquus
Mancipat custodiae.

2 b. A profano religatur,
Dum incestum exsecratur
Coniugis nefariae.

3 a. Necis virus scortum struit,
Lictor ferit, insons ruit
Culpae carens carie.

3 b. Novae dapes cruentatae
Mensis disco sunt allatae
Ministrante rabie.

4 a. En, caelestis a scelesto
Sic occumbit et funesto,
Praeco cedit gratiae.

4 b. Saevit furor, ius turbatur,
Non est, qui compatiatur
Iusto vel iustitiae.

5 a. Beat sanctum trinus fructus,
Transit clamor atque luctus
Praesentis miseriae.

5 b. Apud ipsum, quo beatus
Gustans gaudet laureatus
Sit precator veniae.

Grad. et Sequent. ms. Unterlindense saec. 14. Cod. Colmarien. 312. A. — Grad. et Sequent. ms. Unterlindense saec. 14. Cod. Colmarien. 317. B. — Nach Ausweis des Akristichons „Iohannes Ba[ptista]“ scheinen 6 Halbstrophen zu fehlen.

217. De s. Iohanne Evangelista.

1 a. Laus, gloria,
virtus et gratia
salusque aeterna,

1 b. Christe, tua
sint atque maneant
bona quaeque cuncta.

2 a. Qui carnem
de virgine assumpseras,
integritatis aulam
matrem quoque servaveras
incontaminatam,

2 b. Iohannem
custodieras virginem
verbi huius arcana
reserare apostolum
et evangelistam.

3 a. Nam nuptiarum
hic sponsalia
spreverat iam coepta,

3 b. Dehinc secundo
navim, retia
et iura paterna,

4 a. Cum transmutatae
faciei tuam ipsis
angelorum
choris reverendam
ostendisti gloriam,

4 b. Et supra pectus
tuum infra cenam pausans,
unde larga,
quae sparsurus erat,
epotavit mystica,

5 a. Et matrem
in cruce tuam
accepit tuendam.

5 b. Felix, quem
sic volueras,
donec advenias,
manere.

6 a. Qui Pathmos insula
exsulaverat,

6 b. Dum ei plurima
revelaveras
inibi mysteria.

7 a. Pollebat diu
multa operans miracula,

7 b. Pro quibus, Christe,
nostra iubilet melodia.

8. Semper sit laus tibi summa.

Grad. ms. Boscoducense saec. 15. Cod. Arch. S. Iohannis Boscoducen. s. n. A. — Miss. ms. Leodiense saec. 15. Cod. Vatican. 3808. B. — Miss. Leodiense imp. Delf s. a. (1485). C. — 4a, 1 sq. transmutata facie tuam ipsius B. — 6a, 1 exsulaveras BC. — 6b, 3 verbi mysteria B. — 8 tibi laus C. — Die Melodie bietet A; wie der Text in den Silben, so zeigt auch diese in den Noten bei Str. 5b und 6b einen Überschufs. Von Interesse ist es, die Sequenzen „Christi sacra serenat“ (Anal. VII, Nr. 22) und »Da camoena nunc sonora“ (Anal. VII, Nr. 145) zu vergleichen. Beide sind sichtlich wie die vorstehende nach dem gleichen Schema gebaut, differieren aber alle drei bei sonstiger Gleichheit in den Strophen 5 u. 6.

218. De sancto Iohanne Evangelista.

1. Arcano

2 a. Rivulo
sumamus pulchrum syntagma

2 b. Ovantes
in gratia nimis celsa,

3 a. Beato
Iohanni divinitus
porrecta ac habita.

3 b. Flos Iesse
alma virgo advehit
astra laxantem infima.

Thalamo
nam vocans sancta
martyres facundia:

Recumbens
in cena sancta
Domini pectus supra

4 a. „Quis est, qui te
tradet“? hunc interrogat.

4 b. Huic fatur
in passione sancta:

5 a. „Ecce nam mater tua“,
clara et incontaminata,

Per quam salvatur
omnis creatura,

5 b. Quod ea plane alvo
gestavit salvantem saecula,

. . . . . .
. . . . . .

6 a. Verbum patris, cuius iussa

6 b. Imitatur miles (ex)celsa.

7 a. Qui [in]ebriatus sua
lympha meruit
fari sua lingua:

7 b. Quod in principio erat
verbum, et verbum
erat apud Deum,

8 a. Et Deus verbum erat
ante tempora
aeternali gloria.

8 b. Athleta cantans aula
magna, postula
caeli nobis praemia.

Miss. ms. Praedicatorum Lugdunensium saec. 14. Cod. Capit. Lugdunen. A 6. A. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1500. B. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1510. C. — 2 b, 2 excelsa C. — 3 b, 4 Qui ABC. — 4 a, 2 interroga ABC. — 6 a, 1 O verbum AB. — 8 b, 3 cedens ABC. — Mangels einer Melodie bleibt die Strophenabteilung problematisch.

219. De s. Iohanne ante Portam Latinam.

1 a. Veneremur mundo datum,
Ore Dei figuratum
Iohannem per aquilam.

1 b. Celsa scandit per volatum,
Mira promit per boatum
Tubae, vocem iubilam.

2 a. Dum inspectat rotam solis,
Quae debetur tribus solis,
Virtus, honor, gloria,

2 b. Monstrat mundo miris sonis
Unum esse in personis
Atque tria propria.

3 a. Cum recumbit supra pectus,
Caeli manna est refectus
Christi matris baiulus.

3 b. Hic a Deo est electus
Virgo atque praedilectus
Dei patris iubilus.

4 a. Sonum trinum modulavit,
Per quem alta complanavit
Et direxit devia.

4 b. Canon atque prophetia
Atque caeli recta via
Fit per eum pervia.

5 a. Nam in penna cherubina
Et in lingua seraphina
Legem evangelicam

5 b. Profert tubae voce trina,
Per quam pellit vis divina
Pestem diabolicam.

6 a. Hic est flumen, quod manavit
Paradiso, irrigavit
Terrae sparsa semina.

6 b. Omnem orbem fecundavit,
Aurum, gemmas generavit
Et cuncta genimina.

7 a. Fragrat carne plus quam rosa
Et quam murra odorosa,
Speculum munditiae;

7 b. Vitis florens et frondosa
Et oliva speciosa,
Cedrus pudicitiae.

8 a. Plus quam sol et luna plena
Et quam stella matutina
Mens eius emicuit.

8 b. Non laedebant hunc venena,
Nec urebat tina plena
Olei, dum ferbuit.

9 a. Multis vitam restauravit,
Drusianam suscitavit;
Sed confectum senio

9 b. Christus eum visitavit,
Inter fratres collocavit
In suo convivio.

10 a. Dum in tumba ponebatur,
Nox obscura lustrabatur,
Et manna scaturiit.

10 b. Iam ad regnum dum vocatur,
Fac, Deus, ut reducatur,
Qui te invocaverit.

Sequentiarium ms. Praedicatorum saec. 15/16. Cod. Praedicat. Cracovien. s. n. A. — Miss. ms. Praedicatorum Hispanicum saec. 16. Cod. Vatican. 5590. B. — Miss. Praedicatorum imp. 15** (unvollständiges Exemplar) C. — Miss. Praedicatorum. imp. Parisiis 1517 D. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523 E. — 4 b, 2 Et quae ABCDE. — 5 a, 1 poena C. — 5 b, 1 voce plena ABCDE. — 8 b, 3 Oleum C. — 9 a, 3 confectu A. — 10 b, 2 revocatur D. — Gleiche Melodie wie: Dulce melos cum concentu. — Cfr. Klemming III, 90.

220. De ss. Iusta et Rufina.

1 a. Divina caeli agmina
Decorant, dictant carmina
De te, sponsa, per nomina.

1 b. Te Sedem dici decuit,
Te cathedram instituit
Rex, qui in te complacuit.

2 a. Alta, sublimis aethere,
Sponsa coniuncta foedere
Iustae, Rufinae tempore.

2 b. Amoenitate fluvius,
Lux, de qua micat radius
Nascens, lustrans in melius.

3 a. Sicut caro Deo data
Virginum est copulata,
Sic fis Christo desponsata;

3 b. Sicut requie divina
Sistunt Iusta et Rufina,
Sic tu, Sedes caelestina.

4 a. Sicut ipsis virginalis
Decor serta est regalis,
Tu corona principalis.

4 b. Iusta scandit principatu,
Rufina alte senatu,
Tu archiepiscopatu.

5 a. Illae fluunt lac decorum
Virginalem ante thorum,
Tu doctrinam sacram morum.

5 b. O sublimis imperatrix
Virginumque imitatrix,
Sis in caelis collocatrix

6. In laetitia et exsultatione.

Brev. Caesaraugustanum imp. Venetiis 1496. — Dort verzeichnet als Prosella. — 3 a, 1 Dicit. — 3 b, 1 requies. — 4 a, 1 ipsius. — 4 a, 2 certa; serta hier als sing. f. g. gebraucht. — 5 a, 2 Virginale. — Zum Verständnis sei bemerkt, dafs in der ganzen Sequenz mit nationaler Begeisterung die Kathedrale Zaragoza's angeredet ist. La Seo (Sedes — 1 b, 1) heifst die Kathedrale dieser Stadt.

221. De sancta Iustina.

1. In hac sacra sollemnia
voces in astra resonent,

2 a. Ut cuncti consequi
in sanctis suis
possimus magnalia Dei.

2 b. Qui sexum fragilem
in sanctissima
pervicit contra tyrannidem,

3 a. Cum ab ineunte
aetate
gratia
Iustinam
perfuderat mira,

3 b. Ut inter coaevas
effulgens
nominata
sit quam immerita.

4 a. Nam claruit
fama magis et vita;

4 b. Perfloruit
virgo martyr in Christo.

5 a. In quem iugis intenta
Maximianum
agressa est victoria,

5 b. Quo Patavium sacravit,
caelum ornavit
inimicumque expulit.

6 a. O virgo clarissima,
pro nobis ora,
quae tanta
astrueris
laude per saecula,

6 b. Quo caste, iuste, pie
vivamus aevo
in isto,
ut purgati
reddamur Domino.

7 a. Ab hoste quadruplici
precibus nos libera,

7 b. Ad Deum septemplici
munere nos vegeta.

8 a. Qui in te sperant,
ne deseras,

8 b. A malis cunctis
eripias
in miraculum.

9 a. Tuosque salves,
regas, confirmes;

9 b. Celebres micent
hic et in aevum
claritudine,

Grad. ms. S. Petri Patavini saec. 15. in. Cod. Capit. Patavin. A 20*. — 2 a, 1 Et cunctis. — 2 b, 3 pervicit = vincere fecit. — 3 a, 4 Iustina. — 3 b, 4 nominator; in der Melodie entspricht „nominata" dem gegenüberstehenden „Iustinam", verdoppelt aber die erste Note. — 3 b, 5 immerita hier = innocens. — 5 b, 1 Patavi — 7 b, 2 vegetat. — 8 a, 1 sperat. — Ohne Melodie könnte man geneigt sein, die Klauseln 8 u. 9 anders zu gruppieren, zumal da 8 b, 3 u. 9 b, 3 gleich viele Silben haben; in der Melodie sind sie verschieden und verlangen die vorgelegte Gliederung.

222. De sancto Ivone.

1 a. Laetabundus
Moduletur melos mundus,
Alleluia.

1 b. Sol secundus
Mundo micat mire mundus,
Vitae via,

2 a. Quo. cui laus promitur,
Britannia nascitur
Sol de stella.

2 b. Non eclipsim patitur,
Nitet et immittitur
Carnis bella.

3 a. Ut sol hemisphaerium,
Lustrat clima patrium
Pari forma;

3 b. Per virtutis radium
Fugat nubes cordium
Vitae norma.

4a. Hic sole sublimius
Miris fulget actibus
Nostra valle;

4b. Partum parat matribus,
Portum navigantibus
Recto calle.

5a. Per hunc muti garriunt,
Manci, claudi saliunt,
Lumina deficiunt
Esse caeca.

5b. Furibundi sapiunt,
Mors et morbi fugiunt,
Se[nsus] se reficiunt
Caeli theca.

6a. Ivo, qui munera
Procuras supera,
Quo reformatur
gens misera,

6b. Nos super aethera
Sumi trans sidera
Fac cum virgine
puerpera.

Miss. ms. Carnotense saec. 14/15. Cod. Carnoten. 523. — 2a, 1 promittitur. — 3b, 2 nubes radium. — 3b, 3 Viae. — 5a, 2 Manti claudi caliunt. — 5b, 3 se resitiunt. — Melodie natürlich: Laetabundus.

223. De sancto Karolo Magno.

1a. In Karoli magni laude
Voce, voto, manu plaude
Regalis ecclesia;

1b. Pium lauda confessorem,
Legis Dei defensorem
Celebri melodia.

2a. Imperator Romanorum
Exstitit et rex Francorum
Dei providentia.

2b. Ecclesiam sublimavit,
Hanc adiutus gubernavit
Divina potentia.

3a. Hispaniam subiugavit
Sicut gigas et fugavit
Cultum idolatriae.

3b. Saxoniam debellavit
Et ad fidem revocavit
Idolatras patriae.

4a. Matri Christi fecit aedem,
Regni sedem et heredem
In magnificentia,

4b. Quam a papa consecratam
Sui facit decoratam
Corporis praesentia.

5a. Post hoc regnum temporale
Regnum capit immortale
Cum sanctis in patria.

5b. Hoc imploret princeps iste,
Ut regnare tecum, Christe,
Possimus in gloria.

6a. Amen dicat iste chorus,
Ut corona sit decorus
In caelesti curia.

6b. Chorus iste dicat Amen,
Ut iucundum post examen
Decantet Alleluia.

Grad. ms. Arnoldi saec. 13. in. Cod. Capit. Aquisgranen. XII. A. — Grad. ms. Aquisgranense saec. 13. Cod. Bruxellen. Arenbergen. 9. B. — Melodie: Hodiernae lux diei.

224. De sancta Katharina.

1a. Architriclina,
Summo de fonte propina
Oleum, lac, vina,
De trino trina.

1b. Lac est doctrina
Iesu, sanguis Christi vina,
Oleum de Sina
Est gratia divina.

2 a. Lac, cuius piscina
Nos a sentina
Solvat et a spina
Culpae, corda pascat agnina,
Praesta, Costi nata, Katharina.

2 b. Vinum, columbina
Quo rubet gena,
Pallet serpentina,
Est sanguis Christi, medicina.
Qua restauratur caeli ruina.

3 a. Spongia, sponsa,
olei (tu) placa sponsum,
Ut det pium responsum
Nardum petentibus,
Caelum pulsantibus.

3 b. Aperi Christo
die isto omnium
Preces, victrix hostium,
Esto robur dementibus,
Solamen flentibus.

4 a. Tu duodenis
stellis es circumpicta,
Sole amicta,
Dicta benedicta
Calcansque cum luna
omnium delicta.

4 b. Audi, filia,
grates, exaudi fratres,
Adiuva patres,
Consolare matres,
Quae propter idola
ficta es adflicta.

5 a. Ingeniola
Tu regis decora
es filiola,
Tuae mentis mira
scientiola,
Quae sine mora
Vatum commutat ora
Prostrata; omni hora
Ut humiliter
Sponso iungamur, ora,
Commorando aeternaliter.

5 b. Inviolata
Virgo, regis ira
es immolata
Una cum regina;
ut radiata
Stella, puella,
Locaris caeli cella,
Proiectus cum sit ex illa
Digne lucifer;
Ipsum semper debella
Opem ferens liberaliter.

6 a. Grave edictum
Virgae per tactum
Muta, tu in thronis
Veri
Assueri,
De summis donis
Salomonis.
Regem Maxentium
Contrivit sancta
iuncta caeli colonis.

6 b. Cordis duc (in) hortum
Nostri dilectum
Ac signati fontis
Hydriam
Flecte sanctis,
Utrem iumentis
Praebe cunctis;
Iugum Pharaonis
Solve, frange vincla
regis Babylonis.

7 a. Audi nos,
Nam te salvator
nihil negans honorat.

7 b. Salva nos,
Iesu, pro quibus
Katharina te orat.

8 a. Da fontem boni visere,
Da puros mentis oculos
in te defigere,

8 b. Quo haustu sapientiae
Saporem vitae valeat
mens intellegere.

9a. Quia pro fide Christi
fudisti
Oleum, lac, sanguinem
in poenis,

9b. Mel, lac ex eius ore
sumpsisti,
Sanguis eius ornat te
in genis.

10. Nos ornet tecum dicens:
Qui manducat carnem meam
et sanguinem meum bibit,
manet in me,
mecum per me
vere et ego in eo.

Grad. ms. S. Gereonis Coloniensis anni 1424. Cod. Mus. Archiep. Colonien. VI 5. — 2a, 5 Praesto. — 3b. 2 sq. preces omnium die isto. — 4a, 5 sq. Calca cum luna omniumque. — 5b, 5 radiosa (gegen den Reim). — 6b, 6 Et iumentis utrem. — Die Unebenheiten im Sinne und Reime bei Klausel 6a und 6b lassen vermuten, dafs der Text hier verderbt ist. — 9a, 2 effudisti. — Melodie: Ave praeclara maris stella, aber mit einigen Änderungen. Vgl. die folgende Sequenz.

225. De sancta Katharina.

1. Ave, praeclara
virgo gnara
et doctrix gentium,
sancta Katharina.

2a. Euge, Dei sponsa,
mundi absconsa,
Costi regis nata,
ad Christum, regem caelorum,
advocata
sis, quaesumus, grata.

2b. Virgo, decus poli,
coniuncta soli,
castae matris proli,
tu, pietatis alumna,
mersos in aerumna
nos spernere noli.

3a. Te plenam fide
attendentes homicidae,
idolorum cultores,
edocti Domino
vovent oboedire.

3b. Te lignum vitae
. . . . . .
quo munita rhetores
confundens, fidei
suadens assentire.

4a. Tu agnum regem
colens, qui magnum gregem
populi sanguine
redemit, peremptum
damnoso crimine, palam
extulisti.

4b. Tuque furentem
ignem vetans urentem
capillos laedere
ac vestem caelestem
coronamque credentibus
spopondisti.

5 a. Hinc gentium
Alexandriae
Maxentium
regem valide
mirum in modum
victum adfatu
confutat,
caelibatum
sub clausura dura
caesa graviter
servat; pravo ex fastu
pastu privans sponsam Domini.

5 b. Hinc manna verum
in ergastulo
angelico
ministerio
admirantibus
cunctis custodes
testantur
cum regina,
esca fantur divina
pulchram refici;
ora, virgo, nos illo
pane caeli dignos effici.

6 a. Fac fontem clarum,
quae vim rotarum
rumpis malignarum
fusa prece
et crudeli nece
turbam perfidorum
prosternis, quorum
secta censuit
in igne operari.

6 b. Fac igni sancto,
pignore tanto,
mentes inflammari,
furibundi
sapientes mundi
quo arsisse noscunt,
qui nam deposcunt
sancti spiritus
virtute solidari.

7 a. Audi nos,
nam te filius,
pater matris, honorat.

7 b. Salva nos,
Iesu, pro quibus
Katharina te orat.

8 a. Da fontem boni visere,
insontem agnum sedule
in regno gloriae.

8 b. Quo viso vires animae
dulcorem mentis caelice
queant percipere.

9. Tandem ad montem Sina
scandere
confer, sancta Katharina.

Orat. ms. Tegurinum anni 1500. Clm. Monacen. 20015. — 3a, 5 vovens. — 4a, 2 que. — 4a, 3 populo. — 5a, 7 confutas. — Mel.: Ave praeclara maris stella. Vgl. die vorhergehende Sequenz; während dort der Reim durchweg genau durchgeführt ist, tritt er hier mehr vereinzelt hervor.

226. De sancta Katharina.

1 a. In excelsis sine fine
De triumpho Katherinae
Agitur memoria;

1 b. Et nos coetu cum superno
Die demus hodierno
Laudes et praeconia,

2 a. Ut cum dies erit irae,
Mereamur invenire
Eius patrocinia,

2 b. Quae tyrannum superavit,
Et reginam coronavit,
Omni plena gratia.

3 a. Oratores confiteri
Faciebat vias veri
Virgo paris nescia.

3 b. Rotas fregit altiores,
Quas convertit in terrores
Deitatis gratia.

4 a. In tormenti poena fortis
Non reliquit metu mortis
Genitorem filia.

4 b. Ense caesa decollatur
Et ad Sina deportatur
Via viris invia.

5 a. Virgo sancta, tuae genti
Passionem recolenti
Desuper irradia;

5 b. Ora Christum, Deo grata,
Ne involvant nos peccata
Vel tempestas obvia.

Trop. et Sequent. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVI (20). A. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. in. Cod. Civitaten. LVIII. B. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX. C. — Miss. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXX (13). D. — Trop. et Sequent. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Seminarii Goritien. I. E. — 2 b, 3 gratiae E. — 4 a, 3 Genitore E.

227. De sancta Katharina.

1 a. Attollamus in hac die
Extollendas laudes pie
Katherinae virginis,

1 b. Commutantis morte brevi
Vitam aeternalis aevi
Regno vitae perpetis.

2 a. O quam mundi salvatricem,
O quam caeli regnatricem,
[O quam Dei genetricem]
Decet haec pedissequa!

2 b. Quam non vincunt blandimenta
Nec terrores nec tormenta,
Non sophorum argumenta,
Non ars syllogistica.

3 a. Diris poenis haec addicta
Vincit omnes, et invicta
Manet eloquentia,
Fide, patientia.

3 b. Morte cuius exquisitae
Rotae, serrae gladiique
Eius collisa precibus,
Quaternis mors furit milibus.

4 a. Per hanc grex philosophorum,
Imperatrix plebs multorum,
Cum coetu nobilium

4 b. Christo credunt et recedunt
Ab errore, cum tremore
A cultura daemonum.

5 a. Fiunt isti
Testes Christi,
Reverentur,
Confitentur
Ore, corde Dominum.

5 b. Pro quo torti
Non absorpti
Moriuntur,
Sed nascuntur
Caelo per martyrium.

6 a. Quos praemissos subsecuta
Martyr hodie, soluta
Ab aerumnis saeculi,

6 b. Caelum scandit Katherina;
Eius corpus monti Sina
Commendarunt angeli.

7 a. Cuius signo tumuli
Liquor stillat olei,
Quo sanantur languidi
Huic supplicantes virgini.

7 b. Rex regum mirabilis,
Fove nos suffragiis
Huius mirae virginis
Tuis donis mirificis.

Miss. ms. Hospit. S. Elisabeth saec. 14. Cod. Cathedral. Zagrabien. XXVIII. 5. 314. — 1 b, 1 Commentantes. — 3 a, 2 sed invicta. — 3 a, 3 Manet fehlt. — 3 b, 1 exquisita. — 3 b, 2 Rotae ferrae. — 4 a, 2 Imperatur. — 6 a, 3 Ab eximiis.

228. De sancta Katharina.

1 a. Iesu regi
caelestis curia
Novas cantat
laudes in gloria
Katharinae
data victoria
De tyranno,
et nunc ecclesia
Gratulatur.

1 b. Haec regali
orta progenie
Regem quaerit
in regni culmine
Sibi sponsum,
ut eius flamine
Vincat, sponsus
tali certamine
Delectatur.

2 a. Eruditur
sub annis teneris,
Mores capit
simul cum literis
Et doctorum
surgit in numeris
Ac amore
divini muneris
Haec fulcitur.

2 b. Hanc exornat
decora facies
Nec non tota
corporis species,
Et virtutum
simul congeries
Huc accedit,
haec eis requies
Invenitur.

3 a. Rex libans diis
hanc admiratur,
Quae sic prudens ter
id detestatur;
Se conclusurum
illam minatur
Philosophorum
ope, sed datur
Virtus blanda.

3 b. Syllogizatur
haec confidenter,
Argumentatur
sic sapienter,
Quod hi pro Christo
ignem ardenter
Ferunt, servantur
vestes potenter,
Res miranda.

4 a. Spernit opes,
blandiri non curat,
Oblato sceptro
aures obturat;
Rex flagella
inferre maturat,
Sed prudens virgo
constanter durat
Nec mutatur.

4 b. Iussu regis
sancta compeditur,
Ne escam sumat,
haec custoditur,
Certis diebus
sed et largitur
Cibum columba,
ex quo nutritur
Et firmatur.

5 a. Adnuit custos
munere ductus,
Nocte Porphyri-
us est inductus
Et regis uxor,
sic omnis luctus
Cessat, propinat
haec virgo fructus,
Quos mirantur.

5 b. Hic lux in nocte
fulget caelestis,
Odor suavis
spirat modestis,
Credunt et gaudent
pulsis funestis,
Cum his ducenti,
qui cum honestis
Deputantur.

6 a. Iam impletis
bis diebus senis
Se adesse
promittit in poenis
Iesus, locis
post scandit amoenis,
Videt virgo
oculis serenis
Ascendentem.

6 b. Gaudet sancta,
rex est in furore,
Katharina
rotarum stridore
Non terretur,
angelus fragore
Frangit rotas,
perdit in terrore
Pravam gentem.

7 a. Regem uxor
viso prodigio
Detestatur,
rex cum suspirio
Mammas tolli
iubet martyrio,
Ferro caput,
sic Dei filio
Copulatur.

7 b. Reddit arma
regi Porphyrius
Et ducenti
et copiosius,
Ut triumphent,
quos rex maturius
Mori iubet;
vita in melius
Commutatur.

8 a. His occisis
sanctam decollari
Iubet nequam;
virgo singulari
Dono potest
cunctis prosperari,
Dei voce
illam praestolari
Confitemur.

8 b. Lac emanat
cervice praecisa,
Corpus fertur
in tumba excisa
Sina monte,
hic membra elisa
Sanat liquor,
regna sunt gavisa,
Gratulemur.

Grad. ms. Parmense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Capit. Parmen. s. n. — 3 a, 8 sed non. — 8 b, 7 Sanat lictor.

229. De sancta Katharina.

1. In Domino gloriari
Claro decet exemplari
Katharina praevia.

2 a. Non a semet commendari
Deo teste sed probari
Salubris est gloria.

2 b. Regalibus natalibus
Orta fuit, in artibus
Abundans peritia.

3 a. Non sapuit sed timuit
Altum, non forma tumuit,
Re, sensu, prosapia.

3 b. Caelebs non ex imperio,
Sed ex Pauli consilio
Viri mansit nescia.

4 a. Dum cogeret catholicos
Ad errores fanaticos
Tyrannus Maxentius,

4 b. Facundae sermo virginis
Spiritu fortitudinis
Obsistit constantius.

5 a. Pronos Dei famulam
Dementare sedulam
Perplexis scrutiniis,

5 b. Domitos rethoricos
Cives fecit caelicos,
Adflatos incendiis.

6 a. Dum his lucrandis militat,
Dum, quae sunt Dei, cogitat
Sancta mente, corpore,

6 b. Caesam regina visitat,
Quam haec ad vitam excitat
Non claudendam tempore.

7 a. Hera credit; qui sectantur
Heram, simul trucidantur
Gladii compendio.

7 b. Virginem post blanditias,
Minas, poenales furias
Colli plectit sectio.

8 a. Canta miram novitatem:
Propter meram castitatem
Lac fudit pro sanguine.

8 b. Oleum, pax pestibus,
Rorat eius ossibus
In Sinai culmine.

9 a. Baiulis ubi angelis
Iam spiritu dato caelis
Arabicum verticem

9 b. Speciali sepultura
Meritorum de mensura
Magnum tenet indicem.

10 a. Per te, sancta, sit transitus
Contriti nobis spiritus,
Sit et stola gemina;

10 b. Promissa tuis precibus
Da patriae supplicibus
Gaudia intermina.

Grad. ms. Mosaetraiectinum saec. 15. Cod. Hagen. I. 8. — 6 a, 1 his fehlt. — 9 b, 3 Magum tenet iudicem. — Melodie: Lauda Sion in freier Behandlung.

230. De sancta Katharina.

1 a. Haec est dies salutaris,
gaudeat ecclesia,
In qua virgo Catherina
petiit caelestia;

1 b. Iucundemur et laetemur
in eius praeconio
Diem festum celebrantes
speciali gaudio.

2 a. Costi regis filia
virgo carne nascitur,
Inde liberalibus
studiis imbuitur.

2 b. Alto nata sanguine,
fide sed nobilior,
Christo sponso inigitur,
ex quo manet mundior.

3 a. Cuius in amore flagrans
sprevit transitoria,
Ad aeterna per acerba
festinans supplicia.

3 b. Cunctis rebus haec proponens
mernit accipere,
Quod nec lingua loqui potest,
nec visus prospicere.

4 a. In conspectu Caesaris
stetit cum fiducia
Docens Deum unum esse
verum, vana idola.

4 b. Inde mox irascitur
crudelis Maxentius,
Quod non valet superare
puellam sermonibus.

5 a. Sapientes convocari
iubet orbis clericos,
Quinquaginta reppererunt
rhetores clarissimos,

5 b. Ut puellam superare
possent in certamine;
Manet illa interrita
spiritus munimine.

6 a. Christum esse venerandum
docet super omnia,
Qui creavit et gubernat
caelum, terram, maria.

6 b. Ad haec commutescunt illi
nec valent resistere,
Salvatorem protestantur
passionis vulnere.

7 a. Hinc novis iam aggreditur
blanditiis Maxentius
Devotam Deo virginem
et miratur immobilem.

7 b. Quam, dum nequit pervertere,
recludi iubet carcere,
Sed inde vis angelica
Obscura fugat omnia.

8 a. Rotae factae cruciandam
ad Christi virgunculam
Repentinam dant ruinam
turbam super perfidam.

8 b. Regis uxor viso tali
tantoque miraculo
Iesum credit et necatur
statim a Maxentio.

9 a. His peractis Catherinam
iugulari praecipit,
Lactis liquor pro cruore
ex eadem profluit.

9 b. Assunt illic cito missi
spiritus angelici,
Animam in caelum ducunt
corpus (in) montem Sinai.

10 a. Membris ex virgineis
rivus manat olei,
Quo liniti sanitatem
consequuntur languidi.

10 b. Ad aeterna nos perducat
rex caelorum gaudia
Gloriosae Catherinae
virginis per merita.

Miss. ms. Zagrabiense saec. 15. Cod. Cathedral. Zagrabien. XLIV. 2. 323. A. — Grad. ms. Zagrabiense saec. 15. Cod. Cathedral. Zagrabien. s. n. B. — 1 b, 1 Iucundetur AB. — 6 b, 4 munere B. — 7 a, 1 iam fehlt AB.

231. De sancta Katharina.

1 a. Katherinam dulcibus
Extollentes cantibus
Sibi puris mentibus
Famulemur.

1 b. Haec virgo regalibus
Claruit parentibus,
Nos claram virtutibus
Hanc fatemur.

2 a. Costi regis filia,
Dum frequentat studia,
Pollet sapientia
Miro more.

2 b. Peritorum varia
Detegit mendacia
Idola daemonia
Probans fore.

3 a. Dum regis conubia
Spernuntur et latria,
Molitur supplicia
Rex profanus.

3 b. Rhetorum ingenia
Franguntur et atria,
Fert suis excidia
Labor vanus.

4 a. Tandem caput scinditur,
Cruor et lac funditur,
Corpus tumba conditur
Monte Sina.

4 b. Oleum [hinc] liquitur,
Quo languor compescitur
Omnis, hac dum ungitur
Medicina.

5 a. O rosa fragrantiae,
Lilium redolentiae,
Viola decentiae,
Katherina.

5 b. Tu vitae miseriae,
Tu mortis angustiae
Subventrix clementiae
Sis festina.

6. O spiramen,
Divum flamen,
Sis solamen
Nobis. Amen.

Miss. ms. Hispalense saec. 14/15. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 15. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 17. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. D. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. E. — 1 b, 2 Clamavit A. — 1 b, 4 Hac. — 3 a, 3 Mollitur DE. — 3 a, 1 Rectorum BDE. — Str. 4 a sqq. fehlen BCDE. — 4 b, 3 iungitur A. — 5 a, 3 degentiae A. — 5 a, 2 Lilium ist zweisilbig zu lesen. — Melodie offenbar: Mariae praeconio, nur ist die Klausel 6 angehängt.

232. De sancta Kunegunde.

1 a. Confitentes trinitatem,
Trinitatis unitatem,
[Unitatis deitatem]
Veneremur devotissime,

1 b. Quae miserta peccatorum
Solvit nexus delictorum
Pro mercede meritorum
Chunigundis clementissime.

2 a. Eius nomen est regale,
Per quod venit omen tale,
Cui nullum est aequale
Nec tot signis declaratum.

2 b. Mater nostra spiritalis
Virgo fuit corporalis,
Huius regni temporalis
Cepit summum principatum.

3 a. Virgo viro desponsatur,
Virginitate non privatur,
Sed virgo semper exstitit.

3 b. O fidelis copula
Carens omni macula
Carnalis desiderii!

4 a. Haec est una pars prudentum,
Haec cum lucro fert talentum
Christo suo creditori;

4 b. Haec est, cuius lampas luxit,
Istam sponsam sponsus duxit
Ad consensum summi thori.

5 a. Cuius ornat sepulturam
Deus ministrando curam
Corporis et animae.

5 b. Nullus morbus est tam gravis,
Quem non curat virgo suavis
Summo medicamine.

6 a. De terra facit triticum
Et sanat paralyticum,
Caecis visus redditur,
Claudus inde graditur;

6 b. Insensato datur sensus,
Parvus homo fit immensus,
Mutatus Deo iubilat,
Quem foeditas obnubilat.

7 a. Si contritus hanc [precatur],
Illi mox a Deo datur
Peccatorum venia.

7 b. Ergo, virgo, te precamur,
Ut soluti transferamur
Ad caelorum moenia.

8. Praesta, quod [de] superis
Medicus ab inferis
Liberare nos dignetur.

Miss. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Rossian. X 158. A. — Miss. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Palatin. Vindobonen. 1786. B. — Miss. ms. Pataviense saec. 15. Cod. S. Crucis 21. C. — Miss. ms. Garstense saec. 15. Cod. Lincen. Γ q 10. D. — Miss. ms. S. Floriani saec. 15. Cod. S. Floriani III 9. E. — Miss. ms. S. Floriani saec. 15. Cod. S. Floriani III 10. F. — 2a, 1 Cuius B. — 2a, 2 omne tale BCDEF. — 2b, 1 nostra matri BCEF. — 2b, 3 fehlt A. — 2b, 3 Rexit BCDEF. — Nach 3a, 3 schieben BCDEF ein: Contraxit matrimonium | Summi patris appetit. — Nach 3b, 3 schieben BCDEF ein:

O beati spiritus,
Per quos homo caelitus
Egreditur (Aggreditur BCEF) post hanc vitam.

4a, 2 lucro fecit A. — 4b, 2 sponsus sponsam ACEF. — 4b, 3 consensum summi chori BCDEF. — 6b, 2 Prius homo CEF. — 6b, 3 Deum alle Hss. — 6b, 4 sorditas BCEF. — 7a, 1 Sed contritus A; hanc fehlt A, haut B. — 8, 1 Nostra quod BCDEF. — Am Schlusse hängen BCDEF noch an:

In splendoribus sanctorum
Ut fruamur angelorum (angelicis E)
Caelicis concentibus (Caelicis fehlt E).

233. De sancta Landrada.

1. Landradae virginum chorus
intonet praeconia.

2 a. Agnus instruxit ovem,
Christus innocens fovit,
Per quem refrenatur
lascivia.

2 b. Cuius vita cum Christo
Florens fructificando
Fructum reportavit
cum gratia.

3 a. Dic nobis, Landrada,
Quae vidisti miranda?
Splendorem caeli patentis
Et gloriam vidi
maiestatis.

3 b. Angelicos testes
Signum crucis ferentes.
Abscessit lux aetherea
Relinquens nobis
crucis tropaea.

4 a. O Landrada veneranda,
Nobis imitanda,
Gregem pastori sum-
mo commenda.

4 b. Per te, pia, detur via
Nobis, in gloria
Quo tecum canamus
Alleluia.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. — 4a, 3 Regem. — Melodie natürlich: Victimae paschali. — Aus gleicher Quelle: Anal. Bollandiana VI, 401.

234. De sancta Landrada.

1 a. Gratulemur in honore
Salvatoris, et amore
Cordis psallat puritas.

1 b. Laudans fidelis laetetur,
Ut Landradae veneretur
Devote sollemnitas.

2 a. Virgo stirpe generosa
Virtutibusque formosa
Sprevit transitoria.

2 b. Summo sponso haec adhaerens,
Cuius dona sibi quaerens
Invenit in gloria.

3 a. Mundum, daemones calcavit,
Fame, siti virgo stravit
Carnem ac vigiliis.

3 b. Apros, ursas non expavit,
Sed cum ipsis exsultavit
Deputans pro sociis.

4 a. Se castigat lacrimando
Non tepescens haec orando,
Vestita cilicio.

4 b. Caelica desideravit,
Mundi vana superavit
Exuta supplicio.

5 a. Gregis custos virginis
Nocturnis silentiis
Divinum solacium
Scrutans, flamma luminum
Istum perlustravit.

5 b. Audiens angelicas
Voces atque caelicas
Recollecto pecore
Visa mane propere
Virgini narravit.

6 a. Virgo sancta Sigemarum,
Sacerdotem sibi carum,
Adloquens secretius,

6 b. Quo assumpto cum pastore
Locum quaerit in ardore
Caritatis laetius.

7 a. In quo lux resplenduit,
Angelorum sonuit
Dulcis melodia,

7 b. Aram crucis destinans,
Sponsus sponsam visitans,
Mittens sponsalia.

8 a. Vox auditur caelitus:
Tibi mittit Dominus
Hoc munus, Landrada.

8 b. Gavisa de munere
Virgo plena flamine,
Cultrix honoranda.

9 a. Spinas, vepres exstirpare
Coepit virgo ac parare
Locum delectabilem,

9 b. In quo templum matri piae
Struxit virgini Mariae
Imitans amabilem.

10 a. Postquam illud consecratur,
Ibi Christo famulatur
Magistra hac virgine.

10 b. Quae plantatrix fit virtutum
Protegendo ferens scutum
Ab aestu et turbine.

11 a. Iesu Christe, pastor bone,
Landradae sanctae matronae
Conserva collegium,

11 b. Ut te laudet puro corde,
Mundatum ab omni sorde
Duc ad culmen regium.

12 a. Quo tecum virgo beata
Fulget lauro coronata,
Ubi pax est stabilis;

12 b. Eius ut prece fruamur
Tui, Christe, et feramur
Ad te, ineffabilis.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. — 4 a, 1 Sed. — Aus gleicher Quelle Anal. Bollandiana VI, 399.

235. De sancto Laurentio.

1. Almi martyris
rogitemus merita

2a. Laurenti, Christo cari,
mundi qui sprevit
praemia,

2b. Sortitus poli clara
possidet unde
sidera.

3a. Parvulus annis
Dei gaudens semita

3b. Eius divina
tenuit vestigia.

4a. Romanae sedis levitae
claruit sub infula,

4b. Signo crucis caecis iste
restauravit lumina.

5a. Hic populos
provehit Christo plures
sanctimonia;

5b. Hippolyti
hic errorem vertit ad
palmae gloriam.

6a. Hunc dilexit Sixtus
pontifex
mente intima;

6b. Hic sublata fraudis
paruit
illi macula.

7a. Exspirans Christo animam
Laurentio gratanter
commisit pecuniam.

7b. Tu, Deus, haec congregaris,
tu, Laurenti, pauperum
consolaris agmina.

8a. Quanta gloria!
Iniquum ducem
delusisti
perpulchra industria.

8b. Cuius rabiem
confixus Christo
superasti
mira cum victoria.

9a. Carnifex asper
membra levitae
tractat flammula;

9b. Chorus excelsus
sanctam benigne
fovet animam.

10a. Tu perustus
in crate ferri
te ipsum
donasti cibaria;

10b. Nunc exsultans
pasceris Christi
epulis
super alta sidera.

11a. Nostrorum nos erue
orando, Laurenti,
facinorum
aegrimonia,

11b. Quo tecum mereamur
Christo iucunde
exhibere
famulamina.

12a. Tuis precibus
conteramus hunc hostem,
qui nos iaculis confodit
delicti,
quibus languet anima.

12b. Tu nos socios
tuis redde civibus
atque refer angelorum
gaudia
in luce perpetua,

13. Quo vita
perfruamur beata.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Roman. Angelic. 123 (B III 18). — 2b, 1 Sortinus. — 4a, 1 levitarum. — 5a, 1 populos. — 7a, 3 pecunia. — 7b, 1 hac. — 8a, 4 inducia. — 8b, 1 rabie. — 8b, 3 sq. mira superasti. — 10b, 4 astra sidera. — 12a, 2 hunc fehlt. — 12b, 3 refera angelorum.

236. De sancto Laurentio.

1a. Laureatus laurea
Scandit ad aetherea
Regna terens terrea
Laudandus Laurentius.

1b. Tormenta per ignea
Iam consumpta palea
Purus intrat horrea
Levita Laurentius.

2a. Thesauros pauperibus
Dat, ut in caelestibus
Thesaurizet opibus,
Laudandus Laurentius.

2b. Ignis in ardoribus
Vas consumptis sordibus
Redolet liquoribus,
Laudandus Laurentius.

3. Sic assatis carnibus,
Sic peractis precibus
Cenat cum caelestibus
Levita Laurentius.

Miss. ms. Hispalense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin Hispalen. 83, 15 B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin, 12. D. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. E. — 1a, 2 aethera ACDE. — 1a, 3 Regna terreus terrea AB; Regna tenens D. — 2a, 2 ut fehlt AB. — 2a, 3 Thesaurizat A. — 2b, 3 sq. lauten in BCDE: Sudat ut sudoribus | Finem det laboribus (det actoribus CD; delatoribus E). — Str. 3 lautet in BCDE:

3a. Epulas ad candidi
Cenam agni providi
Profert agni torridi
Laudandus Laurentius.

3b. Sic vas auri solidi
Aptum vero iaspidi
Angulari lapidi
Levita Laurentius.

Die Halbstrophe 3b fehlt indessen in CDE.

237. De sancto Laurentio.

1a. Inflammemur ad agonem
Contractantes passionem
Invicti Laurentii.

1b. Nos ad palmam praeparemus,
Ut in ipso properemus
Ad agrum martyrii.

2a. In hoc agro laureatus
Stat hic martyr et paratus
Ad mortis supplicium.

2b. Dispersisse confitetur
Se thesauros, dum torquetur,
In manus egentium.

3a. Ignis intus ignem foris
Et tyrannum vis amoris
Vincit in Laurentio.

3b. Gratulatur, dum assatur,
Dum crematur, exaltatur
Ab iniquo Decio.

4 a. Bonum opus operatur,
Dum per ipsum illustratur
Caecitas gentilium.

4 b. Cuius nox non obscuratur,
Sed in lucem exaltatur
Tam pollens martyrium.

5 a. Ergo, Christe, qui tantorum
Extinxisti tormentorum
Flammas et incendia,

5 b. Tu nostrorum delictorum
Dele culpas ac caelorum
Transfer ad palatia.

Miss. ms. Zagrabiense saec. 15. Cod. Cathedral. Zagrabien. XLIV. 2. 323. — Str. 1 a hat Anklänge an die Agnes-Sequenz: Animemur ad agonem.

238. De sancto Leonorio.

1. Lux est laudis et iucunda,
Laudent omnes laude munda
Patrem Leonorium.

2 a. Plene laudent hi, qui gaudent
Secum vere permanere
Sancti corpus proprium.

2 b. Ad laudandum solvat ora
Omnis homo omni hora
Festa colens annua

3 a. Tam praeclara confessoris;
Laus est talis laus decoris,
Dulcis et melliflua.

3 b. Huius sancti praeclara sanctitas,
Per angelum eius nativitas
Et nomen praedicitur.

4 a. Adplicatur expers mali
Documento literali,
Miranda res agitur:

4 b. Literas primaria
Die vocat, alia
Iungit, scribit tertia.

5 a. Mari flante vento gravi,
Iam submersa pene navi
Tempestate nimia

5 b. Excitatus, dum dormiret,
Prece fecit, ne periret
Plebs in navi socia.

6 a. De proiecta mari ara
Fit cor maestum, mens amara
Venerandi praesulis;

6 b. Sed extractam de profundo
Reddit Deus viro mundo
Columbinis ungulis.

7 a. Cervi mites sicut oves
Arant iuncti sicut boves
Eius ad imperia;

7 b. Non punguntur stimulo,
Non tanguntur baculo,
Dum complent officia.

8 a. Concordatim omnes eunt,
Iuga tenent, iuga vehunt
In sancti obsequio;

8 b. Pergunt uniformiter,
Pergunt unanimiter
Uno desiderio.

9 a. Hora nona resolvuntur,
Pascunt, mane revertuntur
Et manent in opere;

9 b. Opus complent, quo completo
Iubet sanctus vultu laeto
Humiles recedere.

10 a. Super Rhenum caecos sanat,
Sic ab eo plene manat
Lux caelestis gratiae.

10 b. Surgit sanus vir contractus,
Vir superbus mox confractus
Redditur miseriae.

11 a. Iuxta verbum praedicentis
Et benigne admonentis
Sunt scabella viri flentis
Sano necessaria.

11 b. Dat pro vino sancto virus
Homo nequam, homo dirus,
Homo malus et delirus
Et plenus nequitia,

12 a. Volens sancto dare letum;
Sed non habet leti metum,
Dum veneno vas impletum
Crucis signo frangitur.

12 b. Super dantem virus cadit,
Quem mors saeva mox invadit,
Sic venenum morti tradit
Eum, a quo traditur.

13 a. Leonori, fons honoris,
Te orantes totis horis
Intus serva nos et foris
Tui nobis dans amoris
Sacrum desiderium.

13 b. Praesul sancte, flos hortorum,
Lux et decus confessorum,
Nos de faece mundanorum
Ad caelestem transfer chorum,
Ad perenne gaudium.

Miss. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. Fol. 11. A. — Miss. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. Fol. 12. B. — Miss. Silvanectense imp. Parisiis 1524. C. — 2a, 2 Secum velle C. — 10a, 1 Super rerum AB. — Auf 10b, 2 folgt ein überschüssiger Vers: Pedum perdens usus actus ABC. — 11b, 2 durus AC. — 12b, 4 Eum cum quo ABC. — 13b, 4 In caeleste AC. — Melodie: Laudes crucis attollamus. Die Stammsequenz ist genau nachgeahmt; sogar die Binnenreime in 2a, der Rhythmuswechsel in 3b, 4b, 7b, 8b sind genau nach der Vorlage und am gleichen Platze beobachtet. Nur fehlt der Binnenreim in 10b, und insbesondere ist Strophe 1 ohne Gegenstrophe geblieben; infolge dessen reimen in den 4 ersten Strophen nicht die Schlufszeilen der correspondierenden Halbstrophen, sondern 2b, 3 reimt mit 3a, 3 etc. — Misset-Weale (Anal. Liturg. I, p. 380) ziehen die drei Halbstrophen 4b, 5a u. 5b in eine Strophe zusammen und bezeichnen sie dann als: „Strophe curieuse, à rapprocher de celle qui existe dans la Prose de Saint Gendulphe, que nous avons publié n° 154.“ Diese Bemerkung ist mindestens „curieuse“, beweist aber, wie nachteilig es ist, bei Herausgabe von Sequenzen die Melodie derselben bezw. ihrer Stammsequenzen nicht zu beachten.

239. De sancto Luca.

1 a. Hac in aula regi Christo
condigna dentur carmina,
Qui pervius ampla mundi
quadriformi climata

1 b. Apostolorum dignatus
est dilatare famina,
Quo utrique nationi
profuissent dogmata.

2 a. Horum [de] collegio
novimus fuisse
sanctum Lucam,

2 b. Arte medicinali
peritum, nativum
de Syria,

3 a. Secutum egregii
inclita Pauli monita,

3 b. Informatum ab illo,
caelibem ducentem vitam.

4 a. Verba quoque [hic] sancta
nobis exhibuit
evangelica

4 b. Itinerisque recti
patenter tradidit
scandere viam,

5 a. Quo Christi nostra caterva
poscat [sibi] munera,

5 b. Et ut possit sancti regni
possidere gaudia

6. Suffragante sancto Luca.

Trop. et Sequent. ms. S. Benedicti Mantuani saec. 11. Cod. Capit. Veronen. CVII (100) add. saec. 11. — 2a, 3 sanctissimum. — 3b, 2 ducens. — Beachtenswert ist der gleichmäfsige Rhythmus und Reim im ersten Klauselpaare.

240. De sancta Lucia.

1 a. Lucis creator optime,
Luciae nobilissimae
Splendor mentem illuminans,

1 b. Illabens eius animae
Illuxisti clarissime,
Omnem umbram eliminans.

2 a. Arma lucis induens,
Carnis sponsum renuens,
Lucia iuvencula,

2 b. More lucis influens,
Omnia distribuens
Christum luxit credula.

3 a. De tenebris
lumen splendescere
Dixit Deus
in primo vespere
Creans lucem;

3 b. Tum voluit
lucis ostendere,
Dum Luciam
fecit emittere,
Mortem trucem.

4 a. Iesu, lux vera mentium,
Per Luciae subsidium
Da nobis lucem gratiae,

4 b. Quae nos per iter devium
Post hoc praesens exsilium
Ducat ad lumen gloriae.

Offic. ms. S. Luciae saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Avenionen. 117 (7). — 2a, 2 renues. — 4b, 1 Quae nos pariter demum. — Die Abschrift, besorgt von Mr. Labande, Conservateur zu Avignon, verdanke ich der Liebenswürdigkeit des Mr. A. Beaugrand in Paris.

241. De sancto Ludovico.

1 a. Ludovico
Pangamus corde pudico
Alleluia.

1 b. Rex hac vita
Vivebat ut eremita,
Res miranda.

2 a. Gaudet rex de regulo,
Dominus de famulo,
Sol de stella.

2 b. Regni et ecclesiae
Iura rexit requie
Semper clara.

3 a. Multa bona clericis
Contulit et laicis
Pari forma.

3 b. Hic multa pericula
Passus est per saecula
Carne sumpta.

4 a. Nec prece nec pretio
Sua mens iudicio
Fit corrupta.

4 b. Nullus tam summopere
Vixit suo tempore
Valle nostra.

5 a. Damietam rapuit
Hunc, carcere tenuit,
In hoc dici meruit
Esse caeca.

5 b. Tunis fuit mortuus,
Caelo fit perpetuus,
Liber declarat suus
Haec praedicta.

6 a. Nitet miraculis
Magnis et parvulis,
Quem vinxit vinculis
Gens misera.

6 b. Eius precamine
Fruamur lumine
Dei cum virgine
Puerpera.

Miss. ms. Cenomanense saec. 15. Cod. Parisien. 867. A. — Miss. ms. Cenomanense saec. 15. Cod. Cenomanen. 353. B. — Grad. ms. Cenomanense saec. 15. Cod. Cathedr. Cenomanen. s. n. C. — Prosar. ms. Caelestinorum Parisien. saec. 15/16. Cod. Mazarin. 448 (758). D. — Miss. Senonense imp. Parisiis 1543. E. — Miss. Cenomanense imp. Parisiis 1559. F. — Str. 3 b und 4 b umgestellt E; dürfte das Richtige sein, weil so die Reihenfolge der Schlufsverse der Stammsequenz „Laetabundus“ genau gewahrt bleibt. — 5 a, 1 Damieta E. — 5 b, 1 Curis A, Cunis B. — 6 a, 1 sq. fehlen A; 6 a, 3 vincit B. — 6 b, 1 Cuius E. — Melodie natürlich: Laetabundus.

242. De sancto Lullo.

1. Optata nostris
gaudia votis

2 a. Adcumulavit
diecula veneranda

2 b. Lulli beati
praeconio glorioso.

3 a. Hic piis
sancti Bonifatii

3 b. Monitis
doctus ardua sequi,

4 a. Bellator rigidus
contra mortis impetus

4 b. Pacatis moribus
fit caelestis iuvenis.

5 a. Quem Bonifatius
agonitheta

5 b. Post consecravit
archimandritam,

6 a. Digno successori
delegans curam
sponsae caelestis,

6 b. Caste fecundandae
spirituali
prole pudica.

7 a. Salve,
praeconium
caelestis civis colendum,
structor huius
ac defensor,

7 b. Sancte
supplicibus
Lulle precamur votis, ut
Herveldenses
hos servulos

8 a. Colluvionibus
peccatorum gravibus

8 b. Tuo propitio
purges patrocinio

9 a. Atque tutamine
pacis nos indignos

9 b. Servulos proprios
visites frequentius,

10. Senator aulae caelestis.

Grad. ms. Heresfeldense saec. 12. Cod. Casselan. Theol. fol. 55 (mit Neumen). — 2 b, 2 praeconio celebris glorioso (drei überschüssige Silben). — 5 b, 1 post se. — 6 b, 1 fecundandam. — 6 b, 3 pudicam. — 7 b, 5 hos fehlt. — 9 a, 1 tutamini.

243. De sancto Luthardo.

1 a. Hymnizare Deo gaude,
Plebs unita Dei laude,
Per devota studia;

1 b. Corde, voce, voto plaude,
Quidquid in se valent, aude
Cor et linguae munia.

2 a. Vere passim sunt laudanda,
Veneranda, praedicanda
Dei beneficia;

2 b. De cuius triumphat dono
In terris, in caeli throno
Luthardi militia.

3 a. Hic est palmes verae vitis
Pretiosa, margaritis
Annulum ecclesiae

3 b. Virtutibus adornavit,
Dum caelestem comparavit
Censum studens latriae.

4 a. Mundo dives in aspectu,
Deo pauper in affectu:
Nobilitas humilis;

4 b. Quanto sese deprimebat,
Tanto magis elucebat
Humilitas nobilis.

5 a. O cor sanctum, cor praeclarum,
Cor, quod rerum terrenarum
Non infecit copia!

5 b. Alma mens est contemplata;
Quam divina, quam beata
Spiritus inopia!

6 a. Fide grandem, spe securum,
Gestis, vita, corde purum
Summa sanxit caritas;

6 b. Hunc fundavit sibi murum
Tempestati non cessurum
Veritatis firmitas.

7 a. Hic minister caritatis
Post huius mortalitatis
Aerumnosum stadium

7 b. Est adeptus cum beatis
Ad vitam praedestinatis
Summi boni bravium.

8 a. Indevicte miles Christi,
Posce nos ex orbe tristi
Caeli regnis inseri,

8 b. Ut consortes tuae sortis
Et a poenis et a portis
Eruamur inferi.

Sequent. et Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Melodie offenbar: Gaude Sion quod egressus; aus dieser Sequenz ist auch die letzte Halbstrophe entlehnt.

244. De sancto Magno.

1 a. Ad honorem et decorem
Huius sancti nos caelesti
Demus regi gloriam,

1 b. Magnum fecit qui beatum
Et ad vitae duxit statum
Et ad caeli curiam.

2 a. Magnus plane hic athleta,
Tyrannorum qui decreta
Nihil certe veritus,

2 b. Ineunte ab aetate
Christum colens probitate
Nulli cessit penitus.

3 a. Nulli cessit saevienti
Nec assensit blandienti
Nec tortori impio.

3 b. Magno maior patienti
Vis erat, quam ferienti,
Laeta hinc irrisio.

4 a. Magnum viri scelerati
Immiserunt in voraci
Flamma, nec exuritur.

4 b. Quod nec sensit vim ardoris
Ob ingentem vim amoris,
Magiae (hoc) tribuitur.

5 a. Plagis vapulat severis,
Devorandus datur feris
Ursis et leonibus.

5 b. Ferae signo crucis viso
Conticescunt et mansuescunt
Blandientes nutibus.

6 a. Hoc spectato multi credunt
Atque Magno adhaeserunt
Plus quam duo milia.

6 b. Omnes isti confortati
Fide Christi, spe armati
Riserunt supplicia.

7 a. Fide firmi, spe robusti,
Nonaginta et quingenti
Atque duo milia

7 b. Simul omnes decollantur
Et in caelis coronantur
Multa post ludibria.

8 a. Magnus autem, dux eorum,
Post triumphum gloriosum
Martyrumque gloriam

8 b. Lapidatus est coronam
Sic adeptus gloriosam
Laetam et victoriam.

9 a. Sanctus iste, Iesu Christe,
Tibi carus, obsecramus,
Nostrum servet exitum,

9 b. Ut ereptis poena mortis
Iam felicis suae sortis
Nobis praestet aditum.

Grad. ms. Monasteriense saec. 15. (Privatbesitz). — 1 a, 2 l. vielleicht: Huius festi, um den Binnenreim zu wahren (vgl. Anfang von Anal. Hymn. VIII, Nr. 190).

245. De sancto Marco.

1 a. Vox sonora nostri chori
Nostro sonet conditori,
Qui disponit omnia;

1 b. Per quem hic evangelista
Marcus, praesul clarus vita,
Pugnat cum victoria.

2 a. Sacerdotum stirpe natus
Aaron post est oblatus
Petro in baptismate;

2 b. A quo plene eruditus
Digne fuit insignitus
Sacro diademate.

3 a. Hic vir tantae dignitatis
Prae fervore caritatis
Scripsit evangelium,

3 b. Quod a Petro adprobatum
Est ecclesiae donatum
Magnum in exenium.

4 a. Hinc ad Italos directus
Patriarcha est effectus
Magnae Aquilegiae;

4 b. Quam cum verbo docuisset,
Signis claris illustrasset,
Reliquit Hermagorae.

5 a. Inde Romam post reversus,
Iussu Petri mox conversus
Pergit Alexandriam.

5 b. Tanta fulget hic virtute,
Quod multorum cum salute
Fundavit ecclesiam.

6 a. O quam digne est laudandus
Vir excelsus, commendandus
Pio magisterio.

6 b. Nam quos verbis edocebat,
Studiose commendabat
Sacro monasterio.

7 a. Ab hoc patre sic exorti
Monachorum greges cuncti
Sunt in Alexandria,

7 b. Qui caelesti vita clari
Dono fulgent singulari
In caelesti curia.

8 a. Tandem pastor hic insignis,
Fervens vita, clarus signis,
Cum palma martyrii

8 b. Christo regi iam coniunctus
Serto nitet coronatus
Sempiterni gaudii.

9 a. Gaude, urbs Venetiarum,
Quae patronum tam praeclarum
Possides cum gloria;

9 b. Clama laudans praeconia,
Ut per eius suffragia
Laeteris in patria.

Grad. ms. Praedicatorum saec. 15/16. Cod. Praedicat. Cracovien. s. n. A. — Miss. ms. Praedicatorum Hispanicum (Cardin. Ioh. Alvarez) saec. 16. Cod. Vatican. 5590. B. — Miss. Praedicatorum imp. Parisiis 1517. C. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. D. — 2 a, 1 sacerdotis BC. — 3 b, 2 excennium D. — 4 b, 3 Hermacore ABCD. — 9 a, 3 in gloria AC. — Der unreine Reim in 7 a, 2 u. 8 b, 2 ist auffallend, aber in allen Quellen. — Melodie wahrscheinlich jene der Katharina-Sequenz gleichen Anfangs, der auch die erste Strophe entlehnt ist; die Vorlage ist um 3 Strophen länger.

246. De sancta Margareta.

1 a. Psallat omnis ecclesia,
Iucundetur et sit laeta,

1 b. In qua martyr sanctissima
Mundum vicit Margareta.

2 a. Cuius fidem, cuius vota
Nec praefectus nec plebs tota
Depravare potuit.

2 b. Tunc suspensa, tunc constricta,
Virgis caesa nec devicta,
Quam Christus sustinuit.

3 a. Draco stupet, daemon stridet,
Quos convincens virgo ridet
Confortata caelitus,

3 b. Flammis, aquis cruciatur,
Sed patenter laureatur
Dono sancti spiritus.

4 a. Viso signo tantae rei
Plebs adclamat laudes ei,
Quinque credunt milia;

4 b. Mox in morte sunt addicti,
Sed pro fide stant invicti
Spreta mundi gloria.

5 a. Tunc ab hoste mors dictatur
In puellam, quod caedatur
Gladii discrimine.

5 b. Dum cervicem flectit illa,
Ferit hic, et lactis stilla
Defluxit cum sanguine.

6 a. Sic despecto mundi flore
Stolam lavans in cruore,
Iam respirans in decore
Martyr caelos penetrat.

6 b. In conspectu summi Dei
Sedem nacta requiei,
Pro salute omnis rei,
Quidquid petit, impetrat.

7 a. Luce gaudet in superna,
Cuius ardens hic lucerna
Lumen dedit fidei,

7 b. Spe subnixa deitatis,
Igne flagrans caritatis,
Satis habens olei.

8 a. Ergo, martyr Margareta,
Fac, ut triplex haec dieta
Metam firmet gratiae,

8 b. Fac in nobis veram fidem,
Quod cepisti, confer idem
Bravium laetitiae.

Miss. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXX (13). A. — Trop. et Sequent. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVI (20). B. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. in. Cod. Civitaten. LVIII add. saec. 15. C. — Auch im Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX. — 2 b, 1 Nunc. — 4 a, 2 Dei BC.

247. De sancta Margareta.

1a. Psallat chorus virginum,
Tangat manus tympanum
Hodie,

1b. Sit spes una mentium,
Una vox canentium
Hodie.

2a. Margarita, virgo martyr,
Angelorum tenens chorum
Clamitat:

2b. Veniat dilectus meus
Et pomorum fructum suorum
Colligat.

3a. Pulcher es, dilecte mi,
Et decorus,
Lectus noster floridus
Gloriosus,
Et amore langueo.

3b. Caput meum sponsi laeva
Complexatur,
Dextra corpus cingitur,
Mens armatur,
Et amore langueo.

4a. Languet per exsilium,
Languet per martyrium
Sponsa Dei,

4b. Caeli sed imperium,
Vitae refrigerium
Datur ei.

5a. Inquit enim sponsus [illi]
Voce leni:
Tota pulchra es,

5b. Nam cor meum vulnerasti,
Soror, veni,
Tota pulchra es.

6a. Quam sunt pulchrae
mammae tuae!
Favum stillant labia,

6b. Mel et lac sub
lingua tua
Superans aromata.

7a. Aperi, columba, sponsa,
Caput madet roribus;

7b. Ut pateret mihi gressus,
Ad te veni noctibus.

8a. Consummatur in hac sponsa,
Quod Salomon dixerat:

8b. Mi dilecte, veni, veni,
Saepius exagerat.

9a. Egrediamur
In agrum [et] commoremur
In villis,

9b. Mane surgamus
Ac vineas videamus
In illis.

10a. Si vinea nostra floruit,
Si frondens fructibus tumuit,

10b. Si floruerunt mala punica,
Ibi dabo tibi ubera.

11a. Iam in caelo sponsi
fruitur amplexibus,

11b. Ubera dat sponso
versis vicibus.

12a. Deprecemur omnes
flexis genibus,

12b. Ut adoret sponsum
pro nobis omnibus.

Grad. ms. Parmense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Cap. Parmen. s. n. — 9b, 2 Ad vineas.

248. De sancta Margareta.

1a. Actu vitae innocentis
Et affectu piae mentis
In honore praepotentis
Margaretae virginis

1b. Gaude, Sion, et exsulta,
Quia Christo consepulta
Martyr, laude digna multa,
Iam regnat cum superis.

2a. Quae in mundo constituta,
Pompam mundi persecuta,
Pertransivit impolluta
Carnales spurcitias.

2b. Carcerales sensit poenas,
Famem, sitim et catenas
Venenato melle plenas
Aspernata nuptias.

3a. Quarum spreta voluptate
Vitae studens illibatae
Redolebat suavitate
Et pudoris lilio.

3b. In decore virginali
Et virtute triumphali
Sponso nupsit immortali,
Summi patris filio.

4a. Sponsa Christi adoptiva
Meritorum lucra viva
Quasi grata donativa
Sponso suo praeparat.

4b. Intumescit fel praefecti;
Secta collum nescit flecti,
Quam a carne vox dilecti
Regnaturam evocat.

5a. Huius ope salutari,
Ut a sorde saeculari
Mereamur expiari,
Oramus te, Domine,

5b. Ne in arto tribunali
Pro delicto temporali
Condemnemur aeternali
Mortis cruciamine.

Miss. ms. S. Petri Erfordensis saec. 15. Cod. Londinen. Add. 10925. — 4b,1 profecti. — Melodie wahrscheinlich: Imperatrix gloriosa.

249. De sancta Maria Magdalena.

1. Adest praecelsa
cunctis dies
digne celebranda,

2a. In qua scandit ovans
Magdalene Maria

2b. Caeli ignicoma
comitante caterva.

3a. Iubilet hodie,
psallat, tripudiet,
omnis terra.

3b. Sedes astriferas
sole splendidior
subit stella.

4a. Clarissima stirpe
sata [haec] mulier
meretrix
impudica
quondam fuit ista.

4b. In [domo] Simonis
leprosi repperit
te, Iesu,
lumen verum,
virtus, gloria nostra.

5a. Mox secus pedes
rore (suo!) nectaris
liquefacta iacet illa.

5b. Lacrimis lavat,
crinibus tergit,
porrigit oscula grata.

6a. Tuis pedibus
fert alabastra,
infundit eis
unguenta sacra;
condescendens
miseriis eius
misericordia magna.

6b. Solvis gratia
quam largiflua
eius vincula
multiplicia,
pie pater,
patris summi proles,
cunctorum salus ac vita.

7a. Hinc fit sancti
spiritus aula,
quae septem daemonum
fuit antea,

7b. Et fit illa
sublimis hera,
quae Iesum meruit
cernere prima.

8a. Iesus tibi
apparuit primum,
cum surrexit
post fracta tartara.

8b. Resurgentem
discipulis Christum
cecinisti,
o felix Maria.

9a. Prior Eva
fuit olim
mortis nuntia,

9b. Et tu prima
nuntiasti
vitae gaudia.

10a. Laus, honor, gloria
sit Deo per saecla,
cuius prudentia
disponit omnia,
per quam nunc regina
translata est
ad aethera.

10b. Virginum agmina
illustrans, Maria,
in caeli curia,
peccatrix femina,
fulges prospicua,
spem lapsis dans
de venia.

11a. Congaudet nunc
tibi ecclesia,
et laetantur
orbis climata.

11b. Te miratur
phalanx angelica,
tibi tuba
plaudit harmonica.

12a. Tu pro nobis
[nunc] esto sollicita
prece fovens
nos assidua.

12b. Tecum nobis,
stella maris, Maria,
nunc et semper (et ubique)
maneat propitia.

Cod. Petroburgen. Q I 51. (cfr. Neues Arch. V, 262). Daraus Gillert, Briegers Zeitschr. f Kirchengesch. IV, 612 sq. — G. bemerkt: „Diesen Maurusliedern lasse ich eine Sequenz auf die Maria Magdalena folgen, die sich in einer andern Petersburger Handschrift vorfindet. Da in letzterer die Meditationes, eine Schrift Odos von Clugny, enthalten sind, so liegt der Gedanke nahe, auch dieses Gedicht ihm zuzuschreiben, besonders wenn man bedenkt, dafs auch schon anderswoher Verse, in denen der Cluniacenser Abt jene Heilige feiert, bekannt sind." l. c. 612. — 6a, 5 condescens G. — 6a, 6 miseris G. — 10a, 2 saeculis G. — 10a, 5 nunc virago regia G. — 12a, 3 prefovens G. — Die Klammern enthalten Korrekturen, die von mir dem Texte von G beigefügt sind.

250. De s. Maria Magdalena.

1a. Magdalenam planctu plenam
Simul et laetitia

1b. Dempto planctu dulci cantu
Collaudet ecclesia.

2a. Fines horrens Babylonis,
Vultum quaerens Salomonis
Accessit ab ultimis,

2b. Austro fugans Aquilonem,
Fletu mersit Pharaonem
Pedes lavans lacrimis.

3a. Quaerens Dei filium
Intrat in convivium
Dolore cogente,

3b. Ad pedum obsequium
Pium praebet studium
Amore trahente.

4a. O felices Magdalenae
Fletus, crines, vultus, genae
Sponso blandientes

4b. Et unguentis manus plenae,
Saevientis plagas poenae
Sponsae subtrahentes.

5a. Innixa super dilectum
Eius fulta flosculis,
Suum dedit intellectum
Caritatis regulis.

5b. Condolendo morienti
Votis astat sedulis,
Congaudendo resurgenti
Nuntiat discipulis.

6a. Vitam solitariam
Amans in caverna
Mundi sprevit gloriam
Spirans ad superna.

6b. Signis et prodigiis
Fulgens ut lucerna
Demum plena gratiis
Migrat ad aeterna.

7a. Christe salus paenitentis
Et fons aquae salientis,
Nostrae lava sordes mentis
Magdalenae precibus,

7b. Ut virtutum incrementis
Mundi spretis blandimentis
Lucrum detur de talentis
Cum servis fidelibus.

Grad. ms. Unterlindense saec. 14. Cod. Colmarien. 312. A. — Grad. ms. Unterlindense saec. 14. Cod. Colmarien. 317 B.

251. De s. Maria Magdalena.

1a. Veneranda Magdalenae
Repraesentant festa plene
Vae, lamenta, carmina;

1b. Vae debetur delinquenti
Et lamentum paenitenti,
Postque laus, precamina.

2a. Haec ut uxor adversatrix
Christum linquens fit peccatrix
In sequendo turpia.

2b. Ut repudiata viro
Dissipavit modo miro
Grata naturalia.

3a. Irae Christus iam oblitus
Pie quaerit ut maritus
Tegens turpitudinem;

3b. Rete gratiae sagenat
Gratis trahens, ubi cenat,
Spirat paenitudinem.

4a. Lue tersa delictorum
Ornans munere donorum
Hanc sibi conciliat.

4b. Haec recedit iam ex toto,
Lavat, ungit et ex voto
Se totam humiliat.

5a. Osculatur et decorat
Pedes Christi, sic honorat
Sponsum, quem contempserat.

5b. Ex affectu studet vere
Membra, sensus exhibere
Christo, qui praestiterat.

6a. Haeret medico curata,
Nam ministrat, paret grata
Hospes et discipula,

6b. Sequitur caelestem ducem
Tam ad caelum quam ad crucem
Ut patronum famula.

7a. Cessant iam lamenta cuncta,
Curiae caelesti iuncta
His succedunt carmina.

7b. O quam privilegiata
Caelis, terris fit beata,
Gaudens inter agmina!

8a. Suscitatur huius prece
Lazarus diurna nece;
Quam magna dilectio!

8b. Partem optimam elegit
Et ex ore Christi legit,
Quae sunt digna praemio.

9a. Fit praenuntia surgentis
Et apostola scandentis,
Unde Iesus venerat.

9b. Paenitentiae exemplum
Iam caeleste scandit templum,
Hic Christus remunerat.

10a O Maria Magdalena,
Spes reorum, donis plena,
Laudes, preces accipe,

10b. Et placato nobis Christo
Mundo protegens nos isto
Demum ad te suscipe.

Graduale ms. Franciscano-Romanum saec. 14. Cod. Roman. XX (Varia 290). — Mit Melodie.

252. De sancta Martha.

1a. Dies est laetitiae,
Pangat regi gloriae
Dulce melos hodie
Noster coetus.

1b. Cedat torpor mentium,
Surgat vox psallentium,
Cunctorum maerentium
Cesset fletus.

2a. Gaudeat ecclesia,
A qua Sion filia,
Martha de Bethania
Oriunda,

2b. Clara stirpe genita,
Cara Christi hospita,
Carnis solvit debita
Laetabunda.

3a. In caelorum solio
Fruens grandi bravio,
Iuncta Dei filio,
Quem amavit,

3b. In terris hospitio
Pascens et de proprio
Tribuens cum gaudio
Ministravit.

4a. Haec sororem noluit
Vacare, sed voluit
Eidem, quem coluit,
Ancillari.

4b. Vitae mos theoricae
Datur his et practicae
Sororibus mystice
Designari.

5a. Ad Christum provectio
Nobis et protectio
Huius sit dilectio,
Quam laudamus.

5b. Adiuvet nos sternere,
Vana mundi spernere
Et post mortem cernere,
Quod speramus.

Grad. ms. Nurembergense saec. 15. Cod. Civ. Nurembergen. III 15b. — Mel.: Mariae praeconio.

253. De sancto Martino.

1a. Martini psallere
Festo cum gaudio
Decet et canere
Nos, ut ab impio
Tyranno eruat.

1b. Psallamus hodie
Decoris vocibus,
Canamus propriae
Cum mentis precibus,
Ut ista adnuat.

2a. Martinus pallium
Egeno tribuit,
Dans ei gaudium
Illum sustinuit
Cum suo pallio.

2b. Hac veste voluit
Caeli rex indui,
Christus apparuit
Martino, perfrui
Dat vitae gaudio.

3a. In somnis praevidet
Miles miraculum,
Et Deus providet
Martino populum
Regendum Turonum;

3b. „Hac veste“ Dominus
„Me“ dicens „induit,
Cum catechuminus
Hanc nudo tribuit“
Dat somnum resonum.

4a. Commendat omnium
Curam pontifici
Suarum ovium
Gregis dominici
Martino praesuli.

4b. Vultu vir humilis
Ac mente supplici
Pastoris similis
Personae simplici
Fit rector populi.

5a. Martini bonitas
Est sanctimonia,
Celatur nuditas
Cum veste media
Iam nudi pauperis.

5b. Gaudere potuit
Nudus cum pallio;
Martino profuit
Plus vitae gaudio
Frui cum superis.

6a. Cuius humilitas
Nos agat humiles,
Carnis debilitas
Ne nostrae debiles
Ad se nos provocet.

6b. Istius praesulis
Assit protectio
Subiectis populis,
Caelis oratio
Sua nos collocet.

Miss. ms. Hispalense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin. 12. C. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. D. — 1a, 4 Ut nos D — 3b, 2 Mendicens AC; Mendicem B. — 3b, 5 sonum resonum D. (Dominus dat somnum resonum = verleiht dem Traume Widerhall, Wirklichkeit?). — 4a, 3 Suarum fehlt A. — Str. 4b sqq. fehlen BCD. — 6b, 5 Sui A. — Melodie wahrscheinlich: Mittit ad virginem.

254. De sancto Martino.

1. Martine,
confessorum gemma,
praesulum gloria,

2a. Tu vitae
perennis gaudia

2b. Amplexus
aetate tenera.

3a. Liquisti
terreni regis
ac secutus
Christi militiam,

3b. In qua te
semper exercens
concitasti
hostis invidiam

4 a. In te furentis,
in via
quem fossum
perculisti
voce divina.

4 b. Latroni Christum
postea
praedicans
regni Dei
facis consortem.

5 a. Tu Christum pauperem
vestisti parte tuae
chlamydis nudum,

5 b. Qui tibi proxima
nocte tua veste se
monstrat indutum.

6 a. Cuius nomine daemones
fugas, paralyticos,
caecos claudosque curas.

6 b. Tuque mortuos homines
pie tres resuscitas,
praesenti reddis vitae.

7 a. Tibi globus igneus
super caput apparens
clarum te signat.

7 b. Tuis semper precibus.
poscimus, facias nos
compotes Christo,

8. Sacerdos Dei magne.

Grad. ms. Mutinense saec. 12. Cod. Capit. Mutinen. O I N 16. A. — Grad. ms. Parmense saec. 14/15. Cod. Capit. Parmen. s. n. B. —

255. De sancto Matthaeo.

1 a. Laetabundus
chorus fidelium
Ad Matthaei
surgat praeconium
Laudans apostolicum
Nomen honorificum.

1 b. Telonei
gerens negotium
Lucri favet
ad desiderium,
Quem verbum dominicum
Efficit catholicum.

2 a. Magnum Christo
fecit convivium,
Qui veniens
ad domicilium
Suum secum
ducens concilium
Epulatur.

2 b. Sic infirmis
parat remedium
Et peccata
tunc paenitentium
Pietatis
per beneficium
Medicatur.

3 a. Ad cimeum
trahit egregium
Aegrum Levi
vocans in socium,
Qui sentiens
se prius saucium
Lamentatur.

3 b. Recognoscens
defectum proprium
Salutare
poscit subsidium
Et recepit
pium donarium,
Quo sanatur.

4a. Mundum docet
per evangelium,
Ab humanis
sumpsit exordium,
Iesum dicens
Mariae filium,
Quo salvatur.

4b. Primario
hic animalium
Per prophetae
sacrum praesagium
Singulare
ob privilegium
Comparatur.

5a. Doctor fuit
multarum gentium,
Rex Eglippus
ad caeli bravium
Eius scandens
per magisterium
Baptizatur.

5b. Suscitavit
et natum regium
Natam trahens
ad Christi gremium,
Tandem orat
et per martyrium
Coronatur.

Miss. ms. Salernitanum anni 1431. Cod. Capit. Salern. s. n. — 4a, 7 Quod. — Melodie: Nativitas Mariae Virginis.

256. De sancto Matthaeo.

1a. Ave, clemens apostole,
Serto fulgens aureolae
Mirae pulchritudinis.

1b. Ave, doctor almae scholae,
Fac nos motus malivolae
Calcare cupidinis.

2a. Duos magos superasti
Imbutos malitia,

2b. Ab eorum liberasti
Populos fallacia.

3a. Aethiopes docuisti,
Aegyptios convertisti
Praedicando iugiter;

3b. Regis natam suscitasti,
Regem doctum baptizasti
Et credentem firmiter.

4a. Quam sacras velamine,
Novo in regimine
Ponis Ephigeniam;

4b. Hanc rex plenus scelere
Cupiens corrumpere
Petit sibi sociam.

5a. Ense cuius
orando cecidisti,

5b. Ad caelorum
gaudia evolasti.

6a. Tuum martyrium
Donet praesidium
Nostris doloribus;

6b. Tua precatio
Purgans nos vitio
Iungat caelestibus.

Grad. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Tungren. VIII. A. — Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. B. — 1a, 2 Sancte fulgens B. — 2b, 2 Populum B. — 3a, 2 Et Aethiopios B. — 3a, 3 Praedicando fehlt B. — 4a, 1 sacro B. — 4a, 2 Novam B. — 5b, 1 Et ad B.

257. De sancto Matthaeo.

1a. Nova dies est allata,
Quae aurora piis data
Tota clara redditur,

1b. Nam Matthaeus, vir insignis,
In hac die cum immensis
Laudibus extollitur,

2 a. Hic a Christo praedilectus,
A teloneo vocatus
Surgens sprevit omnia,

2 b. In apostolum assumptus
Dei fonte est potatus
Hausta sapientia.

3 a. Sumpta verbi potestate
Iesu Christi longe, late
Diffundit praeconium

3 b. Et fraterna pro salute
Dei motus a virtute
Scribit evangelium.

4 a. Aethiopiam ingressus
Duos magos est adgressus
Colentes daemonium,

4 b. Tandem cursu consummato
Et agone iam peracto
Transiit ad Dominum.

5 a. Plura possent reperiri
Mira facta sancti viri,
Quibus clare demonstratur,
Quam clarus habeatur.

5 b. Sed praesentem iuvet chorum,
Ut in regno beatorum
Regem videns tam decorum
Semper sic glorietur.

6 a. O Matthaee, clara gemma,
Motus carnis nostrae doma
Precum efficacia,

6 b. Ut in Christo, vera vite,
Radicati verae vitae
Capiamus praemia.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. — 5 b, 2 regnum.

258. In Translatione s. Matthaei.

1. Gaudeamus
singulari concordia,

2 a. Quae corda nostra
iungat firmata in
Christi gratia,

2 b. Qua celebrentur
devote, Matthaee,
[haec] sollemnia.

3 a. Aethiopalis
zonae splendor fuisti,

3 b. Brictonibus ut
sol mundo claruisti.

4 a. Lucani depositum
pretiosum hoc habuerunt,

4 b. Tandem Salernigenae
tanto pastore claruerunt,

5 a. Ubi nunc suffragia
multa dantur
ipso protegente.

5 b. Quotque mirabilia
semper fiunt
Christo adnuente!

6 a. Eius monstrantur
nautis prodigia
maris fluctibus,

6 b. Cum[que] petuntur,
dantur auxilia
nostris civibus.

7 a. Cuidam vetulae Lucanae
paret in somnis hortans,
ut glebam sui corporis

7 b. Spinis contectam et herbis
monachus, eius natus,
inquirat dati muneris.

8 a. Vacuum plebi
vas, vinum donans convivanti,
corporis inventio,

8 b. Furtim subtractae
pecuniae peregrinis fit
mira restitutio.

9 a. Arida dextra
vivificatur
morbo cessante,

9 b. Contractus puer
movetur plene
turba clamante.

10 a. Pes arefactus
gressum recuperavit,

10 b. Caecis visum dedit
et languores sanavit.

11 a. Filiae Landonis
contractae gressus datur,

11 b. Et adulescenti
motus recuperatur.

12 a. Mutis sermo,
surdis auditus
redditur,
et debilis sanatur.

12 b. Confunduntur
detrahentes, qui
nocendi
se teste condemnantur.

13 a. Tollitur latronibus
gressus, quousque
restituant,
quod sustulerunt.

13 b. Linguis loquens variis
daemon Apulam
deserit; hoc
multi viderunt.

14 a. Nos sollemnia
tibi celebrantes

Duc ad supernorum gaudia
ad tuum honorem
exsultantes,

14 b. Nos hic respice
cives gubernando,

Donans solida suffragia
concivibus tuis
operando,

15. Nam diem
gloriosum fecisti.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salern. s. n. — 2a, 2 firmatus. — 6a, 2 naves. — 8a, 2 vinum dominus donans. — 8b, 2 sq. mira fit. — 9a, 3 moribus cessante. — 10a, 1 Lies Pede arefactus? —

259. De sancto Mauritio.

1 a. Christo laudes exsolvamus
Et devote recolamus
Christi beneficia.

1 b. Nihil deest in effectu,
Cum abundat in affectu
Laudum dives hostia.

2 a. Omnes ergo gratulemur
Et praesentis veneremur
Diei sollemnia,

2 b. Quam Thebaeae legionis
Victis poenis passionis
Consecrant martyria.

3 a. O quam dulcis spes piorum,
O quam felix [mors] sanctorum,
O quam vita melior,

3 b. Auro, gemmis, ornamentis,
Cunctis mundi blandimentis
Longe pretiosior!

4 a. Hoc beata legio
Sub duce Mauritio
Sua morte docuit;

4 b. Argumentum utile,
Exemplum laudabile,
Quod morti non defuit.

5 a. Maximiani Caesaris
egressa sententia
Proponit militibus
foeda sacrificia;

5 b. Ergo sacris sculptilium
polluuntur miseri,
Tura ponunt, supplicant
saxo, ligno, lateri.

6 a. Sed declinant a mandatis
Exsecrandae potestatis
Summi regis acies;

6 b. Ad Agaunum fit secessus,
Ubi grata se recessus
Obtulit planities.

7 a. Audit Caesar legionem
Praetergressam sanctionem
Decretalis regii;

7 b. Temptat mentes immutare,
Sed non norant fluctuare
Firmitatis filii.

8 a. Et contempto verbo regis
Decimatur sancti gregis
Tam lata possessio;

8 b. Poenas tulit saevae mortis,
Quem invenit dirae sortis
Facta revolutio.

9 a. Revocantur iterum
Ad ministrum scelerum,
Ad regem nequitiae
Caelestis militiae
Castra beatissima.

9 b. Sed mandatum spernitur,
Et statim recurritur
Ad prius flagitium,
Rursus sentit gladium
Legionis decima.

10 a. Revocantur nec vincuntur,
Sed, quo magis impelluntur,
Maiori stant pondere.

10 b. Ergo cunctos mors involvit,
Sed, ut verum loquar, solvit
Ut vinctos de carcere.

11 a. Gens peracto scelere
In sanctorum funere
Ut potens in opere
Celebrat convivium.

11 b. O quis locus epulis,
Dum strages in oculis
Dum sanguis in poculis,
Quid vel quale gaudium!

12 a. Victor viae lege ductus
Audit voces sed non luctus,
Ubi luctus ratio;

12 b. Invitatur, sed professus
Christi nomen est ingressus
Mortem pro convivio.

13 a. O beatae legionis
Venerandi principes,
O felicis passionis
Electi participes,
Exaudite supplices
Impetrate veniam.

13 b. Prosit nobis, speciali
Cum vos laude colimus,
Cum affectu speciali
Nos vobis subicimus.
Et nunc per vos petimus
Sempiternam gloriam.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellens. 9786—90. — Aus derselben Quelle Anal. Bolland. VI, 377.

260. De s. Mauritio et Sociis.

1 a. Laudes Christo decantemus
Et in Christo personemus
Martyrum sollemnia,

1 b. Qui vicerunt vim maligni,
Vivunt Deo, Deo digni
Sacra per martyria.

2 a. Messis multa trituratur,
Et matura iam calcatur
Electorum vinea,

2 b. Decimati decimantur,
Ut probati conscribantur
In caelesti linea.

3 a. Testes Dei
Quasi rei
Moriuntur,
Inseruntur
Sempiterno lumini.

3 b. Mors eorum
Mors sanctorum,
Gloriosa,
Pretiosa
In conspectu Domini.

4 a. Hic ingressus,
Hic progressus,
Via iusta
Sed angusta
Per cruorem roseum;

4 b. Christus ipsam
Suis istam
Revelavit,
Commendavit
Per velamen carneum.

5 a. Veri Christi milites
Christi ferunt limites,
Agni tincti sanguine
Rubent, fontis lumine
Christo consignati.

5 b. Plagis gaudent variis,
Colla flectunt gladiis,
Gazas fundunt optimas,
Deo reddunt animas
Fide coronati.

6 a. O Mauriti, princeps alme,
Fulgens fulges instar palmae
In conspectu gloriae;

6 b. Exsuperi, superasti
Mundi luxus et calcasti
Virtute constantiae.

7 a. Super nivem Candide
Dealbaris candide
Lilii candore.

7 b. Victor vincit fortius,
Rubet Innocentius
Rubeo cruore.

8 a. Fermentum hic fidei,
Amoris hinc ignei
Aestuat caminus,

8 b. Perferunt supplicia,
Quos amor per omnia
Penetrat divinus.

9 a. Hi sunt viri
Fide miri,
Viri fortes,
Quorum sortes
Regna tenent caelica.

9 b. Gaudent ita
Vera vita,
Ut fideli
Deo caeli
Nova canant cantica.

10 a. Qui se ipsos negaverunt
Et pro Christo pertulerunt
Tormenta fortissime,

10 b. Holocausta medullata,
Fide multa concremata,
Offerunt gratissime.

11 a. Reddunt vota mente tota
Corde mero Deo vero
Perenni cum iubilo,

11 b. Ubi Rachel, non iam Lia,
Non est Martha sed Maria,
Dies sine nubilo.

12 a. Vos precamur, testes Dei,
Natos lucis et diei
Decoratos gloria,

12 b. Ut nos ibi iam ascribi
Cum beatis faciatis
In Christi militia.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellens. 9786–90. — Aus derselben Quelle Anal. Bolland. VI, 358. — 5 a, 4 frontis.

261. De sancto Mauritio.

1a. Magno rerum creatori,
Plasmatorum salvatori
Honor, laus et gloria,

1b. Ad quem manus expandentem
Et in cruce sitientem
Tracta currunt omnia.

2a. Vi clamoris passi Dei
Praedicantur et Thebaei
Conversi deifice,

2b. Regem regum venerantur,
Hierusalem baptizantur
Urbis a pontifice.

3a. Intra Romam confirmantur
Sacra fide, dum sectantur
Aquilas imperii,

3b. Contra pacis hostes gerunt
Arma, iustum nullum terunt
Innocentes filii.

4a. Iussu regis diis libatur,
Grex Thebaeus absentatur
Suadente Mauritio,

4b. Ubi locum tanti mali
Declinando spiritali
Se det exercitio.

5a. Stat invictus miles fortis
Et contemni minas mortis
Sacro docet monitu,

5b. Deos plures detestatur,
Deum unum veneratur
Sancto cum exercitu.

6a. Velut aurum comprobantur
Sancti, dum bis decimantur,
Aurum sine scoria;

6b. Xristi servos imitantur,
Qui supersunt, sed laetantur
Passim clade tertia.

7a. Eia, caelum iucundatur,
Uno die quod ornatur
Tot sanctorum pignore;

7b. Terra recens humectatur,
Signis novis fecundatur
Et signorum foenore.

8a. Milium sex sescentorum
Sexaginta sex stratorum
Coheredum Domini

8b. Almus cruor Agaunensi
Rupe fusus Rhodanensi
Dat augmentum flumini.

9a. Rorant caeli decus orbi,
Fugat genus omne morbi
Martyrum precatio;

9b. Tantum nulli meruerunt,
Ut, qui semet impenderunt
Horum patrocinio.

10a. Iesu, partus ventris casti,
Morte sacra quos salvasti
Mortis ab interitu,

10b. Regni tui confer munus,
Qui cum patre Deus unus
Es et sancto spiritu.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. — 2b, 1 Ex clamore, gegen das Akrostichon: Mauricius dux et martir. — 9b, 3 Quorum. — Mel: Maiestati sacrosanctae. — Aus derselben Quelle Anal. Bolland. VI, 388.

262. De sancto Mauritio.

1a. Omnes Mauritium precentur,
Cuncti venerentur
Ut dentur
Post mortem
Regna nobis in sortem
Caelestia.

1b. Militum ipse Thebaeorum
Princeps est, virorum
Sanctorum,
Qui toto
Cuncta sprevere voto
Terrestria.

2a. Legibus
Christi pro sanctissimis
Martyres effecti,

2a. Regibus
Hi sunt a saevissimis
Omnes interfecti.

3. Sed mox ut enecti
Sunt vecti
Caelorum
Per manus angelorum
Ad gaudia.

Miss. et. Brev. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. — Aus derselben Quelle Anal. Bolland. VI, 361. — Ob Sequenz, trotz der Sequenzenform nicht aufser Zweifel.

263. De sancto Mauro.

1. Maurus lucida
Scandit poli culmina.

2a. Hodierna iucundetur
die plebs angelica,

2b. Hodierna die mater
iubilet ecclesia.

3a. Grex ordinis monastici,
Odas date cantici,

3b. Gesta Mauri concinite
In voce laetitiae.

4a. Hic duodennis
Benedicto traditur,

4b. Annos bis denos
hoc sub duce alitur.

5a. Maure, sub hoc duce
quis fueris,
Prodigiis patet
innumeris.

5b. Dum patris
imperium peragis,
Absque madore
fluenta premis.

6a. Tu linguae reddis
Officiumque pedis,

6b. Das vires fractis,
Caecam videre facis.

7a. Qui tibi obloquuntur,
Daemone invaduntur.

7b. Sint laudatores tui
Tuis sub alis tuti.

8a. Daemon tua
iussa tremiscit

8b. Obsessaque
corpora linquit.

9a. Tua mors quoque
verba pavescit,

9b. Tibi viva
cadavera reddit.

10a. Tu das bibendo
vinum non deficere,

10b. Membra personae
nectis paralyticae.

11a. Labrum naresque
morbo curas canceris,

11b. Secreta noscis
pandentibus angelis.

12a. Annorum libram auream
Comples et sumis lauream.

12b. Nos post decursum stadium
Fac promereri bravium.

13a. Praestet hoc per te
pater atque natus,

13b. Praestet hoc patris
genitique flatus,

14. Deus unus.

Trop. ms. Casinense saec. 12. in. Cod. Casinen. 546. A. — Miss. ms. Casinense saec 14. ex Cod. Casinen. 128. B. — Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. F I 27 (nach Gillert in Briegers Zeitsch. f.

Kirchengesch. IV (1881), 609). G. — 3b, 1 Festa Mauri B. — 4b, 1 Innos bis, falsche Initiale B. — 5 a, 3 Patet miraculis B. — 5b, 1 Cum G. — 5b, 3 Absque cruore G. — 6b, 2 Caeca G. — 8a, 2 iura AB, rura G; vgl. 9a. — 9b, 2 cadenera redit B. — 10a, 2 deficienter B. — 12a, 2 Complens A; Sumis et mitis lauream G. — 13b, 1 pater G. — 13b, 2 parilique flatus G. — 14 fehlt B.

264. De sancto Mauro.

1. Inclita diei huius
recolamus festa

2 a. Praecelsa canentes
melodia
regi regum praeconia,

2 b. Qui Maurum levitam
perpetua
sublimavit in gloria

3 a. Peracta forti
~~~~~~~~~~~~~~~~~~
de armato victoria,

3 b. Victrici palma,
felici pugna, longa
perennique memoria.

4 a. Hic mox in ipsa
~~~~~~~~~~~~~~~~~~
tenera infantia
Benedicti
patris oboedientia

4 b. Clarus enituit
et, post Petrum
dum calcat aequora,
consodali
vitae fert suffragia.

5 a. Alter non tertius
~~~~~~~~~~~~~~~~~~
cernit daemonis ridicula,

5 b. Qualiter abstraxit
ab ecclesia
fratrem foras ad spectacula.

6 a. Levitica stola
debilem reformat
sospitate prima.

6 b. Hinc cura maxima
veneratur illum
Benedictus abba.

7 a. Comitis vice Domini
curat incommoda,
~~~~~~~~~~~~~~~~~~
~~~~~~~~~~~~~~~~~~
fracti famuli
~~~~~~~~~~~~~~~~~~
sanctus sanat vestigia.

7 b. Contulit caeco gemina
perpulchra lumina,
quae non dederant
naturae munera,
tresque mortuos
vitae reddidit sanctae
per trinitatis opera.

8 a. Patris dulcissimi,
dum migrat ad superna,
cernere gloriam
dignus est e terra;

8 b. Lampades coruscant
ornamentaque mira,
angelus indicat,
cuius haec sit via.

9 a. Nos merita tua,
sancte, clarisona
resonamus lyra;

9 b. Tu corpora nostra,
tu semper animas
gratia paterna

10. Refove, petimus,
salute aeterna
et conserva.

Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. F I 27. — Daraus Gillert in Briegers Zeitsch. f. Kirchengesch. IV, 610. Er bemerkt: „Diese Sequenz ist nicht so regelmäfsig wie die vorhergehende gebaut.“ Sie folgt sehr regelmäfsig der etwas unregelmäfsigen Notkerschen Melodie Captiva. Vgl. Schubiger, Sängerschule Mel. 20. — 7b, 1 Contulit caecogenita (Gillert).

265. De sancto Michaele.

1a. Decantemus congaudentes
Pretiosam recolentes
Angelorum gloriam,

1b. Qui virtute deitatis
Intuentur trinitatis
Unicam substantiam.

2a. Super omnem creaturam
Rector fecit hanc naturam
Rerum ab exordio;

2b. Legislator ut narravit,
Hi sunt caeli, quos creavit
Deus in principio.

3a. Hi ministrant deitati,
Astant trinae unitati
Famulantes iugiter,

3b. Pias laudes depromentes,
Omnes Deo decantantes
Sanctus, Sanctus pariter.

4a. Inter quorum hymnos primus
Est, ad caelos per quem imus,
Michael archangelus,

4b. Per quem ab Aegypto motus
Ad promissam terram totus
Pergit Dei populus.

5a. Qui in templo sancto Dei
Sub figura sacrae rei
Iuxta aram cerneris,

5b. Stans incensum habens multum,
Vapor huius hic ad vultum
Arcae novi foederis.

6a. Sed ut tecta detegantur
Et in lucem producantur
Haec sacra mysteria:

6b. Templum sanctum plebs est
Christi;
Ara, iuxta quam fecisti,
Cordis conscientia;

7a. Aurum, in quo sunt incensa,
Mens est prudens et succensa
Per divinum spiritum;

7b. Scandens fumus incensorum
Piae preces sunt iustorum,
Quos fers ante Dominum.

8a. Servus agens, cuius ore
Rapis praedam, fit honore
Insignitus gemino;

8b. Plebis Christi cor et sensum,
Templum, aram et incensum
Offers totum Domino.

9a. Ergo, signifer polorum,
Pie princeps angelorum,
Duc ad caeli gaudia

9b. Nos devote celebrantes
Pias laudes et psallentes
Tua patrocinia.

Grad. ms. Franciscan. in Csiksomlyo saec. 15. Cod. Mus. Hungar. lat. 3. — 5b, 2 Lies Vapor huius (cuius) it ad vultum? — 8a, 1 Sernis agens.

266. De ss. Michaele, Gabriele, Raphaele.

1 a. Angelorum in conspectu
Puro psallat intellectu
Mens devota, sobria;

1 b. Quorum vires, quorum esse
Plene novit et expresse
Dei sapientia.

2 a. Divae mentis hi sunt mentes,
Ei semper adhaerentes
Caritate nimia.

2 b. Mente mens est prosequenda,
Nec sunt tamen subtrahenda
Laudum linguae munia.

3 a. Ut auctori sit devotum
Toto nisu plasma totum,
Perpes est iustitia.

3 b. Laudet ergo totus homo
Caeli regem et in domo
Militantes regia.

4 a. Quorum virtus, quorum decor
Plus me fugit, dum plus sequor
Eorum vestigia.

4 b. Post hos currens me fatigo
Et, dum eos investigo,
Quaedam intro retia.

5 a. Quiddam tamen apprehendo,
Quod descendens, dum ascendo,
Capio sublimia,

5 b. Et dum quaero quod est minus,
Meus magis capit sinus
De maioris gloria.

6 a. Nam subtilis haec et pura
Creatoris creatura
Quaedam est notitia;

6 b. Honor vigens in creatis
Pandit, cuius potestatis
Sit rex creans omnia

7 a. Quantus debet ille credi,
Cuius pes ne possit laedi,
Cavet haec familia,

7 b. Quae transscendit in decore,
In vi mentis et fulgore
Cuncta visibilia.

8 a. Illis iure laus debetur,
Quorum Deus nos tuetur
Vigili custodia,

8 b. Ne nos laedant, quantum volunt,
Qui de caelo pulsi colunt
Loca mundi varia;

9 a. Qui virtute Michaelis
Effugati sunt de caelis,
Dei tamen gratia.

9 b. Hic est princeps summi coetus,
Sub quo ruit inquietus
Draco fovens vitia.

10 a. Insistamus eius laudi,
Ut ereptis hostis fraudi
Poli pandat atria.

10 b. Veneremur Deo carum
Conductorem animarum
Ad caeli palatia.

11 a. Sit laus iugis Gabrieli,
Cui sua rector caeli
Credidit mysteria;

11 b. Hic est Dei fortitudo,
Quem superna celsitudo
Destinat ad fortia.

12 a. Iste missus ad Mariam
Ad salutis nobis viam
Posuit initia;

12 b. Dum per eum salutata
Fit ex Deo gravidata
Patris parens filia.

13 a. Qui tam potens es et fortis,
A funestae nos cohortis
Protege versutia,

13 b. Et, quam blande salutasti,
Matrem castam agni casti
Nobis reconcilia,

14a. Ut haec per te suadentem
Apud natum et parentem
Nobis sit propitia,

14b. Quo solutos a peccatis
Nos conducat cum beatis
Ad aeterna gaudia.

15a. Raphaelem venerari
Ratione docent pari
Patrum testimonia;

15b. Qui fidelis comes viae
Deputatus est Tobiae
Trina dans remedia:

16a. Curat caecum, docet viam,
Saram servat et Tobiam
Sanos per fumigia.

16b. Ipse nobis sit tutela,
Peregrinis lux, medela,
Socius in patria.

17a. Quam illustrat et decorat
Iesus Christus, quem adorat
Caelum, tellus, maria;

17b. Cui mille beatorum
Voces canunt angelorum
Et centena milia.

Grad. ms. Civitatense saec. 14. in. Cod. Civitaten. LVIII. add. saec. 15. A. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVI (20) B. — Miss. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Marcian. L III 125. C. — 1b, 1 quorum sese C. — 2b, 3 linguae nimia C. — 5a, 1 Quidam C. — 11b, 3 Desinat C. — 17b, 3 fehlt C. — Der Text in B beginnt erst mit Str. 7a, 1: debet ille (das vorhergehende Blatt ist abgetrennt).

267. De sancto Nicasio.

1a. Audi, martyr inclite,
Et exaudi debitae
Laudis sacrificium.

1b. Audi, praesul optime,
Vota mentis intimae
Et affectus cordium.

2a. Ave, pater patriae,
Foenerator gratiae
Talento multiplici.

2b. Ave, pastor ovium,
Pastoris officium
Modo complens triplici.

3a. Tu es gregis masculus,
Tu es dexter oculus
Rhemensis ecclesiae.

3b. Tu es gregis speculum
Gregis mundans oculum
Exemplo munditiae.

4a. Te pastore praevio
Currit grex in stadio
Ad palmam victoriae.

4b. Tuae mortis pretio
Cessat indignatio
Divinae iustitiae.

5a. Ergo, pacis hostia,
Pande nobis ostia
Divinae clementiae.

5b. Tua prece praevia
Fiat nobis pervia
Verae via veniae.

Miss. Rhemense imp. Rhemis 1553. „In tono Prosae: Veni sancte spiritus.“

268. De sancta Oda.

1a. Christo plaude, plebs mundata,
Oda gaudet odis data
Castitatis lilio,

1b. Quae sub die hodierno
Sanctis pie in superno
Sociatur solio.

2 a. Scotis rege virgo nata
Christi lege est renata
Sacro fonte gratiae,

2 b. Visu caret oculorum,
Luce claret meritorum
Tempore infantiae.

3 a. Servitute servulorum
Ducta tute ad Gallorum
Pervenit confinium,

3 b. Pro salute oculorum
Spe virtute beatorum
Petiit Leodium.

4 a. In aperto Deo dante
Et Lamberto suffragante
Visum sumpsit oculis.

4 b. Carnis vultu speciosa,
Dei cultu gloriosa
Fidem firmat populis.

5 a. Spreto thoro coniugali
Cupit choro virginali
Vivere in gloria.

5 b. Mundi florem et ornatum.
Genitorem, dominatum
Deserit cum patria.

6 a. Tendens mente ad divina
Se sub gente Thessandrina
Imponit tugurio,

6 b. Corpus terit, cor confortat,
Hostes ferit et reportat
Triumphum de vitio.

7 a. Post mortalis vitae cursum
Ad vitalis regni sursum
Transfertur fastigia;

7 b. Multis modis haec afflicta
Oda odis est addicta
Virginum laetitia.

8 a. Christo caelis coronata,
Terra melis frequentata
Colitur christicolis,

8 b. Aegris dona sanitatis
Dat matrona pietatis,
Terrae salus incolis.

9 a. Vitam prece, Oda, munda,
Mundi faece ab immunda
Munda nos clementia,

9 b. Ut solvemur ab his malis
Et laetemur aeternalis
Luminis praesentia.

Grad. ms. Boscoducense saec. 15. Cod. Arch. S. Ioannis Boscoducen. n. — 3a, 3 confinia.

269. De sancto Onofrio.

1 a. Lingua tuarum praeconia
Nequit virtutum
contexere,
Coetus exsultat harmonia
Caeli, quae fovet
retexere,
Quae nostra nequit
exprimere.

1 b. Merita tua recolere
Nostra non sinit
fragilitas,
Quod ista desit extollere,
Christi suppleat
humanitas,
Te quoque colens
divinitas.

2. Coruscans aether coniubilat,
Laetatur caeli militia,
Suscipit Christus et baiulat
In caelum te cum laetitia.
Pellentes ergo convicia
Procul cantemus Alleluia.

Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valentini s. n. A. — Miss. ms. Valentinum imp. Valentiae 1509. B. — Miss. Valentinum imp. 15** C. — Miss. Gallicanum sec. consuet. eccless. Sicularum imp. Venetiis 1568. D. — 1a, 2 Nequit tutum BC. — 1a, 3 Deus exsultat A; exsulta D. — 1a, 4 Caelestis que fovet ABC: Caelestia quod faciunt D. — 1b, 4 supplet ABCD. — 2, 1 aethere BC. — 2, 4 tecum ABC; et cum D. — 2, 5 Nolentes ergo ABC.

270. De s. Ottone et Sociis.

1a. Honorum fastigio
Minorum religio
Patris natos efferat

1b. Ottonem cum ceteris,
Quos in thronos aetheris
Plebs evectos celebrat.

2a. Ob virtutum munera
Clara nec non funera,
Quis fidem amplificant,

2b. Exemplorum moribus,
Signorum splendoribus
Cunctosque clarificant.

3a. Nam missi Marochium
Iniunctum negotium
De docendis gentibus
Fidis gerunt mentibus;

3b. Cur regum crudelitas,
Gentis infidelitas
Duro mulctos verbere
Hos occludit carcere.

4a. Ast non silent, quamvis vilent,
Immo fundunt nec abscondunt
Iubar sapientiae,

4b. Detestantes, aspernantes
Idolorum profanorum
Ritum exsecrabilem.

5a. Non allecti blandimentis
His deiecti nec tormentis
Iesum dant laudabilem.

5b. Rursus ipsis hinc lictores
Infligunt asperiores
Plagas et certamina;

6a. Ac in latebris concludunt,
Ubi spoliatos trudunt
Constrictos per ligamina
Punctiva super stramina.

6b. Eorundem seductorum
Rege sed Marochiorum
Coram spernunt Machometum;
Ira pandit se repletum.

7a. Hosque saevior serpente
Enses frangens tres repente
Sua manu decollavit
Ac cremari demandavit.

7b. Rogus sed non tangit illos
Urens quidem, nec capillos,
Nec hoc loco citra pluit,
Quod stupendum est et fuit.

8a. Quorum corpora condivit
Fida plebs et sepelivit,
Sed fert Christus mentes caelo,
Quae certarunt tanto zelo,

8b. Hos coronans trino serto
Nobis prorsus inexperto
In caelesti gloria
Adepta victoria.

9a. Ergo, vitae concupitae
Finis et exordium,
Summum numen, verum lumen,
Iesu, dulcor cordium,

9b. Fac nos puros et securos
Ab inferni furia,
Horum prece strata nece
Locans caeli curia.

10. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Franciscan. Amstelodamen. anni 1531. Cod. Weerten. Fa 7. — 5b, 1 lectores. — 6b, 1 Eorundem sed votorum.

271. De sancto Pantaleone.

1 a. Quam aeternis dignam donis
Fecit dos Panthaleonis,
Gaude, Nicomedia,

1 b. In qua natus est et passus
Per virtutum martyr passus
Vectus ad caelestia.

2 a. Claris puer ortus avis
Mansuete simplex avis
Servat innocentiam,

2 b. Nec dimittit hanc adultus,
In crescente Dei cultus
Crescit augens gratiam.

3 a. Generosi nitor vultus
Puritate mentis fultus
Puerum irradiat,

3 b. Rubet genis, flagrat fide,
Per quam vires homicidae
Frangit et humiliat.

4 a. De carnali medicina
Transit sacer ad divina
Medicus remedia

4 b. Et infirmos curat gratis,
Quos emunctos Hippocratis
Laeserant auxilia.

5 a. Mira virtus est medentis,
Morbos enim fugat mentis
Pariter et corporum,

5 b. Passim pascit indigentes,
Cibo corpus. verbo mentes,
Pastor Dei pecorum.

6 a. Rerum heres paternarum
Herus potens fit earum
Pater factus pauperum,

6 b. Mundo carne conversatur
Et anhelat et levatur
Cor ad alta liberum.

7 a. Surgit puer hoc iubente,
Qui percussus a serpente
Mortis iugo suberat;

7 b. Serpens crepat, caecus videt,
Spernit deos et irridet
Surgens, qui languerat.

8 a. Et exsultat martyr factus,
Sed desaevit ira tactus
Imperator acrius.

8 b. Igni sanctus applicatur,
Vigor cuius annullatur
Actus sui nescius.

9 a. Meritorum huic testis
Et coronae vox caelestis
Fit ex novo nomine,

9 b. Opem Dei miserentis
Ei spondens in tormentis
Et poenarum turbine.

10 a. Ad laedendum laetus lenta
Transit martyr per tormenta
Superans divinitus,

10 b. Pugil fortis et insignis,
Qui virtutem vincit ignis
Igne sancti spiritus.

11 a. Isti mare cedit viro,
Saxi moles motu miro
Super undas vehitur;

11 b. Lac propinat ingulatus,
Per quod serto laureatus
Virginali noscitur.

12 a. Primo caedi nescit ense,
Per secundum adit mensae
Caelitum convivia;

12 b. Quem qui pie veneramur,
Eo duce perfruamur
Eorundem gloria.

Miss. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXX (13) A. — Trop. et Sequent ms. Civitatense saec. 14. Cod. LVI (20) B — Grad. ms. Civitatense saec. 14. in. Cod. Civitaten. LVIII. C. — 1 a, 1 dignum B. — 1 b, 2 virtutem A. — 6 b, 2 Sed BC. — 7 b, 2 Deus A. — 11 a, 1 cedunt A.

272. De sancto Paulo.

1 a. Doctori gentium,
Gentes, adplaudite
Votaque mentium
Voce depromite.

1 b. Pastori gregibus
Curam impendere,
Pastorem ovibus
Incumbit colere.

2 a. Electum vasculum,
Honoris ferculum
Tumoris vacuum
Iure percolitis,
Qui veri quaeritis
Fontis irriguum.

2 b. Exempli gratiam
Laudis materiam
In hoc exsilio
Confert et gaudium
Doctoris gentium
Sacra conversio.

3 a. Rapax mane,
Sero munificus,
Non inane
Beniamin typicus
Tulit auspicium.

3 b. Parit mater
Doloris filium,
Vocat pater
Dextrae suffragium
Doctus mysterium.

4 a. Quod Saulus rapuit,
Paulus distribuit,
Divisit spolia *
Legis in gratia.

4 b. Quem Annas statuit
Ducem malitiae,
* Christus exhibuit
Ministrum gratiae.

* * * * *

5 a. Dum vacat caedibus,*
Caecatus corruit,
Lapsa de nubibus
Vox eum arguit:

* 5 b. „Cur me persequeris,
Saule, nec sequeris?
Cur in aculeum
Vertis calcaneum?

6 a. „Cum me persequeris,
Praestare crederis
Mihi obsequium,
In meis fratribus
Cruentis manibus
Versando gladium?

6 b. „Excessit litera,
Cesserunt vetera,
Praeconem gratiae
Te nunc constituo,
Surge continuo,
Locum do veniae.“

7 a. O plena gratia,
De cuius cumulo
Arenti copia
Redundat saeculo!

7 b. Felix vocatio
Non propter meritum,
Larga donatio
Sed praeter debitum!

8 a. Per aquae medium,
Per ignem spiritus
Ad refrigerium
Transit divinitus.

8 b. Mutato nomine
Mutatur moribus,
Secundus ordine,
Primus laboribus.

9 a. Par est apostolis
Vocatis primitus,
Praeest epistolis
Vocatus caelitus.

9 b. Ter virgis caeditur
Semel lapidibus,
Ter mari mergitur
Nec perit fluctibus.

10a. Ad caelum tertium
Raptus in spiritu
Dei mysterium
Mentis intuitu
Intuetur nec loquitur,
Quia nec loqui sinitur.

10b. O pastor inclite,
Pastorum gloria,
Felici tramite
Tua ovilia
Deduc, perduc, constitue
Perennis loco pascuae.

Miss. ms. Leodiense saec. 15. Cod. Vatican. 3808. A. — Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786–90. B. — Miss. ms. Mosaetraiectinum saec. 15/16. Cod. Bruxellen. 18125. C. — Miss. Leodiense imp. Delf s. a. (1485). D. — 2a, 3 Timoris D. — 3a, 3 Vero mane A. — 4a, 4 Regis B; in gloria C. — 6b, 2 veretra B. — 7a, 2 tumulo A. — 7b, 4 propter AB. — 9a, 2 Vocatus AB. — 9a, 3 apostolis A. — 10b, 6 Perenni C. — Cfr. Anal. Bolland. VI, 401.

273. De sancto Petro.

1a. Almiflua
turba caelestis gaudet,
laudes Deo dare
in astris non cessat.

1b. Et terrena
agmina voto puro
concrepantes eius
laudent potentiam.

2a. Gloriosus in sanctis,
in aeternum qui constat,
cuius virtus
est, quod ipsi peragunt.

2b. In hac ergo nunc die
eius primum gloriae
concinentes
clavigerum, principem,

3a. Apostolum,
eius pro laude
extollamus
Petrum vocatum
cum fratre
ad docendum populum.

3b. Nam hodie
Christi pro fide
crucifixus
scandit ad caelos,
socius
spiritibus cum sanctis.

4a. Princeps cunctorum
ecclesiae
exstat Petrus
Fidelium,
per cuius fidem
salvi facti
populi
nunc exsultant in orbem.

4b. Qui ter magistrum
noctu negans
galli vocem
Recordatus,
quod tunc deliquit,
lacrimando
devote
mane prima delevit.

5a. Ad te, Deus,
nunc conversi
corde supplici
deposcimus,
ut relaxes nostras culpas.

5b. Nam pro nobis
natum tuum
mundo misisti,
qui sanguine
nos redemit de proprio.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Angelic. B III 18. — 2a, 4 ipsis. — 2b, 1 dies. — 2b, 4 clavigerum. — 4a, 3 est ad Petrus. — 5b, 4 sanguinem.

274. De sancto Petro.

1 a. Petrus sequens Dominum
Fit piscator hominum,
Fit retium laxator,

1 b. Hinc praefertur ceteris
Claviger ut aetheris
Et culpae condonator.

2 a. Dum duodecim gregantur
Et apostoli vocantur,
Hic est primus canone.

2 b. Verbum, quod se carne celat,
Pater, non caro revelat
Neque sanguis Barionae.

3 a. Ex hoc Petrus appellatur
Et ecclesiae locatur
Fundamentum,
Spernens ventum,
Spernens portas inferi.

3 b. Vidit se transfigurantem
Et secretius orantem,
Suscitatam
Videt natam
Intra domum Iairi.

4 a. Pro se Petrus ut pro Christo
Censum solvit, ut in isto
Declaret se vicarium.

4 b. Calcat mare, ter amorem
Fassus diluit priorem
Negandi sic ternarium.

5 a. Vitae Dorcadem dat piam,
Morte punit Ananiam,
Damnat trucem simoniam,
Baptizat Cornelium.

5 b. Ab Herode carceratus
Et ab angelo laxatus
Antiochiae praelatus
Turbis est fidelium.

6 a. Hinc Romanas arces adit,
Simon cum Nerone cadit;
Versa cruce
Petrus duce
Se minorem praedicat.

6 b. Ergo, Simon Petrus, Cephas,
Caelos pandat laxans nefas;
Umbra quippe
Sua lippae
Mentis morbos medicat.

7 a. Et nos tuas oves, Christe,
Quas pastor suscepit iste,
Tibi reddat caelitus,

7 b. Ut locetur intra caulas
Et caelestis patris aulas
Civis et proselytus.

Grad. ms. Wormatiense (?) saec. 13. Cod. Mus. Germanici 7068. A. — Miss. Wormatiense imp. s. l. et a. (1522). — 1a, 3 Fitque AB. — 4a, 2 solvat A. — Mel.: Mane prima sabbati.

275. De sancto Petro.

1 a. Princeps, dux ecclesiae,
Petrus fulget hodie
Pastor factus ovium;

1 b. Pisci iacit retia,
Iecit ad imperia
Et ad mentes omnium.

2 a. Claves tenes nunc caelorum,
Super terram populorum
Solvis, ligas animas;

2 b. Solve vincla delictorum,
Pastor clemens, adflictorum
Vide, terge lacrimas.

3 a. Calcat mare gressibus,
Paene mersum fluctibus
Christus elevavit;

3 b. Piscis os aperuit
Stateremque repperit,
Didragma donavit.

4 a. Super solem refulgentem,
Transformatam supra montem
Vidit Christi faciem,

4 b. Christo spondet inflammatus:
Pro te mori sum paratus,
Ense fugat aciem.

5 a. Gallus cantans arguit,
Flens, dolens ingemuit,
Veniam meretur;

5 b. Timens ostiariam
Regum nec potentiam
Nec minas veretur.

6 a. Umbra sanat corporali,
Virga data pastorali
Suscitat discipulum,

6 b. Petronillam aegram sanat,
Marcum docet, unde manat
Doctrina per saeculum.

7 a. Baptizat Cornelium,
Magum per daemonium
Volantem prostravit,

7 b. Tabitam resuscitat
Et, dum templum visitat,
Claudum reparavit.

8 a. Se amare ter fatetur,
Gregem pascere iubetur
Verbo, vita, pabulo;

8 b. Versa cruce crucifixus
Stat in Deo totus fixus,
Docet de patibulo.

9 a. Super thronum collocaris,
Caelo, mundo principaris,
Petre beatissime,

9 b. Fac nos tecum confessores,
Coheredes, possessores
Vitae felicissimae.

Miss. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXX (13). A. — Trop. et Sequent. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVI (20) B. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX. C. — 1 b, 1 iacet A. — Nach 7 b schiebt B zwei Halbstrophen (7 a und b) aus der Sequenz Per errorem ductus vanum ein.

276. In s. Petri ad Vincula.

1. Nunc luce alma
splendescit per orbem
haec dies, ecce, gloriosa.

2 a. Almi recolamus
Petri voce celsa,

2 b. Gratanter modulos
accommodet lingua.

3 a. Vincentis
amorem ob supernum
crucis sacrae tropaea,

3 b. Meritum
gloriamque praelatam
in caelesti gloria

4 a. Puro corde fraterna
iubiletque turba.

4 b. Qui a Christo ligandi
solvendique dona

5 a. Accipiens,
claviger effectus,
nostra resolvens vincula,

5 b. Sublevando
aetheris sedibus
potestate nos tradita,

6 a. Iungat coetui
sancto culmine
in poli
paradisique amoenia.

6 b. Ubi adorat
ordo te, Christe,
psallendo
harmonica voce cantica

7 a. Nova sanctorum
resonantium
voce angelicus
melica

7 b. Cum maiestatem
supernam tuam
poscentes humili-
ter almam.

8 a. Cui digna
nos cum illis
resonemus una
rhythmica
in excelsis carmina

8 b. Caelestique
in gloria
trinum atque unum
iugiter
veneremur in arva.

9 a. Celsa potestas
angelica

9 b. Ovans te laudat
in gloria;

10 a. Virtutes caeli
te glorificant per astra, *

10 b. Nostra exaudi,
* angelorum

*

Qui patris sedes
ad dexteram. *

* Et famulorum
iungens voces, precamina,

11 a. Quorum vocibus
ut caterva

11 b. Glorificet semper
te et nostra

12. Regnantem iure
cum sanctis in aeternum.

Grad. ms. Fossatense saec. 13. Cod. Parisien. 13254. A. — Miss. ms. Beccense saec. 13. Cod. Parisien. 1105. B. — Grad. ms. Rothomagense saec. 14. Cod. Parisien. 905. C. — Miss. ms. Rothomagense saec. 15. Cod. Parisien. 863. D. — Miss, ms. Oxoniense anni 1384. Clm. Monacen. 705. E. — Miss. ms. Sarisberiense saec. 15. Cod. Rossian. VIII 213. F. — Miss. Herefordense imp. Rothomagi 1502. G. — Aufserdem: Miss. ms. Rothomagense saec. 14. Cod. Parisien. 17317. — Miss. ms. S. Laudi Rothomagensis saec. 14. ex. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. Fol. 5. — Findet sich überhaupt in vielen französischen und englischen Quellen, deren Varianten belanglos sind.

1, 2 splendescat B. — 1, 3 ecce fehlt C. — 2 b, 2 accomodet in quam A; alle anderen Quellen in qua, welches völlig unverständlich erscheint; celsa (2 a, 2) dürfte als Object von recolamus aufzufassen sein. — 3 a, 1 Vincenti A. — 3 a, - amorem et supernum A; superum D; ob fraternum G. — 3 b, 1 Merito E. — 3 b, 2 gloriam et E; perlatam AB. — 4 a, 1 Pio corde ABF. — 4 a, 2 iubilatque C; tuba ABDG, turma F. — 4 b, 2 solvendi et dona ABC. — 5 b, 2 aethereis A. — 6 a, 1 Iungit A. — 6 a, 4 amoena C, harmonia A. Zu dem Substantiv amoenia f. g. ist das zur Latinität der Martialer Sequenzen Bemerkte (Anal. VII, S. 12) zu vergleichen; dahin gehört auch arva (8 b, 5). — 7 a, 1 Sona A. — 7 a, 2 resonantum BC. — 7 a, 3 laude ABF; angelicis A, angelici E, angelica C. Angelicus ist zu verbinden mit ordo (6 b, 2) als Subject der 3 Clauseln 6 b, 7 a u. 7 b. — 7 a, 4 milia AE, mellea G, mellica DF, inclita D. — 7 b, 1 Dum D. Cum ist entweder mit voce (7 a, 3) zu verbinden — cfr. culmine in (6 a, 2) — oder mit poscentes (7 b, 3; zu cum c. accus. vergleiche man die zahlreichen Beispiele in Anal. VII, S. 14). — 8 a, 1 Qui D, Huius A. — 8 a, 5 cantica A. — Für die richtige Abteilung der Strophen 9 u. 10 giebt die Melodie allein sicheren Anhaltspunkt. — 10 a, 2 glorificent BC. — 10 b, 4 iunge A; per carmina A. — 11 a, 1 Tuorum ABC. Tuorum wahrt freilich besser die Symmetrie zu 11 b, 1; aber es stört den Sinn; auch in der Melodie ist hier kein Parallelismus gewahrt. —

11b, 1 sq. te semper et AD. — 12, 1 Regnantem in te D. — In den Analecta Liturgica (I, p. 160) ist bemerkt: „L'obscurité de ce morceau est, par endroits, presque impénétrable;“ gilt das vom Text der Quellen, so noch weit mehr in Folge einer ganz unbegreiflichen Interpunktion von jenem Texte, den Misset-Weale ebendort vorlegen.

277. In s. Patri ad Vincula.

1 a. Per errorem ductus vanum
Misit rex Herodes manum,
Ut quosdam affligeret;

1 b. Zebedaei natum stravit
Subsequenter ac tentavit,
Ut et Petrum caperet.

2 a. Azymorum erant dies,
Per quos vana datur quies
Iudaeorum populo;

2 b. Quibus talia placebant,
Quia caeci nil videbant
Rectae mentis oculo.

3 a. Commendatur vinculatus
His, qui cingunt ense latus,
Bis octo militibus,

3 b. Ut post pascha duceretur
Et a vulgo quaereretur
De suis operibus.

4 a. Qui, dum esset producendus,
Fretus fide, spe colendus,
Visitatur caelitus;

4 b. Nocte carcer illustratur,
Captivato praeparatur
Admirandus exitus.

5 a. Per legatum valde dignum,
Sicut notuit per signum,
Dum catena rumpitur,

5 b. Excitatur a sopore
Et sublata poena morae
Ad iter praecingitur.

6 a. Ad aspectum tanti viri
Propter novitatem miri
Putat, quod sit visio;

6 b. Sed resumpto statu mentis
Per adfatum conducentis
Cessat haec opinio.

7 a. Nam dum transit per custodes,
Quos statuerat Herodes
Petri fugae timidus,

7 b. Ultro clausa porta patet;
In miraculis non latet,
Quod sit Dei nuntius.

8 a. Petrus est ad se reversus,
In stupore primo mersus
Et laudando Dominum

8 b. Dixit: Vere scio, quia
Mihi patet tuta via,
Metus habet terminum.

9 a. Per ductorem mihi datum
Me cognosco liberatum
Divino miraculo

9 b. Ab Herode et Iudaeis,
Persecutoribus meis;
Sum sine periculo.

10 a. Ergo, claviger caelorum,
Solve vincla peccatorum,
Ut de sorte beatorum
Mereamur effici,

10 b. Post catenas huius vitae
Invitati per *Venite*
Illo dulci pane vitae
Valeamus refici.

Trop. et Sequent. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LVI (20) A. — Miss. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXX (13) B. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. in. Cod. Civitaten. LVIII. C. — Grad. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXIX. D.

278. De ss. Petro et Paulo.

1. Principes veneremur
nunc ordinis
apostolici,

2 a. Ad Christum
qui mundum
sanctis deducunt
exemplis,

2 b. Qui verbis
et factis
gentes persuadent
credere.

3 a. Ianitor
caelorum pastorque
o animarum inclite,
Contra quem nil
valent inferni
portae, sed fractae
corruunt,

3 b. Tu Petrus
es, supra quem firma
stant pietatis opera,
Tu imperas
machinae cunctae,
quam Deus auctor
condidit.

4 a. Iesus, domnus noster,
caelica dum petiit
Et spiritum sanctum
cordibus dum tradidit
tui sociorumque tibi,

4 b. In gentibus cunctis
lux pia quo micaret,
Iudaicis oris
divina charismata,
Petre sanctissime, foederas.

5 a. Iam tandem Romanum
orbem transvolas
signis prodigiisque replens

5 b. Urbemque Romuleam
mortis gloria
vexilloque crucis superas.

6 a. Tu, Paule,
postquam gentibus
paene cunctis,
postquam tu Graecis
universis
mandaveras
Christi perpetua
munera,

6 b. Tu, Paule,
Romam veniens,
visione
Simon Neroque
vincerentur,
laboribus
Petri sanctissimi
subvenis.

7 a. Hodiernam
ergo diem
martyrio [vestro] o quam
dignissimo
ornantes,

7 b. Plebiculae
pia vota
suscipientes, terrena
caelestibus
haereant,

8. Facite, peccata
quod precibus vestris
solvat rex regum
regnans saecula
per cuncta.

Miss. ms. S. Arnulphi Meten. anni 1321. Cod. Meten. 133. — 4a, 1 dominus. — 4b, 3 Iudaeis horis. — 8a, 1 Facite in der Hs. noch zu 7b gezogen.

279. De ss. Petro et Paulo.

1 a. Roma, nutrix Augustorum,
Gratuleris ad tantorum
Principum sollemnia;

1 b. Primitivus fons erroris,
Sed caelestis vi pastoris
Facta tributaria.

2 a. Roma gaudet, felix villa,
Sponsa Christi, non ancilla
Multiformis daemonis,

2 b. Nazaraei mater gregis
Post Neronis mortem regis
Et occasum Simonis.

3 a. Huius artes verbo Dei
Piscatoris Galilaei
Longe virtus expulit,

3 b. Panem dum sanctificatum
Contra gregem simulatum
Canum Petrus protulit.

4 a. Turris lignis fabricata
Novit, quantum Dei data
Possunt Petri retia,

4 b. Dum descendit in infernum
Convolantis ad supernum
Nova magi gloria.

5 a. Exspectantes deforis
Umbra sancti corporis
Multis a languoribus

5 b. Multos plene liberat
Et dolorem temperat
Suis cum ardoribus.

6 a. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

6 b. Restitutis gressibus
Servi Dei precibus
Praesens psallit clericus.

7 a. Mira virtus, mira vita,
Surgit a morte Thabita,
Luci vivit iterum,

7 b. Sana redditur egenis,
Viribus firmata plenis
Curam habet pauperum.

8 a. Haec convertit ab errore,
Quae nec dici possent ore,
Turmas infidelium;

8 b. Per hanc pariter virtutem
Multos vocat ad salutem
Paulus, doctor gentium.

9 a. Furens prius Graecia
Tota cum Galatia
Credit evangelio;

9 b. Sumunt et Corinthii
Semen evangelii
Pauli magisterio.

10 a. Hi sunt luminaria
Duo radiantia
Semper ante Dominum,

10 b. Quorum potestatibus
Caelum clausum nubibus
Imbri ponit terminum.

11 a. Quorum alter cruci datus,
Alter gladio truncatus,
Caelo gaudent pariter;

11 b. Quorum precibus adiuti
Perditae pridem saluti
Reddamur alacriter.

Miss. ms. Hispalense saec. $14/15$. Cod. Univ. Iannen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 15. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 17 C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18 D. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. E. — 1 a, 2 Gratularis E. — 1 b, 2 in pastoris A. — 3 a, 2 piscatores A. — Str. 3 b sqq. fehlen CDE. — 4 a, 2 Novit cantu AB; Dei dura B. — 4 b, 3 magis A. — Str. 5 sqq. fehlen B. — 5 b, 1 Multis A; Multos gehört zu Exspectantes; l. vielleicht: Multos a languoribus | Multis. — 7 a, 3 Ducis A. — 9 b, 3 magisteria A. — 10 b, 3 Imbra A.

280. De s. Petro Caelestino.

1 a. Caelestino decantemus
Sollenni tripudio,

1 b. Patri nostro iubilemus
Filiali gaudio.

2 a. Ipsum Deus sublimavit
Papatus officio,

2 b. Quem in caelis sociavit
Sanctorum collegio.

3 a. Sanctum probat hora mortis
Crucis apparitio,

3 b. Prece cuius conservetur
Haec nostra religio.

4 a. Ergo laudes Caelestino
Concinat haec contio,

4 b. Ut ipsius digni simus
Caelesti consortio

Post mortem carnis.

Miss. Romanum imp. Parisiis 1517. A. — Miss. Romanum imp. Lugduni (Crespin) 1535. B. — 1b, 1 und 3b, 2 beweisen, dafs die Sequenz für Cölestiner gemacht war. — Mel.: Sospitati dedit aegros.

281. De sancta Petronilla.

1 a. Ave, sponsa Christi vera,
Ave, mitis et sincera,
Ave, virgo Deo digna,
Christo prece me consigna.

Preces audi, praesta votum,
Cor in bono fac immotum.

1 b. Confer mihi cor contritum,
Rege visum et auditum,
Rege gustum et olfactum,
Virgo sancta, rege tactum,

Ut in cunctis te regente
Vivam Deo pura mente.

2 a. Tutum mihi fer ducatum,
Plasmatorem fac placatum,

2 b. Esto mihi consolatrix,
Pro me sis interpellatrix.

3 a. Christum pro me interpella,
Salva mortis de procella,

3 b. Superare fac me mundum,
Ne demergat in profundum.

4 a. Ne me sinas naufragari
In peccatis in hoc mari.

Virgo Dei, nunc memento,
Quo labore, quo tormento
Regnum Dei meruisti
Et sic caelos ascendisti.

4 b. Potens in conspectu Dei,
Memor esto, precor, mei,

Memor esto supplicantis,
Memor esto, quod in tantis
Sim peccatis constitutus,
Multis malis involutus.

5 a. Visita tu me infirmum
Et in bonis fac me firmum.

5 b. Agonista Dei fortis,
Esto praesens hora mortis,

6 a. Occumbentem fove, leva
Et de morte solve saeva,

6 b. Ut resurgam novus homo,
Civis in caelesti domo.

7 a. Duplex mors ne me infestet;
Iesus Christus illud praestet

7 b. Tua prece exoratus,
Idem pater, idem natus,

8. Idem utriusque flamen,
Qui vivit et regnat. Amen.

Miss. Gallicanum ad consuet. eccl. Sicularum imp. Venetiis 1568. — 1b, 6 Et vivam. — 6b, 1 Et resurgam. — 6b, 2 Cuius in.

282. De sancta Pharahilde.

1 a. Felici conubio
Regi regis filio
Nupsit virgo regia,

1 b. Pharahildis caelitus
Inspirata penitus
Mundi sprevit gaudia.

2 a. Deum sequens puro corde
Cor ab omni virgo sorde
Mundavit [et] lascivia,

2 b. In aetate puerili
Reputavit pro re vili
Bona mundi labentia.

3 a. Ad vitae perpetuae
Requiem assiduae
Anhelabat anxia,

3 b. Nihil in hoc saeculo
Concupivit iaculo
Iesu Christi saucia.

4 a. Ter denorum cum annorum
Complevisset spatia,

4 b. Maritatur, viro datur,
Firmantur coniugia.

5 a. Pharahildis iuncta sponso
Fundit preces in absconso
Trahitque suspiria;

5 b. Deus votis eius cedit,
Qui privari non concedit
Eam pudicitia.

6 a. Hinc maritus imperitus
Commotus insania

6 b. Torquens eam tamquam ream
Addens improperia.

7 a. Sponsae sponsus iniuriam
Vertit ad ignominiam,
Ducit ad supplicia;

7 b. Equo lapsus conteritur,
Contritus membris moritur
Dictante iustitia.

8 a. Virgo clemens et illustris
Sex cum viro vixit lustris
Pollens castimonia,

8 b. Et post annos ter denos ter
Liberator eam noster
Recepit in gloria.

9 a. Huius ergo virginis
Preces summi numinis
Nos ducant ad atria,

9 b. Ubi sine termino
Laetemur cum Domino
Perenni laetitia.

Miss. ms. Mosaetraiectinum saec. 15. Cod. Hagen. J 10. — 4 b, 1 virgo datur. — 7 a, 2 Convertit. — 8 b, 2 noster eam. — 9 b, 3 In perenni.

283. De ss. Philippo et Iacobo.

1 a. Caelum, tellus et maria
Mellita promant carmina
In laude salvatoris,

1 b. Apostolorum meritum
Chori clament fidelium
Voce cordis et oris.

2 a. Apostolus nunc Iacobus,
Alphaeo patre genitus,
Laudetur cum gaudio,

2 b. Qui nitens pudicitia
Clarus et sapientia
Praefulget eloquio.

3 a. Hunc virum admirabilem
Ordinavit in praesulem
Coetus apostolicus.

3 b. Dum ergo voce libera
Christi pangit magnalia
Homo sic veridicus,

4 a. De pinna mox deicitur
Et pertica percutitur
Fullonis crudeliter.

4 b. Sic Christi factus hostia
Perductus est ad atria
Caelorum feliciter.

5 a. Sed Philippus, vir insignis,
Clarus vita atque signis,
Praedicator fervidus,

5 b. Dum Iesum Scythis nuntiat,
Saevum draconem effugat,
Vir digne commendandus.

6 a. Suscitatis sic defunctis
Sanatis atque languidis
Sacram crucem erigit,

6 b. Sic fundata ecclesia
Miranda Dei gratia
In Asiam pervenit.

7 a. Hic haeresim sacrilegam
Destruxit quam mortiferam
Dei providentia;

7 b. Post exhortatis fratribus
Crucifixus a gentibus
Transfertur in gloria.

8 a. Iesu dulcis et benigne,
Cuius nomen est insigne
Dulce salutiferum,

8 b. Apostolorum precibus
Nos concede caelestibus
Frui in perpetuum.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523.

284. In s. Philippi de Argirione.

1 a. Sancte Philippe,
confessor Christi,

1 b. Qui pro Iesu nomine
labores pertulisti,

2 a. Opem confer miseris
atque mundo tristi,

2 b. Qui caelestis luminis
regna meruisti.

3 a. O confessor Philippe,
pro salvatoris amore

3 b. Fac nos corde fore
dignos deitatis honore

4 a. Et promissione Christi,
quia, quod petis, obtinuisti.

4 b. Da populo tristi,
quae moriendo petisti,

5 a. Confer solamen
meritis [et] tolle gravamen,

5 b. Iudicis examen,
fac, mite sit omnibus. Amen.

Miss. Gallicanum ad consuetudinem ecclesiarum Sicularum imp. Venetiis 1568.

285. In festo sanctorum Pontificum Traiectensium.

1 a. Iucundemur ad tantorum
Laudes patrum beatorum,
Quorum de consortio

1 b. Tota trinitas resultat,
In caelestibus exsultat
Alma pacis visio.

2 a. Diaphanitas superna
Luce claret ab aeterna
Plenis fulta radiis;

2 b. Urbs hymnizet Traiectensis,
Horum caelitus impensis
Freta iam praesidiis.

3 a. Vere felices proceres,
Qui veteris degeneres
Actus necarant hominis,

3 b. Virtutum[que] opifices,
Vecti ad divos apices
Raptu divini luminis.

4 a. Assunt nobiles ierarchae,
Egenorum patriarchae,
Potestates aulicae,

4 b. Agni vere commensales,
Assertores cardinales
Veritatis unicae.

5 a. Quorum memoriale
Diutinum

5 b. Floret immortale
Apud Dominum.

6 a. O quam laudabilis,
O quam amabilis
Est haec societas!

6 b. Cui nulla taedia
Occurrunt nec saucia
Mentis anxietas.

7 a. Ubi merces est fidelis
Deus omnium in caelis,
Omnia in omnibus,

7 b. In quo praemiantur isti
Facti coheredes Christi
In supernis montibus.

8 a. Hoc primus de collegio
Servatius in praemio
Inthronizatur regio.

8 b. Sagacis vir ingenii,
Amandus huius praemii
Non expers est collegii.

9 a. Pii patres et pastores,
Memores mediatores

9 b. Sitis derelicti gregis
In conspectu summi regis.

Miss. ms. Mosaetraiectinum saec. 15. Cod. Haagen. J 10.

286. De sancto Prosdocimo.

1 a. Pangat chorus, ut est moris,
Festa colens confessoris
Annua Prosdocimi,

1 b. Quem ad sui conditoris
Regna traxit vis amoris
Et affectus intimi.

2 a. Nomen ei recte datur,
Per quod Deo designatur
Redditus pro decima;

2 b. Nec non totus immolatur,
Cuius igne concrematur
Caro, mens et anima.

3 a. Stirpe clarus et natura,
Sacri fontis genitura
Clarior efficitur,

3 b. Cor depurat fides pura,
Et immundi mundi cura
Caeli zelo vincitur.

4 a. Hunc honore praesulari
Petrus iubet sublimari
Destinatque Paduam;

4 b. Rete missus infert mari,
Verbo capit salutari
Gentem fide vacuam.

5 a. In ingressu civitatis
Morbo diu mancipatis
Praebet opem miseris,

5 b. Donis laxans duplicatis
Per baptismum innovatis
Culpae vincla veteris.

6 a. Fama crescit, Paduanus
Stupet rex Vitalianus,
Qui languori suberat,

6 b. Christo credit et fit sanus,
Dum abiurat, quos paganus
Antea coluerat.

7 a. Uxor eius Praepedigna
Fit ancilla Christi digna
Spretis credens idolis;

7 b. Sic ad lignum currunt ligna
Et erumpit inter signa
Novae fructus subolis.

8 a. Regis proles et regina
Sub hoc patre se Iustina
Summo regi dedicat,

8 b. Quae dedignans esse Dina
Cadit ense, quam divina
Virtus caelis applicat.

9a. Patris huius medicina
Este, Feltris et Altina
Surgunt et Vincentia,

9b. Ac in urbe Tervisina
Luce frui gaudet bina
Euphrosina filia.

10a. Fit eidem civitati
Restituta sanitati
Speculum Theodora,

10b. De qua cives admirati
Sua firmant immutati
Fide Christi pectora.

11a. Fide pollens et decora,
Tuum effer et honora
Genitorem, Padua,

11b. Per hunc tibi supplex ora
Post dirupta carnis lora
Vitae dari pascua.

12a. Tibi, pater, supplicamus,
Tibi laudes cumulamus,
Pontifex Prosdocime,

12b. Ne nos trahat hostis hamus,
Te tutorem sentiamus
Corporis et animae.

Sequent. ms. Aquilegiense saec. 14/15. Cod. Semin. Goritien. I. — 2b, 2 igni. — 4a, 1 Nunc. — 5a, 3 Probet. — 6b, 2 obiurat. — 8b, 3 caeli. — Mel.: Ad honorem Christe tuum (de s. Antonio).

287. De sancto Provino.

1. Hymnum canamus gloriae,
Hymni novi nunc resonent

2a. Ad laudem tanti praesulis
Et Cumani antistitis,
Assumpti cum apostolis
In monte novi luminis.

2b. Proles de caelo prodiit
Novis utens prodigiis,
Caelum caecis aperuit
Invocantibus subvenit.

3a. Provinus fluit gratia
Forma factus humilium,
Laetus potitur praemiis
Sortis consors sublimium.

3b. Provinus vir catholicus
Et totus apostolicus
Ecclesiae catholicae
Fidem Romanam docuit.

4a. Nobili [hunc] prosapia
Concepit mater sedula
In civitate parvula,
Quae nunc vocatur Provina.

4b. Nunc spiritu prophetico
Diu refulsit gratia,
Cunctis Cumanis civibus
Felix remisit Francia.

Miss. Comense anni 1401. Cod. Ambrosian. H 247 inf. — „Graduale et tractus.“ Enthält viele Entlehnungen aus bekannten Hymnen.

288. De sancto Raimundo.

1a. Profitemur conditorem,
Veneremur redemptorem
Sub canoro iubilo,

1b. In sese quam sit mirandus
Et in sanctis commendandus,
Res inspecta praedicat.

2a. En, praesentis lux diei
Celebris in servi Dei
Agitur memoria;

2b. Hic est lapis pretiosus,
Claritate radiosus,
Virtutum sacrarium.

3a. Hic Raimundus nuncupatus,
Sanctitate cunctis gratus,
Plenus caeli munere,

3b. Nomen Christi venerandum
Cunctis proponit amandum
Signis et virtutibus.

4a. Caeci vident, claudi currunt,
Tumulati iam resurgunt
Virtute mirifica,

4b. Omne genus aegrotorum,
Turba omnis egenorum
Persentit praesidium.

5a. Qualis, quantus sit Raimundus,
Quibus donis sit fecundus,
Caelum, terra, maria,

5b. Dum oboediunt, loquuntur
Et ad nutum obsequuntur
Tanti viri gratia.

6a. Bonis cunctis cumulatus
Est ad superos vocatus
Operum pro merito;

6b. O Raimunde, da fervorem,
Ut ad caelestem decorem
Aspiremus pariter.

Miss. Praedicatorum imp. Romae 1639.

289. De sancto Raphaele.

1a. Festa dies
hortatur promere
Laudum voces
canentium libere
Raphaelem, nuntium
Gratia laetantium.

1b. Emmittit
eum Deus aethere
Tobiam
patientem visere;
Intrans inquit: Gaudium
Sit tibi propitium.

2a. Vota senis
et Sarae pariter
Exaudivit
[iam] efficaciter
[Deus mittens
Tobiae ad iter
Hunc comitem].

2b. „Angele",
puer clamat fortiter,
„Me piscis
hic invadit acriter".
Comes: „Ad te
trahe viriliter
Fortem piscem."

3a. Tunc Raphael
servare suggerit
De pisce, quod
prodesse poterit;
Iussa puer
confestim comperit
Atque servat.

3b. . . . .
. . . . . .
. . . .
. . . . . .
. . . .
. . . . . .
. . . .

4a. Post paranymphus
sacer incipit
Suadere, quod
puer accipit:
Uxorem Saram
poscit, suscipit
Atque dicat.

4b. Venit Gabellus,
fiunt nuptiae;
Nubit huic,
honesta laetitia
Regit convivia,
modestia
Mirificat.

5a. Orant tandem
dum tribus noctibus,
Quarta datur
mundis virginibus
Vacare proli
castis mentibus
Ad laudem Domini.

5b. Congaudet generi
successibus
Atque sui socri,
communibus
Grati benedicunt
[carminibus]
Caelesti numini.

6a. Vale facto
sponsae praeveniunt
Sponsus et
Raphael, aperiunt
Lumen caeco,
felle subveniunt,
Deus laudatur.

6b. Sic namque
Raphael his imperat,
Post haec celer
ad caelum properat,
Ubi manens,
ne nos hic deserat,
Misereatur.

Horae B. M. V. sec. usum Brugensem saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 2922. add. saec. $^{15}/_{16}$. — Die Sequenz ist in unserer Quelle sehr verderbt und verstümmelt; sie ist auf die Sequenz Nativitas Mariae virginis zurückzuführen und hatte wie diese augenscheinlich 12 Halbstrophen. Von diesen scheinen anderthalb ausgefallen. Der Anfang des entstellten Textes lautet in der Hs.:

a Festa dies hortatur promere laudum voces canentium libere

b Raphael gratia laetitiam emittit cum Deus aethere Tobiam patientem visitat.

c Intrans inquit gaudium sit tibi propitium vota senis et Sarrae pariter exaudivit efficaciter.

Im Folgenden weicht die Hs. ab: 2b, 1 sq. Angelus et puer clamat. — 2b, 7 Fortem piam. — 3b, 7 Et servat. — 4a, 4 accipiat gegen den Reim. — 4a, 7 ditat. — 4b, 4 honestus. — 4b, 5 Regit convivias sane modeste. — 4b, 7 Mirifica. — 5b, 3 et sui sacri. — 5b, 7 nomini. — 6a, 1 ist zu 5b gezogen. — 6a, 1 Vallo facto sponsa. — 6b, 7 Mereatur.

290. In Commemoratione S. Remacli.

1a. Expers labis mentium
Fit coetus vacantium
Carminibus melicis,

1b. Nam commemoratio
In hoc cluit orgio
Remacli pontificis.

2a. Allatus praesentiae
Qui regali Legiae
Miraculis claruit,

2b. Sopiturus schismata
Tranquillitate rata
Pacem hic obtinuit.

3a. Offert se lux obviam
Clientique tibiam
Resolidat strenuo;

3b. Uno sursum cubitu
Effertur cum strepitu
In aethera denuo.

4a. Auditur clandestina
Una serens famina
Cum Lamberto martyre;

4b. Eius volans de capsa
Est columba elapsa
Visa maestos lenire.

5a. Campanarum concitus
Auditur divinitus
Sonus mirabiliter.

5b. Non possum[us] singula
Ipsius miracula
Percensere breviter.

6a. Et caecos illuminat
Et omnes exterminat
Morbos Dei munere.

6b. Incumbamus igitur
Precibus, cum petitur,
Nam solet adnuere.

7a. O praesul eximie,
Fer Dei clementiae
Vota supplicantium,

7b. Ut nos ducat ad chorum
Post hanc vitam sanctorum,
Ubi iugis gloria

8. Cum laetitia.
Dicant Amen omnia.

Miss. ms. Stabulense saec. 15. Cod. Bruxellen. 1818. — 2b, 3 Tandem obtinuit; fehlt eine Silbe oder ein Objekt; oder lies Triumphum obtinuit?

291. De sancto Richardo.

1a. Pangat chorus, ut est moris,
Festa colens confessoris
Richardi beatissimi,

1b. Quem ad sui conditoris
Regna traxit vis amoris
Et affectus intimi.

2a. Nomen ei recte datur,
Per quod Deo designatur
Dives super omnia;

2b. Nec non totus immolatur,
Cuius igne concrematur
Caro, mens et anima.

3a. Stirpe clarus et natura
Sacri fontis genitura
Clarior efficitur,

3b. Cor depurat fides pura,
Et immundi mundi cura
Caeli zelo vincitur.

4a. Hunc honore praesulari
Petrus iubet sublimari
Destinatque Andriam;

4b. Rete missus infert mari,
Verbo capit salutari
Gentem fide vacuam.

5a. In ingressu civitatis
Morbo diu mancipatis
Praebet opem miseris,

5b. Donis laxans duplicatis
Per baptismum invocatis
Culpae vincla veteris.

6a. Fide pollens et decora,
Tu nunc effer et honora
Pastorem tuum, Andria,

6b. Per hunc tibi supplex ora
Post disrupta carnis lora
Vitae dari pascua.

7a. Tibi, pater, supplicamus,
Tibi laudes cumulamus,
Pontifex sanctissime,

7b. Ne nos trahat hostis hamus,
Te tutorem sentiamus
Corporis et animae.

Collect. ms. Vallicellanum saec. $^{16}/_{17}$. Cod. Vallicellan. G. 77. — Vgl. die Sequenz gleichen Anfangs auf Prosdocimus, von welcher diese eine Bearbeitung ist.

292. De sancto Rufino.

1. Virum sanctum

2a. Collaudamus
Rufinum
laude debita,

2b. Qui in mundo
ut stella
claruit pulchra.

3a. Hic de Mathera
ad Muninelles
rexit vestigia,

3b. Ubi sanctorum
fraternitas
est adunata.

4a. Huius sanctissimis
precibus,
Christe, nos iuva,

4b. Ut nostra debita
per eum
fiant dimissa.

5a. O sancte
Rufine,
castra defendens tua

5b. Aeterna
nos tecum
fac gaudere (in) patria.

6a. Nunc pacem per te
valeant habere
tempora nostra,

6b. Quo (nos) liberemur
a iugo iniquo
tua gratia.

7. Mantua[m] pie guberna.

Trop. ms. S. Benedicti Mantuani saec. 11. Cod. Capit. Veronen. CVII (100). — Melodie offenbar: Stans a longe.

293. De sancta Scholastica.

1. Alma, contio, concrepa
symphonia,
die hac pulchra
castissima
mente iubila,

2a. Hodie quod sacra
Scholastica
caelica
scandit habitacula
Domini clementia,

2b. Terrea respuens
ut stercora
et bona
tendens ad caelestia
mentis innocentia.

3a. Luce in hac
quamdiu fuerat,
pulchre illam ornabat
Christi gratia.

3b. Alta quaerens
vitae subsidia
summe expetit cara
fratris oscula.

4a. Sermocinansque vera
cum eodem doctrina
talia infert verba:

4b. Tu, mi benigne frater,
ne spernas preces meas,
deprecor mente pura;

5a. In lege mystica
epulemur
per convivia.

5b. Tum ille respondit:
Soror, non do
hoc, quod obsecras.

6a. Caput mox virgo
declinat rogando
Dominum

6b. Illudque de mensa
levat copia cum
imbrium.

7 a. Prosint merita,
virgo, nunc tua,
quae caelestia
conscendisti ad atria,

7 b. Nobis, ut vera
innocentia
atque puritas
in nobis semper vigeat,

8. Ut tecum vita
regnemus
in aeternum.

Trop. ms. Casinense saec. 12. in. Cod. Casinen. 546. — 5 b, 2 non de Hs.

294. De sancta Scholastica.

1 a. Scholasticam collaudemus,
Christo laudes decantemus
Semper cum laetitia,

1 b. In aetate quae puella
Cuncta vicit carnis bella,
Blanda mundi fortia.

2 a. Ordinata caritate,
Virginali puritate,
Velut rosa floruit,

2 b. Ardens intus caritate,
Foris fulgens honestate
Instar solis radii.

3 a. Sacris instans documentis,
Consolator mundae mentis
Hanc solatur saepius,

3 b. Cum virtutum indefessum
Benedicti figit gressum
Imbris vehementia.

4 a. Caeli gemmam singularem
Hanc provexit ad honorem
Rex aeternae gloriae.

4 b. Inter astra collocata
Ut columba dealbata
Caeli subit moenia.

5 a. Inter quinque sapientes
Puellas hanc reponentes
Veneremur laudibus.

5 b. Laude lucet trabeata
Scholastica, Christo grata
Ob virtutum studia.

6 a. Sacer grex sanctorum gaudet
Caelestique laude plaudet
De virginis gloria;

6 b. Angelorum consors facta,
Virgo prudens, nos adapta
Christo Dei filio.

7 a. Supplicamus, nos tuere
Et peccata fac timere,
Mater bona, confer vere
Tempus indulgentiae.

7 b. Mater bona, crimen tege,
Victum dona, mores rege,
Ne damnemur gravi lege
Causa neglegentiae.

8 a. Eia, mater, nos agnosce,
Libro vitae nos deposce,
Cum electis inseri,

8 b. Ut consortes tuae sortis
Et a poenis et a portis
Eruamur inferi.

Sequent. ms. Sublacense saec. 15. Cod. Sublacen. CLXVII (bei Mazzatinti 171). — 1 b, 3 Et blanda. — 3 b, 1 Tu. — 3 b, 2 figis. — Str. 8 entlehnt aus: Gaude Sion quod egressus.

295. De sancto Sebastiano.

1. Ave, praeclare,
Miles et martyr care,
Virtutes amare
Fac, Sebastiane.

2 a. Eia, pugil fortis,
Qui saeva mortis
Tela contempsisti,
Tyranni minas sprevisti,
Christum dilexisti,
Sebastiane.

2 b. Stemmata, parentes
Natosque flentes,
Uxores gementes
Marcum et Marcellianum
Linquere fecisti,
Sebastiane.

3 a. Te christiani
In pedore Tulliani
Solatorem, doctorem
Sensere sincere,
Dive Sebastiane.

3 b. Te Nicostratus
Cum muta Zoe sanatus
Commendabant, laudabant,
Animas Deo dabant
Per te, Sebastiane.

4 a. Tu Claudii
Filios duos sanasti,
Tu Chromatii
Domum baptizasti
Idolaque concremasti,
Sebastiane.

4 b. Tu Caesarum
Machinamenta, tormenta,
Irritamenta,
Spicula, sagittas
delusisti virtute Christi,
Sebastiane.

5 a. Hinc merito
Te colit Italia,
A qua fugata
Pestis epidemia,
Succursorem, tutorem,
Defensorem, liberatorem,
Gubernatorem te experta,
Comperta
Est fides tua,
Gloriose martyr,
Sebastiane.

5 b. Hinc motus te
Totus orbis celebrat,
Nomen, famam,
Laudes tuas elevat,
(Te) patronum, protectorem
Bonum honorat et decorat,
Medicantem [et] sublevantem,
Curantem
Aegra corpora
Animasque sanantem,
Sebastiane.

6 a. Fac nos Deo gratos,
A criminum sorde liberatos
Et purgatos,
Bonis adgregatos,
Caelis collocatos,
Inter vocatos
Tecum beatos,
Sancte Sebastiane.

6 b. Fac Deum timere
Illi(que) semper adhaerere, vere
Paenitere,
Pro peccatis flere,
Culpam abolere
Et obtinere
Tecum gloriam
Regni, Sebastiane.

7 a. Audi nos,
Miseros servulos tuos,
Sebastiane.

7 b. Salva nos,
Sana languores morbidos,
Sebastiane.

8 a. Da diram pestem fugere,
Virtutes nobis suggere,
Sebastiane.

8 b. Da medicinam divinam,
Per te vitemus ruinam,
Sebastiane.

9. Sebastiane,
Miles christiane,
Per te nostrae sint animae sanae,
Vespere et mane
Nos protege et a peste,
Pie Sebastiane.

Missale Wormatiense imp. s. l. et a. (1522). — 4b, 3 und 5 umgestellt. — Mel.: Ave praeclara maris stella, der sich der Text öfters schlecht anpafst, am schlechtesten, wie gewöhnlich, in Str. 5.

296. De sancto Sebastiano.

1a. Adest dies celebris
Sebastiani, crebris
Intendamus laudibus,

1b. Qui contemptis idolis
Bonae puer indolis
Claruit virtutibus.

2a. Nobilis prosapiae
Narbonensis patriae
Sanctum Sebastianum

2b. Transtulit emerita
Militia et vita
Clara Mediolanum.

3a. Christianum militem,
Christi sequens tramitem,
Militari

3b. Tegebat sub chlamyde,
Pugnae vacans fervide
Saeculari.

4a. Hic in regis curia
Praefuit industria
Ceteris proceribus,

4b. Officium sedulum
Christo dans et pabulum
Geminum martyribus.

5a. Sanctos Dei milites
Marcum et Marcellianum,
Potentes et divites
Secundum statum mundanum,

5b. Immenso certamine
Tormentorum fatigatos
Firmo consolamine
Fide fecit roboratos.

6a. Huic contemptum mundanorum
Praedicanti paganorum
Coram multitudine

6b. Adest Christus, rex caelorum,
Choro saeptus angelorum
Et caelesti lumine.

7a. Hunc ut sibi confoederet
Osculo pacis allicit,
Et librum, in quo legeret,
Angelus ei obicit;

7b. Zoe, quam gravis fecerat
Infirmitas esse mutam,
Angelus visus dederat
De lingua solvenda tutam.

8a. Tunc indicit silentium
Manu tumultuantibus
Confidenter,

8b. Et sanctus linguae vitium
Purgat suis precibus
Evidenter.

9a. Quod sanata sit, indicat,
Cum laudes Christi praedicat
Et sancti constantissime;

9b. Tunc vir eius Nicostratus
Veniam petit prostratus
Ad terram devotissime.

10a. Tunc baptismali lavacro
Abluitur fonte sacro
Cum tota familia.

10b. Dat pueris ulceroso,
Paralitico, gibboso
Duo beneficia.

11 a. Idola Chromatii
Non obstante filii
Impetu Tiburtii

11 b. De sua sollicitus
Salute cordicitus
Comminuit penitus.

12 a. Sanus currit tangere
Volens in itinere
Sanctum Dei nuntium,

12 b. Sed eum prohibuit,
Quia nondum habuit
Baptismi suffragium.

13 a. Hos instructos in Dei
Rudimentis fidei
Polycarpus baptizat,

13 b. Et miles emeritus
Laudes Dei caelitus
Intentus praeconizat.

14 a. Imperatori delatus
Et graviter accusatus,
Quod fidem Christi sectatur,

14 b. Se constanter christianum
Et idolorum profanum
Ritum esse protestatur.

15 a. Carnifices ad stipitem
Palam sacratum militem
Ligaverunt atrociter

15 b. Nequissima sententia;
Nam pro salute regia
Deum rogabat iugiter.

16 a. Tunc nequitiae ministri
Iussu impii magistri
Arcus aptant velocius

16 b. Et sanctum reddunt consutum
Sagittis atque hirsutum
Ut est spinis ericius.

17 a. Tunc recedunt, quia credunt
Fatue
Ipsum morti traditum.

17 b. Venientis et videntis
Viduae
Palpitantem spiritum

18 a. Deponitur officio,
Et eidem corde pio
Exhibuit opera
Misericordiae
Et pietatis;

18 b. Qui in membris et corpore
Sanatus brevi tempore
Exsecratur scelera
Imperatoriae
Crudelitatis.

19 a. Tunc super hippodromium
Ibi iuxta palatium
Laceratur crudeliter.

19 b. Sanctum emisit spiritum,
Ad cuius cantant exitum
Angeli sancti dulciter.

20 a. In cloaca aduncatur
Corpus sacrati militis,
Ne ut martyr habeatur
Venerandus pro meritis.

20 b. Tunc per sanctum admonitae
Lucinae, matri inclitae,
Diligenter fuit curae
Illud dare sepulturae.

21 a. Cessat morbus, cessat pestis
Altari aedificato.

21 b. Sancte martyr, Christi testis,
Pro nobis Deum orato,

22 a. Ut cesset epidemia,
Qua flagellatur patria,

22 b. Et cum misericordia
Currat Dei sententia,

23 a. Finitaque miseria
Huius labentis saeculi

23 b. Tecum simus in gloria;
Dicamus Amen singuli.

Grad. ms. Confratern. S. Sebastiani saec. 16. in. Cod. Parisien. (Arsen.) 204. — 6 b, 1 rex fehlt. — 7 a, 1 confoedere. — 7 a, 3 in fehlt. — 17 b, 1 Venientes et videntes. — Str. 21 u. ff. sind vielfach als eigene Sequenz verwendet.

297. De sancto Sebastiano.

1 a. Pange, dulcis Francia,
Martyris praeconia
Mediolanensium;

1 b. Gaudeat Suessio
In regali gremio
Tantum claudens pretium.

2 a. Cuius ad praesentiam
Exuit miseriam
Vallis abundantiae,

2 b. Sodomae periculum
Evadens in saeculum
Basi fulta gratiae.

3 a. Miles clarus genere
De magnatum latere,
Dulcis amor civium,

3 b. Verax in eloquio,
Iustus in iudicio,
Consolator omnium.

4 a. Christianam provide
Fidem celans habitu
Sub pomposa chlamide
Pauper erat spiritu.

4 b. Martyrum certamina
Roborans consilio
Tot coronans agmina
Non fraudatur bravio.

5 a. Probans foris
Vim amoris
Ore Dei
Datur ei
Dulce pacis osculum.

5 b. Fidem serens,
Signa gerens,
Hinc errores,
Hinc languores
Fugat, lucrans populum.

6 a. Prodit laetus ut ad ludum
Dare telis corpus nudum
Regis iussu pessimi.

6 b. Tela volant infinita
Sed caelestis a sagitta
Fides nequit perimi.

7 a. Ut triumphi duplet sortem,
Pilis hirtus differt mortem,
Donec resumptis viribus
Christo mactatur fustibus.

7 b. Unco pendens in cloaca
Scrobe sursum ab opaca
Fertur herilis victima,
Quo sancta iussit anima.

8 a. Sic accinctus in agone
Militavit spe coronae,
Iam in pacis regione
Discinctus post proelia.

8 b. Sancti ducis interventu,
Cuius risit in adventu,
Victrix vivat cum obtentu
Regni Dei Gallia,

9. Iugi fruens gloria.

Grad. ms. Confratern. s. Sebastiani Parisien. saec. 16. in. Cod. Parisien. (Arsen.) 204. A. — Miss. Remense imp. Parisiis 1491. B. — Miss. Remense imp. Parisiis 1513. C. — Miss. Remense imp. Remis 1553. D. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1585. E. — Miss. Xantonense imp. Parisiis 1481. F. — 1 b, 1 et Suessio BC. — 2 a, 2 Exivit EF. — 3 a, 2 manatum AE. — 4 a, 3 Sub clopula F; Sub clypea pomposa A; Sub clypeo pomposo E. — 5 b, 1 ferens BC. — 5 b, 5 Fugans BC. — Str. 6 a u. ff. fehlen F; statt dessen werden dort die Strophen 14 a — 16 b (incl.) und Str. 19 a — Schlufs der vorhergehenden Sequenz angehängt. — 7 a, 2 Pellis virtus AE; Pilis hircus BCD. — 7 b, 2 adoptata AE. — 7 b, 4 misit BD, vivit C. — 8 a, 4 Distinctus ABCE. — 8 b, 1 dulcis AE. — Das Schema ist ähnlich jenem der Barbara-Sequenz: Psallat cum laetitia.

298. In Translatione s. Servatii.

1 a. Dulce melos iubilemus,
Cor et vocem concordemus
In laude Servatii;

1 b. Clangat chorus in psallendo
Dans et laudes recolendo
Praesulis eximii.

2 a. Hic a cunis educatus,
Soli Christo consecratus
Miro satis foedere,

2 b. Omni fere nam sugebat
Die semel et bibebat
Lac de matris ubere.

3 a. Hinc sacerdos fit virtutis,
Plenus summae servitutis,
Post haec eucharistiae

3 b. Solo gustu refovebat
Corpus, sed mens spe vivebat
Aeternalis gloriae.

4 a. O quam felix, quam beatus,
Qui de caelo confortatus
Angelico famine

4 b. Iam sub aevo decessore
Insignitur hoc ductore
Praesulatus culmine.

5 a. Sanant aegros et languentes
Eius lotis defluentes
Manibus reliquiae,

5 b. Dat infirmis firmitatem
Et insanis sanitatem
Tactus vestis fimbriae.

6 a. Fractus lapis solidatur,
Et effracta comprobatur
Haeresis perfidiae.

6 b. Hunc in somno visitavit
Rex caelorum, quem donavit
Petrus clavi gratiae.

7 a. O Servati gloriose,
Christi miles pretiose,
Confessor egregie,

7 b. Nos precare supernorum
Iungi choro peccatorum
Mundos a pernicie,

8 a. Ubi modo gloriaris
Et divina satiaris
Intuens mysteria;

8 b. Nos in bonis demorari
Et ipsius imitari
Da, Christe, vestigia.

Brev. ms. Gorziense saec. 14. Cod. Capit. Treviren. 173. add. saec. 14. A. — Miss. ms. Mosaetraiectinum saec. 15. Cod. Hagen. J 10. B. — 1a, 1 Dulci melo B. — 2b, 1 iam B. — 4b, 2 decore B. — 5a, 1 Sanat A. — 5b, 3 Tactu A. — 6a, 3 Haeresis nefarie A.

299. De sancto Silvestro.

1. Haec sunt sacra festa
laudibus magnis digna.

2 a. Nostra hac die carmina
penetrent templa
precibus siderea;

2 b. Sancti Silvestri meritis
merita nobis
imploremus prospera.

3 a. Inter aethereos
cives tuos
post delicta
nos, sancte Silvester,
revoca.

3 b. Tuarum ovium
margarita
pretiosa,
tu gemma plebis
fulgida.

4 a. Tu, dux gregis,
laeta iucunda
providisti
tuis vitae pabula;

4 b. Servans, custos,
ovium caulas
abegisti
efferas insidias.

5 a. Nunc alias
tenes patrias,
angelorum delicias,

5 b. Terram Eden,
rura pinguia,
magnis deliciis plena.

6 a. Ne nos, te quaesumus,
deseras,
baiulansque oves tuas

6 b. Dispersas, quaesumus,
revoca
sublevaque prece tua.

7 a. Ne sit procul tua cura,
ne simus hostis praeda,
mortis tela violent
mentis animam;

7 b. Frangimur belli pugna
dextera sine tua,
tua sit victoria
Christi gratia.

8 a. Iudicem postula,
deleat nostra crimina;

8 b. Quaesumus, impetra
remissionis veniam.

9 a. Pastor, tuam familiam,
Sancte Silvester, guberna

9 b. Atque Deo ut munera
hostiamque repraesenta,

10. Ut digni fruamur gloria.

Trop. ms. Nonantulense saec. 11. Cod. Roman. 1343. (Sessor. 62) A. — Trop. ms. Nonantulense saec. 11. Cod. Univ. Bononien. 2824. B. — Grad. ms. Modoetinum saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Modoetin. $\frac{C\ 14}{77.}$ C. — Grad. ms. S. Petri Patavini saec. 15. in. Cod. Capit. Patav. A 20* D. — Miss. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19234. E. — Auch im Trop. ms. Nonantulense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Casanaten. C IV 2 (1741) und Trop. ms. S. Benedicti Mantuani saec. 11. Cod. Capit. Veronen. CVII (100). — 1, 2 laudibus piis DE. — 2 b, 1 Sancti Prosdocimi D, Zenonis E. — 3 a, 4 nos, Prosdocime, revoca D; nos, sancte Zeno, revoca E — 3 b, 1 civium D. — 4 a, 3 praevidisti BCDE. — 4 b, 3 sq. efferas abegisti AE; et feras abegisti BCD. — 5 a, 2 tenens C. — 5 b, 1 Terram edent B; Terra eadem C; Terram edem E. — 5 b, 3 magnis epularum plena E. — 6 a, 1 te petimus CE. — 6 a, 3 vagulas ovienlas C. — 6 b, 1 poscimus B, petimus DE; Dispersas rapit vis C. — 6 b, 2 aemula C. — 6 b, 3 fauce laedit improba C. — 7 a, 1 Nescit procul A; Est procul C. — 7 a, 2 nescimus A; hostis fehlt E; ideo summs praeda C. — 7 a, 3 iugulant CE. — 7 a, 4 mentis intima D. — 7 b, 1 Frangamur A. — 7 b, 3 tua fehlt CE. — 8 a, 2 deleat nt nostra CE. — Nach Str. 8 schieben CDE ein:

8 c. Ne forte iudex, cum
venerit,
nos cum culpa
feriens
pariter puniat

8 d. Et chaos Erebi
deputet
ac Cocyti
gehennae
fauce sulphurea.

8 c, 3 nos omni culpa C, nos culpa D. — 8 d, 3 nt Cocyti C; a quo cuncta D. — 8 d, 5 falce D. — 9 a, 2 Sancte Prosdocime D; sancte Zeno E; adiuva CE. — 9 b, 1 nt fehlt C; numero C. — 9 b, 2 que fehlt C; hostiam quoque ABD; sacrificia C. — 10, 1 det digni C. — Mel.: E i a turma.

300. De ss. Simone et Iuda.

1 a. Ecce, dies praeoptata,
Dies felix, dies grata,
Dies digna gaudiis.

1 b. Nos hanc diem veneremur
Et pugnantem admiremur
Christum in apostolis.

2 a. Simon et Iudas incliti,
Mariae Cleophae nati,
Extolluntur hodie;

2 b. O germen vere nobile,
Propinqui regis gloriae
Et nepotes Mariae.

3 a. Hi celsi Dei famuli,
Digni Christi apostoli
Iverunt in Persidem,

3 b. Iesum Christum annuntiant
Duosque magos superant,
Arphaxat et Cosroem.

4 a. Sicque rege baptizato
Populoque emundato
A falsis simulacris

4 b. Ecclesiam iam ordinant
Et provinciam visitant
Purgatis idolatris.

5 a. Tandem magi nequam, ficti,
Ab apostolis devicti,
Concitant pontifices,

5 b. Qui nefandi, turpes, rei,
Hos cultores veri Dei
Coronant in martyres.

6 a. Quaesumus, caeli proceres,
Olympi cives nobiles,
Servulos respicite,

6 b. Qui tot malis irretiti
Non valemus sic reniti,
Precibus succurrite.

7 a. Iesu pie, Iesu bone,
Nostro nobis in agone
Largire victoriam,

7 b. Mores nostros sic compone,
Ut perpetuae coronae
Mereamur gloriam.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. — Str. 1 a u. 1 b Entlehnung aus Adam von St. Viktor. — 3 b, 3 Caroem.

301. De sancto Syro.

1. Odas summo patri
voce modulemur supplici.

2 a. Eius unigenito conclamemus iubilo,

2 b. Spiritui sancto rite cantemus organo.

3 a. Contio nunc nostra canoras
det praesuli symphonias,
Et devotis cantor aperte sibi melodiis modulet.

3 b. Pangite, (vos) praesules, iugiter,
resonate nunc, pastores,
Et omnes in Syri festo spiritus iucundentur maxime,

4 a. Defunctos qui dedit sanitati pristinae.
Adulescens verum Dominum glorificat, ereptus daemonum custodia:

4 b. Clare intuentes discite miraculum.
Verum Deum esse credimus, quem praedicat hic caelestis famulus curiae.

5 a. Manus sua ore
a sacrilego
corpus veri Dei
expulit,

5 b. Atque prece sua
devotissime
Iudaeus se regi
obtulit.

6 a. Ipse vicos
villasque dum
peragraret,
mutum surdumque
clamitabat
qui filium
se habere,
quidam adfuit.

6 b. Voce Syri
aures surdi
sunt apertae,
lingua muti est
absoluta;
qui viderunt,
Deo vero
benedixerunt.

7 a. Ipsi caecus
occurrit,
adiuvari
devotis
precibus postulans.

7 b. Pro quo almus
oravit
rectissime,
lumen qui
vidit peroptime.

8 a. O Syre,
te precamur,
lucerna fulgida,

8 b. Tu regna
ad caelica
duc nos prece benigna.

9. Quo perfruamur
gloria.

Collect. ms. Ticinense (?) saec. 15. Cod. Roman. 1300 (Sessor. 343). — 3 b, 7 iucundetur. — 6 a, 3 perageret. — Verfasser: Guilidinus.

302. De ss. Solutore, Adventore, Octavio.

1 a. Fratres nostri congregati
Deo sanctisque dicati
Exsultemus iubilis,

1 b. Ecce, sancti Solutoris,
Octavii et Adventoris
Celebratur passio.

2 a. Primus olim vulneratur
Et in fine decollatur,
Trucidantur alteri;

2 b. Iste in Hipporegiensi,
Hi in situ Taurinensi
Iussu Decii pereunt.

3 a. Hi martyrio cadentes,
Christum Deum profitentes
Caeli regna penetrant.

3 b. Hi sunt enim nostri duces,
Quos sequemur et salutes
Attingemus superas.

4 a. Quanta Deus almus [dignis]
Pro martyribus benignis
Mundo mira protulit!

4 b. O beata urbs Taurini,
In qua iacent sancti trini
Coruscantes gratia!

5 a. Ergo, populares, vota
His martyribus devota
Agite sollemniter.

5 b. Exaudiet Dominus,
Praesens erit comminus
Ob eorum monita.

6 a. Laudent sanctam Iulianam
Taurinenses christianam,
Cuius ductu fruimur.

6 b. O praeclara Thebaeorum,
Preces funde in polorum
Arce sancti spiritus.

Offic. ms. Clusiensia saec. 15. Cod. Taurinen. J I 3. A. — De Levis, Anecdota sacra p. 217 sq. (ex codice Nonantulensi saec. 11. [sic!]) B. — 1a, 2 Deo satis qui B. — 2a, 1 vulneratus B. — 2a, 2 decolatus B. — 2a, 3 Trucidatur alter B. — 2b, 1 Et in A; Istum B. — 2b, 3 perimunt AB. — 3a, 2 proficientes B. — 3b, 3 Accingemus B. — 4a, 2 benignus B. — 5b, 1 Exaudiat B. — 6a, 1 Laudant B.

303. De sancto Stephano.

1 a. Adest cunctis festum duplex
Eius, qui adorat supplex
Pro se lapidantibus.

1 b. Hac die fuit translatus
Stephanus vel lapidatus
Duris cum lapidibus.

2 a. Hic exemplar fuit morum
Et pugil apostolorum,
Viduarum regula,

2 b. Martha quoque et Maria
Cibo, verbo, Rachel, Lia,
Cervicosis ferula.

3 a. Hic convicit disputantes,
Superavit lapidantes
Mentis patientia,

3 b. Testes falsos confutavit,
Iesum stantem collaudavit
In paterna gloria.

4 a. Flexo genu adoravit,
Inde Paulum impetravit
Pro doctore gentium;

4 b. Sic in pace obdormivit,
Cuius corpus sepelivit
Conventus fidelium.

5 a. Luciano demonstratur
Ipsum corpus, transportatur
Motu honorabili;

5 b. De Sion sancta levatur,
Proles regis liberatur
A caede horribili.

6 a. Stephane et o Laurenti,
Procuretis congaudenti
Graecae et Romanae genti,
Omni etiam viventi
Unitatis vinculum;

6 b. Quorum membra sunt unita,
Protomartyr et Levita,
Urna una nobis sita,
Esse date nos cum vita
Receptos ad osculum.

Grad. ms. Parmense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Capit. Parmen s. n. — 5a, 3 Mortu. — Nach 6a, 3 sq. vielleicht aus der Zeit des Florentiner Konzils.

304. In Inventione s. Stephani.

1. Splendor sanctorum,
patris unice,

2 a. Qui tuis in sanctis
mirabilis
iure crederis.

2 b. De quibus sunt isti
vestigia
tua secuti:

3 a. Stephanus, Nicodemus,
Gamaliel
atque Abibas,
filius eius.

3 b. Corpora quorum sancta
presbytero
sunt Luciano
sic revelata:

4 a. Tres aurei calathi,
et quartus ex argento
refertus erat croco,

4 b. Sed duo rosis albis,
et unus rubris rosis
est Stephanus levita,

5 a. Fervidus
spiritu sancto,
plenus gratia,

5 b. Plurima
faciens signa
et prodigia.

6 a. Et nemo spiritui
poterat resistere,
qui loquebatur in illo,

6 b. Sed plebs dissecabatur
cordibus Iudaica,
stridens dentibus in eum.

7 a. Mox aures obturant,
lapidibus eum caedunt,
intuentes in eum
splendidum
velut angelum.

7 b. Et ille clamabat:
Domine Iesu Christe,
lapidantibus parce,
spiritum
meum suscipe.

8 a. Protomartyri surgis,
qui sedes et regnas,
virtutem certanti
ministras.

8 b. Stantem a dextris patris
te filium hominis
das cernere caelis
apertis.

9 a. Et cum tanti meriti
apud te sit
hic servus Domini,

9 b. Corpus eius bestiis
lacerandum
datur a bestiis.

10 a. Quem non tetigit
bestia
tua positum
sub custodia;

10 b. Sed humiliter
sepultum
mire cum tribus
sanctis translatum

11 a. Nunc tenet ecclesia;
per quorum merita

11 b. Discedant phantasmata
nos lapidantia,

12. Ut in sanctorum memoria
semper tibi sit gloria.

Grad. ms. Aquilegiense saec. 14. Cod. Semin. Goritien. F. A. — Missale Aquilegiense imp. Augustae 1494. B. — Miss. Aquilegiense imp. Venetiis 1508. C. — 4 b, 2 rubeis ABC; rosis fehlt C. — 6 a, 1 sq. poterat spiritui C. — 6 b, 1 dissecabantur C. — 7 a, 1 Vox, falsche Initiale A. — 7 b, 1 clamat C. — 8 a, 1 Protomartyris A; Protomartyr C.

305. In Inventione s. Stephani.

1 a. Laetabundus
Exsultet ubique mundus,
Alleluia,

1 b. Laeti simus,
Et nobis sit martyr primus
Laudis via.

2 a. Inventio Stephani
Sit laudis et organi
Nobis causa,

2 b. Quae est post martyrium
Notitiae gentium
Diu clausa.

3 a. Tandem per miraculum
Venerunt ad tumulum,
In quo iacent

3 b. Consortes martyrii,
Stephanus et socii,
Qui sic patent.

4 a. Semel, bis et iterum
Venit ad presbyterum
Lucianum

4 b. Gamaliel nuntius:
Quid nos celas amplius?
Non est sanum.

5 a. His auditis presbyter,
Episcopus pariter,
Tota gens similiter
Sanctos quaerunt.

5 b. Inventi miraculis
Coruscant in populis
Qui mentibus sedulis
Adfuerunt.

6 a. O martyr, propera
Delensque scelera
Nostris nos culpis
exonera.

6 b. Tu nobis resera
Caelorum munera
Ab omni malo
nos libera.

Miss. ms. Bambergense saec. 15. Cod. Rossian. VIII 232. A. — Miss. Remense imp. Remis 1553. B. — 2 b, 1 post fehlt A. — 2 b, 2 Gentium notitiam A. — 3 a, 2 Venitur B. — 3 b, 2 Stephani A. — 4 a, 1 Se semel A. — 5 b, 1 Inventis A. — 5 b, 3 Quibus A. — 6 a, 2 que fehlt A.

306. De sancto Swithuno.

1. Psallat ecclesia,
mater decora,

2 a. Mente devota
et voce consona
Domino pia
personet organa.

2 b. Laudes cantica
iubilans persolvat,
cordis dulcia
feriens tympana,

3 a. Recolens sollemnia
atque festa
diei gaudia,

3 b. Swithunus in qua alta
laetus scandit
caelorum culmina,

4 a. Evangelica
radians
gratia ut lampas
splendida.

4 b. Noctis tenebras
effugat,
erroris amputat
scandala.

5 a. Semina verbi sancta
et catholica

5 b. Per populorum arva
Deo seminat.

6 a. Talenta sibi credita
a patre familias

6 b. Multiplicat et augmentat
usuris dominica.

7 a. Plenus sapientia
millena
animarum
Deo lucratur agmina.

7 b. Oves sibi creditas
divina
per pascua
pastor pervigil educat.

8 a. Ad cuius ossa
sepulta Dei gratia
virtutum miracula
ad laudem suam
percelebrat.

8 b. Unde nos tanta
precamur patris merita.
ut nos ad caelestia
secum pertrahat
palatia.

9 a. Ubi vita,
claritas aeterna
et immensa laetitia,

9 b. Ubi sancta
angelorum turma
Deo personat cantica

10. Voce clara.

Trop. ms. Wintoniense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Oxonien. Bodl. 775. A. — Trop. ms. Wintoniense saec. 11. Cod. Collegii Corporis Christi Cantabrigen. 473. B. — 2 b, 3 dulcia cordis AB. — 6 b, 2 dominicas AB.

307. De sancto Theobaldo.

1. Ecce, sacerdos magnus,
qui in vita sua
suffulsit domum
et in diebus suis
corroboravit templum.

2 a. Templi enim
altitudo ab ipso
fundata
est, duplex
aedificatio
et excelsi
parietes templi.

2 b. In diebus
ipsius emanarunt
putei
aquarum
et quasi mare
adimpleti
sunt supra modum.

3 a. Qui curavit
gentem suam
et liberavit eam
a pernicie, qui
praevaluit
amplificare civitatem.

3 b. Qui adeptus
est gloriam
in conversatione
gentis et ingressum
domus [Dei]
et atrium amplificavit.

4 a. Quasi stella matutina
in medio nebulae
et quasi plena luna
in diebus suis lucet;

Quasi lilia, quae sunt
in transitu aquae,
et quasi tus redolens
(in) diebus aestatis;

4 b. Quasi ignis effulgens
et tus ardens in igne,
quasi sol refulgens, sic
refulsit in templo Dei;

Quasi arcus resplendens
inter nebulas gloriae
et quasi flos rosarum.
in diebus veris;

5 a. Quasi aurum solidum,
ornatum
omni lapide pretioso;

5 b. Quasi oliva pullulans
et cupressus
in altitudinem se extollens.

6 a. In accipiendo
ipsam stolam gloriae
et vestiri
cum consummatione
virtutis

In ascensu altaris
sancti gloriam
sanctitatis
dedit amictum.

6 b. In accipiendo
autem partes de manu
sacerdotum
et ipse stans iuxta
aram et

circa eum corona
fructuum; quasi
plantatio
cedri in monte

7. Libani, sic circa illum
steterunt et omnes
filii eius
in gloria sua.

Miss. ms. Patavienſe saec. 14. Cod. Zwethalen. 229. add. saec. 15. — 2b, 2 emanavit. — Nach 4a, 4 noch überzählig: sic ille effulsit in templo Dei; vgl. 4b, 3 sq. — 4b, 3 ille refulsit. — 6a, 6 Initiale; 6b, 6 dagegen keine. — 6b, 7 Quasi beginnt mit neuer Initiale und läuft bis Schlufs. Die Silbengleichheit der Klauseln ist vielfach nicht beobachtet.

308. De sancta Theodora.

1 a. Romana propagine
Re Clemens et nomine
Terris claro lumine
Nitet caelo,

1 b. Dilectus gentilibus,
Iudaeis fidelibus
Condescendit omnibus
Christi zelo.

2 a. Theodora stemmate
Pollens eius dogmate
Gaudet in baptismate
Renovari.

2 b. Sponsam sponsus sequitur
Et Clemens impetitur,
Trans pontum proscribitur
Relegari.

3 a. Hic exsul a consule
Fines intrat insulae
Coetu plenos exsule
Christiano.

3 b. Ipso gaudent imbui
Cuncti, cum promiscui
Sexus aegros statui
Reddat sano.

4 a. Ad agni vestigium
Ab excelso montium
Manat rivus fontium
Per te, Clemens.

4 b. Idolorum corpora
Dum frangis, in aequora
Te iactat cum ancora
Iudex demens.

a. Siccatur ad spatium
Trium miliarium
Mare per septendium
Tua nece.

5 b. Rogo, tot miraculis
Insignis et titulis,
His subveni servulis
Tua prece.

Sequent. et hym. Carmeli Senen. saec. 14. Cod. Senen. G III 2. — Mel.: Mariae praeconio. — Der Inhalt der Sequenz rückt den hl. Clemens in den Vordergrund.

309. De sancto Thoma.

1 a. Fideles, concinite,
Patronum acquirite,
Veri solis radium,

1 b. Thomam, quem paraclitus
Edocuit spiritus,
Verum lumen cordium.

2 a. Dum credere distulit,
Christus ei contulit
Dulce refrigerium;

2 b. Se palpandum obtulit,
Unde nobis attulit
Fidei solacium.

3 a. Fugans idolatriam
Adunavit Indiam
Numero fidelium,

3 b. In turba gentilium
Praesul infidelium
Peremit innoxium.

4 a. Unctum aromatibus
Corpus a credentibus
Sepelitur saucium.

4 b. Sic triumphat Didimus
Thomas, vir sanctissimus,
Linquens orbis devium.

5 a. Huius, Christe, precibus
Da tuis supplicibus
Sacrum septenarium,

5 b. Ut per eius meritum
Habeamus transitum
Ad perenne gaudium.

Grad. ms. Mosaetraiectinum saec. 15. Cod. Hagen. J 8. — Mel.: Veni sancte spiritus.

310. De sancto Thoma.

1 a. Gaude, fides christiana,
Thomas tuus hodierna
Luce prodit caelitus,

1 b. Qui multum tibi profuit,
Dum sic tangendo credidit
Instructus divinitus.

2 a. Hic a Christo iam electus
Dignus plane est effectus
Coetu apostolico,

2 b. Christi flagrat sic amore,
Ut mori cum salvatore
Exoptet mirifico.

3 a. O quam ardens, quam devotus,
Quam divino fervens totus
Spiritu constiterat,

3 b. Quando Christus, fons amoris,
Vulnus divini pectoris
Tangi sic praestiterat.

4 a. Hinc ad Indos profecturus
Dei verbo fit securus
De palma victoriae;

4 b. Morbos fugat sancta prece,
Spiritali pressam nece
Gentem levat Indiae.

5 a. Dum sic Thomas elaborat
Plebem suum et exornat
Omnibus virtutibus,

5 b. Surgit Satan in doctorem
Excitatis in pastorem
Multis infidelibus.

6 a. Fremunt impii ut ferae,
Innocentem tradidere
Fornacis incendio;

6 b. Sed magister veritatis
Virum tantae pietatis
Salvat a supplicio.

7 a. Sic multorum iam salute
Procurata cum virtute
Caelo scandis, vir inclute,
Coronatus gladio.

7 b. Pie doctor optime,
Thoma, tuo precamine
Caelesti dona lumine
Nos frui cum gaudio.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523.

311. De s. Thoma Aquinate.

1 a. O quam de claro genere
Donatum Dei munere
Clarum sidus oritur,

1 b. Cuius illuminatio
Veritatis monstratio
Lucide dinoscitur,

2 a. Dum profunda fluviorum
Tenebrasque secretorum
In lucem produxit.

2 b. Qui clarissimus doctorum.
Reserator oculorum,
Clarior illuxit.

3 a. Cuius fulgida doctrina
Quasi stella matutina
Errores nudavit,

3 b. Literarum documenta,
Figurarum sacramenta
Plene revelavit.

4 a. Tamquam lucifer serenus,
Clarus, dulcis et amoenus
Orbem illustravit,

4 b. Nam gradiens per devia
Coruscans in ecclesia
Pulchre scintillavit.

5 a. Thomas, doctor eximius,
Lumen splendens nitidius
Ardore caritatis,

5 b. In sanctitate claruit,
Morum exempla praebuit
Conformans se beatis.

6 a. Virtutum qui progressibus
Sacrisque semper actibus
Mire decoratur;

6 b. Carnis incorruptionis,
Fidei promotionis
Sertis gloriatur.

7 a. Hic purus a cunabulis,
Peccati carens maculis
Criminis letalis,

7 b. Mente, spiritu candescit
Ac miraculis clarescit
Illustrator talis.

8 a. Ordinis Praedicatorum
Lux decusque meritorum
Virtute provehitur

8 b. Ad supremam monarchiam,
Creatricem et usiam,
Felix qua perfruitur.

9 a. In polorum ierarchia
Tua, pater, prece pia
Nostram miseriam

9 b. Intuens auxiliare,
Praesens transfretantes mare
Transfer ad patriam.

Grad. ms. S. Katherinae Divodurensis saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 120). add. saec. 15.

312. De s. Thoma Aquinate.

1 a. Lauda, Sion, increatam
Lucem veram, vere natam
De Maria virgine;

1 b. Causa laudis nunc est ardens
Et lucerna vere lucens
Veritatis lumine.

2 a. Doctor Thomas est lucerna,
Quae de luce sempiterna
Nunc accensa radiat.

2 b. Inter astra vespertina
Quasi stella matutina
Singularis rutilat.

3 a. Qualis esset nasciturus
Praedicator et docturus
Christianum populum

3 b. Sanctus Thomas, nondum natus
Fuit matri praemonstratus
[Per] verbum propheticum.

4a. Puer sprevit voluptatem,
Omnem mundi vanitatem
Et parentum gloriam,

4b. Semper servans puritatem
Carnis, cordis caritatem,
Paupertatis regulam.

5a. In scripturis meditatur
Et abyssum perscrutatur
Fluminis scientiae;

5b. Datur sensus, quem optavit,
Spiritus, quem invocavit,
Sibi sapientiae.

6a. Princeps hunc apostolorum,
Paulus, doctor populorum,
Docet omne dubium;

6b. Crucifixus hunc adfatur
Et promittens consolatur
Se doctori praemium.

7a. Sidus missum decumbenti
Testis fuit morienti
Transitus ad bravium;

7b. Lux a terris elevatur,
Sanctus Thomas cum vocatur
Ad perenne gaudium.

8a. Qui talenta sibi data
Cum usuris ampliata
Rettulit ad patriam,

8b. Velut imber qui divina
Totam rigat ex doctrina
Christi nunc ecclesiam.

9a. Tempus vitae fructu plenum
Duxit annum quinquagenum
Iubilat in patria.

9b. Bina stola decoratus,
Virgo, doctor est dotatus
Duplici aureola.

10a. Ossa sancti detinentur
Fossae Novae violenter
Annis olim pluribus.

10b. Ioseph ossa sunt translata,
Sancti Thomae dum sunt data
Suis ossa fratribus.

11a. Hunc Tolosa veneratur,
Ubi Deus operatur
Saepius miracula.

11b. Cuius vitam nos sectari
Et cum ipso gloriari
Det Deus in saecula

Grad. et Sequent. ms. Unterlindense saec. 14. Cod. Colmarien. 317. — 4b, 2 corde. — 11a, 1 Nunc, falsche Initiale.

313. De s. Thoma Aquinate.

1a. Inviolata iubilans
Laetetur ecclesia,

1b. Thomae nuntians
Et promens praeconia.

2a. O lux doctorum,
Norma iustitiae,

2b. Tu decus morum,
Tu flos munditiae.

3a. Tu sol illustrans
Omnia
mundi pandis climata;

3b. Profunda scrutans
Fluminum
pandis abdita.

4a. Verbi praedicator,
[Sermonis] dominici,

4b. Lux mundi, sator
Seminis almifici,

5a. O patrone,

5b. O patrone,

6. O patrone,
O Thoma, caeli Dominum
Fac placatum.

Grad. ms. S. Katharinae Divodurensis saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 120). add. saec. 15. — Mel: Inviolata.

314. De s. Thoma Cantuariensi.

1 a. Ad honorem summi regis
Fiat festum sacri gregis
Martyris victoria;

1 b. Inde sint orationes,
Hymni, versus, lectiones
Atque responsoria.

2 a. Digne quidem celebratur
Et in hominum versatur
Sanctus hic memoria,

2 b. Qui de caelis coronatur
Et aeterna sublimatur
Angelorum gloria.

3 a. Hinc exsultat, hinc laetatur,
Hinc in orbe praedicatur
Felix Cantuaria;

3 b. Felix, inquam et beata,
Cui servanda sunt donata
Patris sanctuaria.

4 a. Pater bonus, pastor verus,
Bonis pius, sed severus
In actores scelerum,

4 b. Scelerati passus iram
Passionem subit diram
Novus heres martyrum.

5 a. Thomas martyr, Thomas praesul,
In hac terra factus exsul
A terrena patria,

5 b. Sic terrena liquit ibi,
Ut caelestis regni sibi
Mercaretur atria.

6 a. Exsulavit pastor bonus,
Egens quidem, sed non onus
Sensit indigentiae,

6 b. Quem introrsus dulcorabat
Et abunde satiabat
Fructus conscientiae.

7 a. Tandem sedi restitutus
Et felices assecutus
Exitus exisilii

7 b. Vita vixit eremitae
Sic, ut rigor eius vitae
Palma sit martyrii.

8 a. Ieiunabat, ut ieiunus
Puritatis in se munus
Sine labe regeret,

8 b. Vigilabat, ut orando
Ius divinum a nefando
Principe protegeret.

9 a. Rationi mens parebat,
Menti caro serviebat
Stricta sub cilicio.

9 b. Hoc se martyr instruebat,
Hoc et suum praecurrebat
Exitum supplicio.

10 a. Ad extremum mente bona
Ictum tulit in corona
Gloriosi verticis.

10 b. Corpus terrae commendatur,
Spiritus in caelo datur
Manibus angelicis.

11 a. Consummatus est in brevi,
Ne labentis fluxus aevi
Mentis robur solveret,

11 b. Ne cum massa perditorum
Novum civem angelorum
Satanas involveret.

12 a. Iam virtutibus et signis
Clarus factus et insignis
Claram reddit Angliam;

12 b. Claram reddidit ibidem
Alexandri papae fidem
Et papatus gloriam.

13 a. Mens est clarus, clara cinis,
Clari cursus clara finis,
Clara fecit omnia;

13 b. Nos in regnum claritatis
Expiatos a peccatis
Levet ad caelestia.

Cod. Taurinen. E V 20. saec. 12/13. (fol. 150.) add. saec. 13. in. — 3b, 2 servanda zum Teil ausradiert. — 9b, 2 percurrebat. — 10b, 3 In manibus.

315. De s. Thoma Cantuariensi.

1 a. Laudis odas consonemus,
Christo nato iubilemus,
Concrepantes dignam demus
Salvatori gloriam,

1 b. Per quem Thomas triumphavit,
Dum per mortem superavit
Hostes suos atque stravit
Et tulit victoriam.

2 a. Hic ab aevo infantili
Mente pia et virili
Deo vixit et hostili
Restitit nequitiae.

2 b. Dum terreno famulatur
Regi, Deo copulatur
Et mente consociatur
Caelesti familiae.

3 a. Praesul Deo consecratus,
Mox pro eo relegatus
Est cum suis effugatus
A finibus Angliae.

3 b. Curam agens Dei gregis
Non veretur minas regis,
Sed tuetur iura legis
Et causam ecclesiae.

4 a. Hinc ad sua revocatus,
Primas factus et legatus,
Sedem sui praesulatus
Consecravit sanguine.

4 b. Cuius fama propalata,
Multis nota, multis rata,
Quae signis est commendata
Et virtutum opere.

5 a. Cuius prece mors fugatur,
Surdus audit, mutus fatur,
Lepra sordens emundatur,
Pelluntur daemonia.

5 b. Caecus videt, hydrops cedit,
Febris fugat, sensus redit,
Imber pendet nec accedit
Ad votiva opera.

6 a. Salus cunctis ministratur,
Multis quoque duplicatur,
Corpus valet, mens sanatur
Thomae per suffragia.

6 b. Pater pie, pastor vere,
Tui gregis curam gere,
Ut possimus congaudere
In superna patria.

Miss. ms. Casinense saec. 14. ex. Cod. Casinen. 128. — 4 b, 2 data.

316. De s. Thoma Cantuariensi.

1 a. Dignas Deo laudes prome,
Laeta cohors, in hac Thomae
Praesulis victoria;

1 b. Dum iniuste datur morti,
Christus hunc sanctorum sorti
Coaequat in gloria.

2 a. Hic fortis athleta Dei
Minas sprevit regis rei
Christi cum auxilio,

2 b. Personarum probris quassus,
Damna rerum gaudet passus
Actus in exsilio.

3 a. Non fractus iniuria
Nec lassus penuria,
Cedens nequam homini,

3 b. Murum contra iacula
Ponit propugnacula
Se pro domo Domini.

4 a. Demum datur morti dirae,
Ne plus possit fraus saevire,
Certus serti praemio;

4 b. Vincit hostis, ut vincatur,
Caesus victor laniatur,
Natus matris gremio.

5 a. Malignorum fraude pressa
Iam conqueri, Sion, cessa,
Libertate reddita.

5 b. Ad alta caelorum fertur
Martyr, aucta mna refertur,
Olim servo credita.

6 a. No[vis ful]get Thomas miris,
Consummatus poenis diris
Lassatus iniuria.

6 b. Hunc nos sequi, Deus, dona,
Bina beans cum corona
In caelesti curia.

Sequent. ms. Aquilegiense saec. 14/15. Cod. Semin. Goritien. J.

317. De sancta Ursula.

1 a. Ad agonem triumphalem,
Christi mortis imitalem
Sed et patientiae,

1 b. Mens assurgat torpidorum
Contemplari, supernorum
Quae sint opulentiae.

2 a. Quas supernis dum ex signis
Ursula libat, insignis
Mauri regis filia,

2 b. Domus Dei tacta zelo
Pronubarum gignit caelo
Plus quam decem milia.

3 a. Sponso virgo foederatur,
Virgo sponsum exhortatur
Ad caeli convivia.

3 b. Sponsus sponsae verbis cedit,
Rex et regnum Christo credit,
Casta sunt conubia.

4 a. Quae est ista speciosa,
Cuius nutu stat Pinnosa
Cum undenis milibus?

4 b. Haec sunt castra veri Dei,
Hi victores Macchabaei
Turmis stratis hostilibus.

5 a. Hinc gaude, Germania,
Laudes da, Colonia,
Victimae paschali,

5 b. Cum invicta in invicto
Nescit thorum in delicto
More virginali.

6 a. Sion sancta, iucundare,
In te clamat sub altare
Sanguis fusus virginum

6 b. Non vindictam sed tutelam,
Neque poenam sed medelam,
Sordes lavans criminum.

7 a. Iesu bone, nos emunda
Et a morte nos secunda
Liberans in gaudio

7 b. Collocare nos dignare,
Ut possimus te laudare
Cum perenni bravio.

Grad. ms. Vallis S. Katharinae Divodurensis saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 120) add. saec. 14. — 5 b, 1 Tu invicta. — 7 a, 1 bono. — Melodie: In caelesti hierarchia, mit Kürzung der Strophenzahl.

318. De sancta Ursula.

1 a. Virginum victorias
Iucunde canamus
Et pro ipsis gratias
Christo referamus.

1 b. Aeternas delicias,
Ubi sunt, quaeramus
Ac mundi blanditias
Prorsus contemnamus.

2 a. Undecim sunt milia
Virgines beatae
Passae in Colonia,
In caelis locatae;

2 b. Rosae sunt et lilia
Apte figuratae,
Albent pudicitia,
Rubent decollatae.

3 a. Harum est dux optima,
Sponsa salvatoris,
Ursula clarissima,
Regina decoris.

3 b. Gemma splendidissima
Senatus honoris,
Stella lucidissima
Divini splendoris.

4 a. Ursula sanctissima
Virgines hortatur,
Ut fide firmissima
Poena contemnatur.

4 b. Regna beatissima
Gaudens praestolatur,
Morte felicissima
Cum his trucidatur.

5 a. Harum per suffragia
Christo consolemur,
Ut calcantes vitia
Virtute ditemur

5 b. Et aeterna gaudia
Tandem praestolemur,
In caelesti gloria
Cum ipsis laetemur.

Grad. ms. S. Agnetis. Bonon. saec. 14. in. Cod. Mus. Bonon. 12. A. — Grad. ms. Dominicanum saec. 15. Cod. Mutinen. XI H 3. B. — 3b, 2 cenatus A. — 4b, 1 Regina A.

319. De sancto Verano.

1 a. Gaude, praesul ter beate,
A primaeva qui aetate
Totus Deo deditus

1 b. Candida virginitate
Insignique pietate
Es ornatus caelitus.

2 a. Gaude, ver plenum decore,
Miro redolens odore,
Germinans ut lilium,

2 b. Florens quasi vernans rosa
Violaque generosa
Hortorum caelestium.

3 a. Gaude, fidei zelator,
Veritatis propagator,
Sanctitatis regula,

3 b. Verbo docens et exemplo,
Effulgens in Dei templo
Velut ardens facula.

4 a. Gaude, qui vincens per crucem
Fugansque draconem trucem
Populum laetificas,

4 b. Signorum namque splendore,
Virtutum clarus fulgore,
Semper ut sol emicas.

5 a. Gaude, pastorali cura
Praestans et via secura
Plebem ducens creditam

5 b. Ad domum aeternitatas
Veraeque felicitatis
Per virtutum semitam.

6 a. Gaude, qui beata sorte
Vitam pretiosa morte
Claudis cum victoria;

6 b. Caelos petis laureatus
Et a Christo es vocatus
Ad caelorum praemia.

7 a. Gaude, qui iam coronatus
In caelis hic operatus
Tamen es magnalia,

7 b. Sicco parans pede viam,
Quando ducis plebem piam
Amnium per invia.

8 a. Pater flagrans caritate,
Sublimis humilitate,
Virtutum sacrarium,

8 b. Sacra benedictione
Dona et protectione
Hoc tuum coenobium.

9 a. Urbem hanc Avenionem
Tuamque Cabilionem
Serva potentissime,

9 b. Donans copiam bonorum,
Sed praesertim supernorum,
Patrone sanctissime.

Cod. Avenionen: Collect. ms. Massilian Nr. 19. — „Prose en l'honneur de S. Veran, composée par Jeanne Morelle, réligieuse de S. Praxède, qui se chante dans ce couvent.“ Jeanne Morelle, aus Barcelona gebürtig, war eine ihrer Gelehrsamkeit halber berühmte Dominikanerin in der ersten Hälfte des 16. Jahrhunderts.

320. De sancto Vincentio.

1. Vincenti,
verbo Dei vincis
vires serpentis,

2 a. Qui statum
numinis divini

2 b. Incestis
actibus impingit.

3 a. Cum te satellites
eius affecissent
tormentis iniqui,

3 b. Suadentes tibimet
verbis toxicatis
specie sub mellis,

4 a. Quatenus diis
gentium litare
spurcissimus
profitereris

4 b. Maximi regis
cunctorum contemptor
mandatorum
ac exstitisses,

5 a. At contra dimicans
auctorem
lucis patrem
eiusque natum,

5 b. Qui solus ac verus
est Deus,
instantius
tu es confessus.

6 a. Ob hoc carceres,
ungulae, testa,
lectus ferreus
artarunt te gaudentem.

6 b. In his positus
obteris fessas
manus lictorum
minasque tyrannorum.

7 a. Hic te sumptum
saeculi tenebris
reddit Christo
dies sollennis.

7 b. Huc collectis,
petimus, populis
facias hunc
esse placatum,

8. Victor constans,
Vincenti.

Martyrolog. ms. Laureshamense saec. $^{9}/_{10}$. Cod. Vatican. Palat. 833. add. saec. 10. A. — Miss. ms. Maguntinum anni 1444. Cod. Maguntin. 136. B. — 4 a, 4 profiteris B. — 4 b, 4 exstinxisses B. — 6 b, 2 obteras A. — 6 b, 4 tormentorum B. — 7 a, 1 Sic te B. — Melodie: Romana. Vgl. Kehrein Nr. 739.

321. De sancto Vincentio.

1. Pro nobis ora,

2 a. Domini insignis
levita, Vincenti,

2 b. Martyrque probatus
virtute caelica.

3 a. Qui divino igne
succensus
vincis tormenta,

3 b. Amore spiritus
possidens
arma fortia.

4 a. Tua prece
assidua

4 b. Nostra dele
facinora.

5 a. Et tecum socia

5 b. In arce supera

6. Nos, martyr probeque
levita.

Miss. ms. S. Arnulphi Meten. saec. 14. Cod. Meten. 42. A. — Miss. ms. S. Arnulphi Meten. anni 1321. Cod. Meten. 133. B. — Miss. Tullense imp. Tullii 1551. C. — Mel.: Inviolata.

322. De sancto Vincentio.

1 a. Deponentes omne maestum
Celebremus diem festum
Beati Vincentii,

1 b. Miles regis sempiterni
Nobis exstat hodierni
Causa recens gaudii.

2 a. Hac in die de profano,
De crudeli Daciano
Adeptus victoriam,

2 b. Dum deponit carnis molem,
Ad videndum verum solem
Intrat caeli curiam.

3 a. Caelum intrans angelorum
Laetiorem reddit chorum
Odoris fraglantia,

3 b. Ad odoris novitatem
Virtutumque venustatem
Tota stupet curia.

4 a. Bona calcans huius vitae
Gloriosi mens levitae
Futura praesentibus

4 b. Antetulit nec tormentis
Cessit hostis saevientis
Multis et atrocibus.

5 a. Namque fame maceratur,
Ferro, flagris laceratur,
Est adustus faculis,

5 b. Est a gente bestiali
Loco clausus carcerali
Superiectus testulis.

6 a. Ubi descendentibus
Supernis spiritibus
Lux ingens apparuit,

6 b. Quae locum illuminans
Et noctem eliminans
Custodes perterruit.

7 a. Testarum asperitas
Fit florum suavitas,
Vernat carcer floribus,

7 b. Non carcer, sed camera
Dulcis, odorifera,
Digna caeli civibus.

8 a. Ad tyrannum properant,
Narrant, quidquid viderant,
Ministri nequitiae:

8 b. Lucis magnitudinem,
Florum pulchritudinem,
Senatores curiae.

9 a. Audit, dolet, indignatur,
Frendet, furit, cruciatur
Cruciator impius,

9 b. Statim iubet illum tolli
Et reponi lecto molli
Malum parans gravius.

10 a. Sed frustratur; nam subiecto
Linquens martyr corpus lecto
Caelo reddit spiritum.

10 b. Saxo corpus adligatur
Et in mare praeceps datur
Per manus satellitum.

11 a. Sed quos vivens superavit,
De his quoque triumphavit
Spoliatus corpore;

11 b. Nam de mari descendentes
Invenerunt hunc clientes
Iacentem in litore.

12 a. Sepultura denegatur,
Corvus ad hoc praeparatur,
Ut vas servet corporis.

12 b. Tandem illud sub arena,
Velit, nolit mens obscaena,
Undae tegunt aequoris.

13 a. Da, Vincenti, te canenti
Nostro gregi, summo regi
Ne quando displiceat;

13 b. Tua prece nos a faece
Mundi serves et enerves
Hostem, ne praevaleat.

Collect. ms. Cistercii saec. 12/13. Cod. Londinen. Add. 15722. — Mit Melodie; Aufschrift: Prosa de sancto Vincentio martyre.

323. De sancto Vitale.

1. Annua praesentis recolamus gaudia festi

2 a. Et victo roseum pangamus hoste triumphum
Vitalis summi, martyris egregii,

2 b. Tegmine militiae qui plures abstulit orco,
Namque latens animos misit et ad superos.

3 a. Claruit alma fides arcano tecta decore,
Cumque vacillantem cerneret Ursicinum,

3 b. Humani generis Behemoth non pertulit hostem
More vorare suo posse Dei famulum.

4 a. Nomine pro Christi iudex insanus et amens
Istius ergo caput ense ferire iubet.

4 b. Tu quoque, martyr alumne, scrobe dimersus in atra
Nunc super astra cluis perpete luce fluens.

5 a. Ille miser taetri tenebris cruciatur Averni,
Tu laetaris ovans cum legione poli.

5 b. Quaesumus, ut veniam crebra rogites prece noxae,
Arbiter aeternus nos tibi consociet

6. Inter et electos adnuat esse suos.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen. O I N 7. A. — Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Patavini A 47. B. — 2 a, 2 Vitalis cunctis martyris A. — 2 b, 2 Iamque B. — 4 b, 1 scroben dimersus in atram A. — 4 b, 2 fruens B. — 5 b, 1 preces B, nosse A.

324. De ss. Vitale et Agricola.

1. Martyrum nobis
festum rutilat
valde egregium,

2 a. Vitalis nec
non Agricolaeque

2 b. Felicium,
servi dominique,

3 a. Quos aula
caelestis
possidet; strenue

3 b. Idcirco
sedula
polum pulsemus voce,

4 a. Quo nobis
conditor
[conditorum], quae
subsistunt, cunctorum

4 b. Eorum
precibus
nostrorum noxas
dissolvat penitus;

5 a. Quia moles
delictorum
graves iugiter
premunt nos scelere.

5 b. Ea propter
organicis
modulis preces
depromanus ei:

6 a. O Dei
trina
maiestas,
unitas
deitatis praecluis,

6 b. Dilue,
(et abs)terge,
quaesumus,
tuorum
populorum funditus

7. Crebrum scelus.

Grad ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. ^{10}/$_{11}$. Cod. Angelic. B III 18. — 4 a, 1 Qui nobis. — 4 b, 3 noxa. — 5 a, 4 scelera. — 5 b, 1 Quapropter.

325. De sancta Walburga.

1. Gratulemur nos in Deo,
Qui sublimat in tropaeo
Sic pusillum, quod in eo
Princeps mundi vincitur.

2 a. Princeps, inquam, serpens ille,
Qui nos gyrat dolis mille,
Cuius faces et scintillae
Sunt ad praecipitium.

2 b. Hunc Walburga, virgo casta,
Sub virtutis vicit hasta,
Stans erecta quasi vasta
Turris contra vitium.

3 a. Contra luxum solidatur,
Sed hoc solo non armatur
Sic, ut hostis devincatur,
Si desit prudentia.

3 b. Sed prudentem comprobavit
Lampas ardens, quam paravit,
Cuius splendor cornscavit
In sponsi praesentia.

4 a. Non deprendet eius mentem
Somno culpae dormientem
Sponsus vocans, sed psallentem
Laudat in vigiliis.

4 b. Per virtutes haec instructa
Nefas vicit forti lucta,
Ergo gaudet introducta
In caeli cellariis.

5 a. Christus ei munimentum,
Quod affirmat argumentum,
Cuius datur firmamentum
Locus a virtutibus.

5 b. Nam fit exsul pro salute,
Credens sibi magis tute
Procedendo cum virtute
Procul a parentibus.

6 a. Haec ad vitam regularem
Chorum vocat puellarem,
Quem informat salutarem
Per doctrinae monitum.

6 b. Lux de caelis ei datur
Et puellae revelatur,
Cuius esse credebatur
Morbus ad interitum.

7 a. Post transcursum quoque mortis
Plures sanat aegrae sortis:
Fit caducus per hanc fortis,
Et contractus graditur.

7 b. Turpem prodit occisorem
Facti turpis ob horrorem,
Dum assuetum praeter morem
Sensus vivo nectitur.

Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Scheint unvollständig zu sein.

326. De sancta Waldetrude.

1 a. Laudet Dominum de caelis
In hoc festo plebs fidelis.
Absolventem a querelis
Praesentis miseriae,

1 b. Waldetrudem, generosam
Regum stirpe, sed ut rosam
Tunc vernantem gloriosam
In poli temperie.

2 a. Hostem subdendo domavit
Carnem atque vivens cavit,
Quae perplures altos stravit,
Saeculi ambiginem.

2 b. Insignis eius maritus
Per hanc legem Dei tritus,
Militares linquens ritus
Profitetur ordinem.

3 a. Velo sumpto fit cellita
Miris clarens in hac vita,
Quam tandem solatur ita
Divina clementia,

3 b. Quod amborum ad solamen
Aldegundis sociamen
Datur ipsi, parcum tamen
Ante mortis tempora.

4 a. Et sic geminae sorores,
Auro fulvo puriores,
Consororum ornant mores
Vividis virtutibus.

4 b. Eia, mater, te precamur,
Obtine, quod eruamur
Nostris malis, ne tradamur
Infernorum ducibus.

Miss. ms. Mosaetraiectinum saec. 15. Cod. Hagen. J 10. — Mel. vielleicht Verbum bonum mit Repetition einer Klausel.

327. De sancto Willibrordo.

1 a. Frequentemus hodie
Cantica laetitiae,
Dies festus agitur,

1 b. Dies valde celebris,
Qua mundi de tenebris
Vir sanctus eripitur.

2 a. Felix commutatio
Ad viam de invio,
De cursu ad bravium,

2 b. De via ad patriam,
De morte ad gloriam
Et caeleste gaudium!

3 a. Luna matris labiis
Illabens in somniis
Signat hunc puerulum,

3 b. Quod a caelo datur ei
Clara luce verbi Dei
Illustrare saeculum.

4 a. Hic in annis teneris
Informatur literis
Et talentum creditum

4 b. Post dispensat populis,
Coruscat miraculis
Viri sancti meritum.

5 a. Respondit ancipiti
De futuris principi,
Habetur propheticus,

5 b. Agnoscit per spiritum
Venientis meritum
Sacer apostolicus.

6 a. Qui manum imponens ei
Remittit ad opus Dei
Traiectensi populo;

6 b. Sacrae rei pium omen:
Willibrordi mutat nomen
Clementis vocabulo.

7 a. Hoc vir sanctus animatus
Nostri maris lustrat latus.
Spargit vitae semina,

7 b. Laxat rete verbi Dei.
In capturam credunt ei
Populorum agmina.

8 a. Congregantur in sagena
Mente tota, fide plena
Traiectum, Walacria.

8 b. Non est tamen ruptum rete
Nec sagena scissa, quae te
His coniungit, Fresia.

9 a. Refulgens eximia
Virtutum potentia
Reddit impotentibus

9 b. Membrorum potentiam,
Sanae mentis gratiam
Dat insanis sensibus.

10 a. Mucro viri perditi
Dignam sancto capiti
Dedit reverentiam;

10 b. Nam dum ictum intulit,
Omnem Deus sustulit
Dolorum iniuriam.

11 a. Dum pro sitientibus
Flet et orat fratribus,
Terra flenti condolet,

11 b. Et in fontis lacrimas
Solvuntur uberrimas,
Sitim fratrum abolet.

12 a. Sancte pater Willibrorde,
Nos a mundi munda sorde,
Aufer offendicula,

12 b. Inter hostes via tuta
Nos deducas resoluta
Peccatorum nebula.

Grad. ms. Boscoducense saec. 15. Cod. Arch. S. Iohannis Boscoducen. s. n. — 3 a, 3 Signant.

328. De sancto Zenone.

1 a. Sidus fulget in Verona,
Laude dignum et corona,
Missum de Armenia;

1 b. Sidus istud nocte claret,
In quo fulget et apparet
Dei providentia.

2 a. Zeno servat stellae formam,
Verae lucis sequens normam
Conculcando vitia.

2 b. Vere missus est a Deo,
Quod colligitur ex eo,
Dum a pueritia

3 a. Crescit iuventutis flore
Unguentorum in odore
Currens cum laetitia.

3 b. Odor iste sic excrevit
Et crescendo sic replevit
Loca mundi varia,

4 a. Quod ad cultum Christi gentes
Traxit idola colentes,
Ductas per inania.

4 b. Sic obtentu sanctitatis
Est creatus civitatis
Praesul in ecclesia.

5 a. Pauper praesul et patronus
Piscatoris sumit onus
Contemnendo grandia,

5 b. Pisces hamo, viros ore
Piscatoris capit more
Bina per officia.

6 a. Cursu traxit in errorem
Boves, currum et ductorem
Daemonis versutia,

6 b. Quos et motum irae trucis
Facit stare signo crucis
Piscatoris gratia.

7 a. Mutat daemon loca tristis
Tam in illis quam in istis
Sua figens iacula.

7 b. Regis Gratiani natam
Isto daemone vexatam
Curant huius merita.

8 a. Atex tandem intumescit,
Timor famis invalescit
Per tanta diluvia ;

8 b. Muri stetit ad exemplum,
Nec intravit aqua templum
Sancti per oracula.

9 a. Cuius ope surdi, muti,
Claudi, caeci restituti
Praedicant miracula.

9 b. Ergo, pastor civitatis,
Cuius est in Syrti ratis
Et multa miseria,

10 a. Illam cures tua prece,
Nos ab omni lava facce
Per tua precamina,

10 b. Ut a malis expiati
Praesentemur trinitati
Cum sanctis in gloria.

Grad. ms. Civitatense saec. 14. in. Cod. Civitaten. LVIII. — 3a, 1 florem. — Melodie: Lauda Sion.

IV.

COMMUNE SANCTORUM.

329. De sanctis Apostolis.

In Commemoratione s. Pauli.

1 a. Coetus apostolici
Festa recolentes
Deo trino simplici
Canamus gaudentes,

1 b. Cuius mirabiliter
Flamine repletus
Ipse multipliciter
Nos illustrat coetus.

2 a. Petri, Pauli sanguine
Roma consecratur,
Quibus Christi nomine
Principatus datur;

2 b. Hi coram te, Domine,
Lumina sunt duo,
Quae suo nos lumine
Regunt, immo tuo.

3 a. Ceteri participes
In apostolatu
Hos agnoscunt principes
In tanto primatu.

3 b. In tuis eloquiis
Hi omnes imbuti
Suis te martyriis
Sunt, Christe, secuti.

4 a. Ad quorum eloquia
Fonte sacro loti
Inter laudis munia
Poscimus devoti,

4 b. Ut sic evangelii
Verbum exsequamur,
Quod aeterni praemii
Dona consequamur.

Miss. ms. Hispalense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 15. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 17. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. D. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin Hispalen. Vitrin. 12. E. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. F. — 1 b, 3 Ipso BCD. — 2 a, 3 in Christi F. — Str. 3 b sqq. fehlen CDEF. — Mangels der Melodie bleibt es zweifelhaft, ob nicht die Halbstrophen selbst in Strophe und Gegenstrophe von je 2 Versen zu zerlegen sind.

330. De sanctis Evangelistis.

1 a. Ad laudes animalium,
Deum collaudantium
In superna patria,

1 b. Ecclesiae devotio
Attollit praeconio
Sanctorum magnalia.

2 a. Resonant in aethere
Dulci modulamine
Trinitatis gloriam,

2 b. Patris atque filii
Et spiritus paracliti
Maiestatem unicam.

3 a. Carent ergo requie
Nocte semper ac die
Ante thronum dicentia:

3 b. Sanctus, sanctus, sanctus Deus
Qui est trinus, indivisus,
Sanctorum magna gloria.

4 a. Quattuor sunt proceres,
Matthaeus, Marcus et Lucas,
Iohannes supereminens.

4 b. Quattuor hos facies
Sequuntur volubiles,
Rotae visu horribiles.

5 a. Tamquam aeris dant scintillas,
Inter gentes ut per illas
Ignis divinus ardeat,

5 b. Mundo fides intimetur,
Homo lapsus reportetur
Illuc, unde corruerat.

6 a. Iunctas pennas et extentas
Dei magna voce facta
Festinant submittere,

6 b. Creatorem mox adorant
Illi dantes, quod laborant
In virtutum opere.

7 a. Quattuor throni sunt columnae,
Volutantes ut columbae
Ad divina semina,

7 b. Quattuor orbis cum per plagas
Tendunt arcus et sagittas
Sua per evangelia.

8 a. Ergo sanctis his rogatur,
Quorum scriptis informatur
Haec Christi familia,

8 b. Ut cum eis in supernis
Ante Dei thronum ei
Decantet Alleluia.

Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 4 b, 1 hiis facies. — 4 b, 2 Sequuntur hos.

331. De sanctis Evangelistis.

1 a. Evangelistas gaudio
Summo colat ecclesia,
De quorum sacro labio
Sacra sumpsit eloquia.

1 b. Hi sunt, qui testimonia
Dant redemptoris actibus
Forma signantes varia
Datam fidem fidelibus.

2 a. Matthaeo vultus hominis
Datus, ut probat visio,
Signat beatae virginis
Natum sine contagio.

2 b. Lucas in forma cernitur
Bovis, qui fuit victima,
Christus pro nobis moritur
Oblatio sanctissima.

3 a. Marcus leoni similis
Forma fulget egregia,
Christus leo terribilis
Surrexit die tertia.

3 b. In forma visus aquilae
Iohannes glosat cetera,
Dum post certamen nobile
Christus ascendit aethera.

4 a. Hi sunt illi perpetui
De Paradisi medio
Fusi rivi melliflui
Rigantes evangelio.

4 b. Sic nobis aquas dulciter
Sacri dulcoris influant,
Ut nos frui perenniter
Iesu praedulci tribuant.

Miss. ms. Hispalense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univ. Iannen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 15. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin., 12. D. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. E. — 3 a, 2 egredia E. — Str. 4 fehlt E. Die Überschrift lautet in E: „Lucae evangelistae."

332. De sanctis Patriarchis.

1. Laetetur ecclesia

2 a. Recolens sollemnia
Patriarcharum dia,

2 b. Concinatque [gaudia]
Simul caeli curia.

3 a. Hi mundi prioris
Olim stellae caligantis

3 b. Dabant spem maioris
Solis vere coruscantis.

4 a. Abraham prolis parens
Stellis comparatae

4 b. Spondetur, exsul parens
Fidei probatae.

5 a. Hic, super struem Isaac dum
immolat victimam,
in Christo praesignat

5 b. Infiliationem, Deus
qua pater genitum
populum adoptat.

6 a. Iacob luctans cum fratre
in matris visceribus

6 b. Proelia electorum
signat atque malorum.

7 a. De scala prolis suae
quadrifaria
collectura praesignat
crucis mysteria,

7 b. Quod oriens, occidens,
auster, aquilo,
dum praedicantur, partes
dent Dei populo.

8 a. Haec est ecclesiae

8 b. Causa laetitiae,

9. Ut Deus nos cum his patribus
emendatos moribus
locet in caelestibus.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 6 b, 2 et malorum. — 7 b, 3 sq. dent partes.

333. De sanctis Reliquiis.

1. Laus honor sit

2 a. Eloi cunctipotenti
in sanctorum gloria.

2 b. Nos vocibusque tonantem
laudemus in suprema.

3 a. Gratam pietatem
tribuat
sanctificando corda et
nostra corpora.

3 b. Illi decus, virtus,
cui iam
nunc intonant praeconia
regi inclita.

4 a. Supernus adoret almus
chorus cunctusque
populus, alta,
profunda, montes, flumina,

4 b. Caelum et sidera semper
Christum Dominum,
laudantia per
saecula omnia.

5 a. Atque dulcisona
vox virtutum sonora
nostra concordet
odas canendo debitas.

5 b. Cunctaque concrepent
et laetentur plene
hac die sacra
Elon laudando condita.

6 a. Gaudendo
iubilent
omnes, sollemnia
celebrantes nunc
sanctorum,
referentes praeconia
voce dulciflua.

6 b. Gloria
sit illi
in aethera, cuius
clara rutilant
dona, quis
aeternae vitae consequamur
magna praemia.

7 a. Ubi flagrat lux
perennis
in paradisi gaudia,

7 b. Angelorumque
caterva
ibi gaudet per saecula.

8 a. Dulci personat
symphonia,
melos concinit
psallendo harmonica,

8 b. In qua decenter
post funera
[o] quam beata
sanctorum sunt agmina

9 a. Patriarcharum,
apostolorum,
virginumque clara,

9 b. Prophetarum[que]
confessorum et
martyrum inclita!

10 a. Nova canentia
cantica
caeli supra
sancta palatia
(*splendida in*)
civitate almiflua,

10 b. In qua sanctorum sunt
agmina
trinitatem
sanctam cernentia
~~~~~~~~
in gloria sempiterna.

11 a. Poscimus
ergo nos cum ipsis
paradisi
frui amoenia

11 b. Te Deum
cernentes supremum
ex virgine
natum veneranda.

12. Tibi sit per aevum
decus et potestas.

Trop. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Parisin. 10508. A. — Grad. ms. S. Albani saec. 12. Cod. Londinen. Reg. 2 B IV. B. — Pros. ms. Glastoniense saec. 12. ex. Cod. Londinen. Calig. A XIV. C. — Miss. ms. Beccense saec. 13. Cod. Parisin. 1105. D — Grad. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisin. 904. E. — Miss. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Parisin. 863 F. — Grad. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Parisin. 905. G.

1, 1 Laus honor sit, Allelnia F. — 2a, 1 Heloi DAE; emeti potenti FG. — 2b, 1 que fehlt E. — 3a, 4 corpora nostra G. — 3b, 2 sq. iam intonant nunc G; intonat C. — 3b, 4 voce inclita D. — 4a, 1 adorat CDF. — 4a, 4 fontes flumina F; dieser Vers hat zwei Silben mehr als der entsprechende in 4b: bei der Wiederholung der Mel. bleiben zwei Noten (e d) aus. — 5a, 3 nostra fehlt C. — 5b, 2 eine Silbe weniger als 5a, 2. — 5b, 4 Helon ABCD. — Die Unregelmäfsigkeiten in den Strophen 4 und 5 sind zu beseitigen durch die Annahme, dafs nicht 4a und 4b, 5a und 5b gleichen Melodien folgten, sondern 4a und 5a, 4b und 5b; wir hätten dann:
~~~~~~~~

4a. Supernus adoret
almus chorus
cunctusque
populus, alta,
profunda, montes, flumina,

Caelum et sidera
semper Christum
Dominum, laudantia
per saecula omnia.

4b. Atque dulcisona
vox virtutum
sonora
nostra concordet
odas canendo debitas,

Cunctaque concrepent
et laetentur
plene hac die sacra
Elon laudando condita.

6a, 1 Laudando F. — 6a, 2 iubilant FG. — 6b, 3 aethra EF. — 7b, 3 ubi BC. — 8a, 1 personet C. — 8b, 4 sunt sanctorum G. — 10a, 5 überzählig. — 10b, 4 canentia G. — 10b, 6 aeterna alle Hss. — 11a, 2 cum illis C. — 11a, 4 ad moenia G. — Nach 12, 2 Amen et gloria (statt des einfachen Amen) FG.

334. De sanctis Martyribus.

1a. Triumphalis donum vitae
Per certamen insignitae
Memorantes iugiter

1b. Exsolvamus laudes Deo,
Non in corde pharisaeo,
Immo unanimiter.

2a. Saxis, ferro, aqua, igni
Exponuntur, quibus digni
Non sunt mundi limites.

2b. Diversis afflicti poenis
Sunt cum Christo ex egenis
Iam effecti divites.

3a. Quorum vitam aemulantes
Et mundanis reluctantes
Vitiorum nexibus

3b. Sic adversa toleremus,
Ut gaudentes habitemus
Cum supernis civibus.

Miss. ms. Hispalense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univ. Ianuen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. 83, 15. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 17. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin., 12. D. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. E. — 2a, 1 ferro atque A. — Die Sequenz wurde verwendet „De uno martyre."

335. De sanctis Martyribus.

1a. Ex agone sanguinis
Arcem scandit culminis
Sempiterni luminis
Martyrum exercitus.

1b. Scuto tutus fidei
Cruciatus ferrei
Evadit eculei
Martyrum exercitus.

2a. Fervens spernit oleum,
Globum transit igneum
Crucis tenens clypeum
Martyrum exercitus.

2b. Vilipendens terrea,
Mortis ferens aspera
Victor scandit aethera
Martyrum exercitus.

3a. Suffultus constantia
Emolliri nescia
Exercet magnalia
Martyrum exercitus.

3b. Tormentorum omnia
Superans exitia
Caeli tenet gaudia
Martyrum exercitus.

4a. Igitur collegium
Collocet fidelium
Ante Dei solium
Martyrum exercitus.

4b. Et nos aeternaliter
Gaudeamus pariter.
Ubi gaudet iugiter
Martyrum exercitus.

Miss. ms. Hispalense saec. 14/15. Cod. Univ. Iannen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 15. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 17. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 85, 18. D. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod Columbin. Hispalen. Vitrin., 12. E. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. F. — 2b, 1 aethera A. — 3a, 1 Suffulta A. — 3a, 2 Emoliri F. — Str. 4a sq. fehlen BCDEF. — Das gleiche Schema zeigt die Sequenz „Virgo splendor aetheris“ (Nr. 52).

336. De sanctis Martyribus.

1a. Sanctos Christi pugiles,
Martyres laudabiles,
Plebs laudet fidelium
Horum fans martyrium.

1b. Stephanus lapidatur,
Placidus decollatur,
Poenarum incendium
Dat nunc ipsis gaudium.

2a. Levitae Laurentius
Sancti et Vincentius
Assantur in ignibus
Spretis mundi opibus.

2b. Vinculatur Iohannes
Doctrinae praebens amnes.
Cuius caput levibus
Dire ruit saltibus.

3a. Thomas Canturiensis
Ictu spiravit ensis,
Sebastianus fuste
Occiditur iniuste,

3b. Monachus Bertarius
Martyrium dirius,
Homo mentis onustae
Donis, tulit robuste.

4a. Chrysantus et Daria
Passi sunt martyria,
Vivi sepeliuntur,
Sic martyres dicuntur.

4b. Pollinaris caeditur
Et ad montem ducitur.
Dies sic finiuntur
Et superna petuntur.

5a. O martyres beati,
Ut sitis advocati
In conspectu iudicis
Pro viris monasticis,

5b. Petimus suppliciter,
Ut fruamur dulciter
Praemiis magnificis
Cum civibus caelicis.

Miss. ms. Casinense saec. 14. ex. Cod. Casinen. 128. A. — Miss. ms. Casinense saec. 11/12. Cod. Vatican. 6082. add. saec. 15. B. — 3a, 1 Carturiensis B. — 5b, 2 finiamur.

337. De uno Martyre.

1. Narremus in laudem Domini
militis pugnam,

2a. Crucifer cruciferum
qui dum sequitur Christum,

2b. Ut est eius in morte
sic socius et vitae.

3 a. Inter diversas
poenas trucidatus,
sed non superatus,

3 b. Martyr certabat
Christum confitendo,
tortor cruciando.

4 a. Sed nescit impius,
quod testis Domini
cupit solvi, Christo iungi;

4 b. Nam gaudet conteri
contrariam sibi
carnem, pigram iussis Dei,

5 a. In qua sunt inimici
hominis domestici eius
odio digni,

5 b. Cum quibus non habebat
hic pacem, sed illos occidit
gladio Christi.

6 a. Qui carnis victimam
mactans per abstinentiam,
conversatione
quam prius obtulit,
post in passione,

6 b. Quam reddes militi,
fidelis Christe, fideli
membris et capillis
iam non corrumpendis
numero redditis.

7. In cuius triumpho
laus sit tibi, Domino,
pro te certantis fortitudo.

Fragmentum Missalis ms. incertae originis saec. 12. add. saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Selestadien. 136 (1181).

338. De uno Doctore.

1 a. Laudum sonos exaltemus,
Chordam cordis concordemus
Dulci vocis modulo,

1 b. Ad psallendum creatori
Sit intenta cura chori
Ore, corde sedulo.

2 a. Repraesentat praesens dies
Diem, in qua vera quies,
Vera retributio

2 b. Est doctori post laborem
Data, cuius ad honorem
Psallat ista contio.

3 a. Magne doctor Augustine,
Amator legis divinae,
Lux fulgens ecclesiae,

3 b. Fugas hostes, quos et feris,
Mittens tela, per quae teris
Inimicos gratiae.

4 a. Arca legis, vas pigmenti,
Contra morbos vas unguenti,
Gregori, os aureum,

4 b. Botrus Cypri, gerens merum,
Quo gaudium mentis verum,
Os diffundens oleum.

5 a. Ut Elias nulli parcens,
Vir Ambrosi, magnos arcens
Obviando crimini,

5 b. Infans sanctum te testatur,
Idem monstrans dum clamatur
Torquens hostes limini.

6 a. Culpans culpas dum fugaris,
Antra petis, nec turbaris,
Vir doctor Ieronyme,

6 b. Carnem domas ieiunando,
Studes legem declarando,
Interpretum maxime.

7 a. Hic lucerna ad lucendum,
Nubes iste ad fundendum
Nunc rorem, nunc pluviam,

7 b. Hic per fidem nos conducat,
Praecedat nos et inducat
Ad beatam patriam.

Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Vgl. die Sequenz Sancti visu columbino, die von 3a an mit dieser identisch ist.

339. In natali Confessorum.

1 a. Confessorum agonia
Modulata symphonia
Moduletur musice,

1 b. Quam caelestis ierarchia
Cum hymnorum harmonia
Decorat mirifice.

2 a. Continentes, viduati
Meruerunt Deo dati
Fructum sexagesimum.

2 b. Abstinentes coniugati,
Semper bonis sociati,
Emerunt tricesimum.

3 a. Mente pura, probitate,
Vita munda, sanctitate
Sortiti sunt bravium.

3 b. Fame, siti, nuditate,
Fama, verbo, lenitate
Perceperunt gaudium.

4 a. Hi egenis condolentes,
Victum, potum tribuentes
Surgunt ad caelestia.

4 b. Mala mundi contemnentes
Bonis petunt, sic currentes.
Aeternorum gaudia.

5 a. Ergo laudes istis demus,
Voce, mente commendemus
Eorum sollemnia,

5 b. Ut cum eis habitemus,
Summo regi decantemus
Hymnum dictum *Gloria*.

Miss. ms. Hispalense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Univ. Iannen. A VII 3. A. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen 83, 15. B. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. 83, 17. C. — Miss. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen 85, 18. D. — Miss. ms Hispalense saec. 15. Cod. Columbin. Hispalen. Vitrin., 12 E. — Miss. Hispalense imp. Hispali 1507. F. — Str. 1 fehlt A: daselbst Str. 2 sqq. verwendet für das Fest der hl Anna. — 1 a, 3 mirifice D. — Str. 1 b fehlt D. — Str. 4 a sqq. fehlen B. — 5 a, 1 ipsis A.

340. De sanctis Confessoribus.

1 a. Laudes et praeconia
Haec pro tua gloria
Repraesentat ecclesia,

1 b. Qui possides gaudia
Per aeterna saecula
Regem cernens in gloria.

2 a. Tu plenus Dei gratia
Mundique luctamina
Superasti, carnis vitia.

2 b. Martyribus similia
Meruisti praemia
Hac in die sollemnia.

3 a. Sanctorum collegia
Omnium per merita
Tu possides per saecula.

3 b. Per te detur venia
Et aeterna gaudia
Nobis per cuncta saecula.

Sequent. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1 b, 49. — 1 a, 2 Quae.

341. De sanctis Confessoribus.

1 a. Gaude, caelestis civitas,
Et Christo laudes debitas
Pange, quam sancta trinitas
Ornavit sollemniter.

1 b. Cuius clara praesentia
Beatorum militia
Perennali laetitia
Exsultat feliciter.

2 a. De quorum coetu (hic) beatus
Est in caelis collocatus
Et a Christo coronatus
Dextera sublimiter.

2 b. O mira Dei gratia
Quae ima ad caelestia
Transfert, cum sanctis gloriam
Dat ineffabiliter.

3 a. Hic, quem sacer ornat actus,
Angelorum compar factus
Et caelestem vitam nactus
Est, qua gaudet iugiter.

3 b. De pressuris est ereptus,
Pacem summam est adeptus,
Dum [ab] angelis exceptus
Est cum hymnis dulciter.

4 a. Hac in die laetitiae
Detur a patre gratiae
Nobis vera spes veniae
Poscentibus suppliciter.

4 b. O quam felix, qui audisti
Dulcem vocem Iesu Christi:
Intra regnum, quod quaesisti
Possidere perenniter.

5 a. Gaude, quia accepisti
Gloriam, quam meruisti,
Dum ad Christum introisti
Exsultans alacriter.

5 b. Tuo posce precamine,
Ut purgati a crimine
Gratulemur cum agmine
Sanctorum aeternaliter.

Grad. ms. Strahoviense anni 1611. Cod. Strahovien. H I 2. — 1 b, 1 In cuius. — 5 b, 3 acmine.

342. De sancto Confessore.

1 Laude sanctum

2 a. Illum N. N.
canat ecclesia mater

2 b. Talis nati
profectu gratulans semper.

3 a. Hic velut sidus
eximium,
placidus Deo,

3 b. Inter fraternas
caligines
rutilans micat.

4 a. Hic Iesu Christi
praeceptis
paruit promptus;

4 b. Hic eius membris
subvenit
minimis largus.

5 a. Nunc suae
perfectae vitae se testem
exhibet

5 b. Debiles
curando atque tuendo
supplices.

6 a. Hunc iam coetibus
coniunctum sanctorum
cuncti precemur,

6 b. Ut nos fragiles
semper conciliet
Domino Deo,

7. Qui regnat
per saecula cuncta.

Trop. et Sequent. ms. S. Benedicti Mantuani saec. 11. Cod. Capit. Veronen. CVII (100). A. — Grad. ms. Vercellense saec. 11. Cod. Capit. Vercellen. CLXI. B. — Grad. ms. Vercellense saec. 12. Cod. Capit. Vercellen. CLXII. C. — 1 Gaude C. — 2 a, 1 Illius A. Der Name des betreffenden Bekenners ist hier einzufügen, der Melodie entsprechend am besten ein viersilbiger. B u. C haben „Aemilianum“; die Überschrift bei ihnen lautet „In unius confessoris“. — 3 b, 3 emicat BC. — 5 a, 1 Hic suae BC. — 5 a, 2 profectae C. — 6 a, 1 Hinc BC. — 6 a, 3 cuncti praecedunt BC. — 6 b, 1 Et BC. — Str. 7 fehlt BC. — Melodie offenbar: Stans a longe (s. Anal. Hymn. VII, Nr. 46; 48; 231. IX, 26; 156. X 29; 83 etc.). — A hängt an den Schluss jeder Klausel „Alleluia“.

343. De sancto Confessore.

1 a. Congaudeant sancti,
laetentur
et fideles populi

1 b. In die sollemni
beati
confessoris Domini.

2 a. Quem sanctitas
vitae probabilis
Deo commendavit,

2 b. Qui talentum
a Deo creditum
duplum reportavit,

3 a. Beatorum servorum
numero recensitus,
quos vigilantes
invenit pater
familias Dominus

3 b. Rediens a nuptiis,
quos discumbere fecit
et confoveri
in regno summae
beatitudinis.

4 a. Corde vigil credulo
ad veri luminis
aspectum
oculos aperuit.

4 b. Incessanter Domini
praeceptis subditus
implevit
opere, quod docuit.

5 a. Hinc omnes supplicemus,
ut nos suis
orationibus

5 b. Apud Deum commendet
et pro nostris
oret reatibus,

6. Ut cum eo
vera beatorum
laetemur in gloria.

Miss. ms. S. Elisabethae Wratislaviensis saec. 15. Cod. Mus. Siles. Fol. I 83 h. A. — Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. B. — 1 a, 2 sq. et laetentur B. — 1 b, 2 sq. fehlen B. — 3 a, 3 quo vigilantis A. — 3 b, 1 gehört in B noch zu 3 a; dort beginnt das Alinea mit Initiale bei „Quos disumbere“. — 5 a, 1 Huic B.

344. De sanctis Virginibus.

1 a. Per infirma Deus mundi
Fortiora vult confundi
Suae vi potentiae,

1 b. Qui, vim suam ut declaret,
Dat in sexu, qui vi caret,
Tot palmas victoriae.

2 a. Caste simul et decore
Christi currunt in odore
Via licet aspera,

2 b. Caro cuius ab amplexu
Nec arcentur molli sexu
Nec aetate tenera.

3 a. Ab amplexu Christi caro
Non avellit eas caro,
Census aut ambitio,

3 b. Non avellit metus mortis,
Non mors ipsa, quia fortis
Est ut mors dilectio.

4 a. Si, quam mucro non attingit,
Contra ingem se praecingit
Pruritum lasciviae,

4 b. Intestinum habet bellum,
Sed triumphat hoc flagellum
Armis pudicitiae.

5 a. Porro sponsum virginum
Exoremus Dominum,
Ut earum meritis

5 b. Imbecilles famulos
Armet contra stimulos
Tam infesti fomitis.

Miss. Parisiense imp. Parisiis 1535. — Der Text dieser Sequenz steht nach Misset-Weale (Anal. lit. II, 293) völlig gleichlautend im Miss. Ruthenense imp. Lugduni ca. 1540; letzteres Missale war mir bis jetzt noch nicht zugänglich.

345. De Virginibus.

1 a. Novas Sion plantulas,
Prudentes iuvenculas
Laudemus in iubilo.

1 b. Clara virgo, clarior
Vita, luna pulchrior
Carnis pulso nubilo.

2 a. Agnes, carens macula,
Ardens velut facula
Amore seraphico,

2 b. Quem prae cunctis eligis,
Te ornat, quem diligis,
Ornatu mirifico.

3 a. Propugnans in stadio,
Agatha, cum gaudio
Mammas das pro superis,

3 b. Fortis plus quam femina
Virgo, vincens agmina
Ministrorum sceleris.

4 a. Costi regis filia,
Katharina, studia
Muta reddis gentium,

4 b. Virgo clausa carcere,
Dei fulta munere
Amplexaris bravium.

5 a. Caecilia, iudicem
Vincens Christi calicem
Non recusas bibere,

5 b. Caput offers gladio,
Nec te in martyrio
Valet ignis laedere.

6 a. Immota stans acie,
Lucia, vi gratiae
Extinguis incendia.

6 b. Nobis caeli requie
Sponsi frui specie
Harum dent suffragia.

Miss. ms. Franciscanum saec. 14. Cod. Cenomanen. 249. A. — Miss. ms. Leodiense saec. 15. Cod. Vatican. 3808. B. — Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. C — Prosar. ms. Guillelmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianen. 132. D. — 1 a, 1 Novam Sion plantulam C. — 1 a, 2 Prudentem iuvenculam C. — 1 b, 1 Scholastica clarior D. — 2 b, 2 Te fehlt AB. — 3 a, 1 Tu pugnans D. — 4 a, 3 reddit A. — Vgl. die Sequenz: Stellas solem imitantes, Anal. XXXIV, Nr. 360.

Zusätze und Berichtigungen.

Nr. 1. 1a, 1 l. ventura st. futura.

Nr. 27. Zu „threnera“ (3a, 1) vgl. „threnara“ (Nr. 128; 6a, 3). Das Wort bleibt immerhin noch dunkel.

Nr. 28. 6, 2 l. algammata st. agalmata.

Nr. 53. Diese Sequenz fand ich nachträglich im Miss. Xantonense imp. Lemovicis 1523. Laut dieser Quelle ist nach 12, 3 einzufügen „Angelicis“, wodurch der Bau dieser Strophe dem der übrigen völlig gleich wird. Der Schlufsvers „Collaudemus cum canticis“ ist demnach als alleinstehende Schlufsklausel zu betrachten. — Ferner ist 9a, 3 zu lesen: vidit et pastores statt vidit pastores.

Nr. 54. Im Quellenverzeichnis Z. 1 l. Pragense saec. 16. in. statt saec. 18.

Nr. 58a. Im Quellenverzeichnis Z. 2 l. Nivernense saec. 12. statt saec. 22.

Nr. 94. Diese Sequenz findet sich auch im Antiphon. et Grad. ms. Brigittin. saec. 15. Cod. Hagen. K 65. B und im Miss. ms. Altomonasteriense saec. 15. Clm. Monacen. 2937. C. — Varianten (die im Druck hervorgehoben sind, als die richtigeren Lesarten in den Text einzufügen): 1a, 4 Claritas polorum BC. — 4a, 3 tibi nosti BC (gegen den Reim). — 4a, 5 Deo fehlt C. — 4b, 1 Ergo cunctis BC. — 11a, 1 Die Konjektur „tota“ erweist sich als richtig durch BC. — 11a, 3 quaevis mendae nota B.

Nr. 115. Melodie ist wohl: Stans a longe.

Nr. 116. 1b, 1 l. oris, manus st. oris, vocis.

Nr. 123. Diese Sequenz findet sich auch im Miss. ms. Praedicatorum saec. 16. Cod. Vatican. 5590 mit dem Vermerk (fol. 143b): „Missa in sollemnitate beati Antonini Archiepiscopi Florentini per papam Clementem VI approbata.“

Nr. 148. Melodie dürfte sicher sein: Stans a longe. Dementsprechend wäre zu lesen:

1. Laudes sancto

2a. [Nunc] Bernardo canat ecclesia mater,

2b. Talis nati profectu gratulans semper.

Ferner: 3a, 3 electum st. praeelectum. — 3b, 3 micat st. emicat. — 7, 1 saecla st. saecula.

Nr. 152. Findet sich auch im Collectaneum ms. Halense saec. 15. Cod. Vindobonen. 1316 und im Miss. Aboense imp. Lubecae 1488.

Nr. 155. In der Anmerkung Z. 2 l. Sanctitatis st. Sanchitatis.

Nr. 165. Die vorgesetzte Klausel „Gaudet hodie“ etc. hat mich verleitet, die Identität mit der Sequenz „Adest nobis dies alma“ nicht gleich zu erkennen.

Nr. 201. Weitere Quellen dieser Sequenz sind: Miss. ms. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 190 und Miss. ms. Glogaviense saec. 15. Cod. Wratislavien. I F 342.

Inhalts-Übersicht.

A. Real-Index.

I. De Tempore.

Nr.		Seite
1.	Dominica I. Adventus	13
2.	De Adventu Domini	14
3.	In Nativitate Domini	14
4.	In Nativitate Domini	15
5.	In Nativitate Domini	17
6.	In Nativitate Domini	18
7.	In Nativitate Domini	19
8.	In Nativitate Domini	19
9.	In Nativitate Domini	20
10.	In Nativitate Domini	21
11.	In Nativitate Domini	22
12.	In Epiphania Domini	22
13.	In Transfiguratione Domini.	23
14.	In Transfiguratione Domini.	24
15.	In Inventione s. Crucis	24
16.	In Inventione s. Crucis	25
17.	In Inventione s. Crucis	25
18.	In Triumpho s. Crucis	26
19.	De Quinque Vulneribus DN.	27
20.	De Quinque Vulneribus DN.	28
21.	De Sanguine Domini	28
22.	De Lacrima Domini	29
23.	Sabbato Sancto	30
24.	Sabbato Sancto	30
25.	In Resurrectione Domini.	30
26.	In Resurrectione Domini.	31
27.	In Resurrectione Domini.	32
28.	In Octava Resurrectionis.	32
29.	In Ascensione Domini	33
30.	In Pentecoste.	34
31.	Dominica 1. post Pentecosten.	35
32.	De ss. Trinitate	36
33.	De ss. Trinitate	37
34.	De ss. Trinitate	38
35.	De ss. Trinitate	39
36.	Dominica 4. post Trinitatem.	39
37.	De Corpore Christi	40
38.	De Corpore Christi	40
39.	De Christo Domino	41
40.	Die Dominica	42
41.	Die Dominica	43
42.	Die Dominica	44
43.	Die Dominica	44
44.	Die Dominica	45
45.	Die Dominica	46
46.	Die Dominica	46
47.	In Missa Defunctorum	47

II. De Beata.

Nr.		Seite
48 u. 49.	In Conceptione BMV	51 u. 52
50—52.	In Nativitate BMV	53—55
53.	In Desponsatione BMV	55
54.	In Annuntiatione BMV	56
55—57.	In Visitatione BMV.	58—60
58 u. 59.	In Purificatione BMV	60—63

Nr. Seite
60—65. In Assumptione BMV . . . . . 63—67
66. De Beata Maria ad Nives 68
67. In honorem BMV. pro mulieribus praegnantibus 68
68—94. De Beata Maria Virgine 70 87

III. De Sanctis.

Nr. Seite
95. De omnibus Sanctis . . . 91
96. De omnibus Sanctis . . . 92
97. De omnibus Sanctis . . . 93
98. De omnibus Sanctis . . . 93
99. De omnibus Sanctis . . . 94
100. De omnibus Sanctis . . . 95
101. De omnibus Sanctis . . . 95
102. De sancto Adalberto . . . 96
103. De sancto Aegidio 97
104. De sancta Agatha 97
105. De sancta Agatha 98
106. De sancto Agilolpho . . . 98
107. De sancta Agnete 99
108. De sancta Agnete 100
109. De sancta Agnete 101
110. De sancto Albano 101
111. De sancto Albano 102
112. De sancto Alexio 103
113. De sancto Alexio 105
114. De sancto Amore. 106
115. De sancto Andrea 107
116. De sancto Andrea 108
117. De sanctis Angelis 109
118. De sancta Anna 110
119. De sancta Anna 110
120. De sancto Ansano 112
121. De ss. Ansano, Savino, Crescentio, Victore 112
122. De sancto Antonino . . . 113
123. De s. Antonino Florentino 114
124. De sancto Antonio 114
125. De sancto Antonio 115
126. De sancto Antonio 116
127. De s. Antonio Eremita . . 116
128. De sancto Apollinare . . . 117
129. De sancto Arnulpho . . . 118
130. De sancto Augustino . . . 119
131. De sancta Aurea. 120
132. De sancto Balderico . . . 120
133. De sancta Barbara 121
134. De sancta Barbara 122
135. De sancta Barbara 124
136. De sancta Barbara 125
137. De sancta Barbara 126
138. De sancta Barbara 127
139. De sancta Barbara 128
140. De sancto Barnaba. . . . 128
141. De sancto Bartholomaeo . 129
142 De sancto Bartholomaeo . 130
143. De sancto Benedicto . . . 130
144. De sancto Benedicto . . . 131
145. De ss. Benedicto, Mauro, Placido, Scholastica 132
146. De sancto Bernardino. . . 133
147. De sancto Bernardo . . . 134
148. De s. Bernardo Parmensi . 134
149. De s. Bernardo Parmensi . 135
150. De sancta Bertha 136
151. De sancta Birgitta 136
152. De sancta Birgitta 137
153. De ss. Birino et Swithuno. 138
154. De sancto Blasio. 139
155. De sancto Bonaventura . . 140
156. De sancto Bonaventura . . 141
157. De ss. Bova et Doda . . . 142
158. De sancta Caecilia 143
159. De sancta Caecilia 144
160. De sancto Caranno. . . . 144
161. De sancta Clara 145
162. De sancta Clara 146
163. De sancta Clara 147
164. De sancta Clara 147
165. De sancto Clemente . . . 147
166. De ss. Clemente et Ildefonso 148
167. De s. Clemente Metensi. . 149
168. De sancto Columbano. . . 150
169. De s. Daniele Patavino . . 150
170. De sancto Deodato 151
171. De sancto Dionysio . . . 152
172. De sancto Dionysio . . . 153
173. De sanctis 4 Doctoribus . 154
174. De sanctis 4 Doctoribus . 155
175. De sancta Domitilla . . . 156
176. De s. Donato Aretino. . . 156
177. De s. Donato Aretino. . . 157
178. De ss. Donato et sociis . . 158

Nr.		Seite
179.	De sancta Dorothea	159
180.	De sancta Dympna	161
181.	De sancto Eligio	161
182.	De sancta Elisabeth	162
183.	De ss. Euphemia, Dorothea, Thecla, Erasma	162
184.	De sancto Eustachio	163
185.	De sancto Evasio	164
186.	De sancto Evergislo	165
187.	De sancto Evurtio	166
188.	De sancta Fide	166
189.	De sancta Fide	167
190.	De sancto Florentio	168
191.	De sancto Foillano	168
192.	De sancto Francisco	170
193.	De sancto Francisco	170
194.	De sancto Francisco	170
195.	De sancto Gallo	172
196.	De sancto Geminiano	173
197.	De sancto Gengulpho	175
198.	De sancto Georgio	175
199.	De sancto Georgio	176
200.	De sancto Gregorio	177
201.	De sancta Hedwige	178
202.	De sancta Hedwige	179
203.	De sancto Herculano	180
204.	De sancto Hieronymo	180
205.	De sancto Hieronymo	182
206.	De sancto Hieronymo	183
207.	De sancto Hieronymo	183
208.	De ss. Hippolyto et Cassiano	184
209.	De sancto Hyacintho	185
210.	De sancto Iacobo	186
211.	De sancto Ianuario	186
212.	De sancto Ioachim	187
213.	De s. Iohanne Baptista	187
214.	In Nativitate s. Ioh. Bapt.	188
215.	In Nativitate s. Ioh. Bapt.	189
216.	In Decollatione s Ioh. Bapt.	190
217.	De s. Iohanne Evangelista	190
218.	De s. Iohanne Evangelista	191
219.	De s. Iohanne ante Portam	192
220.	De ss. Iusta et Rufina	193
221.	De sancta Iustina	193
222.	De sancto Ivone Carnotensi	194
223.	De sancto Karolo Magno	195
224.	De sancta Katharina	195
225.	De sancta Katharina	197
226.	De sancta Katharina	198
227.	De sancta Katharina	199
228.	De sancta Katharina	200
229.	De sancta Katharina	201
230.	De sancta Katharina	202
231.	De sancta Katharina	203
232.	De sancta Kunegunde	204
233.	De sancta Landrada	205
234.	De sancta Landrada	206
235.	De sancto Laurentio	207
236.	De sancto Laurentio	208
237.	De sancto Laurentio	208
238.	De sancto Leonorio	209
239.	De sancto Luca	210
240.	De sancta Lucia	211
241.	De sancto Ludovico	211
242.	De sancto Lullo	212
243.	De sancto Luthardo	213
244.	De sancto Magno	213
245.	De sancto Marco	214
246.	De sancta Margareta	215
247.	De sancta Margareta	216
248.	De sancta Margareta	216
249.	De s. Maria Magdalena	217
250.	De s. Maria Magdalena	218
251.	De s. Maria Magdalena	219
252.	De sancta Martha	220
253.	De sancto Martino	220
254.	De sancto Martino	221
255.	De sancto Matthaeo	222
256.	De sancto Matthaeo	223
257.	De sancto Matthaeo	223
258.	In Translatione s. Matthaei	224
259.	De sancto Mauritio	225
260.	De sancto Mauritio	226
261.	De sancto Mauritio	228
262.	De sancto Mauritio	228
263.	De sancto Mauro	229
264.	De sancto Mauro	230
265.	De sancto Michaele	231
266.	De ss. Michaele, Gabriele, Raphaele	232
267.	De sancto Nicasio	233
268.	De sancta Oda	233
269.	De sancto Onofrio	234
270.	De ss. Ottone et sociis	235
271.	De sancto Pantaleone	236
272.	De sancto Paulo	237
273.	De sancto Petro	238
274.	De sancto Petro	239
275.	De sancto Petro	239
276.	In s. Petri ad Vincula	240
277.	In s. Petri ad Vincula	242
278.	De ss. Petro et Paulo	243

Nr.		Seite
279.	De ss. Petro et Paulo	244
280.	De s. Petro Caelestino	245
281.	De sancta Petronilla	245
282.	De sancta Pharahilde	246
283.	De ss. Phillippo et Iacobo	246
284.	De s. Philippo Argirione	247
285.	In festo ss. Pontificum Traiectensium	247
286.	De sancto Prosdocimo	248
287.	De sancto Provino	249
288.	De sancto Raimundo	249
289.	De sancto Raphaele	250
290.	De sancto Remaclo	251
291.	De sancto Richardo	252
292.	De sancto Rufino	252
293.	De sancta Scholastica	253
294.	De sancta Scholastica	254
295.	De sancto Sebastiano	254
296.	De sancto Sebastiano	256
297.	De sancto Sebastiano	258
298.	In Translat. s. Servatii	259
299.	De sancto Silvestro	259
300.	De ss. Simone et Iuda	261
301.	De sancto Syro	261
302	De ss. Solutore, Adventore, Octavio	262
303.	De sancto Stephano	263
304.	In Inventione s. Stephani	263
305.	In Inventione s. Stephani	264
306.	De sancto Swithuno	265
307.	De sancto Theobaldo	266
308.	De sancta Theodora	267
309.	De sancto Thoma	268
310.	De sancto Thoma	268
311.	De s. Thoma Aquinate	269
312.	De s. Thoma Aquinate	269
313.	De s. Thoma Aquinate	270
314.	De s. Thoma Cantuariensi	271
315.	De s. Thoma Cantuariensi	272
316.	De s. Thoma Cantuariensi	272
317.	De sancta Ursula	273
318.	De sancta Ursula	273
319.	De sancto Verano	274
320.	De sancto Vincentio	275
321.	De sancto Vincentio	275
322.	De sancto Vincentio	276
323.	De sancto Vitale	277
324.	De ss. Vitale et Agricola	278
325.	De sancta Walburga	278
326.	De sancta Waldetrude	279
327.	De sancta Willibrordo	279
326.	De sancto Zenone	280

IV. Commune Sanctorum.

Nr.		Seite
329.	De sanctis Apostolis (In Commemoratione s. Pauli)	285
330 u. 331.	De sanctis Evangelistis	285 u. 286
332.	De sanctis Patriarchis	287
333.	De sanctis Reliquiis	287
334—339.	De sanctis Martyribus	289 u. 290
338.	De uno Martyre	290
337.	De uno Doctore	291
339—341.	De sanctis Confessoribus	292
342 u. 343.	De uno Confessore	293 u. 294
344 u. 345.	De sanctis Virginibus	294 u. 295

B. Verbal-Index.

	Seite
Actu vitae innocentis	216
Ad agonem triumphalem | Christi	273
Ad Aureae sollemnia	120
Adest cunctis festum duplex	263
Adest dies celebranda	151
Adest dies celebris | Qua	120
Adest dies celebris | Sebastiani	256
Adest dies gloriae	163
Adest dies laetitiae | In quo	98
Adest dies laetitiae | In quo	165
Adest nobis dies ista celebris	168
Adest praecelsa cunctis dies	217
Ad extrema ecce mundi	150
Ad honorem et decorem	213
Ad honorem salvatoris | Intus	94
Ad honorem summi regis	271
Ad laudes animalium	285
Ad rosae titulum	72

	Seite
Advenit spiritus sanctus	34
Aeterni numinis mater	72
Albanus roseo cruore	101
Alleluia iucundum resonet	136
Alma contio concrepa symphonia	253
Almae caelorum turmae	91
Alma fulgens crux praeclara	25
Alma mater gratiosa	179
Alme dux Minorum pater	170
Alme mundi rex Christe	187
Alme Pater Deus omnipoteus	46
Almiflua turba caelestis	238
Almi martyris rogitemus	207
Almi regis mater pia	73
Alpha et O nominaris	93
Alta voce chorus iste	167
Amatorem virginum	142
Angelorum in conspectu	232
Animemur ad agonem | Celebr.	153
Annua praesentis recolamus	277
Antonino magno laudes	114
Apud salvatorem Christum	132
Arcano rivulo sumamus	191
Architriclina summo de fonte	195
Arens virga ferens fructum	74
Ascendit Deus in iubilo	33
Attolamus Deum verum	113
Attolamus in hac die	199
Audi martyr inclite	233
Ave clemens apostole	223
Ave Iesu mater pia	75
Ave mundi gaudium	70
Ave pater pacis lator	170
Ave praeclara martyr sacra	121
Ave praeclara stirpe nata	122
Ave praeclara virgo gnara	197
Ave praeclara virgo pura	56
Ave praeclare miles et martyr	254
Ave praesignis margarita	159
Ave regina gloriae | Splendor	67
Ave salutata ab angelo	75
Ave sponsa Christi vera	245
Ave verum corpus natum	40
Ave virgo dedicata	98
Ave virgo mater Christi	70
Ave virgo singularis | Radix	76
Benedicti grandia	132
Benedictus es caelorum	187
Bone praesul Herculane	180
Caelestino decantemus	245
Caeli inbar mundi lumen	164
Caelum tellus et maria	246
Catervae o altissime	141
Cenam Christe celebrasti	28
Christo laudes exsolvamus | Dono	144
Christo laudes exsolvamus | Et	225
Christo plaude plebs mundata	233
Christum natum nova	19
Clara Dei famula	147
Clara lux apparuit	145
Coetus apostolici | Festa	285
Collaudemus cum canticis	55
Collaudet chorus iste	118
Concentu parili hic te patrone	172
Confessorum agonia	292
Confitentes recitemus	150
Confitentes trinitatem	204
Congaudeant sancti	294
Consolatrix pauperum | Vita	78
Consona caterva plaudente	44
Consurget in praeconia	96
Consurge iubilans | Vox	178
Cordis melos et oris	78
Cum ingenti iubilo	112
Cuncta in iubilo personent	95
Cunctum orbem aeternitatis	19
Decantemus congaudentes	231
De Christi corpore	40
Deponentes omne maestum	276
Detur laus Bartholomaeo	129
Deus ineffabilis et	37
Deus magnus et immensus	47
Deus veniae largitor	38
Diem sanctum Georgii	175
Dies est laetitiae | Pangat	220
Dignas Deo laudes prome	272
Divina caeli agmina	193
Doctori gentium | Gentes	237
Dulce melos iubilemus	259
Dulcissime Iesu	41
Dum sphaera caeli volvitur	128
Ecce adnuntio christicolae	14
Ecce beatus alumnos harmonica	117
Ecce dies praeoptata | Dies	261
Ecce dies venerandus	35
Ecce iam Christus quem	14
Ecce iam sancta Agnes	99
Ecce iam venit nostra	15
Ecce puerpera genuit	18
Ecce sacerdos magnus	266
Eia cantemus cuncti	36
Eia mater fidelium	67

	Seite
Eia nunc promamus	106
Eia organica cantica	97
Emicat virtutibus	161
Evangelistas gaudio	286
Ex agone sanguinis	289
Ex caelesti hierarchia	152
Expers labis mentium	251
Exsultantes concinamus	108
Exsultantes iubilemus	54
Exsultet cum laetitia	130
Felici connubio	246
Felix Anna iucundare	110
Felix dies et iucunda	166
Festa dies hortatur promere	250
Fideles concinite	268
Florens Iesse virgula	79
Flos de spina procreatur	53
Fratres nostri congregati	262
Frequentemus hodie	279
Funde de caelestibus	185
Gaudeamus singulari	224
Gaude caelestis civitas	292
Gaude caeli hierarchia	146
Gaude chorus fidelium	162
Gaude columba simplicis	156
Gaude fides christiana	268
Gaude mater ecclesia | Festa	102
Gaudens monachorum legio	130
Gaudent omnes caelicolae	22
Gaude praesul ter beate	274
Gaudet hodie proles	147
Gaude virgo plena Deo	67
Gaude virgo sponsa Christi	180
Gaudia mundo ventura	13
Germinavit radix Iesse	63
Gloria resonante cimbalorum	43
Glorietur laetabunda	173
Gloriosae matris Dei	79
Grates agens Christo gratis	158
Gratulemur in honore	206
Gratulemur nos in Deo	278
Gratuletur plebs fidelis iam	28
Hac in aula regi Christo	210
Hac in die grex noster	161
Haec est dies salutaris	202
Haec sunt sacra festa	259
Hieronyme sanctissime	182
Hodie Dominus Iesus Christus	30
Hodiernae lux diei | Dies	100
Hodiernae lux diei | Iacobo	186
Honorum fastigio	235
Hymnizare Deo gaude	213
Hymnum canamus gloriae	249
Iesu caelorum regis omnes	110
Iesu regi caelestis curiae	200
Iesus Christus collaudetur	155
In ara crucis hostiam	31
Inclita diei huius	230
In deserto vox clamantis	190
In Domino gloriari	201
In excelsis sine fine	198
Inflammemur ad agonem	208
In hac sacra sollemnia	193
In Karoli Magni laude	195
In superna hierarchia	140
In suprema hierarchia	80
Inviolata iubilans	270
In virgulto gratiae	9
Ista sunt praecipue	27
Iubilans concrepa nunc	30
Iubilemus exsultantes	144
Iucundemur ad tantorum	247
Iucundetur plebs fidelis | Elisabeth	162
Iuga Bethel mens conscende	109
Katherinam dulcibus	203
Laetabundus chorus fidelium	222
Laetabundus exsultet ubique	264
Laetabundus Mariae concinat	51
Laetabundus moduletur melos	194
Laetare regina regni	71
Laetetur ecclesia | Recolens	287
Laetetur gens credula	80
Laeto corde resonemus	128
Landradae virginum chorus	205
Laudans caterva inbila	45
Lauda Sion increatam	269
Lauda Sion salvatorem | Qui	58
Laude lauda gens Slavorum	183
Laude multisona nostrarum	25
Laude resonet te Christe	138
Laude sanctum illum	293
Laudes Christo congaudentes	9
Laudes Christo decantemus	226
Laudes Christo persolvamus	176
Laudes claras canticorum	66
Laudes Deo dignas concinat	156
Laudes Dympnae plebs	161
Laudes et praeconia	292
Laudes sancto nunc Bernardo	134
Laudis odas consonemus	272
Laudum sonos exaltemus	291
Laureatus laurea	208

	Seite
Laus gloria virtus ac gratia	190
Laus honor sit Eloy	287
Laus tibi Deus pater Iesu	17
Lingua tuarum praeconia	234
Ludovico pangamus corde	211
Lucis creator optime | Luciae	211
Lux de luce Deus tenebris	20
Lux est laudis et iucunda	209
Lyra laudis formet sonum	139
Magdalenam | Planctu plenam	218
Magna summae trinitati	127
Magno rerum creatori	228
Maiestati sacrosanctae	175
Martine confessorum gemma	221
Martini psallere | Festo	220
Martyrum nobis festum	278
Mater Sion sancta gaude	143
Matris Christi festivare	51
Maurus lucida scandit	229
Mundi pompae contemptorum	105
Mundi salvatrix Maria	81
Narremus in laudem Domini	290
Nativitatis colamus debito	188
Nitet Leucothea martyrum	184
Nobili prosapia | Prodiit	112
Nobis orta praecursoris	189
Nostro condoluit | Pater exsilio	22
Nova crucis gaudia	27
Nova dies est allata	223
Novas Sion plantulas	295
Novis cedunt vetera	81
Nunc luce alma splendescit	240
O alma dies dominica	44
O ancilla Christi Maria	68
Obstupescat natura	21
Odas summo patri voce	261
O lacrima gloriosa	29
Olim mundo minoratus	115
Omnes Mauritium precentur	228
Omnis homo piae mentis	148
Omnium Domino atque pio	39
Optata nostris gaudia votis	212
O quam de claro genere	269
O quam dulcis illa vita	92
O quam venerandus est	183
Ore corde manu purus	97
O regina sanctitatis	82
Organum spirituale	177
Oriundus Aegyptoque	116
Orta stirpe nobili	136
O virgo pulcherrima	82
Pangat chorus ut est moris	248
Pangat chorus ut est moris	252
Pange dulcis Francia	258
Pater sanctus Benedictus	131
Pater summe praeconia	107
Per errorem ductus vanum	242
Per infirma Deus mundi	294
Personarum trinitatem	39
Petrus sequens Dominum	239
Phaleratus vitiis	103
Prae hominum natis formosum	124
Princeps dux ecclesiae	239
Principes veneremur nunc	243
Pro basilica futura	68
Prodit puer de puella	83
Profitemur conditorem	249
Pro nobis ora Domini	275
Psallat chorus virginum	216
Psallat cum laetitia | Vocum	125
Psallat ecclesia mater decora	265
Psallat laeta contio	157
Psallat omnis ecclesia	215
Psallat voce laetabunda	114
Puer regens aethera	20
Quam aeternis dignam donis	236
Qui fecit ad imaginem	147
Regina inclita et pia	64
Regi summo exsultando	149
Rex delatus in quadriga	154
Rex laudes Christe nostras	60
Rex nostras Christe laudes	61
Romana propagine | Re	267
Roma nutrix Augustorum	244
Sacerdotum praefulgens gloria	168
Sacrum festum celebremus	134
Salve caelorum regina	83
Salve claris | Stella maris	84
Salve pater forma morum	170
Salve pater praesul summe	186
Salve salve mater pia	85
Sanctae crucis celebremus	24
Sancte Philippe confessor	247
Sanctos Christi pugiles	290
Santum diem celebremus	63
Sanctus pontifex Bernardus	135
Scholasticam collaudemus	254
Sidus fulget in Verona	280
Sit iucunda Deo nostro	42
Sospitati dat augustam	101
Splendescit hodierna dies	119
Splendor patris et figura	24

	Seite
Splendor sanctorum patris . . .	263
Sponsa Dei virgo mitis	86
Stella maris o Maria	87
Summa sollemnitas adest . . .	32
Summa sollemnitas canat . . .	32
Summa summae deitati	93
Superni regis curia	95
Surgit mundi surgente	137
Tota pulchra es amica	87
Toto corde resouemus	128
Triumphalis donum vitae . . .	289
Veneranda Magdalenae	219
Venite pusilli simul et magni .	46
Venit sanctus spiritus	166
Verbum bonum et suave | Cantet	116
Vernans rosa castitate	65
Verus sol divinitus	23
Vincenti verbo Dei vincis . . .	275
Virgini christiferae	58
Virgini immensae cantemus . .	60
Virginum victorias	273
Virgo mitis generosa	126
Virgo splendor aetheris	55
Virum sanctum collaudamus . .	252
Vox sonora nostri chori	214

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido Maria Dreves.**

XXXVIII.

PSALTERIA WESSOFONTANA.

Ulrich Stöcklins von Rottach

siebenzehn

Reimpsalterien.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1902.

PSALTERIA WESSOFONTANA.

Ulrich Stöcklins von Rottach

Abts zu Wessobrunn

1438—1443

siebenzehn

Reimpsalterien

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1902.

VORWORT.

Im sechsten Hefte dieser Sammlung sind die sämtlichen geistlichen Lieder Ulrich Stöcklins, mit Ausnahme seiner Psalterien, veröffentlicht; in dem vorliegenden sind diese Psalterien, siebzehn an der Zahl, zusammengestellt, womit die Gesamtausgabe der poetischen Werke dieses fruchtbaren Dichters zum Abschlusse gebracht ist.

Über Wesen, Art und Verwendung der Psalterien ist bereits im Vorworte zum 35. Bande dieser Sammlung das Notwendige gesagt worden.

Dafs die hier folgenden Dichtungen das Werk ein und desselben Verfassers sind, desselben, der die in Heft VI veröffentlichten Lieder gedichtet hat, darüber kann kein aufmerksamer Leser lange in Zweifel bleiben. Warum ich den Verfasser in der Person Ulrichs von Wessobrunn suche, dafür habe ich die Gründe früher beigebracht. Es genügt hier, kurz den Nachweis zu führen, dafs der Dichter der Psalterien kein anderer ist, als der der früher veröffentlichten Lieder.

Der auffallende Ausdruck Iebusaeus als Synonymum für Satan (vgl. VI S. 7 Nr. 1) findet sich auch in unsern Psalterien III 9, 6; III 41, 8; XV 134, 6.

Das Wort τὸ crucium (vgl. VI l. c. Nr. 3) findet sich wieder II 36, 7; III 54, 7; VI 21, 7; VI 74, 7; VII 73, 4; XVI 129, 7.

Die Belobigung des eigenen dichterischen Erzeugnisses (vgl. VI l. c. Nr. 6) kehrt nicht weniger als zwölfmal wieder: II 1, 8: Bonum initium hymni eximii; II 97, 5: Carmen hoc elegans sit acceptabile; III 134, 6: Odis his praeclaris; III 135, 5: Hoc per carmen habile; III 141, 6: Te odis praeclaris; IV 31, 3: Cu hoc carmen nobile concino; IV 117, 6: Carmen hoc insigne; V 149, 6: Carmen hoc decorum; X 49, 2: Carmen istud fructu eximium; XIV 82, 5: Id per carmen elegans; XV 8, 5: Odis his praeclaris; XV 65, 5: Per id carmen elegans. Nur einmal ist das Gegenteil der Fall, dafs der Dichter die Schöpfungen seiner Muse mit einem weniger ehrenvollen Beiworte bedenkt; X 21, 3:

Himnodiam hanc tibi r a n c i d a m
Decantanti succurre ocius.

Von der Mühseligkeit des dichterischen Handwerks (vgl. VI l. c.), von dem Schwitzen, das dem ehrlichen Verseschmied nicht erspart ist, reden III 117, 3 sq.: Cujus laudum titulis devotus i n s u d o; IV 42, 3 sq.: Cujus venerantia odis his i n s u d o; IV 92, 7 sq.: Laudi honorificae tuae qui i n s u d o; IV 144, 3 sq.: Cujus laudum titulis gaudens nunc i n s u d o; XII 2, 4: quo d e s u d o te veneraus; XIII 142, 2: D e s u d o hoc in carmine.

Die Fürbitte für die Verwandten, genimen, progenies (vgl. VI, S. 7, Nr. 7) findet sich V 129, 5; X 26, 3; XI 64, 3; XIV 74, 5; XIV 131, 5; XIV 142, 6; XV 41, 5; XV 81, 6; XV 83, 6; XV 99, 5; XV 108, 5; XV 145, 7.

Die Fürbitte für die Abgestorbenen findet sich noch öfter: I 40, 5; II 40 5; II 114, 5; III 40, 5; III 73, 5; III 114, 5; IV 136, 5; V 6, 5; V 129, 5; V 131, 5; VI 150, 5; VII 26, 3; VII 114, 3; VII 129, 3; IX 65, 4; XI 114, 3; XI 129, 3; XII 55, 3; XII 114, 3; XII 134, 3; XIII 114, 4; XIV 74, 5; XIV 87, 5; XIV 133, 5; XV 24, 5; XV 99, 7; XV 114, 5; XV 123, 5; XV 129, 7; XVI 95, 5; XVI 104, 5; XVI 125, 5; XVI 129, 5.

Von griechischem Zierrate (vgl. l. c. Nr. 10) sei aufser homousion (III 90, 3), theotocon (III 90, 7), tetragrammaton (III 90, 1), homotheon (I 119, 1), noch erwähnt thymicon (VI 75, 5; XII 138, 3), boema (V 120, 5), syrma (V 120, 1), holocaustamata (VII 53, 3), gnomana (XII 24, 1), logisticon (XII 138, 1), dynamis (VI 79, 5), ἡ dynamin (X 67, 2) u. s. f.

Bezüglich seiner Wortbildnerei sehen wir den Dichter hier ebenso schöpferisch-ungeniert wie früher. Beginnen wir mit den Wörtern auf amen, so finden wir neben alten Bekannten eine ganze Reihe neuer Formen, unter denen ἅπαξ λεγόμενα bei Prudentius oder Paulinus (nodamen, speculamen, ululamen) nicht erwähnt sind:

aggregamen XIV 73, 2; XV 113, 7.
amamen II 60, 6; II 70, 7; III 128, 5; IV 21, 5; VII 96, 4; VII 127, 4; XI 96, 4; XIV 117, 8.
atramen IV 50, 6; V 50, 6; VI 69, 6; XII 31, 2.
conservamen VI 69, 8.
consolamen XIV 19, 8; XV 150, 2.
coruscamen XI 111, 3.
creamen I 46, 3; VII 72, 1.
defensamen IV 21, 7; VIII 120, 4; XVI 50, 6.
deprecamen XIV Procm. 2, 3.
exoptamen XII 74, 3.
exoramen X 127, 3.
famulamen IV 150, 2.
flagitamen XII 126, 3.
foedamen XIV 100, 6.
fraudamen V 56, 8; VI 12, 3; VI 34, 7; XIV 135, 4.
fuscamen XIV 150, 6.
gestamen XIV 135, 2.
glorificamen X 127, 1; XIV 73, 4.
gratulamen XIV 73, 8.
guttamen XIV 143, 6.
hilaramen XIV 125, 2.
iactamen XIV 143, 2.
inbilamen V 150, 6; XIV 150, 4; XV 150, 4; XVI 100, 4.
indicamen XIV 65, 8.

iurgamen I 46, 5.
laboramen XV 150, 6.
laceramen XIV 121, 6.
laudamen III 150, 6; XIV 55, 2; XIV 60, 4; XIV 65, 2.
legamen XIV 19, 2.
litigamen XIV 98, 8.
machinamen XII 63, 3; XIV 135, 8.
mellificamen XIV 117, 2.
micamen I 69, 4; II 149, 5; III 12, 1; X 59, 2.
nigramen XV 50, 6.
nubilamen XIV 66, 6.
oneramen XIV 65, 6.
onustamen XIV 73, 6.
oramen X 136, 1; X 145, 4; XII 31, 4; XII 70, 4.
recreamen XVI 50, 4.
reluctamen XIV 98, 6,
revelamen XIV 19, 4.
salutamen XIV 123, 2.
sequestramen IV 150, 6.
stillamen XIV 123, 6.
sublevamen VI 150, 4.
suspiramen VI 150, 6.
tribulamen III 100, 6; XII 84, 3.
tutelamen VI 150, 2.
umbramen IV 53, 5; V 56, 6.
ustulamen V 57, 8.

Damit verwandt sind Bildungen auf imen wie alimen VI 77, 5; VII 80, 1; fastidimen XIV 58, 6; insignimen XIV 58, 2; condimen XV 42, 2; impedimen XV 42, 8; blandimen XIV 38, 6; Bildungen auf ela: muscela XIV 13, 8; acutela XIV 13, 2. Nach Analogie von penetral, virginal finden wir V 83, 5 bacchinal; das Wort rues für ruina (VI 57, 17) kehrt hier wieder VI 83, 4; VI 117, 3; XII 126, 2. Ähnliche Bildungen, z. B. von carmen carmineus, a, um, oder aurulentus nach florulentus, rorulentus, pieticus von pietas liefsen sich noch unendlich viele zusammentragen. Das Beigebrachte genügt indes unserem Zwecke. Auffallend ist neben der grofsen copia verborum das unleugbare Geschick des Autors bei seinen Wortbildungen; denn mehr als die mancherlei unterlaufenden Monstra frappiert die Wahrnehmung, dafs derselbe bei seiner Ungeniertheit noch so viele nach guten Analogieen gebildete Formen hervorbringt. Es läfst das gewifs auf eine weitreichende Belesenheit schliefsen.

Alle die in der Einleitung zu Band VI aufgeführten Hinweise auf die Zeitverhältnisse: Heidenkrieg, Bürgerkrieg, Schisma, finden sich in diesen Psalterien wieder. Ein einziges dieser Indicien genügt, um die Identitat des Verfassers sämtlicher Psalterien aufser Frage zu stellen, wenn man im Auge behält, dafs die Zusammengehörigkeit vieler derselben zu je drei und drei durch handschriftliche Notizen festgestellt ist. Der Hinweis, den ich im Auge habe, ist der auf die Betagtheit des Dichters:

III 70, 7. Nam attingam citius | Tristem senectutem.
IV 69, 5. Tempus, quo de medio | Tollar, est affine.
IV 115, 5. Me curvatum famulum | Tuum ad sedile.
VI 70, 5. nunc flebile | Tempus senectutis.
VII 70, 3. Vitam meam oppressam senio.
VII 86, 3. Rege me contectum canitie.
X 40, 3. Vitae meae quaeso occiduae.
XI 70, 3. Mea iam decrescens aetatula.
XIV 28, 7. Quia iam destituor | In carnali flore.
XIV 70, 5. Vitae adjutorium | Meae fer grandaevae.
XVI 48, 7. Statum ignorantiae meae senectutis.

Über ein aus disparaten Bruchstücken verschiedener Dichtungen Ulrichs zusammengesetztes Psalterium, das man vielleicht in dieser Sammlung vermissen möchte, verweise ich auf das VI, 202 in der Anmerkung Gesagte.

Bei einigen der nachfolgenden Psalterien hat sich der Verfasser nicht damit begnügt, über jeden Psalm eine Strophe zu dichten, sondern er hat ein gleiches auch für die sg. biblischen Cantica gethan. Mehrfach findet sich auch der 118. Psalm durch längere poetische Ergüsse ausgezeichnet. Solche Parerga habe ich, auch wo sie handschriftlich im Innern des Psalteriums sich befanden, gröfserer Übersichtlichkeit halber an das Ende desselben verwiesen.

Im Anhange finden sich aufser den Melodieen für eine oder die andere Dichtung Stöcklins einige wenige Poësien, als deren Verfasser ich den Abt von Wessobrunn vermute. Denselben könnten noch die folgenden Verse beigesellt werden, die wir Clm. Monacen. 19824 fol. 269a lesen:

Anno Domini milleno
Addito quadringenteno
Numeroque nonageno
Aprilis et atque deno
  Tegernsee coenobium
Intrat annus iubilaeus
Per te benedictus, Deus,
Quo fugatur Iebusaeus,
Reconciliatur reus
  Deplorans flagitium.

O mirauda virtus Dei,
Quantos fletus bonae spei
Dabant ibi poenis rei
Fantes: miserere mei,
  Redemptor dulcissime;
Tuam crucem adoramus,
Te per eam flagitamus,
Cum per mortem exspiramus,
Salutem obtineamus
  Corporis et animae.

Stellt somit der Anhang eine Art Nachtrag und Ergänzung zu den im VI. Bande mitgeteilten Gedichten Ulrichs dar, so mufs auf der anderen Seite von diesen Dichtungen alles in Abzug gebracht werden, was im dritten Bande der Analecta unter dem Namen Ulrichs veröffentlicht wurde. Diese Lieder, die wir nunmehr bedeutend zu vermehren in der Lage sind, sind nicht, wie ich, durch einige allerdings auffallende Ähnlichkeiten verlockt, angenommen, von Ulrich von Wessobrunn verfafst, kommen vielmehr aus der Feder Christans von Lilienfeld, der nicht ein Nachahmer, wohl aber ein Vorgänger Conrads von Gaming ist, wie ich binnen kurzem des näheren nachzuweisen gedenke.

Endlich sei hier angemerkt, dafs Band VI, S. 11 in dem Briefe des Fr. Quisntis, Zeile 2, statt „qui se magnificaverint“ jedenfalls zu lesen ist „qui se magni faciunt“. Die ganze einleitende Phrase ist nämlich der Widmung an Symmachus entlehnt, welche Boetius seinem Traktate De ponderibus (De arithmetica LL. 2, Migne PP. LL. LXIII, 1079) vorgesetzt hat.

Reichenfeld, den 1. Sept. 1901.

Guido Maria Dreves.

I.

DE SANCTISSIMA TRINITATE

PSALTERIUM TRIPLEX.

I. Psalterium Primum.

Quinquagena I.

1. Salve, principium
Cuncta principians,
Aeternum filium
Natura generans,
Hunc in credentium
Salutem destinans
Et hos ab hostium
Captura liberans.

2. Tua est notio
Innascibilitas
Nec non relatio,
Quae est paternitas,
Omnipotentia
Tua proprietas,
Sicut est propria
Filio veritas.

3. O sapientia
Dei mirabilis,
Mentis industria
Inperscrutabilis,
Pelle tristitiam
Servi plorabilis,
Quem gravant vitia,
Satan cum aemulis.

4. O lumen caelicum,
Descende propere,
Tuorum supplicum
Mentes invisere,
Quacamus melicum
Ut carmen promere
Patrem et unicum,
Te quoque colere.

5. Amor suavissime,
Coniungens filium
Patri fortissime
Per tuum vinculum,
Des clementissime
Tui incendium,
Quo amem intime
Te atque proximum.

6. Pax divinissima,
Caeli cum incolis,
Gaudent qua infima
Quoque cum accolis,
Mea te·anima
Ob culpam flebilis
Petit pro gratia,
Ut sit amabilis.

7. O summa trinitas
In cunctis dominans,
Omnes essentias
Perfecte ordinans,
Nostras miserias
Esto considerans
Et hostis furias
Procul exterminans.

8. Causalis omnium,
Ens o laudabile,
Linguis viventium
Inexpressibile,
Choris caelestium
Superamabile,
Menti fidelium
Sed admirabile.

9. Ens, in quo firmiter
Consistunt omnia,
Gubernas fortiter
Quae providentia,
Nos premit viliter
Hostis fallacia,
Tua celeriter
Quam pellat gratia.

10. O supersapiens
Sophia optima,
Calicis largiens
Vina dulcissima,
Repletur sitiens
Quo iusti anima,
Legem custodiens
Mente promptissima.

11. O summa sanctitas
Atque munditia,
Qua datur puritas
Nec non iustitia,
Nostras praeteritas
Culpas et vitia
Remittat bonitas
Tua et gratia.

12. O lucis claritas
Inconfuscabilis,
Cuius serenitas
Imperturbabilis,
Me gravat caecitas
Intolerabilis,
Quam tua pietas
Tollat amabilis.

13. Virtus thearchica
Cuncta perficiens,
Ecclesiastica
Quoque instituens,
Esto phantastica
A me abiciens,
Quae vi malefica
Infert insipiens.

14. O pulchrum vividum
Et diligibile,
Per lumen splendidum
Intelligibile,
Cor meum squalidum
Et despicabile
Fac tibi splendidum
Et habitabile.

15. O lux illuminans,
Tua potentia
Cuncta vivificans
Et fovens omnia,
Sis nostra sublevans
Corda maerentia,
Caro tabificans
Quae facit saucia.

16. O substantifica
Summaque bonitas,
Cuius mirifica
Essentialitas,
Ecclesiastica
Te laudat pietas,
Modo daemonica
Quam gravat pravitas.

17. O pulchrum omnibus
Desiderabile,
Summis spiritibus
Superlaudabile,
In te credentibus
Concupiscibile,
Devotis mentibus
Semper amabile.

18. O summa deitas
Cuncta prospiciens,
Cuius est pietas
Nunquam deficiens,
Sis mentis latebras
Meae discutiens,
Ab ea morbidas
Culpas eiciens.

19. Vere homotheon
Es singulariter,
Cui Tetragrammaton
Nomen veraciter
Datur, nos de Sion
Tuta realiter,
Ne foetens Acheron
voret finaliter.

20. O sapientia
a patre prodiens,
Rationalia
in finem dirigens,
Sis me iustitia
Caecatum instruens,
Ut sim in gratia
Tua proficiens.

21. Splendor mirabilis
Paternae gloriae
Neque dissimilis
Eius potentiae,
Esto placabilis
Nostrae militiae,
Nos ligans regulis
Legis iustitiae.

22. Caro deifera
Laudanda plurimum,
Ducens ad aethera
Credentem populum
Tibi confoedera
Me tuum famulum
Et mentem repara
Per illud epulum.

23. O potentissima
Virtus, quam iugiter
Phalanx angelica
Laudat et dulciter,
Motus simplifica,
Quibus flebiliter
Curro per lubrica
mundi ac turpiter.

24. Virtus multifida
Mente cernentibus
Et fide fervida
Te metuentibus,
Expelle lurida
A nostris cordibus,
Quae facta sordida
Sunt culpae faecibus.

25. Inexhauribilis
Fons divae gratiae
Mentes a maculis
Lavans nequitiae,
Da tuis famulis
Donum scientiae,
Te laudum titulis
Ut laudent strenue.

26. O teletarchica
Illuminatio,
Fugatur hostica
Qua observatio,
Succurrat deica
Tua dignatio,
Nobis quos pestica
Vexat turbatio.

27. O ineffabile
Ens existentium,
Inattingibile
Per mentis radium,
Tui immobile
Des desiderium
Pressis per flebile
Mundi exsilium.

28. Ens personaliter
Trinum, essentia
Unum realiter
Sive substantia,
Potentialiter
Producens entia,
Gubernans dulciter
Haec providentia.

29. Summa essentia,
Incognoscibilis
Nec eloquentia
Es explicabilis,
Mentis potentia
Dupla capabilis,
Ut sapientia
Et ut amabilis.

30. O incessabile
Lucis profluvium,
Dans praeamabile
Cordi incendium,
Illustra debile
Meum ingenium,
Ut promam facile
Tuum praeconium.

31. Causa vivifica
Rerum viventium,
In mundi fabrica
Iam exsistentium,
In me mortifica
Carnis incendium,
Post mortem applica
Me gregi caelitum.

32. Vere principium
Es ineffabile,
Per omnem spiritum
Inattingibile,
Per te initium,
Ens o laudabile,
Habet proficuum
Omne creabile.

33. O summa trinitas
Carens initio
Fineque, veritas
Docet et lectio,
Tibi sit claritas
Et benedictio,
Sis nobis sanitas
Atque protectio.

34. O substantifica
Causa, principium
In mundi fabrica
Iam existentium,
Vires mortifica
Iam persequentium
In aula caelica
Dans nobis bravium.

35. Lumen de lumine
Vere describeris,
Qui velut fulmine
Perversos conteris,
Trusos a culmine
supremi aetheris,
In iudicamine
mergendos inferis.

36. O sancte spiritus
Et fons clementiae,
Descende caelitus
Ad servos hodie,
Reple divinitus
nos donis gratiae
Tollendo penitus
causas malitiae.

37. Pacis initium
Auctorque praepotens,
Te venerantium
Corda communiens,
Sis adversantium
Molimen abigens
Amorem mutuum
Et ipsis conferens.

38. Vita mirabilis
Vivorum entium,
Ineloquibilis
Linguis mortalium,
Tamen amabilis
Menti credentium
Et appetibilis
Per desiderium.

39. O super omnia
Summaque trinitas,
Quam simplicissima
Conectit unitas,
Nobis adproxima
Per tuas gratias,
Quos premit pessima
Mundi cupiditas.

40. O filialitas
Aeterni filii,
Cui et aequalitas
Sui principii,
Absolvat pietas
Summi consilii
Ferentes animas
Ignes incendii.

41. O fons clarissime
Divinae gratiae,
Hortum uberrime
Rigans ecclesiae,
Munda citissime
Me a sorditie,
Quam causant pessime
Hostes nequitiae.

42. O summa claritas
Lucis perpetuae,
Devotas animas
Lustrans assidue,
Meas inscitias
Doctrinis imbue,
Legis per semitas
Ut vadam congrue.

43. Antiquus diceris
Et hoc per symbolum,
Eo quod concluseris
Tempus et saeculum,
Nam fluxi temporis
Eiusque circulum
Quod circumdederis,
Patet ad oculum.

44. O cor altissimi
Eructans optimum
Verbum, quod animi
Expellit vitium,
Mei pauperrimi
Animum inscium
Amoris intimi
Lustret incendium.

45. Virtus deifica
Bonorum omnium,
Quam theologica
Declarant plurimum,
Et nos sanctifica
Per sanctum spiritum
Donantem caelica
Mentisque gaudia.

46. Rex, regum domine,
Qui regis omnia
Tuo creamine
nunc existentia,
Tenta iurgamine
Mundi dominia,
Tuo spiramine
fac concordantia.

47. Summa paternitas
Patri ascribitur,
Optima veritas
Nato tribuitur,
Aeterna bonitas
Amori traditur,
Personis trinitas
Tribus includitur.

48. O lux deifica
Ignorans tenebras,
Quae visu caelica
Terramque penetras,
Emunda lubrica
Mentis et scatebras,
Quas diabolica
Insevit pravitas.

49. Ignis o caelice
Ardens suaviter,
Accendens typice,
Purgans velociter,
Me, quaeso, respice
Misericorditer,
Adversos abice,
Da bona largiter.

50. Investigabilis
Dei divinitas
Et inscrutabilis
Eiusdem trinitas
Pellat a famulis
Culpas praeteritas
Et invisibilis
Hostis versutias.

Quinquagena II.

51. O causalissima
Veraque bonitas,
Erupit optima
Qua universitas,
Amore concrema
Servorum animas,
Quas gravat pesssima
Cordis frigiditas.

52. O sapientia
Te ipsa sapiens,
Intelligentia
Devotos instruens,
Sis me scientia,
Te precor, imbuens,
Qui ignorantia
Oberro nesciens.

53. Amor paracliti
Inexplicabilis,
Patris et filii
Nexus amabilis,
Resiste perditi
Hostis iam iaculis
Fraude praecipiti
Immissis credulis.

54. O triumphantium
Merces primaria,
Dulce solacium,
Quo gaudet anima,
Mihi consilium,
Te peto, intima
Turbato hostium
ex fraude plurima.

55. Mundanae machinae
Bella nunc pellere
Digneris propere,
o dulcis Domine,
Litis ex turbine
Dissitos flectere,
Pacis dulcedine
Ipsos coniungere.

56. O vita, omnibus
Quae praestas vivere,
Intelligentibus
Das intelligere,
Da mihi largius
Divina sapere,
Ut queam promptius
Te semper colere.

57. Indeceptibilis
Scrutator cordium,
Tuos a maculis
Expurgans mentium,
Obsiste spiculis
Nos persequentium,
In laudum titulis
Impedientium.

58. Pax, quam desiderant
Mundi confinia,
Quae multa titubant
Per adversantia,
Nunc ad te clamitant
Pro pacis gratia,
Ne his praevalcant
Hostium iurgia.

59. O lux, quae congregas
Dispersa viliter
Sed et illuminas
Mentes utiliter,
Depelle tenebras
Misericorditer
Culpas per varias
Congestas turpiter.

60. Largum principium
Divini luminis,
Munimen stantium
Vi tui numinis,
Metro laudantium
Te huius carminis,
Da participium
Beatitudinis.

61. O monas, omnia
Universaliter,
Sed creans entia
Particulariter,
Solare tristia
Corda hilariter
Pressa per vitia
Miserabiliter.

62. O vita, genetrix
Vitarum omnium,
His velut obstetrix
Dans necessarium,
Mens mea meretrix
Facta per vitium
Petit, o alitrix,
A te remedium.

63. Ens substantificum
Omnis essentiae,
Per evangelium
Dans legem gratiae,
Praesta remedium
Meae miseriae,
Qui vi turbantium
Vexor cotidie.

64. O sancte spiritus
Amor mirabilis,
Semper divinitus
Flagrans in angelis,
Absolve penitus
Nos a piaculis
Iungens caelestibus
Nos habitaculis.

65. O incessabilis
Divaque largitas,
Quae tuis famulis
Bona communicas,
En, me culpabilis
depressit pravitas,
Tollat amabilis
quam tua pietas.

66. O triplicabilis
Personis deitas,
Inenarrabilis
Quam simplat unitas,
Solvat a vinculis
Nos tua bonitas,
Culpae decipulis
Quos struxit satanas.

67. Forma formificans
Omne formabile,
Sapientificans
Pectus capabile,
Meum pacificans
Sis indomabile,
Tibi obtemperans
ut sit amabile.

68. Virtus multipotens
Producens omnia
Cunctisque providens
Benevolentia,
In finem dirigens
Sis vacillantia
Et esto amovens
Nos perturbantia.

69. Candor irradians
A summo lumine,
Obscura penetrans
Tuo micamine,
Tuae sis adiuvans
Matris precamine
Me, qui sum clamitans
Pro adiuvamine

70. Ens praestans omnibus,
Quae sunt, substantiam,
Tibi adhaerentibus
Per concordantiam,
Tuis supplicibus
Da patientiam
Pressis ab hostibus
Per insolentiam.

71. O fons largissime
Bonorum omnium
Supernae gratiae
Dans stillicidium,
Dones laetitiae
Nobis praesidium
Pellens maestitiae
Causas ac taedium.

72. O bonum omnibus
Concupiscibile
In existentibus
Vere mirabile,
Nobis credentibus
Semper amabile,
Desiderantibus
Es delectabile.

73. O rex regnantium
In mundi machina,
Sanctorum omnium
Quem laudant agmina,
Te deprecantium
Audi precamina,
Saeva quos hostium
Premunt molimina.

74. O ineffabilis
Bonorum summitas,
Cuius a saeculis
Claret benignitas,
Inaestimabilis
Condonet pietas
Tua nunc famulis
Culpas praeteritas.

75. Lumen cum lumine
Regnans in gloria,
Cum sancto flamine
Colendus latria,
Corda solamine
Reple et gratia
Nobis amamine
Participantia.

76. Vitae angelicae
Causa vivifica,
Qui potentifice
Gubernas omnia,
Ecclesiasticae
Plebis confinia
Placa mitifice
Pellens contraria.

77. O panis oriens
Invisibiliter,
Devotos nutriens
Delectabiliter,
Sis me reficiens
Spiritualiter,
Sic ne esuriens
Sim aeternaliter.

78. Sanctorum omnium
Excellentissime
Et existentium
Provisor optime,
Nos persequentium
Conatus reprime
Nec non propitium
Te nobis exhibe.

79. O summa sanctitas
Cuncta sanctificans,
Per leges optimas
Ad bonum ordinans,
Nostras sis animas
Labe purificans,
Quas fecit sordidas
Ferus exterminans.

80. O suavifica
Mentis cibatio,
Iungat deifica
Participatio
Me et angelica
Cooperatio
In aula caelica
Tuo consortio.

81. Pater ingenite,
Creator omnium,
Et unigenite,
Salus credentium,
Et tu, paraclite,
Solator tristium,
Tres unus credite,
Da caeli gaudium.

82. Fontalis deitas
Patri tribuitur,
Sed filialitas
Nato, qui gignitur,
Flamini caritas
Recte ascribitur,
Quo amabilitas
Omnis egreditur.

83. Tu forma procreans
Omne formabile,
Sapientificans
Spiritum facile,
Cor meum recreans
Esto culpabile,
Illud habituans
Per donum stabile.

84. Divina veritas
Lucens peremniter
Et summa claritas
Accendens dulciter,
Meas nequitias,
Quis foedor turpiter,
Absolvat pietas
Tua benigniter.

85. Donum deificum
Ex Deo veniens,
Semper beneficum
Te nobis exhibens,
Nostrum paraclitum
Te credo profitens,
Sis me paupereulum
Donis reficiens.

86. Fundator omnium
Tua potentia,
Vita viventium
Atque essentia,
Reginae virginum
Per sancta merita
Te collaudantium
Relaxa debita.

87. Causa vivifica
Rerum viventium,
In tota fabrica
Mundi degentium,
Motus mortifica
Nostrarum mentium
Per carnis lubrica
Vane currentium.

88. O cor altissimi
Eructans optimum
Verbum, quod animi
Depellit taedium,
Mei pauperrimi
Esto remedium,
Amoris intimi
Praestans incendium.

89. Lumen o splendidum,
Non exstinguibile,
Amoris fervidum
Dans incessabile,
Cor meum luridum
Ob scelus flebile
Fac tibi placitum
Et habitabile.

90. Amplexus deice
Indissolubilis
Et amor unice
Et incessabilis,
Maerorem disice
Servi plorabilis
Ortum ab hosticae
Fraudis tendiculis.

91. O bonum solidum
Cunctis optabile
Et per quadrifidum
Orbem laudabile,
Cor meum stolidum
Ac detestabile
Ad bonum fervidum
Fac et flexibile.

92. O princeps deice
In cunctis dominans
Ac potentifice
Subiecta ordinans,
Esto mitifice
Super nos virgilans
Quos premit hostice
Bellua insidians.

93. Insuperabilis
Dei potentia,
Ineloquibilis
Mundi facundia,
In tuis famulis
Sana debilia,
Quae causat flebilis
Culpae malitia.

94. O anatomica
Virtus paracliti,
Consors in gloria
Patris et filii,
Praesta donaria
Tui consilii,
Ut vitem noxia
Huius exsilii.

95. O lux fulgoribus
Micans mirificis,
Inferioribus
Lucens et caelicis,
Praesta cantoribus
His hymnis melicis
Iungi sonoribus
Choris angelicis.

96. Unum mirificum
Creata uniens
Per esse unicum
Omnibus praeminens,
Ens substantificum
Cunctis impertiens
Statum angelicum
Post te constituens;

97. O Iesu inclite,
Qui a principio
Natus mirifice
Es ab initio,
Tuae dulcissimae
Matris precatio
Nostrae miseriae
Sit abolitio.

98. Causa fortissima
Omnis causabilis,
Ex tota anima
Mihi amabilis,
Voce promptissima
Es praedicabilis,
Mente purissima
Cunctis laudabilis.

99. Lumen deificum
Inaccessibile,
Per cultum sedulum
Cunctis laudabile,
Cor meum stolidum
Et indomabile
Fac tibi placitum
Et bonis habile.

100. O sancte spiritus
Patris et filii
Fonsque mellifluus
Nostri remedii,
Nostri perpetuus
Sis dux exilii
Ac dator inclitus
Aeterni praemii.

Quinquagena III.

101. Ens verbo faciens
Cuncta subsistere,
Cuncta prospiciens
Hic et in aethere,
Me sis respiciens
Divino munere,
Modo deficiens
Qui sum prae scelere.

102. Gluten vivificum,
Cuius conexio
Coniungit unicum
Suo principio,
Te sanctum spiritum
Pandit processio,
Nostrum paraclitum
Vera confessio.

103. O verbum Domini
Et sapientia,
Ipsi ac pneumati
Par existentia,
Succurras homini
Tua clementia
Dato discrimini
Ob sua vitia.

104. Pater qui diceris
Misericordiae,
Tuis de superis
Dans rorem gratiae,
A nobis miseris
Pondus miseriae
Aufer a sceleris
Emundans scabie.

105. Causa substituens
Creata omnia,
Cuncta coambiens
Omnipotentia,
Sis nos instituens
Ad spiritalia,
Quos hostis saeviens
Trahit ad vitia.

106. Ens o gignificum
Ineffabiliter
Verbum mirificum,
Sed naturaliter,
Amorem deicum
Spirantes pariter,
Qui statum caelicum
Det nobis pleniter.

107. Intelligibilis
Divaque veritas,
Splendet in angelis
Cuius profunditas,
A tuis famulis
Pellatur falsitas
Et cum periculis
Omnis impietas.

108. O individua
Summaque trinitas,
Laude continua
Quam universitas
Laudat, praecipua
Tua benignitas
Praestet proficua
Nobis et gratias.

109. Pulchrum formificum
Cuncta pulchrificans,
Natura unicum
Filium generans,
Esto terrificum
Hostem exterminans
Lumenque caelicum
Super nos radians.

110. Dulce spiraculum
Patris et filii
Forteque vinculum
Amoris mutui,
Per adminiculum
Tui consilii
Aufer periculum
Ignis perpetui.

111. O sol iustitiae
Refulgens mentibus
Fulgore gratiae
Te requirentibus,
Manu potentiae
Resiste hostibus
Natos ecclesiae
Iam persequentibus.

112. Ens inneffabile,
Qui res, essentias
Verbum mirabile
Ex teque generas,
Cum quo amabile
Donum his conferas,
Qui canunt sedule
Has laudes inclitas.

113. O lux illuminans
Cuncta causalia,
In unum congregans
Rationalia,
Nostra exterminans
Sis criminalia
Ad bona revocans
Nos aeternalia.

114. Vita viventium,
Vigor et gratia,
Sed et substantium
Fortis substantia,
Menti colentium
Te des solamina,
Pressae per hostium
Dira molimina.

115. O lumen mentium
Intelligibile
In te credentium
Et praeamabile,
Cor meum vitium
Premit damnabile,
Quod hoc servitium
Pellat laudabile.

116. O simplicissima
Trinaque deitas,
Cuius in omnia
Redundat bonitas,
Velut peripsima
Te mea parvitas
Laudat pro gratia
Reddendo gratias.

117. O bonum optimum
Cunctis amabile
Nunc et in saeculum
Superlaudabile,
Cor meum squalidum
Ac detestabile
Tibi fac placidum
Et habitabile.

118. O perfectissime,
Qui nunquam deficis
Et potentissime
Creata perficis,
Doctrinis imbue
Me evangelicis
Et post hoc imprime
Choris angelicis.

119. Exemplar optimum
Amoris mutui,
Quo vivunt plurimum
Peccatis mortui,
Nostrorum hostium
Resistas astui,
Qui quaerunt iurgium
Quasi continuum.

120. O rex regnantium
In mundi partibus,
Pacis praesidium
Dans te colentibus,
Praesta auxilium
Mariae precibus
Nobis exsilium
Durum ferentibus.

121. Pax es pacificis
Atque concordia,
Ut claret credulis
Per evangelia,
Amore afficis
Et discordantia,
In unum colligis
Divisibilia.

122. O factor luminum
Cuncta prospiciens,
O verbum inclitum
Ab ipso prodiens,
O amor cordium
Ab his progrediens,
Sis desiderium
Meum perficiens.

123. O ineffabilis
Vita humanitus,
A sanctis angelis
Laudata caelitus,
Nos a piaculis
Absolve penitus,
Quos taeter vinculis
Constrinxit spiritus.

124. O princeps principum,
In terrae partibus
Per te regnantium
Sub tuis legibus,
Da pacis animum
credentum regibus,
Vanum per iurgium
Iam litigantibus.

125. Desiderabilis
Et superoptime,
Vere amabilis
Devotae animae,
Sis exorabilis,
Te precor intime,
Hostis tendiculis
Gravato pessime.

126. O sapientia
Domum aedificans,
Illam per varia
Dona consolidans,
Sis providentia
Me huic applicans,
In qua laetitia
Sim semper iubilans.

127. Virtus vivifica
Dei potentiae
Et causa unica
Omnis scientiae,
Nobis communica
Vel stillas gratiae
Et beatifica
Nos dono gloriae.

128. Vita laudabilis
Rerum viventium
A primis saeculis
Vitam habentium,
Resistas aemulis
Tibi credentium,
Te laudum titulis
Pie quaerentium.

129. Lux invisibilis
Tu Deus diceris,
Mire in angelis
Lucens et ceteris,
Solutos vinculis
Et rerum tenebris
Iunge christicolis
In regno aetheris.

130. Optima veritas
Et infallibilis,
Fugatur falsitas
Qua despicabilis,
En, me iniquitas
Premit damnabilis,
Quem tua pietas
Solvit a vinculis.

131. Lumen vivificum
Tuis dans vivere,
Quos iubes caelicum
Regnum appetere,
Da nobis lubricum
Mundum contemnere
Atque seraphicum
Amorem quaerere.

132. Virtus unifica
A se distantium
Et causa unica
Vere amantium,
Corda pacifica
Iam discordantium
Nunc sub catholica
Lege regnantium.

133. O simplex deitas
Carens initio,
Tibi sit claritas
Et benedictio,
Confortet animas
Tua dilectio,
Quas premit pravitas
Atque defectio.

134. Ens potens opifex
Omnis essentiae,
Causa et artifex
Et subsistentiae,
Peto, ne uti faex
Tradar miseriae,
Quem premit multiplex
Culpa lasciviae.

135. Ens inscrutabile
Esse dans omnibus,
Vere amabile
Te cognoscentibus,
Desiderabile
Te degustantibus
Et praedicabile
In cunctis gentibus.

136. O flumen olei
Caeli laetitiae
Ac torrens ignei
Vigoris gratiae,
Virtute fidei
Et sapientiae
Da nobis provehi
Ad lumen gloriae.

137. O substantifica
Cunctorum ratio,
Cuius mirifica
Est dominatio,
Iuvet angelica
Nos consolatio,
Quos diabolica
Turbat vexatio.

138. O decor caelice,
Deus mirabilis,
Quem laudant melice
psalmorum titulis
Plebes angelicae
Cum sanctis angelis,
Solve mitifice
Nos a piaculis.

139. O tranquillissimi
Amoris bonitas,
Pacans maestissimi
Cordis molestias,
Ne sinas opprimi
Tuorum animas
Hostis nequissimi
Pellens versutias.

140. Virtus deifica,
A devotariis
Odis per cantica
Laudanda variis,
Servos tutifica
Ab adversariis,
Gente daemonica
Ac duplicariis.

141. O forma deica
Infigurabilis
Neque angelica
Mente capabilis,
Virgo theotoca
Succurrat credulis.
Quos gens paganica
molestat scandalis.

142. Bonorum omnium
Genus describeris
Generalissimum,
Dans esse ceteris,
Nobis auxilium
Largire miseris,
Quos onus nimium
Gravat facinoris.

143. Inaccessibilis
Lux atque claritas,
Hostis terribilis
Propellens tenebras,
Me premit flebilis
Culpae obscuritas,
Pellat amabilis
Quam tua pietas.

144. Ens es omnipotens
Omnipotentia
Cuncta stabiliens
In subsistentia,
Virtute continens
Creata omnia,
Semper communiens
Cum providentia.

145. O lux mirifica
Illucens mentibus,
In laude deica
Se exercentibus,
Synaxi psalmica
Hac te laudantibus,
A culpa lubrica
Munda clementius.

146. Cunctis amabilis
Es te noscentibus,
Desiderabilis
Sic te amantibus,
Vere laudabilis
Peregrinantibus
Ac venerabilis
Pervenientibus.

147. Incomparabilis
Et summa trinitas.
Inaestimabilis
Cuius immensitas,
Te mea fragilis
Collaudat parvitas,
Petens ut humilis
Caeli delicias.

148. Sapientifica
Altaque trinitas,
Caeli hierarchica
Quam laudat dignitas,
Nobis benefica
Largire deitas
Post mundi lubrica
Vitae divitias.

149. O honorifica
Sanctaque trinitas
Ecclesiastica
Quam colit pietas.
Sed et angelica
Laudat sublimitas
Mundique fabrica
Seu universitas.

150. Vitae principium
Atque essentiae,
Laudat collegium
Quod nunc ecclesiae,
Per patrocinium
Matris clementiae
Duc nos in gaudium
Caelestis patriae.

Orat. ms. Turonenses saec. 15. Clm. Monacen. 20005. fol. 12a. — 16, 2 Cuius est mirifica. — 15, 4 daemoniaca. — 19, 1 omotheon. — 140, 4 daemoniaca. — 141, 1 deifica. — 145, 5 sq. und 7 sq. umgestellt.

II. Psalterium Secundum.

Quinquagena I.

1. Summum principium
Omnis principii,
Iusti iudicium
Agens et impii,
Praesta per filium
Donum consilii,
Bonum initium
Hymni eximii.

2. Supreme conditor
Bonorum omnium,
Cuius subordior
Fari praeconium,
Praesta, te deprecor,
Per tuum filium
Huius, quod molior,
Felix principium.

3. O diligibilis
Divina bonitas,
Inperscrutabilis
Cuius est deitas,
A tuis famulis
Tua benignitas
Pellat odibilis
Hostis versutias.

4. Incommutabilis
Et clara veritas,
Qua noxae flebilis
Abscedit falsitas,
Meae culpabilis
Vitae obliquitas
Ducatur regulis
Legis ad semitas.

5. O summa veritas
Ac ineffabilis
Et clara puritas
Imperturbabilis,
Recedat pravitas
Per te damnabilis,
Quam cudit Satanas
Cum suis famulis.

6. O delectatio
Quietans omnia
Hic in exilio
Nec non in patria,
Culpae corruptio
Me premit varia,
Cuius sanatio
Tua sit gratia.

7. O potentissime
Creator entium
Et superoptime
Inspector cordium,
Meae sis animae
In adiutorium
Et vires deprime
Me persequentium.

8. Nomen deificum,
Nomen mirabile,
Nec per theologum
Quemquam effabile,
Licet incognitum,
Tamen amabile
Per mundi ambitum
Et praedicabile.

9. O praeclarissimum
Lumen scientiae,
Infunde radium
Intelligentiae
Meum in animum
Et sapientiae,
Quem foedat plurimum
Nubes inscitiae.

10. Pax, universitas
Per quam conectitur,
Lex atque veritas,
Qua et construitur,
Dolus et falsitas
Procul abicitur,
Fides et aequitas
Nobis indicitur.

11. O causalissima
Veraque deitas,
In qua est optima
Et summa entitas,
Qua et plenissima
Exstat paternitas,
Proles verissima
Et prima caritas.

12. O vita omnium
Vitam vivificans
Et lux viventium
Visum illuminans,
Malos per meritum
Vitae purificans,
Iustos per praemium
Caeli deificans.

13. Summa paternitas
Et filiatio
Altaque caritas
Sive conexio,
Summa infinitas
Absque principio,
Te nulla entitas
Capit vel ratio.

14. Ens, cuius gratia
Est omnis statio,
Omnis essentia
Et omnis motio,
Ex sapientia
Nostra sit actio,
Tandem in gloria
Sit collocatio.

15. Ens, indicibilis
Cuius maioritas
Praestat et singulis
Tua prioritas,
Te laudum titulis
Nostra minoritas
Extollit, flebilis
Quam premit pravitas.

16. O trina unitas
Substantialiter
Et una trinitas
Sed personaliter,
Mea te parvitas
Petit humiliter,
Eius satietas
Sis aeternaliter.

17. O pater luminum,
Qui lucem generas,
Nostrorum criminum
Quae pellit tenebras,
Illustra mentium
Nostrarum latebras,
Expelle vitium,
Infunde gratias.

18. O rex mirabilis
Dictus Emmanuel,
Quem laudum titulis
Extollit Daniel,
Suis oraculis
Profert Ezechiel,
Ad partum virginis
Nuntiat Gabriel.

19. Lumen spiritibus
Intellegibile,
Sed nullis sensibus
Comprehensibile,
Mariae precibus
Sit impetrabile,
Quod his carminibus
Stat deprecabile.

20. Aeterne genitor
Aeterni filii,
Da mihi, deprecor,
Donum consilii,
Quo fiam dignior
Aeterni praemii,
Qui modo deprimor
Poenis exsilii.

21. Intellegibile
Verbum credentibus,
Sed incapabile
Externis gentibus,
Aufer benevole
A nostris mentibus
Onus culpabile
Cum noxae sentibus.

22. O eucharistia
Electos procreans,
Caelesti gratia
Devotos renovans,
Corda maerentia
Sis modo recreans,
Interna gaudia
In illis reparans.

23. Iesu, rex gloriae,
Rex magni nominis,
Magnae potentiae
Et fortitudinis,
Per matris gratiae
Vim deprecaminis
Redde nos patriae
Beatitudinis.

24. O summa trinitas
Sed personaliter,
At una deitas
Essentialiter,
Nostras angustias
Misericorditer
Aufer, dans gratias
Nobis hilariter.

25. Ignis deifice
Cuncta exsuperans
Et potentifice
Iustos illuminans,
Esto mitifice
Ad bonum revocans,
Quos premit hostice
Caro tabificans.

26. O vivacissima
Vita viventium
In tota machina
Mundi vigentium,
Per patrocinia
Matris credentium
Audi suspiria
Amare flentium.

27. Pax, amicitiam
In rebus construens,
Vilem discordiam
Ab eis removens,
A me vecordiam
Sis, precor, abigens,
Ne in dementiam
Ruam insipiens.

28. O ineffabilis
Virtus et gratia,
Incogitabilis
Mentis industria,
Intellegibilis
Intellegentia,
Superamabilis
Sed sapientia.

29. O decor deice
Decorans omnia,
Tibi catholice
Appropinquantia,
Aufer mitifice
Nos perturbantia,
Corda seraphice
Fac te amantia.

30. O finis omnium,
Pater omnipotens,
Nec non principium
Cuncta circuiens,
Omne mendacium
Sis a me removens,
Dictis veracium
Me semper instruens.

31. O summa trinitas
Atque mirifica,
Res terrae varias
Creans ac caelica,
Precamur, animas
Nostras justifica
Ac ignorantias
Sapientifica.

32. O bonum inclitum,
Ex quo sunt omnia,
Spirans paraclitum
Cum sapientia,
Canentes cantica
Haec cum laetitia
Duc post interitum
Carnis ad caelica.

33. Opifex deice
Omnis creabilis,
Turmae angelicae
Superlaudabilis,
Ecclesiasticae
Plebi amabilis,
Mihi specifice
Superamabilis.

34. Ens principaliter
Creatis dominans,
Te liberaliter
Sanctis communicans,
Hostis serviliter
Tuos humilians
Confusibiliter
Discedat rugitans.

35. Auctor o luminum,
Pater omnipotens,
Emittens radium
Et verbum sapiens,
Cor meum stolidum
Esto erudiens,
Currens per vitium
Velut insipiens.

36. Dei unitio
Superamabilis,
Divo nos radio
Ligans et vinculis,
Ab omni vitio
Serva et scandalis,
A stygis crucio
Atque ab aemulis.

37. O summa deitas
Atque potentia,
Cuius se bonitas
Ad exsistentia
Extendit, pietas
Tua et gratia
Solvat praeteritas
Culpas et vitia.

38. O verbum deicum
Inaccessibile,
Quod nec per physicum
Es eloquibile,
Per sanctum spiritum
Nobis audibile
Et per seraphicum
Ignem amabile.

39. Lux carens tenebris,
Illustrans omnia,
Quae sunt in superis,
Atque terrestria,
Succurre miseris
Pro tua gratia
In domo carceris
Vinctis ob vitia.

40. Summa essentia,
Dans esse omnibus
Per mundi spatia
Iam existentibus,
In purgatoria
Poena plangentibus
Succurrat gratia
Tua celerius.

41. Ignis ab omnibus
Irretentibilis
Et in te penitus
Es invisibilis,
O sancte spiritus,
Deus amabilis,
Me liga fortius
Amoris vinculis.

42. Lux lucens iugiter
In existentia
Sed specialiter
Tui capacia,
Modo feliciter
Me reple gratia,
Fruar perenniter
Ut caeli gloria.

43. Artifex omnium,
Cuius potentia
Coniungit entium
Divisibilia,
Paca credentium
Modo confinia
Iam dissidentium
Pro vana gloria.

44. Pulchrum pulchrificans
pulchrificabile,
Decor specificans
Specificabile,
Sis meum ordinans
Rationabile,
Cor quoque reparans,
Ut sit amabile.

45. Virtus vivifica
Aeterni pneumatis,
Quem laudant cantica
Huius poëmatis,
Tui rectifica
Virtute dogmatis
Acta tristifica
Praesentis schismatis.

46. O spirans gratia,
Pneuma salvificum,
Replens scientia
Chorum cherubicum,
Precor industria
Mentis per canticum,
Duc ad caelestia
Gregem catholicum.

47. O magne Domine
Superlaudabilis,
Sed non ab homine
Comprehensibilis,
Colendus carmine
Virtutum titulis
Caeli ab agmine
Et terrae incolis.

48. O sapientia
Missa de superis,
Carnis materia
Dum nobis iungeris,
Tua clementia
Det nobis miseris
Ex indulgentia
Levamen sceleris.

49. O dulcis Domine,
Regnans perenniter
Divino numine
Cum patre pariter
Sanctoque flamine,
Misericorditer
In iudicamine
Nos voca leniter.

50. Lucis essentiae
Causalis ratio,
Sanctae ecclesiae
Quam laudat contio,
Misericordiae
Matris oratio
Nostrae miseriae
Sit sublevatio.

Quinquagena II.

51. O bonum omnibus
Dans amicitiam
Veram praebentibus
Tibi militiam,
Da deprecantibus
Cordis munditiam,
Omnem a mentibus
Pellens malitiam.

52. O sapientia
Cum patre procreans
Cuncta causalia
Et bene ordinans,
Sis me ex gratia
Sapientificans,
Qui ex inscitia
Oberro cespitans.

53. Summa paternitas
Absque initio
Et filialitas
Seu filialitio
Et ita caritas
Sive processio,
Tua sit bonitas
Nostra salvatio.

54. Ignis, qui tribuis
Approximantibus
Tibi assiduis
Mentis conatibus
Amorem affluis
Devotionibus,
Assis indiguis
Meis precatibus.

55. Beata trinitas,
Cuius potentia
Nec non infinitas
Excedit omnia,
Pellat benignitas
Tua et gratia
Nostras miserias
Et adversantia.

56. Figura splendida
Patris substantiae,
Forma praefulgida
Cunctae essentiae,
Illustra turbida
Meae miseriae
Ducens ad lucida
Me caeli curiae.

57. Ignis innocue
Ardens in mentibus,
Ipsas proficue
Mundans a faecibus,
Assis assidue
Meis affectibus,
Servans assidue
Hos a sceleribus.

58. Ens existentibus
Esse constituens,
Bona clementius
Iisdem providens,
Nobis propitius
Sis et compatiens,
Quos gravat crebrius
Hostis insipiens.

59. Vivae fons gratiae,
O sancte spiritus,
Spirant quem unice
Pater et filius,
Sanctae ecclesiae
Assis divinitus,
Premunt angustiae
Quam nunc altrinsecus.

60. O lucens veritas
In mente hominis,
Quam nulla foeditas
Deturpat criminis,
Nos ducat pietas
Tui amaminis,
Quo est aeternitas
Beatitudinis.

61. O lumen, mentibus
Intellegibile
Te intuentibus
In caelo sedule,
Necte me fortius
Legali regulae,
Qui velut impius
Oberro frivole.

62. Virtus mirifica
Et supersapiens,
Vi potentifica
Res cunctas statuens,
Meum rectifica
Cor nunc deficiens,
Quod gens daemonica
Molestat saeviens.

63. Causa mirabilis
Et potentissima
Omnis creabilis
In mundi machina,
Finitis saeculis
In hac miseria
Laudem cum angelis
Te caeli regia.

64. O praestantissima
Et vera unitas,
Principalissima
Ac summa trinitas,
Te mea intima
Collaudat puritas,
Tibi ex anima
Dicendo gratias.

65. Ignis dans calidum
Appropinquantibus
Et mundum aridum
Existimantibus,
Cor meum algidum
Prae facinoribus
Fac tibi placitum
Piis laboribus.

66. O trina unitas
Essentialiter
Et una trinitas
Sed personaliter,
In qua paternitas
Potentialiter,
Verbum et caritas
Originaliter.

67. Pater, illumina
Tua potentia,
Fili, illumina
Nos sapientia,
Pneuma illumina
Tua clementia,
Duc ad intermina
Nos post praesentia.

68. Verbum, quo primitus
Facta sunt omnia,
Dum flaret spiritus
Sanctus per maria,
Assis divinitus
Tua clementia
Pressis iam penitus
Hostis ferocia.

69. Ignis vivifice
Igniens gelida,
Tibi unifice
Appropinquantia,
Corda mitifice
Nostra fac calida,
Quae luxu lubricae
Carnis sunt frigida.

70. O pulchritudinis
Fons et initium,
Beatitudinis
Dans beneficium,
Praesta per virginis
Sanctae suffragium
Nobis amaminis
Tui solacium

71. Causa mirifica
Bonorum omnium
In mundi fabrica
Iam exsistentium,
Plebem vivifica
Per pacem cordium,
Quae impacifica
Est per disturbium

72. Vita disseminans
Cuncta viventia
Et ad te revocans
Corda errantia,
Meum illuminans
Sis tua gratia
Per multa fluitans
Modo flagitia.

73. O decor caelice
Immarcessibilis,
Linguae angelicae
Inexpressibilis,
Plebi catholicae
Sis exaudibilis
Pressae non modice
Iam ab incredulis.

74. O inscrutabilis
Fons sapientiae,
Dator amabilis
Pacis et gratiae,
Nobis cum angelis
Da statum gloriae
Ac terrae incolis
Foedus concordiae.

75. O pax, quae congregas
Universaliter
Devotas animas
Tibi hilariter
Laudum excubias
Solventes pariter,
Ad sedes superas
Duc nos benigniter.

76. Ens recolibile
Es per memoriam,
Intellegibile
Per sapientiam,
Sed et amabile
Per tuam gratiam
Superlaudabile
Per providentiam.

77. O panis oriens
Ineffabiliter,
Devotos nutriens
Delectabiliter,
Sis me reficiens
Amicabiliter,
Cum mundum moriens
Linquam finaliter.

78. Esto propitius,
O rerum conditor,
Petit ardentius
Quod tuus debitor,
Da, ut in moribus
Sim compositior
Et in caelestibus
Sanctis vicinior.

79. O pulchra claritas
Verbi deifici,
Quam laudat puritas
Chori angelici,
Maxime caritas
Chori seraphici
Et luminositas
Chori cherubici.

80. Deus amabilis
Omni spiritui
Ac appetibilis
Et appetitui,
Da his cum incolis
Caeli te perfrui,
Qui te his titulis
Laudant assidui.

81. O Deus Elion,
Deus mirabilis,
Ac tu pantagathon,
Patri consimilis,
Et sacrum pneumaton,
nexus amabilis,
Superna in Sion
Iunge nos angelis.

82. Incognoscibilis
Es per prudentiam
Nec contemplabilis
Per sapientiam,
Nam noscit docilis
Per ignorantiam,
Quod non capabilis
Sis ni per gratiam.

83. Ens substantificum
Et supersapiens,
Statum angelicum
In te perficiens,
Praesta theoricum
Cor et intellegens
Mihi, phantasticum
Longe abiciens.

84. O filiatio
Paternae subolis,
O incarnatio
Indissolubilis,
O impraegnatio
Puellae nobilis,
Gratiae actio
Deo immobilis.

85. O ineffabilis
Summaque deitas,
Immensurabilis
Et alta trinitas,
Investigabilis
Essentialitas,
Superamabilis
Est tua bonitas.

86. O immutabile
Fundamen omnium
Ac diligibile
Plebi fidelium,
Coetum te sedule
Modo laudantium
Choro benevole
Iunge laetantium.

87. Vita vivificans
Cuncta viventia,
Ad vitam revocans
Et morientia,
Mentem sis renovans
Meam ex gratia,
Quam caro sordidans
Turpat per vitia.

88. Pater, qui filio
Praebes originem,
Eius consortio
Nexum amabilem
Spiras, incendio
Suo me habilem
Faciat praemio
Sive capabilem.

89. Ignis es lucidus
Potentialiter,
Tamen absconditus
Substantialiter,
Exaudi gemitus
Misericorditer,
Quos promunt spiritus
In poenis iugiter.

90. O virtutifica
Divina ratio,
Semper angelica
Quam laudat contio,
Sit a Satanica
Fraude defensio
Nostra deifica
Tua protectio.

91. O potens figule
Omnis creabilis,
Quem homo sedule
Laudat cum angelis,
Me tuae regulae
Liga capitulis
Errantem frivole
Multis piaculis.

92. Decor mirabilis
Et divinissime,
Invariabilis
Et superoptime,
Me tuis vinculis
Necte strictissime
A cunctis maculis
Mundatum animae.

93. Verbum altissimi,
Fons sapientiae
Et imbris optimi
Vitae ac gratiae,
Ne sinas supprimi
Natos ecclesiae,
Quos hostes pessimi
Turbant cotidie.

94. Ens menti hominis
Intelligibile
Nec non synderesis
Per vim amabile,
Mei nunc sceleris
Onus culpabile
Aufer et aetheris
Da regnum stabile.

95. O delectabile
Verum principium,
Intellegibile
Dans desiderium,
Vere amabile
Menti credentium,
Cordi terribile
Male viventium.

96. Causalis statio
Cunctorum stantium
Nec non et motio
Rerum mobilium,
Hoc famulitio
Te venerantium
Sit quietatio
Suarum mentium.

97. Pulchrum pulchrificans
Pulchrificabile
Sed et gratificans
Gratificabile,
Carmen hoc elegans
Sit acceptabile
Tibi, pacificans
Cor meum labile.

98. O ineffabilis
Divina unitas,
Sed explicabilis
Personis trinitas
Et applicabilis
Tribus identitas,
At vix capabilis
In his simplicitas.

99. O venerabilis
Summaque veritas,
Investigabilis
Cuius est dignitas,
At vere humilis
Et pura caritas
Erit capabilis
Res ad absconditas.

100. O summa trinitas
Excellens omnia,
Cui universitas
Pangit praeconia,
Mea pusillitas
Incurvat genua,
Ut praestes gratias,
Dimittas varia.

Quinquagena III.

101. O salutiferum
Devotae animae
Electuarium,
Iesu piissime,
Chaos pestiferum
Peccati reprime,
Quod premit miserum
Me nunc gravissime.

102. Rex admirabilis
Plebis angelicae
Canentis iubilis
Tibi hymnidice,
Nos carnis vinculis
Solutos lubricae
Caelorum incolis
Clementer adice.

103. O inflexibilis
Amor paracliti,
Nexus amabilis
Patris et filii,
Purges a maculis
Carnalis vitii
Ovantes titulis
Huius obsequii.

104. Pax tuos muniens
Serena gratia,
Ab ipsis auferens
Culpas et vitia,
Corda sis uniens
A se discordia,
Amoris conferens
Illis donaria.

105. O sapientia
Te sapientium
Atque industria
Mentis quaerentium,
Solare tristia
Corda maerentium,
Te conscientia
Pura colentium.

106. Pacis principium,
Iesu, rex gloriae,
Eius binarium
Declarans varie,
Mentes discordium
Ducas plenarie
In foedus intimum
Verae concordiae.

107. Oriens splendide
Depellens tenebras,
Amore fervidae
Menti dans gratias,
Emunda sordidae
Meae spurcitias,
Virtutis candidae
Parans delicias.

108. O summa puritas
Atque munditia,
Quam universitas
Laudat industria,
Meas praeteritas
Noxas et vitia
Absolvat pietas
Tua et gratia.

109. O splendor gloriae
Patris ingeniti,
Eius potentiae
Par et paracliti,
Mundi fallaciae
Carnique dediti
Subdimur gratiae
Tuae ut subditi.

110. O esca solida
Et venerabilis,
Quam sapientia
Dat suis famulis,
Det sua gratia,
Ut fiam habilis
In conscientia,
Iustus et humilis.

111. O sol iustitiae
Accendens animam
Per donum gratiae
Ad paenitentiam,
Nostrae malitiae
Exsicca scoriam,
Plenae munditiae
Dans conscientiam.

112. O diligibilis
Deus permaxime
Et appetibilis
Devotae animae,
Amoris vinculis
Stringe fortissime,
Qui te his titulis
Collaudant intime.

113. Vitae principium
Et exsistentiae,
Fons et initium
Omnis prudentiae,
Mihi donarium
Da sapientiae
Ac tandem bravium
Aeternae gloriae.

114. Summa divinitas
Gubernans omnia,
Quae tua bonitas
Fecit vi propria,
Absolvat pietas
Tua et gratia
Adflictas animas
Vi purgatoria.

115. Ignis illuminans
Illustrabilia,
Amore concremans
Et ignibilia,
Corda sis renovans
Defectibilia,
Quae culpa excaecans
Fecit debilia.

116. Forma pulchrifica
Formarum omnium,
In mundi fabrica
Hac existentium,
Laudes gratifica
Te venerantium
Ducens ad caelica
Nos post exsilium.

117. O lapis caelice,
Qui nectis fortiter
Muros ecclesiae
Ac mirabiliter,
Tibi nos adice
Amicabiliter
Et ex te refice
Sacramentaliter.

118. O substantifica
Vis existentium,
In aula caelica
Terraque stantium,
Mentes iustifica
Te venerantium,
Quas culpa lubrica
Foedat et vitium.

119. O pax pacificis
Colenda laudibus
Choris angelicis
Et ab hominibus,
His te hymnidicis
Dictis laudantibus,
Praesta Seraphicis
Accendi ignibus.

120. Munimen stantium
Et manuductio,
Luce carentium
Illuminatio,
Esto praesidium
Tuo auxilio
Te venerantium
Hoc famulitio.

121. O pax amantibus
Desiderabilis,
Vere credentibus
Et sanctis angelis,
Mariae precibus
Et adminiculis
Nos iunge citius
Caelorum incolis.

122. Pater califica
In te vivificans,
Fili califica
Sapientificans,
Pneuma califica
In te sanctificans,
Virtus deifica,
Sis nos laetificans.

123. Factor omnipotens
Omnis factibilis
Servans et uniens
Naturae vinculis,
Absolve miserens
Nos a piaculis,
Quos cepit persequens
Hostis reticulis.

124. O forma deica,
Forma mirabilis,
Nec vi angelica
Comprehensibilis,
Aufer phantastica
Hostis terribilis
Et nobis caelica
Da tuis famulis.

125. Virtus vivifica
Diversa colligens,
Conectens civica,
In bono uniens,
Esto maestifica
Corda reficiens,
Quae vis Satanica
Molestat saeviens.

126. O substantifica
Rerum maneries,
Has vi deifica
Formans in species,
Meae aedifica
Mentis parietes,
Quos diabolica
Deiecit rabies.

127. Vitis fructificans
Vina suavia,
Agmina satians
Supercaelestia,
Esto laetificans
Nos tua gratia,
Quos caro petulans
Gravat per vitia.

128. Vita vivifica,
Viva vivificans,
Ab his mortifica
Cuncta exterminans,
Quaeso, laetifica
Me, qui sum clamitans
Voce maestifica:
Sis mei miserans.

129. Amoris glutinum
Indissolubile,
Patrem et filium
Nectens fortissime,
Solve per vinculum
Amoris stabile
Meorum criminum
Chaos damnabile.

130. Lumen mirabile
Te intuentibus,
Intellegibile
Supernis civibus,
Superlaudabile
Te cognoscentibus,
Te praeamabile
Desiderantibus.

131. O summe genitor,
Qui unigenitum
Gignis, profiteor
Quem nostrum pretium,
Te mihi, deprecor,
Praebe propitium,
Qui nimis deprimor
Per multum vitium.

132. O suavissimum
Unguentum animae,
Inungens animum
Delicatissime,
Turbatum servulum
Ab hoste redime,
Qui vexat plurimum
Me et nequissime.

133. O unigenite
Summi principii
Ac dator inclite
Caelestis praemii,
Fac nos sollicite
Tui obsequii
Laudes ac debitae
In cunctis prosequi.

134. Amor deifice
Inexstinguibilis,
Mentes mitifice
In te qui stabilis,
Colentes melice
Te laudum titulis
In caelis adice
Beatis angelis.

135. Lumen illuminans
Lucis capacia,
Res bene ordinans
Cum providentia,
Corda vivificans
Sis tua gratia,
Quae motus sordidans
Necat per vitia.

136. O sapientia
Paternae gloriae,
Dans beneficia
Tuis largifluc,
Post transitoria
Huius miseriae
Duc nos ad praemia
Caelestis patriae.

137. O lux deifica
Lucens in superis,
Quam plebs angelica
Laudat in caelicis,
Nos munda lubrica
Culpa et ceteris,
Ne gens daemonica
Nos mergat inferis.

138. O invisibile
Lumen clarissimum
Et ineffabile
Linguis loquentium,
Investigabile
Menti prudentium,
Sed venerabile
Cordi credentium.

139. Lux admirabilis
Patris essentiae,
Dans dona singulis
Divinae gratiae,
Nos adminiculis
Tuae clementiae
Solvas a vinculis
Hostilis furiae.

140. Ens ineffabile
Linguis loquentium,
Manifestabile
Per formas mentium,
Sit acceptabile
Nostrum obsequium
Rationabile
Per exercitium.

141. O perfectissima
Causa viventium
In caeli regia
Hicque degentium,
Virtutes dissipa
Nos odientium
Et nos a latria
Tua trahentium.

142. Divine spiritus
Superamabilis,
Noster paraclitus
Qui vere diceris,
Nos legis penitus
Coapta regulis
Mundans divinitus
A culpae maculis.

143. O patris claritas
Cuncta illuminans,
O prolis veritas
Falsa exterminans,
O summa caritas
Perversa exsecrans,
Sis me, o trinitas,
Ad bonum ordinans.

144. O virtus unica
Substantialiter,
Verum triatica
Es personaliter,
Trisubstantifica
Impartibiliter,
Tamen triplifica
Es singulariter.

145. Vita omnipotens
Vivorum omnium,
Causa efficiens
Et seminarium,
Esto abiciens
Peccatum varium
Tuum inficiens
Stipendiarium.

146. Lux praesens omnibus
Tibi fideliter
Corde credentibus
Et integraliter,
Assis precantibus
Fiducialiter
Teque laudantibus
Hymnis hilariter.

147. Pax perfectissima
Et insolubilis,
Concordans infima
Cum caeli incolis,
Te precor intima
Mea scintillulis
Amoris concrema
Solvens a vinculis.

148. Pulchrum principium
Et pulchritudinis
Caelorum civium
Et mentis hominis,
Canenti canticum
Istius carminis
Largire gaudium
Beatitudinis.

149. Lumen de lumine,
Verbum et radius,
Iustos a crimine
Servans clementius,
Tuo micamine
Mundes interius
Hoc te in carmine
Laudantem crebrius.

150. Summa paternitas
Emundans omnia,
Filii veritas
Pandens mysteria,
Pneumatis caritas
Nos replens gratia,
O sancta trinitas,
Da caeli gaudia.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20005. fol. 22b. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20016. fol. 137a. B.

A hat die Bemerkung: „Incipit aliud carmen unde supra — Et est metrum asclepiadicum sicut praecedens."

32, 8 carnis ad caelestia AB. — 24, 4 Tua capacia AB. — 15, 7 exsecrans AB.

III. Psalterium Tertium.

Quinquagena I.

1. O primum principium
Omnium et causa,
Da felix initium
Aperique clausa,
Nostrumque servitium
Per te ipsum causa
Et per beneficium
Semper in nos pausa.

2. O sapientifica
Patris tu sophia,
Quam omnis angelica
Laudat hierarchia,
Te nobis theotoca
Genuit Maria,
Ducas nos ad caelica
Hac finita via.

3. O intellegibile
Lumen trinitatis,
Praestans te amabile
Igne caritatis,
Sis inexpugnabile
Scutum trinitatis
A malignis frivole
Nimisque gravatis.

4. O magnificentia
Sanctae trinitatis,
Tuis beneficia
Multa praestans gratis,
Audiat benignitas
Tuae pietatis
Conscripta sequentia
Stilo veritatis.

5. Verbum non dicibile
Ni patri aeterno,
At intellegibile
Oculo interno,
O lumen amabile,
Tibi me substerno
Et omne culpabile
Propter te nunc sperno.

6. Lux, cuius essentia
Splendet ab aeterno,
Fidei quam gratia
A remotis cerno,
Te pro indulgentia
Petens me prosterno,
Ne pro pertinacia
Tradas me inferno.

7. Amans et amabilis
Nexus utriusque,
Es superlaudabilis
Nobis utrobique,
Satan nos cum aemulis
Molestat inique,
Tuis adminiculis
Succurras ubique.

8. Bonitas thearchica,
Simplex in natura,
Quam laudat theotoca,
Virgo semper pura,
Ita et angelica
Felix creatura,
Plebs ecclesiastica
Sit in tua cura.

9. O desiderabilis
Cunctis summe Deus,
Quem insatiabilis
Cupit amor meus,
En, me exsecrabilis
Angit Iebusaeus
Nec non invisibilis
Stygis Philistaeus.

10. O summa munditia
Sanctae trinitatis,
Glorians potentia
Tuae maiestatis,
Emunda flagitia
Meae foeditatis,
Per quam ab infantia
Sordeo peccatis.

11. O intransmutabilis
Divina natura,
Quae es informabilis
Simplici figura,
Sed semper amabilis
Ab omni factura,
Sit de nobis famulis
Tuis tibi cura.

12. Lux, cuius micamine
Cetera videntur,
Ut de tuo lumine
Post illuminentur,
Daemones cum agmine
Suo effugentur,
Iusti consolamine
Tuo consolentur.

13. O intellegibile
Lumen trinitatis,
Vere venerabilis
Illis praedicatis,
Cor meum flexibile
Tuis fac mandatis,
Nunc abominabile
Multis pro peccatis.

14. O inaugmentabilis
Deus sed perfecte,
Neque minorabilis
Unquam circumspecte,
Munda me a maculis
Omnibus, dilecte,
Caeli tabernaculis
Invehas ut recte.

15. Virtus, quam angelica
Collaudat caterva,
Sed a te satanica
Gens fugit proterva,
Nos a vi phantastica
Ipsius conserva
Et in domo caelica
Tibi coacerva.

16. O supermirabilis
Bonitas divina
Et intellegibilis
Mente columbina,
Serves a periculis
Mentisque ruina
Et finitis saeculis
Tibi nos combina.

17. Causa summa omnium,
Causa singularis,
Qui creator entium
Iuste praedicaris,
Tui desiderium
Nobis largiaris,
A quibus per canticum
Illud collaudaris.

18. Summa sapientia
Miros dans fulgores,
Replentes scientia
Tuos laudatores,
Pura conscientia
Fac nos amatores
Tuos in iustitia
Et imitatores.

19. O summa dilectio
Nostri salutaris,
Tuorum refectio
Vere singularis,
Me cum contubernio
Meo tuearis
A malo consortio
Et canibus amaris.

20. Occulta divinitas
Nostrae rationi,
Quamvis te aperias
Contemplationi,
Quaeso, me subicias
Tuae ditioni,
Ad poenas tartareas
Ne cogar exponi.

21. O mira clementia
Nostri salvatoris,
Excolenda latria
Nobis cunctis horis,
Qui crucis supplicia
Affectu amoris
Tulit propter vitia
Vilis peccatoris.

22. O inenarrabilis
Fons deliciarum,
Praestans tuis famulis
Dona gratiarum,
Meae mentis oculis
Iustilla vel parum,
Ut possim a vinculis
Absolvi culparum.

23. Fundator mirificae
Universitatis,
Quam ornas mirifice
Natura ac datis,
Qua praestat angelicae
Virtus claritatis,
Te laudans magnifice
Fontem bonitatis.

24. O summa suavitas
Dulcia irrorans,
Quae infert adversitas,
Devotis dulcorans
Auferas versutias
Hostis, rogo plorans,
Culpasque praeteritas,
Feci quas ignorans.

25. Virtus ineffabilis,
Omnibus ignota,
Tamen contemplabilis
Anima devota,
Mea sit a maculis
Culpae per te lota
Et a cunctis scandalis
Penitus remota.

26. Lumen invisibile
Visu corporali,
Tamen attingibile
Intellectuali,
Cor abominabile
Meum prae mortali
Culpa fac aptabile
Pro vita legali.

27. Deus impalpabilis
Tactu manuali
Neque figurabilis
Conceptu mentali,
Oculo visibilis
Intellectuali,
Coniunge nos angelis
In die finali.

28. Trinitas, principium
Omnis hierarchiae
Supernorum civium
Nec non huius viae,
Duc nos per suffragium
Beatae Mariae
Tuum ad consortium
In extremo die.

29. Virtus potentifica
Summi creatoris,
Quam collaudant cantica
In caelorum foris,
Hymnos hos ratifica
Tui laudatoris
Ipsumque salvifica
In extremis horis.

30. O miram dulcedinem
Summae bonitatis,
Suam ad imaginem
Nos formantis gratis,
Duc nos ad indaginem
Tuae veritatis,
Ad videndum faciem
Tuae maiestatis.

31. Iesu sapientia
Patris ab aeterno,
Quem intelligentia
Animae nunc cerno,
Te pro indulgentia
Petens me prosterno,
Ideo praesentia
Propter te nunc sperno.

32. Opifex deifice
Omnis existentis
Per verbum mirifice
A te procedentis,
Exaudi mitifice
Preces te petentis
Et in se iuridice
Culpas punientis.

33. Bonitas thearchica
Omnis bonitatis,
Causa, quam hierarchica
Laudant praedicatis,
Fonte nos imbrifica
Tuae caritatis,
Auferens phantastica
Cuncta cum peccatis.

34. O causa efficiens
Omnis creaturae,
Ut fert auctor sapiens
Veteris scripturae,
En, me leo rugiens,
Ovem tuae curae,
Molestat percutiens,
Adesto mature.

35. O lumen deificum,
Lumen singulare,
Potens et angelicum
Coetum illustrare,
Digneris et lubricum
Me illuminare,
Impetum ut hosticum
Queam declinare.

36. O conectens unitas
Universitatem,
Stringens singularitas
Multiplicitatem,
Tua pellat bonitas
Meam pravitatem
Ac me plene instruas
Morum honestatem.

37. O bonum mirabile,
A quo cuncta bona,
Et communicabile
Es per tua dona,
Onus detestabile,
Precor, in me sana
Onusque portabile
Tuum mihi dona.

38. Trinitas, quae omnium
Rerum es creatrix
Et ita substantium
Substantificatrix,
Tuorum fidelium
Culpae sis purgatrix,
Ad aeternum gaudium
Tandem sublevatrix.

39. O Dei dignatio,
Quis digne mirari
Potest, quod plasmatio
Tua in altari
Te sacrat, cibatio
Modo salutari
Fias ex indicio
Tractus singulari.

40. Causa substantifica
Rerum creatarum,
Olim potentifica
Vi a te factarum,
Absolve angelica
Manu animarum,
Luctum purgatoria
Poena detentarum.

41. Fons o sapientiae,
Pater summe Deus,
Concupiscit anxie
Quem nunc amor mens,
En, me turbat varie
Stygis Philistaeus
Carnisque lasciviae
Sive Iebusaeus.

42. Lumen invisibile,
Ab aeterno lucens,
Te participabile
Omni rei praebens,
Cor abominabile
Meum culpis foetens
Fac tui capabile
Et amore fervens.

43. Deus aeternaliter
Magnus, pulcher, fortis,
Redolens suaviter
Mentium in hortis,
Consolare dulciter
Nos in hora mortis,
Faciens feliciter
Fore tuae sortis,

44. O pulchrum pulchrificans
Formas specierum
Illasque specificans
Mora sex dierum,
Esto me rectificans
Per amorem verum,
Ne per actum cespitans
Errem insincerum.

45. O virtus mirabilis,
Virtus infinita,
Nobis invisibilis
Exstans in hac vita,
Laudantes te titulis
Mente expedita
In fine cum angelis
Ad caelos invita.

46. Iesu admirabilis
Unipersonatus,
Sed duobus vinculis
Es binaturatus,
Nec multiplicabilis,
Trisubstantiatus,
Te laudat cum angelis
Mundi principatus.

47. Praeclara divinitas,
Cunctis praedicanda
Ac per laudes debitas
Semper veneranda,
Sed tua infinitas
Nobis admiranda
Non per artes aliquas
Est investiganda.

48. Gloriosa trinitas,
Regnans ab aeterno,
Tibi agens gratias
Mente me prosterno,
Propter te delicias
Huius mundi sperno
Et tu me custodias
Semper ab inferno.

49. O deificatio
Deificatorum,
O summa simplicitas
Simplificatorum,
Tu vera unitio
Tibi unitorum,
Certa revelatio
Tu es occultorum.

50. Finis et principium
Deus omnis rei,
Eius seminarium
Dans effigiei
Te per patrocinium
Rogo matris Dei,
Plangens scelus varium:
Miserere mei.

Quinquagena II.

51. O diva essentia,
Summe singularis,
Quae omnipotentia
Iuste gloriaris,
Nobis ex clementia
Dona largiaris,
Pravorum malitia
Quae exacerbaris.

52. Lux de luce prodiens
In aeternitate,
Creata circuiens
Tua claritate,
Esto me erudiens
Tua pietate,
Ne factus insipiens
Culpis cadam a te.

53. Nomen admirabile,
Nomen summi boni,
Quod nec est effabile
Nec potest exponi,
Attamen amabile
Meae rationi
Atque venerabile
Omni nationi.

54. Summa dominatio
Maiestatis trinae,
Quae semper initio
Cares atque fine,
Salva patrocinio
Caeli nos reginae
Ab aeterno crucio
Stygis officinae.

55. Vita nobilissima
Omnium vitarum
Manu potentissima
A te creatarum,
Me vel stilla minima
Pota gratiarum,
Quem crepido pessima
Deprimit culparum.

56. Vita, cuius omnibus
Praesidet maiestas,
Vivere viventibus
Quae clementer praestas,
Tua diris hostibus
Resistat potestas,
Quibus nostris mentibus
Oritur tempestas.

57. Trinitas substantium
Substantificatrix,
Mentium debilium
Et refocillatrix,
Nostrorum et cordium
Sis illuminatrix,
Quae caecat per odium
Infernalis natrix.

58. Virtus virtutifica
Virtusque divina,
Qua caeli mirifica
Gaudet officina,
Precor, me fortifica
Servans a ruina,
Ne me premat hostica
Fraus vel Satanina.

59. O magnificentia
Sanctae Trinitatis,
Creans exsistentia
Universitatis,
Corda paenitentia
Suis a peccatis
Consolare gratia
Tuae pietatis.

60. Rex regum et Dominus
Tu es dominorum,
Dictus nihilominus
Et Deus deorum,
Hymnum tibi promimus,
O sancte sanctorum,
Ut nos iungas coetibus
Per te beandorum.

61. O pater cunctipotens,
Omnium creator,
O tu Iesu oriens,
Hominum salvator,
Amor ab his prodiens,
Pie consolator,
Me tibi subiciens
Prosterno peccator.

62. O summa divinitas
In personis trina,
Sed tamen simplicitas
Permanet divina,
Sit amicabilitas
In me columbina,
Per te ne dolositas
Me fallat vulpina.

63. Vera pax, quam omnia
Appetunt creata
Simul habitantia
Sive disgregata,
Corda discordantia
Facito paccata
Et nobis contraria
Per te sint ablata.

64. O fontana claritas
Almae trinitatis,
A qua fluit bonitas
Universitatis,
Nos abunde repleas
Gratiarum aquis,
Quos indurat siccitas
Magnae pravitatis.

65. Ens desiderabile
A tibi devotis,
Sed inattingibile
A fide remotis,
Nobis venerabile
Nisibus ex totis
Atque praedicabile
Gentibus ignotis.

66. Luminis essentia,
Trinitas beata,
Qua lucent lucentia
Ex vi per te data,
A nobis nocentia
Aufer et peccata,
Uti conscientia
Fiat serenata.

67. O sancte paraclite,
Nam es consolator
Te quaerentis debite
Veluti peccator,
Mentis meae perditae
Esto restaurator,
Replens hanc charismate
Pius ut amator.

68. O indissolubilis
Amor deitatis
Et desiderabilis
Omnibus creatis,
Solve nos a vinculis
Mentis et peccatis
Dirigeque regulis
Tuae veritatis.

69. O beata Trinitas,
Vigor omnis esse,
Cuius gliscit pietas
Omnibus prodesse,
Nos trahit mortalitas
Ad mori necesse,
Tua tunc benignitas
Dignetur adesse.

70. Deus virtus, omnibus
Largiens virtutem,
Perdidi sceleribus
Meam iuventutem,
Per te festinantius
Vitia refutem,
Nam attingam citius
Tristem senectutem.

71. Deus potens artifex
Omnis monarchiae,
Qui laudaris velut rex
Cultu symphoniae,
Te precatur noster grex
Voto mentis piae,
Ne damnetur velut faex
In extremo die.

72. O communicabile
Bonum omnis rei,
Esse figurabile
Largiendo ei,
Antrum despicabile,
Quaeso, cordis mei
Tibi habitabile
Fac, o virtus Dei.

73. Amor divinissime,
Amor devotorum,
Te laudantum intime
Devotariorum,
Tu clementer supprime
Poenas defunctorum,
Et solutos imprime
Coetui sanctorum.

74. Iesu supersapiens
Patrisque sophia,
Quem flatu concipiens
Genuit Maria,
Te ipso reficiens
Esto me in via,
Qui sum iam deficiens
Mentis dyscrasia.

75. O primum principium
Temporis et aevi,
Quod per hoc servitium
Colere decrevi,
In quo per solacium
Mente requievi
Et hostis obsequium
Declinavi saevi.

76. Ens desiderabile
Cordi te quaerenti
Et superamabile
Amorosae menti,
Multum admirabile
Te inspicienti,
Superdelectabile
In te quiescenti.

77. Sacra ignorantia
Sempiterni Dei,
Vere es prasentia
Intellectus mei,
Quem non abundantia
Cuiuscunque rei
Satiat, sed gratia
Tuae facici.

78. Deus, existentium
Omnium origo,
En, me multa scelerum
Inquinat uligo,
Unde paenitentium
More me adfligo
Tuumque vestigium
Fletu mentis rigo.

79. O Iesu, rex gloriae,
Domine virtutum,
Purgans mundum varie
Peccatis pollutum,
Dono me scientiae
Facito imbutum,
Uti mentis acie
Declinem versutum.

80. O Deum mirabilem,
Deum venerandum,
Dantem se esibilem
Sive manducandum,
Mentem meam fragilem
Flecto ad laudandum
Hunc, qui se tam facilem
Praestat ad amandum.

81. Virtus inflexibilis
Quaquam potestate
A te ingressibilis
Stans aeternitate,
Tamen attingibilis
Amabilitate,
Sed et legum regulis
Ac humilitate.

82. Bonum indicibile
Linguis et scribenti,
Tamen diligibile
Summe piae menti,
Mihi appetibile
Affectu ferventi
Semperque laudabile
Cura diligenti.

83. Maiestas plenaria
Summae bonitatis,
Electorum gloria
In praedestinatis,
Fantes laudatoria
In his praedicatis
Perducas ad gaudia
Caeli cum beatis.

84. Iesu, existentium
Causa tu formalis,
In obscuris stantium
Lux interminalis,
Quem fovebat gremium
Matris virginalis,
Cuius patrocinium
Solvat nos a malis.

85. O beata trinitas,
Veritas et vita,
Cuius amabilitas
Exstat infinita,
Mea animositas
Culpis irretita
Ducatur ad semitas
Lege bipartita.

86. O incommutabile
Rerum fundamentum,
His inviolabile
Praestans fundamentum,
Iustis immutabile
Legis testamentum
Et interminabile
Iniustis tormentum.

87. O vita, fecunditas
Omnium vitarum,
Qua et immortalitas
Fluit animarum,
Per te nobis puritas
Conscientiarum
Detur atque foeditas
Mundetur culparum.

88. Iesu, praeamabilis
Patris genitura
Eiusque mirabilis
Splendor et figura,
A tuis nunc famulis
Aufer nocitura,
Quae hostis damnabilis
Infert summa cura.

89. Iesu, splendor gloriae,
Splendor paternalis,
Quo mundantur scoriae
Noxae mundialis,
Cum solvar a scabie
Vinculi carnalis,
Tuta me a rabie
Hostis infernalis.

90. Nomen Tetragrammaton,
Nomen summi Dei,
Nec non homousion,
Robur meae spei,
Tuere me de Sion
Dignum poenis rei
Et prece theotocon
Miserere mei.

91. O pulchrum mirificum
Omnium pulchrorum,
Decus dans vifificum
Naturae eorum,
Auferas horrificum
Ducem tartarorum
Impetumque hosticum
Servorum tuorum.

92. O virtus mirifica
Induta decorem,
Quam hac laude metrica
Laudo redemptorem,
In me recalifica
Exstinctum amorem
Et culpae mortifica
Penitus vigorem.

93. Fons intellegentiae,
Bonitas divina,
Qua gaudent essentiae
Caeli officina,
Nostrae ignorantiae
Pellas asinina,
Culpam iniustitiae
Cum fraude vulpina.

94. Conditor omnipotens
Appellatione,
Cuncta fovens, nutriens
Gubernatione,
Tua me erudiens
Sis instructione,
Qui erro insipiens
Obcaecatione.

95. O superamabilis
Dei pulchritudo,
Quam inenarrabilis
Decet sanctitudo,
Tua nobis famulis
Praestet lenitudo,
Locari cum angelis
Caelico in sudo.

96. Summe diligibilis
Es, o summe Deus,
Quem insatiabilis
Cupit amor meus,
En, me culpae maculis
Vexat Iebusaeus,
Hinc me ut damnabilis
Prosterno et reus.

97. O summa paternitas
Cunctis praedicanda,
O prolis nativitas
Nobis adoranda,
O sancti proprietas
Spiritus amanda,
Aufer poenas debitas
Pro culpa nefanda.

98. Summa Dei bonitas,
A qua omne bonum,
Praebens tuis gratias
Consolationum,
Tuum mea pravitas
Flectit ante thronum,
Uti a me abigas
Ensem ultionum.

99. O inenarrabilis
Institutor vitae,
A cunctis amabilis
Exstans infinite,
Nos tibi in singulis
Fac servire rite,
Ut finitis saeculis
Dicas: Mecum ite.

100. Misericordissime
Pater, Logos, Flamen,
Te per flagrans intime
Deprecor conamen,
Ut pellas mitissime
Praesens tribulamen,
Quo nos iniquissime
Hostes vexant. Amen.

Quinquagena III.

101. Trinitas ab omnibus
Rebus segregata,
Praestans abundantius
Illis praeparata,
Nostra mens humilius
Petit te prostrata,
Ut ipsius gemitus
Solvas et peccata.

102. O indissolubilis
Causa bonitatis,
Quam laudo cum angelis
In his praedicatis,
Dederim piaculis
Modo locum satis
Sacris adminiculis
Matris pietatis.

103. O rex, regum domine,
Carens detrimento,
Sed amictus lumine
Velut vestimento,
Mariae precamine
Purgare memento
Nos ab omni crimine
Brachio extento.

104. Ens et esse omnium,
Trinitas beata,
Te participantium
Per dona collata,
Corda te quaerentium
Per haec praedicata
Laetentur caelestium
Choris sociata.

105. O rerum principium
Superprincipale,
Ipsis contubernium
Donans sociale,
Duc nos in consortium
Tuum aeternale,
Quo canamus canticum
Tibi speciale

106. O princeps deifice
Omnis potestatis
Rectorque mirifice
Universitatis,
Subveni mitifice
Cunctis tribulatis,
Quos vexat barbarice
Auctor falsitatis.

107. Deus incapabilis
Mentis ratione,
Attamen laudabilis
Humano sermone
Et vere amabilis
In affectione
Ac desiderabilis
Contemplatione.

108. Summa pax, pacificis
Laudibus colenda,
Semper et angelicis
Turmis reverenda,
Aufer a catholicis
Mala perhorrenda
Ipsis a paganicis
Bellis infligenda.

109. Trinitas, principium
Superprincipale,
Creatis initium
Dans essentiale,
Cunctis per dominium
Praesidens aequale,
Caeli nos in gaudium
Perduc aeternale.

110. Donum eucharistiae,
Corpus Salvatoris,
Vas divinae gratiae,
Vas divi amoris,
Reple me cotidie
Spiritu timoris
Daque digne sumere
Te statutis horis.

111. O summa potentia
Sanctae Trinitatis,
Cuius excellentia
Claret in creatis,
Nobis det clementia
Tuae pietatis
Corda paenitentia
Nostris pro peccatis.

112. Benedicta trinitas,
Causa omnis entis,
Tu vera iucunditas
Te benedicentis,
Subleva penurias
Populi credentis,
Quem premit captivitas
Sive angor mentis.

113. O pulcher pulchrificans
Omne speciosum,
Omnibus communicans
Te ut gratiosum,
Meum sis fortificans
Corpus ruinosum
Atque cor illuminans
Culpa tenebrosum.

114. O forma formifica
Omnium formarum,
Virtute deifica
A te creatarum,
Aurem tuam adplica
Preci animarum
In poenis pro lubrica
Noxa detentarum.

115. O investigabilis
Entium pulchredo,
Fidei articulis
Quam devote credo,
Legis tuae regulis
Me totalem dedo,
Quem constrinixit vinculis
Infernalis praedo.

116. Maiestas mirifica
Summae trinitatis,
Quam collaudat fabrica
Universitatis,
Solamen communica
Tuae pietatis
Nobis aula caelica
Cum praedestinatis.

117. O intellegibilis
Mentis pulchritudo,
Cuius laudum titulis
Devotus insudo,
Esto in periculis
Mea fortitudo,
Ne me foedet maculis
Culpae turpitudo.

118. Bonum ineffabile,
Bonum infinitum,
Faciens amabile
Tibi cor unitum,
Meum fac frenabile
Per legalem ritum
Tuique capabile
Et in bonis tritum.

119. O bonum bonificans
Omnem bonitatem,
Iniusta iustificans
Per aequalitatem,
Dissona pacificans
Sis per caritatem
Et ad veram revocans
Unanimitatem.

120. Trinitas altissima,
Tuum per honorem
In me, quaeso, concrema
Peccati madorem,
Mea sic in anima
Perfice amorem,
Laude hac ut optima
Digne te honorem.

121. Iesu, pax credentium
Pacisque testator
Et in pace stantium
Iustus praemiator,
Omnium discordium
Sis pacificator,
Quos ducit in odium
Pacis depravator.

122. Lux, quae in caligine
Recte specularis,
Cum solo amamine
Menti relevaris,
Iungi mihi famine
Tibi patiaris,
Donec te in lumine
Cerni largiaris.

123. Benedictus Dominus,
Omnium creator,
Quem laudat attentius
Tuus venerator,
Me molestat Stygius
Frequenter venator,
Quem avellas citius,
O mi consolator.

124. O inaestimabilis
Amor deitatis,
Quo subvenit singulis
Nobis condemnatis,
Sed et aequat angelis
Suis praedicatis
Et finitis saeculis
Iunget nos beatis

125. Deus, decor omnium
Sive pulchritudo,
Ut recipientium
Capit aptitudo.
Pellat luctus tristium
Tua lenitudo,
Quos infligit hostium
Magna fortitudo.

126. O beata trinitas,
Virtus infinita,
Tuorum hereditas
In futura vita,
Hac, o summa bonitas,
Me ac meos dita,
Cum praesens calamitas
Fuerit finita.

127. Diva sapientia,
Forte alimentum
Dans inter convivia
Ac delectamentum,
Mentes reple gratia
Te benedicentum,
Quas gravant flagitia
Milia per centum.

128. Causa pulchritudinis
Rerum creatarum
Nec non et dulcedinis,
Nil habens amarum,
Mentium amaminis
Quoque devotarum
Sis pultrix formidinis
Conscientiarum.

129. O unum unificans
Omnem unitatem
Et in te simplificans
Multiplicitatem,
Te nobis communicans
Sis per pietatem
Malaque exterminans
Et iniquitatem.

130. Rex summae potentiae
Atque maiestatis,
Magnae providentiae
Et benignitatis,
Praesta donum gratiae
Ac humilitatis,
Scutum patientiae,
Ignem caritatis.

131. O magnificentia
Maiestatis Dei,
Quae est existentia
Omnis factae rei,
Corda fac capacia
Tuae requiei,
Quae clamant pro gratia:
Miserere mei.

132. Pater invisibilis
Per divinitatem,
Filius visibilis
Per humanitatem,
Spiritus amabilis
Ob benignitatem,
Repara in famulis
Tuis caritatem.

133. Unum o mirificum
Summae deitatis,
Personis triplificum
Causa trinitatis,
Sed rerum gignificum
Es pluralitatis
Et cunctis glorificum
Cultu pietatis.

134. Deus, qui ex omnibus
Merito laudaris,
Nam dator essentibus
Esse comprobaris,
Te benedicentibus
Odis his praeclaris
Tecum in caelestibus
Locum largiaris.

135. O pulchrum mirabile
Omnium pulchrorum,
Ens omne creabile
Faciens decorum,
Hoc per carmen habile
Te laudantem chorum
Ad interminabile
Regnum duc caelorum.

136. Deus admirabilis,
Bonus, pulcher, fortis,
Mihi venerabilis,
Donec hora mortis
Meae carnis vinculis
Absolvar distortis,
Laudem te cum angelis
Caelicis in hortis.

137. Virtus indicibilis,
Virtus infinita,
Demonstrata saeculis
Lege bipartita,
Te colentes titulis
Laudum in hac vita
Nos cum sanctis angelis
Ad caelos invita.

138. Lux impenetrabilis
Visu sensuali,
Sed intellegibilis
Oculo mentali,
Praesta nobis credulis
In die finali
Perfrui cum angelis
Vita immortali.

139. Lumen indeficiens
In tuo fulgore,
Devotos alliciens
Fervido amore,
Sis tuos reficiens
Attritos labore,
Quos et premit saeviens
Hostis cum furore.

140. Omnium principium
Superprincipale,
Non habens initium
Sed es aeternale,
Sume sacrificium
Illud musicale,
Quod tibi per gaudium
Offero mentale.

141. O vita viventium,
Vita singularis,
Causa exsistentium
Vere nuncuparis,
Mentibus colentium
Te odis praeclaris
In regno caelestium
Sedem largiaris.

142. O lux invisibilis,
Superlucens cuncta,
Omittens in singulis
Neque duo puncta,
Pro suis piaculis
Corda nunc compuncta
Serves a periculis
Viva et defuncta.

143. Creatorum omnium
Dominus ac rector,
Tibi servientium
Ad vitam director,
In me malignantium
Fraudis sis director,
Ab his in perpetuum
Praepotens protector.

144. O superlaudabilis
Divina maiestas
Et insuperabilis
Miraque potestas,
Praesta nobis famulis
Virtutes modestas,
Quos premit damnabilis
Scelerum tempestas.

145. Ens, causa, principium
Creatarum rerum,
Quem per id praeconium
Laudo Deum verum,
Dignum per servitium
Te colentem clerum
Duc in caeli gaudium
Post finem dierum.

146. Deus perfectissimae
Fons perfectionis,
Qui gloriosissime
Regnas caeli thronis,
Da iuvamen animae
Consolationis
Collaudanti intime
Te hymnorum sonis.

147. Ex quo, per quem omnia,
Modo singulari
Summa exstat hostia
Nobis in altari,
Det in conscientia
Ita me aptari,
Ut sim eius gratia
Dignus satiari.

148. Virtus substantifica
Summae trinitatis,
Qua exsistit fabrica
Universitatis,
Aurem tuam adplica
Istis praedicatis,
Quibus plebs angelica
Gaudet cum beatis.

149. O vita vivifica,
Datrix omnis vitae,
Quam turba angelica
Laudat expedite,
Adproba haec cantica
Dicta imperite
Tibique nos adplica,
Cum dices: Venite.

150. O beata trinitas,
Pater, nate, flamen,
Per quam universitas
Recipit iuvamen,
Adprobet benignitas
Tua hoc laudamen,
Cecinit pusillitas
Mea tibi. Amen.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm Monacen. 20005. fol. 31 b. A. — Orat. ms. Tegrinsense saec. 15. Clm. Monacen. 20016. fol. 148 a. B.

II.

DE CHRISTO DOMINO

PSALTERIUM TRIPLEX.

IV. Psalterium Primum.

Prooemium.

1. Mysticos intro scripturarum campos,
Carpere flores aptos symphoniae,
Iesu benigne, per quam veneraris
A me gaudenter.

2. Eterna patris, o Christe, sophia,
Per quem creavit sapienter cuncta,
Iubare tuo intellectus mei
Dirige gressum.

3. Sunt nam profunda, mira quoque verba
Eloquiorum sacra divinorum,
Quae, Deus alme, revelentur mihi
Gratia tua.

4. Sanctorum Deus, virtus atque vita,
Tibi solenne resonabo carmen,
Famuli tui veniam precantis
Suscipe vota.

5. Impetret mihi virgo gloriosa
Amoris tui flammam, quae obscuras
Scelerum pellat tenebras a mente
Te collaudantis.

6. Alme redemptor generis humani,
Votis precantum hac te melodia
Aurem inclina tribuens, quod optant,
Corde benigno.

7. Summus hoc pater, tecum hoc sacratus
Praestet amborum, pie Christe, flatus,
Cum quibus regnas Deus unus omni
Iugiter aevo.

Quinquagena I.

1. Ave, saluberrime
Amor devotorum,
Te submittens intime
Mentibus eorum,
Meae statum animae
Effice decorum
Et a via dirime
Turpi peccatorum.

2. Ave, missum caelitus
Verbum summi patris,
Conceptum divinitus
Alvo tuae matris,
Imbre sancti spiritus
Renova me gratis,
Eradicans funditus
Causas pravitatis.

3. Ave, praeclarissimum
Iubar sanctitatis,
Illustrans collegium
Christianitatis,
Meum clemens animum
Purges a peccatis,
Abigens taeterrimum
Hostem probitatis.

4. Ave, indeficiens
Copia credentum,
Altaris te tribuens
His per sacramentum,
Cor meum esuriens
Te vinum, frumentum,
Quaeso, sic reficiens
Tibi fac intentum.

5. Ave, qui distantia
Contrarietate
Facis concordantia
Tua veritate,
Hostis a fallacia
Et crudelitate
Servans reple gratia
Nos et caritate.

6. Ave, invictissime
Princeps o Messia,
Quem scripsit verissime
Omnis prophetia,
Tuae beatissimae
Matris prece pia
Mundes me ab animae
Meae dyscrasia.

7. Ave, cuius merito
Atque medicina
Solvimur a debito
Mentisque ruina,
Corda nostra facito
Fore columbina,
Ne fallantur subito
Fraude zabolina.

8. Ave, ineffabile
Verbum, quo creatum
Ens omne creabile
Est ac decoratum.
Tuum per mirabile
Nomen cunctis gratum
Mihi cor flexibile
Des et depuratum.

9. Ave, prudentissime
Mundi gubernator,
Vereor iustissime
Quem ego peccator.
O amabilissime
Pauperum amator,
Vitae meae pessimae
Esto reparator.

10. Ave, qui syngrammate
Tuae veritatis
Omni mundum dogmate
Purgas falsitatis,
Expurges a limate
Nos iniquitatis
Ditans theoremate
Summae deitatis.

11. Ave, decor nobilis
Omnium formarum
A patre a saeculis
Per te creatarum,
Obscura Christicolis
Pande scripturarum,
Quibus se a maculis
Mundent animarum.

12. Ave, sol, qui radio
Tuae claritatis
Iustos ab initio
Illustrasti gratis,
Me gravatum taedio
Pressumque peccatis
Concrema incendio
Tuae caritatis.

13. Ave, qui prudentia
Regis universum
Parentum ignavia
Ex parte perversum,
Me tibi per vitia
Revoces adversum,
Tua reddens gratia
Mentem corque tersum.

14. Ave, quem recolere
Nunc est mea cura
Et sic tibi reddere
Lucrum cum usura,
Fac me requiescere
Vita in futura,
Nulla quam accendere
Potest impostura.

15. Ave, per quem pravitas
Hostis est minuta,
Nobisque hereditas
Caeli restituta,
Cum tua divinitas
Carne est induta,
Post mortem humanitas
Vitae retributa.

16. Ave, misse caelitus
Splendor paternalis,
Nam es patri penitus
Coëssentialis,
Rudera radicitus
Nos a cunctis malis
Protegens divinitus
Pietatis alis.

17. Ave, immutabile
Spei fundamentum,
Quo consistit stabile
Legis testamentum,
Da indefectibile
Amoris augmentum
Mihi huius sedulae
Laudis per concentum.

18. Ave, invictissime
Gigas, qui draconem
Barathri fortissimae
Mortis per agonem
Evicisti, supprime
Per dilectionem
Tuam meae animae
Delectationem.

19. Ave, qui consilium
Vetus confimasti,
Quod tu ante saeculum
Cum Patre tractasti,
Cum te sacrificium
In cruce litasti,
Tibi sic credentium
Plebem adunasti.

20. Ave, rex dans gloriam
Tuis per favorem,
Virtutem, prudentiam,
Fidem, spem, amorem,
Aufer immunditiam,
Tribue decorem,
Dic: vive per gratiam,
Suscipe honorem.

21. Ave, qui de virgine
Olim es enixus,
Carne sic pro homine
Tandem crucifixus,
Tuo prae amamine
Tibi sim confixus
Atque defensamine
Ubique subnixus.

22. Ave, quem profiteor
Omnium rectorem,
Unde tibi obsequor
Huius per tenorem
Laudis tuae, deprecor,
Mihi des amorem
Auferens, quo inquinor.
Scelerum putorem.

23. Ave, sapientia
In divinitate,
Summa cum potentia
Imperans cum patre,
Obsequi ex gratia
Tua fac me grate
Tibi cum prudentia
Atque puritate.

24. Ave, exspectatio
Gentium cunctarum,
Laus et consolatio
Et salus earum,
Tua dira passio
Ignorantiarum
Mearum solutio
Sit atque culparum.

25. Ave, panis caelice
Satians egenum
Ac tuae deificae
Caritatis plenum.
Cordis mei disice
Affectum terrenum
Meorumque abice
Appetitum renum.

26. Ave, sol ex gratia
Menti dans acutum
Lumen, quo plantaria
Germinent virtutum,
Cor meum per varia
Scelera pollutum
Purges ac bifaria
Lege fac imbutum.

27. Ave, aromaticum
Vas benignitatis,
Tu vas odorificum
Vasque caritatis,
Statum fac pacificum
Contrarietatis,
Abigens terrificum
Hostem pietatis.

28. Ave, lucidissimum
Lumen mentis purae,
Splendorem clarissimum
Sacrae dans scripturae,
Per eius tutissimum
Iter ad futurae
Vitae habitaculum
Ducas nos secure.

29. Ave, rex fidelium
Libertatis tutor,
Rex, qui dicis: ego sum
Deus et non mutor,
Devote clamantium
Ad te sis adiutor
Et in nos surgentium
Esto persecutor.

30. Ave, qui dulcedinem
Tuae pietatis
Atque plenitudinem
Tuis praestas gratis,
Per inexstinguibilem
Ignem caritatis
Elima rubiginem
Meae pravitatis.

31. Ave, ineffabile
Verbum creatoris,
Cui hoc carmen nobile
Concino amoris,
Cor meum frenabile
Fac praecepti loris
Et indissolubile
Pessulo timoris.

32. Ave, quem sinceriter
Chorus beatorum
Collaudat perenniter
In regno caelorum,
Exoro suppliciter
Te meum decorum,
Ut iungar feliciter
Coetui ipsorum.

33. Ave, o suavitas
Super mel dulcescens,
Pellitur acerbitas
Mentis qua tumescens,
Mea per te pravitas
Quasi nix liquescens
Solvatur et falsitas
Merito vilescens.

34. Ave, o mitissime
Agne sternens fortem
Lupum per sanctissimae
Carnis tuae mortem,
Prohibe me, Domine,
Stygeam cohortem,
Ne trahat pro crimine
Nos ad suam sortem.

35. Ave, simplicissimum
Et universale
Lumen, patri luminum
Penitus aequale,
Praesta donum optimum
Sapientiale,
Quod pellat taeterrimum
Chaos criminale.

36. Ave, sol, qui algui
Praevales obstare,
Qui amoris mutui
Bonum vult turbare,
Caute fac nos astui
Hostis obviare,
Stygis qui nos aestui
Gliscit deputare.

37. Ave, ignis splendide,
Vitia comburens,
Puritatem sordidae
Animae reducens,
Mentis meae morbidae
Vulnera sis urens,
Indidit quae callide
Persecutor furens.

38. Ave, qui das gratiam
Et benignitatem
Spernenti malitiam
Atque vanitatem,
Da, vitem luxuriam,
Sequar castitatem,
Persequar fallaciam,
Amem veritatem.

39. Ave, cuius pedibus
Peccatrix famosa
Assistens hos crinibus
Tersit dolorosa,
Hinc per te clementius
Facta speciosa
Meruit prae omnibus
Esse amorosa.

40. Ave, sidus caelicum,
Fidei fulgorem
Largiens et mellicum
Gratiarum rorem,
Animabus supplicum
Tuum per amorem
Praesta beatificum
Statum post laborem.

41. Ave, vitis gratiae,
Vitis generosa,
Fundens indulgentiae
Vina copiosa,
Riga conscientiae
Meae aridosa,
Donum des laetitiae
Pellens luctuosa.

42. Ave, sapientia,
Spei certitudo,
Cuius venerantia
Odis his desudo,
En, me premit varia
Mentis valetudo,
Tua pellas gratia
Quam et fortitudo.

43. Ave, rerum omnium
Summa pulchritudo,
Qua mundatur mentium
Foeda turpitudo,
Propellatur tristium
Per te maestitudo,
Fraus quam infert hostium
Et amaritudo.

44. Ave, qui malitiam
Et impietatem
Pellis per iustitiam
Atque veritatem,
Da per tuam gratiam
Et benignitatem
Nobis caeli gloriam
Per aeternitatem.

45. Ave, fons dulciflue
Mella dans virtutum,
Mundans carnis defluae
Faecibus imbutum,
Certanti assidue
Praesta mihi scutum,
Transeam innocue
Ut hostem versutum.

46. Ave, decus nobile
Omnium pulchrorum,
Abigens culpabile
Virus vitiorum,
O indefectibile
Sidus supernorum,
Duc in infinibile
Nos regnum caelorum.

47. Ave, rex deifice,
Qui es honorandus
Cunctis, sed specifice
A me praeamandus,
Assis, nam barbarice
Vexat me nefandus
Hostis, carnis lubricae
Motus exsecrandus.

48. Ave, fons scientiae
Corda lustrans dura,
Qui erant inscitiae
Vitio casura,
Nostrae ignorantiae
Solve nos captura
Tuae sapientiae
Reserans obscura.

49. Ave, indicibile
Verbum summi patris,
Dogma infallibile
Docens veritatis,
Cor meum flexibile
Tuis fac mandatis
Et inexpugnabile
Linguis falsitatis.

50. Ave, cui carminum
Offero libamen,
Te cum patre luminum
Laudans atque flamen,
Dele, quaeso, criminum
Meorum atramen,
Ut post vitae terminum
Tibi iungar. Amen.

Quinquagena II.

51. Ave, cuius gloria
Laude et honore
Pango laudatoria
Poetarum more,
Mea in memoria
Esto cum dulcore
Pellens decoloria
Mali cum auctore.

52. Ave, princeps retinens
Ius imperiale
Mundi ac diripiens
Iugum infernale,
Cor meum desipiens
Tibi penetrale
Fac, inde abiciens
Pondus criminale.

53. Ave, cuius nomine
Iuste gloriamur
Quemque laudum carmine
Digne veneramur,
Tuo sub umbramine,
Iesu, protegamur,
Hostium a turbine
Quia tribulamur.

54. Ave infinities,
Iesu, lux divina,
Lustrans ut meridies
Corda columbina,
Per te saeva rabies
Cesset leonina
Eiusque satellites,
Fraus quoque vulpina.

55. Ave, Iesu, gaudium
Meum singulare,
Quem per hoc psalterium
Conor collaudare,
Praesta per suffragium
Matris tuae carae,
Fortiter me hostium
Ausum debellare.

56. Ave, panis caelice,
Qui esuriei
Succurris mirifice
Famulorum Dei,
Peto, rex magnifice,
Miserere mei
Auferendo hosticae
Fraudes rabiei.

57. Ave, flos praelucide
Amoris divini,
Rore pellens valide
Morsus serpentini
Virus, audi placide
Melos vespertini
Cantici, quod fervide
Canunt inquilini.

58. Ave, qui nos gratia
Tuae pietatis
Elimas a scoria
Nostrae pravitatis,
Contere potentia
Tuae maiestatis
Hostem cum versutia
Suae falsitatis.

59. Ave, vera claritas,
Quae pallorem nescis,
Qua fugatur falsitas
Mentiumque pestis,
Tua praestet pietas
Consolamen maestis,
Quos gravat adversitas
Motibus molestis.

60. Ave, quem a saeculo
Mundo prophetatum
Credimus, ab angelo
Matri nuntiatum,
Da credenti populo
Tuum famulatum
Sequi corde sedulo,
Servare mandatum.

61. Ave, cui sinceriter
Glisco deservire,
Et amplexus dulciter
Tuos introire,
Digneris velociter
Mihi subvenire,
Ne me culpae turpiter
Possint impedire.

62. Ave, sidus fulgidum,
Stella matutina,
Pectus purgans sordidum
A culpae sentina,
Fastum mentis turgidum,
Tuae disciplina
Legis fac me subditum
Tibique combina.

63. Ave, qui es specie
Mire decoratus
Atque donis gratiae,
Placidus et gratus,
Maerores ecclesiae
Cerne miseratus,
Auctoris nequitiae
Quam turbant conatus.

64. Ave, cui concinimus
Hymnum in praesenti,
Terram cum caelestibus
Provide regenti,
A lupis rapacibus
Manu nos potenti
Serva et a facibus
Aeterni tormenti.

65. Ave, praeclarissimum
Animae monile,
Gratia cor stolidum
Faciens civile,
Concinentem famulum
Opus hoc servile
Introire caelicum
Facito cubile.

66. Ave, quem glorifico
Hanc per hymnodiam,
Quam per sacram colligo
Hagiographiam,
Tibi, Christe, supplico
Matrem per Mariam,
Mihi des erratico
Te sequi vitae viam.

67. Ave, fons, quo defluunt,
Rivi gratiarum,
Qui credentum diluunt
Maculas culparum,
Unde chori concinunt
Tympanistriarum
Laudes, quibus affluunt,
Amicitiarum.

68. Ave, fons progrediens
Davidis de domo,
Adae sordem abluens
Contractam in pomo,
Per sitim, quam moriens
Sanctae crucis ramo
Sensisti, sis protegens
Me ab hostis hamo.

69. Ave, qui principio
Cares atque fine,
Regnans in consortio
Unitatis trinae,
Tempus, quo de medio
Tollar, est affine,
Hinc clamo: precario
Subveni festine.

70. Ave, fons melliflue,
Potum dans salutis
Te tua continue
Gratia secutis,
Noxas graves dirue
Meae iuventutis
Et felicem tribue
Statum senectutis.

71. Ave, qui in nomine
Tuo confidentes
Miro facis germine
Virtutum florentes,
Hoc in tuo carmine
Te benedicentes
Sint sub pacis tegmine
Tuae quiescentes.

72. Ave, cui adhaereo
Hunc per famulatum,
Nam te summa censeo
Laude sublimatum,
Te exorans adeo
Pro me flagellatum,
Ut luto venereo
Mundes maculatum.

73. Ave, qui catholicae
Es religionis
Auctor, sed haereticae
Pulsor fictionis,
Sis ecclesiasticae
Memor nationis
Atque caput deice
Barathri draconis.

74. Ave, Iesu inclite
Rector Olymporum,
Regens tuos debite
Loris praeceptorum,
Dicens: apprehendite
Disciplinam morum,
Ne dicam „discedite“
In fine saeculorum.

75. Ave, lux deifica,
Splendens a remotis
Corda in pacifica,
Quaeso, me devotis
Tuis aequalifica
Fide tibi notis,
Sic ut spernam lubrica
Viribus ex totis.

76. Ave, sidus caelicum,
Lucem dans cursanti
Huius mundi lubricum
Culpisque erranti,
Da mihi Cherubicum
Lumen deprecanti
Et per illud canticum
Laudes tuas fanti.

77. Ave, alimonia
Populi credentis
Laudis per praeconia
Te benedicentis,
Refice inania
Meae, quaeso, mentis,
Hostium immania
Bella patientis.

78. Ave, lumen caelicum,
Auferens vaporem,
Ingerit qui pesticum
Animae languorem,
Tuum per deificum
Da mihi timorem
Declinare lubricum
Veneris ardorem.

79. Ave, rex Emmanuel
Vitaeque futurae
Dator, regem Israel
Quem dicunt scripturae,
Nuntiavit Gabriel
Virgini te purae,
Ut veniret Ismael
Ad fidem secure.

80. Ave, summa veritas,
Cunctis praecolenda,
Qua docetur falsitas
Deorum spernenda,
Tua vere deitas
Est benedicenda
Atque immortalitas
Votis appetenda.

81. Ave, princeps datice,
Princeps pietatis,
Largiens magnifice
Tuis dona gratis,
Mala cuncta abice
Nostrae pravitatis
Et consortes caelicae
Fac hereditatis.

82. Ave, o conspicue
Iesu auctor pacis,
Inimici strenue
Premens vim bellacis,
Mei saxum dirime
Cordis contumacis,
Cremer ne perpetuae
Combustura facis.

83. Ave, obumbraculum
Mentis fatigatae,
Ab hac pellens pseudolum
Cum iniquitate,
Caeli tabernaculum
Supplex precor a te,
Quo possim in saeculum
Vivere beate.

84. Ave, qui potentia
Praees universis
Concordans contraria
Motibus diversis,
Adesto cum gratia
Iam ad te conversis,
Antea per vitia
Turpiter perversis.

85. Ave, cuius laudibus
Astra matutina
Venerantes crebrius
Mente cum supina
Astant, nostris precibus
Auditum inclina,
Quos pungit validius
Peccatorum spina.

86. Ave, qui per virginem
Nasci es dignatus,
Ut salvares hominem,
Qui erat creatus
Tuam ad imaginem
Beneque ornatus,
Sed ultro per daemonem
Fuerat prostratus.

87. Ave, per quem terrea
Caelicis iunguntur,
Morte tua Stygea
Vincla dum rumpuntur,
Duc nos ad aetherea,
Iusti quo ponuntur,
Membra nostra carnea
Quando dissolvuntur.

88. Ave, principatui
Dominans superno,
Concors potentatui
Patris ab aeterno,
Tuo dominatui
Supplex me prosterno,
Medelam reatui
Ut meo des interno.

89. Ave, pulcher floscule,
Mirum odoratum
Dans ac delectabile
Reddens caeli pratum
Sit hoc acceptabile
Tibi praedicatum
Et propitiabile
Mihi decantatum.

90. Ave, vita pauperum,
Ductor ac tutela,
Hostem pellens efferum
Sua cum suadela,
En, me gravat scelerum
Turpis curruptela,
Quam tuorum munerum
Relevet medela.

91. Ave, lampas lucida,
Lumen dans serenum,
Corda mundans sordida
Per actum terrenum,
Nostrorum fac frigida
Incentiva renum
Et ad bonum solida
Per legis tuae frenum.

92. Ave, sol deifice,
Cuius claritudo
Resplendet mirifice
Mentium in sudo,
Clementer me respice,
O summa pulchritudo,
Laudi honorificae
Tuae qui insudo.

93. Ave, dans scientiam
Eruditionis,
Iustis quoque gloriam
Retributionis,
Suspende sententiam
Iustae ultionis
Largiendo gratiam
Absolutionis.

94. Ave, quem devotius
Mundum gubernantem
Credimus et colimus
In caelo regnantem,
His te in apicibus
Sedulo laudantem
Semper in caelestibus
Tibi fac astantem.

95. Ave, indicibilis
Entium pulchredo,
Cui his laudum titulis
Cantionem edo,
Laudis tuae vinculis
Me totalem dedo,
Ut me a periculis
Serves cum decedo.

96. Ave, Deus Israel,
Ave, Iesu bone,
Vocatus Emanuel
Vatis cantione,
Te recturum Israel
Iugi ditione,
Matri dixit Gabriel
In salutatione.

97. Ave, quem promiserat
Lex et prophetia,
Et carne genuerat
Beata Maria,
Cor meum desiderat
Te, dulcis Messia,
Unde tibi iubilat
Hac in hymnodia.

98. Ave, rector caelitum
Molisque terrenae,
Gratias charismatum
Menti dans serenae,
Regionis aditum
Patefac amoenae
Nobis, qua in saeculum
Te laudemus plene.

99. Ave, Iesu, ianua,
Per quam grex iustorum
Caeli scandit ardua
Donis meritorum,
Te laudantes cernua
Voce hac hymnorum
Perducas ad pascua
Praedestinatorum.

100. Ave, Iesu millies,
Ave, Iesu bone,
Salutate centies
Hac in cantione,
Me confossum septies
Scelerum mucrone
Tuae matris recrees
Deprecatione.

Quinquagena III.

101. Ave, Iesu, speculum
Dei maiestatis,
Tua morte saeculum
Solvens a peccatis,
Meae, precor, vincula
Aufer pravitatis.
Uti te in saeculum
Laudem cum beatis.

102. Ave, sol praeclario
Lustrans te cernentem,
Faciens hunc radio
Virtutum splendentem,
Munda me ex vario
Scelere sordentem,
Mentis tamen gaudio
Te benedicentem.

103. Ave, vitis generans
Consolationis
Vinum, cor laetificans
Vi dilectionis,
Sitim sis refrigerans
Desolationis,
Quam infert exterminans
Impetus draconis.

104. Ave, dulcor veniae
Animae languentis,
Legis evangelicae
Tramite currentis,
In hac te poetice
Laude requirentis
Omne scelus abice
Simul cum tormentis.

105. Ave, alimonia
Spiritus devoti,
Carnis castimonia
Tibi bene noti,
Vitae sanctimonia
Tui simus toti,
Mundi per inania
Qui sumus remoti.

106. Ave, sol, quem genuit
Mundo maris stella,
Cum te carne induit
Ventris in arcella,
Assis, quia tepuit
Virtus, surgunt bella,
Ubique increbuit
Malorum procella.

107. Ave, lux videntium
Visu veritatis,
Tuque rex credentium,
Iudex aequitatis,
Da nobis auxilium
Mente tribulatis,
Removens obsidium
Hostis pravitatis.

108. Ave infinities,
Ave, pastor bone.
Plena cuius facies
Est consolatione,
Tua, precor, obvies
Hosti passione,
Me cum eius rabies
Premet in agone.

109. Ave, quem prophetice
Os Isaianum
Edidit mirifice
Fore incarnandum
Dicens, in Iesseicae
Virgae stirpe standum
Florem, qui mirifice
Redimat damnandum.

110. Ave, via gloriae,
Veritas et vita,
Per quam iniustitiae
Lex fuit sopita,
Dono sapientiae
Mentem meam dita,
Quo ab hostis rabie
Fiat praemunita.

111. Ave, qui es gratiae
Distributor iustus,
Tu decorus facie,
Fulgens et venustus,
Ad te clamo scabie
Scelerum onustus,
Praesertim lasciviae
Face semiustus.

112. Ave, mi amabilis,
Ave, speciose,
Cunctis carens maculis,
Rubens instar rosae,
Vere venerabilis
Menti amorosae
Et colendus titulis
Laudum copiose.

113. Ave, fons clarissime,
Continens viventes
Aquas, de quo animae
Hauriunt credentes,
Iesu benignissime,
In te confidentes
Ablue spurcissime
Scelere sordentes.

114. Ave, gigas strenue,
Fortior Samsone,
Cuius laus assidue
Fatur in ambone,
Vivere innocue
Fac me, Iesu bone,
Laudem ut perpetue
Te caeli regione.

115. Ave, splendidissimum
Creduli monile,
Cor cuius purissimum
Facis et subtile,
Me curvatum famulum
Tuum ad sedile
Reducas ad ovium
Tuarum ovile.

116. Ave, quem sinceriter
Caeli hierarchia
Collaudat sollemniter
Mira symphonia,
Subveni celeriter
Cum matre Maria
Mihi, qui debiliter
Gradior in via.

117. Ave, quem anterior
Populus maligne
Abiecit, posterior
Sed amavit digne,
Suscipe, te deprecor,
Carmen hoc insigne,
Laudare quo molior
Te, Iesu benigne.

118. Ave, theologicae
Auctor veritatis,
Vincitur haereticae
Fraus qua falsitatis,
Meae, precor, abice
Chaos pravitatis,
Sic me tandem adice
Beatificatis.

119. Ave, via regia,
Tutum dans ducatum
Ad caeli palatia
Post hunc incolatum,
Corda vacillantia
Vi adversitatum
Tua reduc gratia
Ad quietum statum.

120. Ave, lux mirifica,
Lux miri splendoris,
Gratia deifica
Mella dans amoris,
Precor, me rectifica
Intus atque foris,
Abigens molestifica
Causasque maeroris.

121. Ave, pax, quae dissona
Venisti unire,
Quando mundi machina
Visa est saevire,
Mea, quaeso, crimina
Velis abolire,
Caeli ut intermina
Queam introire.

122. Ave, cui materies
Rerum famulatur,
Cuius quoque species
A cunctis amatur,
Cordis mei glacies
Per te dissolvatur,
Animae sic acies
Ad te sustollatur.

123. Ave, patens Davidis
Domui fons clare
Scelerum a squalidis
Potens nos mundare,
Prae torpore aridis
Potum velis dare,
Hostibus ut rabidis
Queamus obstare.

124. Ave, securissime
Portus miserorum,
Deducens certissime
Ad regna polorum,
Iesu clemens, imprime
Viis mandatorum
Pervagantes pessime
In via errorum.

125. Ave, sator, semina
Serens sanctitatis,
Gratiae solamina
Praebens desolatis,
Evelle spurcamina
Meae foeditatis,
Nostra scribens nomina
Cum praedestinatis.

126. Ave, desiderium
Mentis amorosae,
Cuius domicilium
Reples copiose,
Repara hospitium
Meae ruinosae
Animae per vitium
Iacentis poenose.

127. Ave, abundantiae
Vitis, cordis maesti
Obvians tristitiae
Et noxarum pesti,
Tinctos turpi scabie
Amoris incesti
Redde amicitiae
Veri et honesti.

128. Ave, qui ferocia
Tela hostis trucis
Frangis per victricia
Signa sanctae crucis,
Corda famulantia
Tibi a caducis
Leves et ad gaudia
Ducas verae lucis.

129. Ave, qui clementia
Tua Magdalenam
Refecisti gratia
Dimittens amoenam,
Animam exascia
Meam culpis plenam,
Ne post ex iustitia
Mergatur in poenam.

130. Ave, cuius deitas
Hominem creavit,
Tuaque humanitas
Illum reparavit,
Satanae nam pravitas
Subdole hunc stravit,
Quem tua humilitas
Clemens relevavit.

131. Ave, promptuarium
Bonitatis Dei,
Credulae remedium
Dans esuriei,
Munda domicilium,
Iesu, cordis mei,
Faciens triclinium
Tuae requiei.

132. Ave, qui velamina
Pandis veritatis
Simulque spiramina
Praestas caritatis,
Duc in speculamina
Me divinitatis,
Per quae consolamina
Sumam eum beatis.

133. Ave, qui illuminas
Omnes venientes
In mundum et tenebras
Scelerum spernentes,
Duc in caulas caelicas
Te benedicentes
Semperque per debitas
Laudes extollentes.

134. Ave, quem in dexteris
Patris residentem
Credimus et radiis
Miris refulgentem,
Scelerum de tenebris
Educ me lugentem,
Faciens cum superis
Te benedicentem

135. Ave, Iesu, splendidum
Solis luminare,
Taetras noctes mentium
Potens propulsare,
Velis desiderium
Meum inflammare,
Ut te dilectissimum
Dignus sim amare.

136. Ave, fons, quo flumina
Fluunt gratiarum,
Quae mundant cavamina
Conscientiarum,
Audi suspiramina,
Precor, animarum
Degentum ob crimina
In locis poenarum.

137. Ave, qui non despicis
Preces contritorum
Mortis tuae meritis
Ad te conversorum,
Da solutis debitis
Scelerum meorum,
Socier hymnidicis
Choris angelorum.

138. Ave, lucens veritas,
Quae futura cernis,
Cuius radiositas
Splendet a supernis,
Tua, precor, pietas,
Per quam nullum spernis,
Cunctas pellat tenebras
Meis ab internis.

139. Ave, cui agmina
Omnium sanctorum
Canunt iubilamina
In regno caelorum,
Famulorum carmina
Suscipe tuorum
Et aufer molimina
Adversariorum.

140. Ave o solacium
Animae amantis
Et per desiderium
Ad te suspirantis,
Sana semisaucium
Cor te venerantis,
Laudis sacrificium
Devote litantis.

141. Ave, pax perpetua
Luxque beatorum,
Laudaris assidua
Voce qui piorum,
Prece rogo cernua
Te, meum decorum,
Ut propellas nocua
Insidiatorum.

142. Ave, cuius gratia
Finem ponit irae,
Nempe exsistentia
Ignoras odire,
Fac me cum constantia
Tibi oboedire,
Ad caeli tripudia
Queam ut venire.

143. Ave, victor subiugans
Goliath Gethaeum,
Qui contempsit arrogans
Populum Hebraeum,
En, te laudo iubilans
Salvatorem meum
Simulque te praedicans
Benedictum Deum.

144. Ave, admirabilis
Rerum pulchritudo,
Cuius laudum titulis
Gaudens nunc desudo,
Mea sis, amabilis
Iesu, fortitudo,
Quem gravat culpabilis
Mentis gravitudo.

145. Ave, Iesu, medice
Dulcis aegrotorum,
Vulnera mirifice
Sanans peccatorum,
Quaeso, dulcor unice
Tibi devotorum,
Me pusillum refice
Vi sacramentorum.

146. Ave, flos fraglantia
Mira replens mentem
Tuae cum constantia
Laudi assistentem,
Imple tua gratia
Me ingemiscentem
Cunctaque flagitia
Tibi confitentem.

147. Ave, nectar caelicum
Granumque frumenti,
Satians catholicum
Gregem in praesenti,
Exhibe munificum
Te mihi egenti
Et per illud canticum
Te benedicenti.

148. Ave, qui regimina
Tenes creatorum,
Quemque semper agmina
Laudant angelorum,
Exaudi precamina
Tibi devotorum,
Tribuens solamina
Cordibus eorum.

149. Ave, cui ecclesia
Conatur hymnire,
Laudis modulantia
Consonantis mire,
Honor nam et gloria
Est tibi servire
Mentisque constantia
Semper oboedire.

150. Ave, cui subservio
Hoc per famulamen,
Extremo in iudicio
Des auxiliamen,
Ne feram a consortio
Tuo sequestramen,
Sed iungar collegio
Beatorum amen.

Cod. S. Petri Salisburgen. b I 20. saec. 15. fol. 109a. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. anni 1470. fol. 49a. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. fol. 71a. C. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. fol. 44a. D.

Vor dem Prooemium hat A folgende Rubrik: Incipit oratio prooemialis in sequens psalterium de benignissimo Domino Iesu Christo, salvatore nostro dulcissimo, et concordat in melodia cum hymno Ut queant laxis resonare. Kürzer in B: Oratio praecambulans in opus sequens; concordat cum hymno Ut queant laxis.

4, 8 Et tibi fac. B. — 10, 3 Ab omni mundum A; fehlt B. — 10, 4 fehlt B. — 21, 2 enixus fehlt B. — 28, 8 Duces B. — 31, 8 Pessalo A. — 41, 5 Fuga conscientiae B. — 43, 6 messitudo A. — 64, 2 Hymnos B. — 73, 1 sq. qui es catholicae B. — 74, 5 Dicis B. — 79, 5 und 6 stehen hinter 7 und 8 A. — 80, 5 Tuae vere A. — 90, 4 suedela B. — 94, 5 Hic te A. — 107, 8 Hostis pervicacis BC. — 122, 4 A cuius amatur B. — 122, 7 sis acies A. — 128, 3 per victoria A. — 129, 4 Dimittens serenam B.

V. Psalterium Secundum.

Oratio prooemialis.

1. Inedicibile verbum, te colere
Gliscens per gratiam, imprimis petere
Duxi conveniens, ut lotus scelere
Digne sequentia queam depromere.

2. Haec ergo carmina audi clementius,
Auro fulgentia, obrizo pulchrius,
Delicta dilue, intende precibus,
Solve pericula, resiste hostibus.

3. En, sacrae paginae pratum ingredior,
De quo colligere flores subordior
Laudum, extollere quibus te molior,
Ut beneficiis tuis sim aptior.

4. Sed quis rite queat calamo scribere,
Tractare animo, lingua exprimere
Tua praeconia, cum et in aethere
In istis angelos constet deficere?

5. Ut autem minimas has digne concinam
Odas, paracliti da mihi gratiam,
Quae turbam auferat a me phantasticam,
Clementer doceat sophiam mysticam.

6. Summa tu trinitas, depelle vitium,
Vires consolida, iuva ingenium,
Digne ut efferam Mariae filium,
Qui nobis requiem det post naufragium.

Quinquagena I.

1. Ave, fragrantissime
Flos virginitatis,
Plantatus purissimae
Puellae in pratis,
Alitus altissimae
Rore trinitatis
Igneque dulcissimae
Hortus caritatis.

2. Ave, unigenite
Iesu summi patris,
In quem gentes perditae
Fremuerunt gratis,
Precibus nos inclitae
Tuae leva matris,
Curvat quos inolitae
Pondus pravitatis

3. Ave, Iesu hominum
Clemens miserator,
Inter nos et Dominum
Patrem mediator,
In insultus hostium
Esto propugnator
Noster ac caelestium
Donorum collator.

4. Ave, germen prodiens
Ab agro virginali,
Specie te contegens
Sub sacramentali,
Cor meum deficiens
Culpa prae mortali,
Quaeso, sis reficiens
Dono spiritali.

5. Ave, Iesu exigens
Honorem a luto
Scelerum, consentiens
Squalet quo versuto,
Sis me bonae protegens
Voluntatis scuto,
Ut a carne transiens
Collocer in tuto.

6. Ave, cunctis gentibus
O desiderate,
Ab antiquis patribus
Olim prophetate,
In poenis degentibus
Assis miserate,
Opem qui gemitibus
Crebris petunt a te.

7. Ave, leo strenue,
Qui per passionem
Evicisti congrue
Tartari draconem,
Eundem assidue
Fugere leonem
Fac me, qui continue
Perfero praedonem.

8. Ave, admirabilis
Super omne rarum
Et magnificabilis
Super omne clarum,
Propter nos prae angelis
Es minutus parum,
Unde laudum titulis
Laudo te istarum.

9. Ave, caeli gaudium,
Ave, Iesu Christe,
A coetu fidelium
Omne fugans triste,
Carnis post excidium
Clementer assiste,
Ne vincat obsidium
Perfidi sophistae.

10. Ave, cuius palpebrae
Per aquam renatos
Probant atque scelere
Reprobant foedatos,
Legis tuae litterae
Nos illuminatos
Reddant et resurgere
Faciant probatos.

11. Ave, capitanee
Christianitatis,
Quam defendis aureae
Scuto veritatis,
Precibus virgineae
Tuae, quaeso, matris
Sordibus me carneae
Munda voluptatis.

12. Ave, Iesu, Oriens
Voce prophetali
Dictus, nam progrediens
A corde paternali,
Saeculum caecutiens
Oculo morali
Illustras, abiciens
Causas omnis mali.

13. Ave, mihi carior
Cunctis o sophia,
Cui devote famulor
Hac hymnologia,
Succurre, te deprecor,
Cum matre Maria
Mihi, qui depopulor
Mentis dyscrasia.

14. Ave, tabernaculum
Virginis pudicae
Exiens, ad nihilum
Partis inimicae
Fraudes ducis, scandalum
Tollens cum radice,
Liberans homunculum
Ab inferni pice.

15. Ave, quem catholica
Lex docet invectum
Regna in Memphitica
Regis ob despectum.
O sapientifica
Virtus, intellectum
Meum reaedifica
Vitiis deiectum.

16. Ave, qui mirifice
Patri es aequalis,
Ut prodit verifice
Sermo prophetalis,
Gressus meos perfice
Legis tuae palis,
Protegens mirifice
Tuis me sub alis.

17. Ave, exsistentium
Summa pulchritudo,
Quem superbientium
Sprevit multitudo,
Vestem tegens pauperum
Acquisitam ludo,
Hac oda laudantium
Te sis fortitudo.

18. Ave, strenuissime
Gigas, qui Goliam
Vicisti fortissime
Mundi currens viam,
Precor intensissime
Patris te Sophiam,
Me a culpis redime
Matrem per Mariam.

19. Ave, agnus innocens
Patri victimate,
Mundum totum redimens
Ab iniquitate,
Praesta, mei miserens,
Uti legi datae
Per te sim oboediens
Prompta voluntate.

20. Ave, diademate
Fulgens divinali,
Pro nobis de pneumate
Ventre virginali
Conceptus, a caumate,
Quaeso, gehennali
Me conserva schemate
Ornans aeternali.

21. Ave, diligibilis
Amorosae menti,
Sanguine qui credulis
Tui testamenti
Succurristi vinculis
Hostis virulenti
Fractis atque pessulis
Stygei tormenti.

22. Ave, alimonia
Pascens uberose
Tuos tua gratia,
Qui te amorose
Sumunt et inania
Spernunt virtuose,
Meque de te satia,
Quaeso, fructuose.

23. Ave, Iesu regiae
Princeps potestatis,
Tu summae clementiae,
Summae maiestatis,
Da per matrem gratiae,
Matrem pietatis,
Ut in regno gloriae
Socier beatis.

24. Ave, indulgentiae
Fons et gratiarum
Lavans nos a scabie
Conscientiarum,
Quaeso, obliviscere
Ignorantiarum,
Quibus immundiciae
Servivi culparum.

25. Ave, qui virginea
Viscera intrasti,
Quae a cupidinea
Faece conservasti,
Tamquam lux aetherea
Illa illustrasti,
Mole cum corporea
Haec inhabitasti.

26. Ave, Iesu normula
Vitae christianae,
Tuae legis regula
Nostram sic compone
Vitam, ut te sedula
Laudem cantione
Hic et post per secula
Caeli regione.

27. Ave, pax, tranquillitas
Homini qua datur,
Cordisque serenitas
Per quam reparatur,
Meum res per varias
Plurimum vagatur,
Reduc, ne in tenebras
Laci demergatur.

28. Ave, cuius gloriam
Atque te gignentis
Cano per laetitiam
Iubilosae mentis,
Dona mihi gratiam
A te procedentis,
Torrentem ne incidam
Picis bullientis.

29. Ave, qui maerentia
Corda caeli bonis
Reples ac laetitia
Consolationis,
Tuae per victricia
Signa passionis
Mea purga vitia
Cum virtutum donis.

30. Ave, qui nobiliter
Hominem plasmasti
Et hunc mirabiliter
Bonis adornasti,
Sed misericorditer
Illum reformasti,
In cruce flebiliter
Quando exspirasti.

31. Ave, qui nos nobili
Sermonum suadela
Trahis a damnabili
Scelerum sequela,
Prece rogo humili,
Delicta obvela,
Quibus miserabili
Foedor corruptela.

32. Ave, verbum Domini,
Quo cuncta creavit
Atque primo homini
Vitam reparavit,
Qui, quando affamini
Hostis concordavit,
Sibi ac genimini
Mortem procuravit.

33. Ave, o suavitas,
Omni voluptate
Dulcior, qua pravitas
Mentis vitiatae
Pellitur, et bonitas
Illi datur a te
Tandemque aeternitas,
Qua vivat beate.

34. Ave, mi amabilis
Atque reverende,
Semper mihi sedulis
Votis requirende,
Prece venerabilis
Matris apprehende
Arma et periculis
Cunctis nos defende.

35. Ave, fons munditiae
Abluens fermentum
Inoboedientiae
Primorum parentum,
Meae conscientiae
Statum foetulentum
Munda tuae gratiae
Largiens augmentum.

36. Ave, flos virginee,
Flos miri odoris,
Nobis temporanee
Vi caelestis roris,
Ortus virgae Iesseae
Stipite decoris,
Noxae fuga carneae
Virus ac livoris.

37. Ave, cui libamina
Laudum amorose
Ista per dictamina
Libo copiose,
Praebe medicamina
Meae vulnerosae
Menti, quam peccamina
Gravant onerose.

38. Ave, qui miseriam
Intrans mundialem
Venisti per caelicam
Portam virginalem,
Post istam volaticam
Vitam et mortalem
Nos ad beatificam
Duc et aeternalem.

39. Ave, o rex gloriae,
Domine virtutum,
Hostem plurifarie
Deprimens versutum,
Praesta mihi vincere
Impetum bellutum,
Quo conatur mergere
Me in faecis lutum.

40. Ave, Iesu, valida
Virtus infirmorum,
Tua pellens gratia
Virus vitiorum,
Tuorum considera
Corda famulorum,
Ne cadant vi callida
Adversariorum.

41. Ave, lux mirifica
Tuo cum splendore
Relevans maestifica
Corda de maerore,
Gratiae imbrifica,
Quaeso, me madore,
Mundi fugans lubrica
Mali cum auctore.

42. Ave, indeficiens fax,
Quam pater dedit
Mundo, qui caecutiens
Per fluxa incedit,
Te duce regrediens
Ad Deum accedit,
Noxas cum abiciens
Legibus obedit.

43. Ave, lux exposita
Loco excellenti,
Illustrans abscondita
Radio potenti,
Nostra solve debita
Vita in praesenti,
Ne post feram abdita
Aeterni tormenti.

44. Ave, speciosior
Iesu Absalone
Atque sapientior
Rege Salomone,
Moyse tu mitior,
Fortior Samsone,
Unde mihi carior
Omni datione.

45. Ave, qui es dulciter
Natus genetrice
Orta mirabiliter
David ex radice,
Arma me subtiliter
Fidei bilice,
Ut resistam fortiter
Liti inimicae.

46. Ave, diademate
Cinctus a paterna
Manu, cum biomate
Isti ad superna,
Tuae legis dogmate
Animae interna
Meae omni limate
Expurga veterna.

47. Ave, o laudabilis,
Ave, o benigne,
Qui a tibi credulis
Veneraris digne,
Assis tuis famulis
Tuum ob insigne
Nomen, qui ab aemulis
Gravantur maligne.

48. Ave, qui potentia
Mundum hunc sustentas
Atque sapientia
Prudenter gubernas,
Me insipientia
Caecatum ne spernas,
Sed tua clementia
Dulciter me cernas.

49. Ave, caeli ostium,
Quo intrant credentes,
Fraudes malignantium
Fortiter vincentes,
Quorum ad consortium
Perducas gaudentes
Laudis sacrificium
Huius offerentes.

50. Ave, qui Mosaicae
Legis obvelamen
Declarasti publice
Tuum per effamen,
Culpae meae abice
Deprecor atramen,
Laudem ut magnifice
Te per aevum. Amen.

Quinquagena II.

51. Ave, o fructifera
Olea caelestis,
Qua fugatur effera
Delictorum pestis,
Inimicis dextera
Obvia infestis,
Patri nos confoedera
Et succurre maestis.

52. Ave, ineffabile
Verbum Dei patris,
Attamen laudabile
Fide veritatis,
Cor abominabile
Meum pro peccatis
Nunc saltem fac utile
Dono pietatis.

53. Ave, summa veritas,
Subditur de iure
Cui universitas
Omnis plasmaturae,
Gaudia fer animas
Nostras in futurae
Vitae, carnis foeditas
Cum dabitur busturae.

54. Ave, misse caelitus
Amor liberalis,
Quem laudet cordicitus
Chorus clericalis,
Coniunctos germanitus
Mihi solve malis,
Protegens divinitus
Pietatis alis.

55. Ave, quem carnigerum
Deum profitemur
Simulque deiferum
Hominem fatemur,
Hostem in pestiferum
Per te confortemur,
Victores in siderum
Arce collocemur.

56. Ave, o immobilis
Petra et fundamen,
Quo plebs fide stabilis
Recipit tutamen,
Tuis in latibulis
Mihi des umbramen,
Donec non amabilis
Transeat fraudamen.

57. Ave, meum unicum
Dulceque solamen,
Tuae per mirificum
Mortis da luctamen,
Voluptatis pesticum
Vincam ut sufflamen,
Ne post mortis Stygeum
Feram ustulamen.

58. Ave, quadrifarium
Orbem qui potenter
Regis, adiutorium
Ipsi dans libenter,
Peccati plantarium
Auferas clementer
Hoc salutatorium
Pangentibus gaudenter.

59. Ave, cuius deitas
Carne palliata
Hominis miserias
Tollit et errata,
Unde tibi gratias
Reddens plebs renata
Psallat laudes debitas
Mente tranquillata.

60. Ave, flos, qui vario
Reficis odore,
En, peccatis cario
Repleor foetore,
Clamantem precario
Multo cum rubore
Me a multifario
Releva languore.

61. Ave, rex magnifice
Universitatis,
Illis quem hymnidice
Laudo praedicatis,
Hominem interfice
Meae vetustatis
Fortiterque subice
Legi veritatis.

62. Ave, suavissimum
Animae nutrimen,
Dans delicatissimum
Gratiae linimen,
Contra hostem pessimum
Mihi sis munimen,
Cum cis vitae terminum
Carnis linquam limen.

63. Ave, summum gaudium
Omni in eventu,
Tuis das solacium
Tuo in adventu,
Matris per suffragium
Atque interventu
Nos a malignantium
Protege conventu.

64. Ave, cathaxecon
Auctor divinarum,
Quis virtutum tothicon
Atque ceterarum
Reserasti kryphion
Laudum aeternarum
Me cantorem in Sion
Facito tuarum.

65. Ave, cuius gloria
Volat triviatim,
Unde et praeconia
Tua seriatim
Conor fretus gratia
Dicere affatim,
Ut me ad caelestia
Provehas citatim.

66. Ave, via regia,
Gentem peregrinam
Ducens ad caelestia
Lucem per divinam,
Tendentes per devia
Mentis ad ruinam
Reduc tua gratia
Pellem in ovinam.

67. Ave, mi amabilis,
Quem evangelizo
Istis in litterulis
Atque praeconizo,
Da, ut invincibilis
Hosti sim inviso
Olim a caelicolis
Graviter eliso.

68. Ave, te quaerentium
Via, lux, lucerna,
Sed invenientium
Salus sempiterna,
Nos expurga mentium
Labe a veterna,
Praeparans sic transitum
Nobis ad superna.

69. Ave, magnitudine
Qui es infinitus
Atque pulchritudine
Mira redimitus,
Tuo sim iuvamine
Semper praemunitus,
Hostis ne ligamine
Cadam irretitus.

70. Ave, prudentissime,
Doctor ignorantis,
Mundi se spurcissimae
Noxis oblectantis
Incentiva perime
Carnis petulantis,
Quae vigorem animae
Premunt te amantis.

71. Ave, quem gentilium
Reges sapienter
Credunt Dei filium
Et indubitanter,
Stellae per indicium
Invento gaudenter
Exhibent obsequium
Et colunt prudenter.

72. Ave, qui conspiceris
In aeternitate
A beatis animis
Incircumvelate,
Amoris incendiis
Uri precor a te,
Namque premor vitiis,
Alsi caritate.

73. Ave, cuius caelicae
Plebes ob honorem
Laudis honorifice
Resonant tenorem,
Carnis Aethiopicae
Emunda squalorem
Meque legi subice
Tuae per amorem.

74. Ave, quem cordiflua
Iubilatione
Laudo et assidua
Oris cantione,
Peccatorum cernua
Tua passione
Frange, rogo cernua
Supplicatione.

75. Ave, quem legalia
Comprobant veracem,
Ducentem ovilia
Terram ad feracem,
Reprime civilia
Bella, dona pacem
Ac repelle vitia
Hostemque bellacem.

76. Ave, de quo meditor
Hac in psalmodia,
Nam summi, profiteor,
Patris es sophia,
Esto complacitior
Mihi in hac via,
Omnibus miserior
Miseris sum quia.

77. Ave, alimonia
immortalitatis,
Corda replens gratia
Tuae caritatis,
Virtutum insignia
Praesta mihi gratis
Auferens zizania
Meae pravitatis.

78. Ave, fraglans floscule
Caelicis in pratis,
Odore cor flebile
Replens Sunamitis,
Sis inexpugnabile
Scutum tribulatis,
A perversis frivole
Multumque gravatis.

79. Ave, o vivifica
Virtus Dei patris,
Qua facta est fabrica
Universitatis,
Tibi me vivifica
Prece tuae matris,
Gaudia dans caelica
Cum praedestinatis.

80. Ave, flos virginee,
Pellens foeditates
Scelerum, quas carneae
Gignunt voluptates,
Molliantur aereae
Per te voluntates
Nostrae, quas aëreae
Indurant potestates.

81. Ave, seminarium
Omnis disciplinae,
Semen ferens varium
Caelicae doctrinae,
Stellae per suffragium
Tribuas marinae
Gratiae praesidium
Plebi paupertinae.

82. Ave, ineffabilis
Deus et perfecte,
Carnis nobis similis
Natura effecte,
Da te tabernaculis
Caeli, mi dilecte,
Saeculorum saeculis
Laudem circumspecte.

83. Ave, Iesu, virginal
Sacrum qui intrasti,
Per signum Ierobaal
Quod praefigurasti,
Tandem quoque bacchinal
Propter nos calcasti
Et antiquum Belial
Sic exsuperasti.

84. Ave, qui visceribus
Natus praecolendae
Virginis, fidelibus
Carae, amplectendae,
Eius nobis precibus
Teipsum ostende,
Pacem da petentibus,
Gratiam impende.

85. Ave, imputribile
Iesu vitae lignum,
Eius te amabile
Praestans et benignum,
O incommutabile
Verbum, mecum signum
Fac in bono, flebile
Pellens ac malignum.

86. Ave, qui prophetico
Ore prophetatus,
Nuntio angelico
Matri nuntiatus,
Atque sic mirifico
More incarnatus
Donoque deifico
Puer nobis natus.

87. Ave, o credentium
Salus sempiterna,
Quibus es caelestium
Largiturus verna,
Fugere me hostium
Caute fac caverna,
Ne captus per vitia
Mergar in inferna.

88. Ave, qui ecclesiae
Sanctae monarchiam
Tenens per iustitiae
Hanc deducis viam,
Fac per matrem gratiae
Virginem Mariam,
Me sequi plenarie
Patris te sophiam.

89. Ave, Iesu, nobilis
Veniae pincerna,
Fulgens laudum titulis
Veluti lucerna,
Legis tuae regulis
Ita me guberna,
Ut coniungar angelis
Domo in superna.

90. Ave, mentis splendidae
Clemens habitator,
Salutis omnimodae
Pius reparator,
Fac amare fervide
Me te, mi amator,
Ne me vincat callide
Impius temptator.

91. Ave, ineffabilis
Gignentis agalma,
Virgo quem amabilis
Peperit et alma,
Me corona flosculis
De virtutum palma
Ducque cum oviculis
Caeli ad agalma.

92. Ave, flos Iesseicam
Virgulam ornare
Volens et Iudaicam
Stirpem exaltare,
Farram pharisaicam
Velis expurgare,
Quae plebem chatholicam
Cernitur foedare.

93. Ave, sapientia
Iesu summi Dei,
Tenens in notitia
Formas omnis rei,
O mea fiducia,
Misereri mei,
Removens flagitia
Gravis poenae rei.

94. Ave, lucidissimum
Mundi luminare,
Caecitatem mentium
Potens propulsare,
Dignare me famulum
Tuum te laudare,
Tibi ut in saeculum
Queam corregnare.

95. Ave, quem in laudibus
His categorizo,
Cuius auro clarius
Splendet lux obrizo,
Succurre celerius
Peccatis eliso,
Ne tradar daemonibus,
Quando agonizo.

96. Ave, lux progrediens
Patre ab aeterno,
Quam salute indigens
A remotis cerno,
Cor meum caecutiens
Tibi nunc prosterno,
Ut sis hoc reficiens
Lumine superno.

97. Ave, de virginea
Carne nobis natus,
Isaias antea
Ut est protestatus,
Hymnus iste cornea
Tuba decantatus
Cuncta fuget noxia,
Deleat erratus.

98. Ave, cuius pedibus
Iuste me substravi
Ac totis conatibus
Veniam rogavi,
Malis nam operibus
Fidem profanavi
Sicque sacris legibus
Tuis obviavi.

99. Ave, cui melliflua
Organa hymnorum
Resonant continua
In regno caelorum,
Me, quaeso, evacua
Sorde vitiorum,
Digne ut ad pascua
Transeam sanctorum.

100. Ave, unguentarie
Praestans medicamen,
Perturbata varie
Quo mens relevamen
Percipit, per gratiae
Tuae consolamen
Munda me a carie
Vitiorum. Amen.

Quinquagena III.

101. Ave, Iesu omnium
Bonorum origo,
Cuius vim cognominum
Cautus investigo,
Me quem, heu, peccaminum
Inquinat uligo,
Munda, ut precaminum
Verbis te instigo.

102. Ave, caeli optimas
Virtutum sanctarum
Refovensque animas
Donis gratiarum,
Offerentes victimas
Caeremoniarum
A languore redimas
Conscientiarum.

103. Ave, sapientia
Consubstantialis
Patri ac per omnia
Illi coaequalis,
Propter nos ex gratia
Factus es mortalis,
Unde tibi gloria
Sit interminalis.

104. Ave, te quaerentium
Lumen veritatis,
Domini eloquium
Fonsque pietatis,
Tui da consortium
Fide confirmatis
In terra viventium
Cum praedestinatis.

105. Ave, petra stabilis,
Quae fidei structura
Stat inviolabilis
Nunquam ruitura,
Da, Iesu amabilis,
Te ut mente pura
Laudem cum caelicolis
Vita in futura.

106. Ave, Iesu semita,
Mundum qui distortum
Errantem per abdita
Ad salutis portum
Revehis, revectita
Me per angiportam,
Legem qui per vetitam
Factus sum ut scortum.

107. Ave, quia credulis
Merito vocare
Iustus, admirabilis,
Dei salutare,
Auribus me pariter
Velis auscultare,
Qui te laudum titulis
Conor exaltare.

108. Ave, qui opprobrium
Factus es Iudaeis
Magnumque ludibrium
Passus es ab eis,
Crucis cum supplicium
Sufferres pro reis,
O Iesu, remedium
Esto culpis meis.

109. Ave, salus gentium,
Ave, Iesu pie,
Quem dixit praesagium
Vatis Isaiae
Gignendum per uterum
Virginis Mariae,
Cuius per suffragium
Hac me salva die.

110. Ave, flos blastemate
Exortus regali
Et conceptus pneumate
Ventre virginali,
Munda me a phlegmate,
Quaeso, criminali
Et reple charismate
Sapientiali.

111. Ave, dyan caelica
Totum lustrans mundum,
Currentem per lubrica
Quasi furibundum,
Fraude diabolica
Me factum immundum
Munda vi deifica
Faciens iucundum.

112. Ave, quem caelestium
Chori sunt laudantes
Titulos perennium
Laudum concinnentes,
Redona amoenium,
Petimus gementes,
Princeps quod fallacium
Tulit per parentes.

113. Ave, caeli inclite
Terraeque creator
Atque tibi subditae
Plebis habitator,
Inclinato capite
Peto, mi amator,
Mentis meae perditae
Esto reparator.

114. Ave, o Hebraicae
Decus nationis,
Magnis quam dapatice
Praedotasti bonis,
Praesta, sim ut caelicae
Compos regionis,
Carmen hoc qui melicae
Pango cantionis.

115. Ave, o fidelium
Nobile iocale,
Amoris indicium
Et memoriale,
A me omne vitium
Aufer mundiale
Tui dans consortium
Mihi aeternale.

116. Ave, cuius deitas
Omnium est causa,
Tuque pandens veritas
In scripturis clausa,
Tua probet bonitas
Carmina haec plausa,
Pellens res illicitas
In me, quaeso, pausa.

117. Ave, o fortissime
Lapis angularis,
Parietes optime
Sacri nectens laris,
A Iudaeis pessime
Olim reprobaris,
Sed a tuis intime
Iusteque amaris.

118. Ave, Iesu, speculum
Sanctae paupertatis,
Pacis habitaculum,
Lux humilitatis,
Resolve piaculum
Meae pravitatis,
Iungar ut in saeculum
Beatificatis.

119. Ave, o magnifica
Virtus summi Dei
Atque, substantifica
Causa omnis rei,
Varios simplifica
Motus cordis mei
Eiusque mollifica
Petram glaciei.

120. Ave, quem hoc syrmate
Tracto de fontali
Scripturarum dogmate
Veneror, mentali
Iubilo boëmate
Tuo divinali,
Serva me a caumate,
Quaeso, infernali.

121. Ave, per quem civitas
Est aedificata,
In qua christianitas
Est significata,
Corda nostra pietas
Tua tranquillata
Reddat, quae impietas
Turbat prolongata.

122. Ave, per quem Satanae
Fracta est armilla,
Cum conceptus flamine
Es natus de ancilla,
Tua praesta, Domine,
Mortis per vexilla,
Ut in caeli culmine
Laudem te cum illa.

123. Ave, qui propaginem
Christianae gentis
Mundi iubes turbinem
Fugere torrentis,
Adhibe viredinem
Doctrinae fluentis,
Pellat quae caliginem
Nostrae caecae mentis.

124. Ave, Iesu lucidum
Caeli lumen, ave,
Cui amando plurimum
Pango melos suave,
Tuae per mundissimum
Carnis da conclave,
Liberer ad ultimum
Miserorum a vae.

125. Ave, cui semina
Amicitiarum
Cano haec per carmina
Modo poctarum,
Gravi pressum sarcina
Me miseriarum
Tibi nunc compagina
Donis gratiarum.

126. Ave, benignissime,
Iesu Samarites,
Sanas plagas animae,
Hostes quas immites
Intulerunt pessime
Scelerum per lites,
Me amorum intime
Iaculo sagittes.

127. Ave, rex iustitiae,
Ave, rex sublimis,
Qui abundas gratiae
Mercibus opimis,
Aufer amicitiam
Odiosam nimis,
Qua per immunditiam
Iaceo in imis.

128. Ave, agonistice
Hostis expugnator,
Tuorum sophistice
Qui est depravator,
Praesta, mundi fabricae
Prudens gubernator,
Tuus ut magnifice
Semper sim laudator.

129. Ave, o redemptio
Iesu captivorum
Et propitiatio
Plena dilectorum,
Esto consolatio
Meorum carorum
Degentium in stadio
Atque mortuorum.

130. Ave, quem sublimiter
Genuit Maria,
Sicut olim pleniter
Dixit prophetia,
Te laudantem iugiter
Hac in psalmodia
Dirige benigniter
In huius vitae via.

131. Ave, cuius facies
Coetui sanctorum
Exstat mira saties
In regno caelorum,
Meorum sis requies,
Precor, defunctorum,
Quos adhuc sordities
Gravat delictorum.

132. Ave, substantifica
Virtus summi patris,
Qua exsistit fabrica
Universitatis,
Cor meum califica
Aestu caritatis
Algidum ex lubrica
Culpa vanitatis.

133. Ave, salutariter
Nate de Maria,
Mea laudat dulciter
Quem doxologia,
Moriar vitaliter
Hac in mundi via,
Vivam ut perenniter
In caeli hierarchia.

134. Ave, o formifica
Iesu pulchritudo,
In qua omnis lubrica
Deest turpitudo
Carmen hoc ratifica,
In quo te saluto,
Me quoque pulchrifica
Iacentem in luto.

135. Ave, sapientia,
Omnis boni nutrix,
Veraque iustitia,
Mali persecutrix,
Tua sit clementia
Nostra semper tutrix,
Ne nos propter vitia
Poena mulctet ultrix.

136. Ave, qui devotius
Tibi adhaerentes
Es consuetus crebrius
Consolare flentes,
Istis in carminibus
Tibi concinentes
Gratiae fluminibus
Lava mundans mentes.

137. Ave, dux magnificae
Congregationis
Virtutis angelicae,
Istis quem in sonis
Resero poetice,
Te pium in donis
Rogo, non me despice
In hora agonis.

138. Ave lux, clarescere
Corda tenebrosa
Faciens, pro scelere
Luxuque lutosa,
Digneris reficere
Meae ruinosa,
Tandem fac me scandere
Caeli gaudiosa.

139. Ave, causa omnium,
Bonitas et vita
Tibique credentium
Salus infinita,
Nobis adversantium
Cohors sit contrita
Et nos ad consortium
Iustorum invita.

140. Ave, lumen prodiens
Patre ab aeterno,
Quod licet caecutiens
Visu mentis cerno,
Ecce, nunc subiciens
Tibi me prosterno,
Ut me mei miserens
Praeserves ab inferno.

141. Ave, qui virginei
Ventris es clausura
Cinctus pro viperei
Hostis impostura,
Solutos a carnei
Vincli nos cinctura
Liberes a Stygei
Ignis combustura.

142. Ave, germen nobile
Iesseae radicis,
Decus delectabile
Deferens in spicis,
Fove, quaeso, sedule
Gratiarum micis
Praegravatum subdole
Me ab inimicis.

143. Ave, quem primarium
Lapidem propheta
Scripsit, nam credentium
Robur es et meta,
Contra adversarium,
Rogo mente laeta,
Mihi dans praesidium
Sis agonitheta.

144. Ave, rex praecipue,
Caelo, terrae, mari,
Praesidens, assidue
Dignus collaudari,
Fac nos te proficue
Semper venerari,
Ut a te perpetue
Possimus beari.

145. Ave, venerabilis
Super omne clarum
Atque amicabilis
Super omne carum
Venerantes titulis
Laudum te istarum
Cunctis a periculis
Serva animarum.

146. Ave, princeps celsice
Caeli monarchiae,
Dulces quem Davidicae
Laudant melodiae,
Munera gratificae
Huius symphoniae
Accepta deificae
Meritis Mariae.

147. Ave, qui sub specie
Panis in altari
Sumeris cotidie
Modo singulari,
Domo conscientiae,
Sic me fac aptari,
Ut de te assidue
Queam satiari.

148. Ave, quem exercitus
Laudat angelorum,
Procellarum spiritus
Caelique caelorum,
Me purgatum funditus
A faece vitiorum
Conecte divinitus
Coetui iustorum.

149. Ave, Iesu, gloria
Summa devotorum,
Qui te cum ecclesia
Laudant electorum,
Audi cum clementia
Carmen hoc decorum,
Prompsi quod ex gratia
Donorum tuorum.

150. Ave, quem organice
Sanctorum examen
Extollit mirifice
Laudis per effamen,
Fantes huius melicae
Odae iubilamen
Contioni adice
Beatorum. Amen.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. anni 1470. fol. 69a. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. fol. 89a B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. fol. 47a. C. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. fol. 57a. D. — Orat ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20123. fol. 1a. E.

AB haben die Bemerkung: Oratio prooemialis in opusculum sequens; ode monocolos tetrastrophos, metrum asclepiadeum. Convenit cum metro hymnorum Sacris solemniis, Sanctorum meritis, Festum nunc celebre, dempto metro in quarto loco posito, quod hic etiam et asclepiadeum, sed in hymnis praemissis est glyconicum, ut patebit.

7, 7 qui fehlt A. — 27, 5 ergänze sel. cor. — 28, 5 Da mihi A. — 32, 5 Me conscientiae A. — 35, 6 feculentum AB. — 41, 5 Gratia imbrica A. — 54, 5 coniunctus A. — 63, 6 sq. fehlen A. — 64, 1 Zu cathaxeseon (lies cathecheseon) hat B die Glosse: doctrinarum. — 64, 3 bei tothicon hat A die Glosse: moralium (lies also ἠθικῶν?). — 64, 5 Krision ABC mit der Randbemerkung: absconditum (lies: κρύφιον) — 64, 6 Laudum literarum A. — 8, 2 Decus A. — 82, 3 similis nobis A. — 82, 5 Da de A. — 101, 5 quem fehlt A. — 101, 6 und 7 fehlen A. — 111, 1 Bei dyan bemerkt D am Rande: claritas Gracce est. — 114, 3 Bei dapatice am Rande: abundanter A. — 117, 4 Bei laris am Rande: domus ecclesiae A. — 121, 3 christianias A. — 133. 3 Mox laudat A. — 138, 1 lux fehlt A. — 141, 5 Solutus A.

VI. Psalterium tertium.

Oratio praeambula.

1. Cantu florigero serta nitentia
Laudum conectere nitens pro gratia,
Te primum adii, o sapientia,
Per quam sceleribus me, precor, ascia.

2. Revolvam igitur sacra volumina
Legis et gratiae scripta in pagina,
Quae laudes resonant et iubilamina,
Psaltis praecipue praeclara carmina.

3. Is nam in laudibus exercitatior
Exstat prae ceteris et elegantior,
Unde frequentius ipsum aggredior,
In isto carmine uti sim promptior.

4. Sed quae vox poterit lingua retexere,
Quis scribae calamus scribentis propere
Tuas per singula laudes conscribere,
Ni mentis tenebras velis discutere?

5. Torpor nam frigidus, tumens elatio,
Libido sordidans, frequens ambitio,
Voluptas indecens et turpis actio.
Repellunt gratiam a cordis ostio

6. Ut harum igitur atque similium
Medelam animae consequar pestium,
Te supplex adeo regem caelestium,
Qui consolator es cunctorum tristium.

7. Summa divinitas, per patrocinium
Beatae virginis iuva ingenium,
Aufer piacula, praesta subsidium,
Ut laudem sedule te in perpetuum.

Quinquagena I.

1. Ave, beatissime
Iesu, rex iustorum,
Cuius sunt iustissimae
Leges mandatorum,
Quibus doces spernere
Iter impiorum
Ac te caput intime
Sequi electorum.

2. Ave, spes fidelium,
Dulcis o Messia,
Probat Dei filium
Quem theologia,
Te in fine temporum
Genuit Maria,
Nobis in auxilium
Venit mater pia.

3. Ave, salus inclita
Animae languentis,
In legali semita
Debite currentis,
Virtutem debilita
Hostis persequentis
Et clementer abdita
Nostrae purga mentis.

4. Ave, sacrificium
Latens sub frumenti
Specie, solacium
Digne dans sumenti,
Per amoris basium
Corde quiescenti,
Spernenti mendacium
Veraque sequenti.

5. Ave, cuius laudibus
Assumus gaudenter,
Nam tuis muneribus
Utimur frequenter,
Verba nostra auribus
Percipe clementer,
Quibus te impetimus
Quasi violenter.

6. Ave, potentissime
Adae reparator,
Stravit validissime
Quem fallax tentator,
Fontem cerne lacrimae,
Quam fundo peccator,
Sis turbatae animae
Meae consolator.

7. Ave, Iesu cordium
Renumque scrutator,
Contra malos gladium
Vibrans ut pugnator,
A ran persequentium
Meus sis tutator,
Ferens adiutorium,
Mi dulcis amator.

8. Ave, Iesu gloria
A patre coronatus
Et magnificentia
Mire elevatus,
Assit tua gratia,
Peto inclinatus,
Quae expellat vitia,
Deleat reatus.

9. Ave, o refugium
Nostrum et adiutor,
Quando ad iudicium
Venies scrutator,
Tunc clamorem pauperum
Audi miserator
Vimque pelle hostium,
Fortis propugnator.

10. Ave, o fiducia
Animae devotae,
Fidei constantia
Tibi bene notae,
Orci fac supplicia
A nobis remote
Regionis gaudia
Largiens ignotae.

11. Ave, o dulcissimum
Meum salutare,
Quod conor per canticum
Id magnificare,
Cor meum foedissimum
Digneris mundare
Et purgatum septuplum
Mundum conservare.

12. Ave, cuius nomine
Opto benedici,
Mei ne fraudamine
Cadam inimici,
Ne me, quaeso, Domine,
Velis oblivisci,
Mortis ne discrimine
Stygis tradar pici.

13. Ave, o laudabilis
Iesu, summe Deus,
Quem insatiabilis
Cupit amor meus,
Fateor culpabilis,
Vanus sumet reus
Et abominabilis
Veluti Iudaeus.

14. Ave, qui ad nihilum
Hostem deduxisti,
Cum per verbi pabulum
Olim hunc vicisti,
Et sic tabernaculum
Caeli introisti,
Quo patri per saeculum
Conregnans sedisti.

15. Ave, Iesu, inclita
Pars hereditatis,
Quam per tua merita
Das praedestinatis,
Nostra solve debita
Dono pietatis
Et sic nos habilita
Regno claritatis.

16. Ave, cuius ditio
Patri est aequalis,
Nam et generatio
Exstat aeternalis,
Tua me dilectio
Protegat sub alis,
Ne ignis incendio
Urar gehennalis.

17. Ave, Iesu, firmitas
Debite credentis,
Virtus atque sanitas
Animae dolentis,
Comprime versutias
Hostis insurgentis,
Qui conatur animas
Tradere tormentis.

18. Ave, cuius gloriam
Narraverunt caeli,
Umbram legis variam
Resolventes veli,
Pelle ignorantiam
Famuli anheli,
Praestans sapientiam
Et ardorem zeli.

19. Ave, cuius nomine
Dum magnificamur
Gratiae pinguedine,
Plurimum laetamur,
A mortali crimine
Per te protegamur,
Ultimo examine
Ut non confundamur.

20. Ave, magni nominis
Rex, o Iesu bone,
Patris atque flaminis
Particeps coronae,
Mihi, quem sic praevenis
Benedictione,
Et beatitudinis
Decorem impone.

21. Ave, qui opprobrio
Impiis fuisti,
Quando in supplicio
Crucis defecisti,
Unde corde anxio
Patri tunc dixisti:
Cur in tanto crucio
Me dereliquisti?

22. Ave, fons plenissime
Aquis gratiarum,
Satians largissime
Sitim animarum,
Rogo te, carissime
Super omne carum,
Meae sitim animae
Recrea ut parum.

23. Ave, clavis reserans
Portas paradisi,
Adam quas exasperans
Clausit, qui invisi
Hostis fraudem cespitans
De caelo elisi,
Redde, quaeso, miserans
Me, tunc quae amisi.

24. Ave, Iesu, gratiae
Via, fons, lucerna,
Ductum dans laetitiae
Iustis ad aeterna,
Domum conscientiae
Munda a veterna
Labe et scientiae
Dono me guberna.

25. Ave, o initium
Omnis creaturae,
Cuius et dominium
Possides de iure,
Mihi municipium
Vitae da futurae,
In qua in perpetuum
Laudem te secure.

26. Ave, consolatio
Iesu, adflictorum
Et illuminatio
Cordium caecorum,
Nostra sis protectio
In die malorum,
Qua fiet discussio
Actuum nostrorum.

27. Ave, prime, ultime
Hominis creati,
Hostis nefandissime
Fraudibus prostrati,
Necte nos fortissime
Tuae caritati,
Misericordissime
Qua sumus salvati.

28. Ave, proles inclita
Excelsi tonantis,
Et de nube lucida
Voce proclamantis:
Exaudite monita
Nati praedicantis,
Scripturarum abdita
Vobis revelantis.

29. Ave, qui in carcere
Mortis consedentes
Eduxisti libere
Laude te sequentes,
Munda nos a scelere
Tibi confidentes,
Ne te mundi vespere
Videamus flentes.

30. Ave, qui in stipite
Crucis exclamasti
Spiritumque debite
Patri commendasti
Ac submisso capite
Eundem efflasti
Et sic, victor inclite,
Tuos liberasti.

31. Ave, lux errantium
Vias per distortas,
Dictum per supplicium
Patri quos reportas,
Ne in praecipitium
Inferique portas
Ruam, pelle vitium
Culpasque subortas.

32. Ave, verbum editum
Dei patris ore,
Cum quo tu paraclitum
Spiras miro more,
Frena meum spiritum
Tuo in amore
Et praescinde aditum
Hosti cum timore.

33. Ave, flagrantissimi
Iesu flos amoris,
Spirans fraglantissimi
Spiramen odoris,
Mei causas animi
Remove maeroris,
Ingerunt quas pessimi
Fraudes deceptoris.

34. Ave, caeli domine
Mundique salvator,
Pretioso sanguine
Vitae reparator,
Sis a mentis culmine
Culpae exstirpator,
Quam suo fraudamine
Indidit temptator.

35. Ave, sapientiam
Praestans in dulcore,
Da intellegentiam
Tuo cum amore,
Facere iustitiam
Tuo in timore,
Odire malitiam
Suo cum auctore.

36. Ave, Iesu flebilis
Animae medela
Et insuperabilis
Pauperis tutela,
Cum decumbam debilis,
Mihi te revela,
Hostis invisibilis
Ne vincat querela.

37. Ave, mi dulcissime,
Ave, Iesu bone,
Medice fidissime
Aegrique patrone,
Servi tui animae
Statum sic compone,
Ut iungatur intime
Tibi in agone.

38. Ave, cuius legibus
Strinxi me per votum,
Aquis baptismalibus
Cum me sensi lotum,
In orationibus
Redde me devotum
Facque mei transitus
Diem mihi notum.

39. Ave, vivens hostia,
Donum singulare,
Morbus atque vitia
Potens propulsare,
Nostra sacrificia
Velis acceptare
Et sic nos in gratia
Tua restaurare.

40. Ave, qui nos fervide
Subvenire mones
Plebi tuae pallidae,
Uti nos corones,
Declinare provide
Fac nos susurrones,
Qui sunt lingua morbidi
Veluti dracones.

41. Ave, quem desiderat
Mens et caro mea,
Olim quem genuerat
Virgo ex Iudaea,
Odam hanc qui cantitat,
Clemens mundum crea,
Quem peccati inquinat
Turpiter morphea.

42. Ave, lux et veritas,
Per quam est exclusa
Caecitas et falsitas,
Qua gens est confusa,
Mea per illecebras
Anima delusa
A te petit gratias
Lacrimis perfusa.

43. Ave, quem sidereae
Laudant protestates
Et scripturae aureae,
Quas cusserunt vates,
Emundentur carneae
Per te voluntates
Nostrae, quas venereae
Turpant foeditates.

44. Ave, verbum, omnia
Pater quo creavit,
Quod et ante tempora
Gignens eructavit,
Tua sapientia
Nos recuperavit,
Hostis quos pellacia
In Adam prostravit.

45. Ave, vi deifica
Comprimens versutum,
Frangens eius bellica
Arma, arcum, scutum.
Tristem me laetifica,
Domine virtutum,
Et iter ad caelica
Mihi para tutum.

46. Ave, qui vi propria
Caelos ascendisti,
Carnis cum substantia
Patri consedisti,
Te laudat ecclesia,
Quam tu elegisti,
Cui doctrinae gratia
Gentes subiecisti.

47. Ave, cuius comitas
Praedicationis
Fundavit ecclesias
Exsultationis,
Et deiecta civitas
Est confusionis,
Pro qua surgit novitas
Conversationis.

48. Ave, sapientia
Dei maiestatis,
Succurrens cum gratia
Fame fatigatis
Gravi, me iustifica
Pressum a peccatis,
Pabulo resarcia
Summae veritatis.

49. Ave, Iesu, Domine
Et Deus deorum,
Cum patre et flamine
In regno caelorum
Regnans, verbi lumine
Atque praeceptorum
Expurga rubigine
Nos a peccatorum.

50. Ave, arbitrarie
Fictor omnis rei,
Mundo formam variae
Dans effigiei,
Me a mentis carie
Munda, fili Dei,
Qui clamo precarie:
Miserere mei.

Quinquagena II.

51. Ave, arbor nobilis,
Cuius radix viva
Plurimumque fertilis
Veluti oliva,
Mea mens a vinculis
Mortis rediviva
Fac cum caeli incolis
Tua sit conviva.

52. Ave, auctor sapiens
Vitae aeternalis
Perdidit insipiens
Quam rex infernalis,
Cor meum caecutiens
Cunctis purga malis,
Quod obcaecat saeviens
Timor mundialis.

53. Ave, salus hominis,
Virtus et susceptor,
Cuius in vi nominis
Tui es protector,
Contra frandem daemonis
Mens sis director,
Ut virtute flaminis
Eius sim despector.

54. Ave, qui virgineum
Corpus infudisti,
Sudorem sanguineum
Quando effudisti,
Carnis cum interitum
Maerens expavisti,
Cum pro vita hominum
Mori voluisti.

55. Ave, prudentissime
Orbis architector,
Cuius vitae pessimae
Iustus es corrector,
Servi tui animae
Clemens sis ereptor,
Quam fraudulentissime
Impugnat deceptor.

56. Ave, informantium
Cordium medela,
Quae molestat plurimum
Noxae corruptelae,
Devote laudantium
Te esto cautela,
Ne insidiantium
Fallantur sutela.

57. Ave, quem caelestium
Laudat cantilena,
Sanctus ter clamantium
Per caeli amoena,
Tuorum fidelium
Pectora serena,
Quae perturbant hostium
Turpiter venena.

58. Ave, Iesu seminis
Sator verbi Dei,
Serens mente hominis
Fructum certae spei,
Cespitem peccaminis
Ab agro cordis mei
Aufer, dona flaminis
Inserendo ei.

59. Ave, secretarium
Plebis aqua lotae,
A qua pellis varium
Malum tua dote,
A nobis contrarium
Facito remote,
Ut laudis donarium
Reddamus devote.

60. Ave, porta gratiae
Tenens fundamentum,
Forte dans ecclesiae
Sanctae fulcimentum,
Tempore angustiae
Facito proventum
Divinae potentiae
Pandens velamentum.

61. Ave, o refugium
Meum, Iesu care,
Tu meum solacium,
Meum salutare,
Digneris mendacium
A me propulsare,
Faciens veracium
Dictis insudare.

62. Ave, o largissime
Fons thesauri vivi,
Quo fluunt uberrime
Veritatis rivi,
Siti pressus animae
Supplex te adivi,
Nam, ut scis, verissime
Dudum te sitivi.

63. Ave, de puerpera
Nata miro more,
Quae te carne tenera
Servato pudore
Genuit, me libera
Hostis a timore,
Nam me premunt scelera,
Rubor cum maerore.

64. Ave, Iesu, gloria
Quem et hymnus decet,
Cuius honor maria,
Caelum, terram replet,
Nostra mens in patria
Laeta tecum pauset,
Carnis cum materia
Busto computrescet.

65. Ave, quem cum iubilo
Coetus beatorum
Laudat corde sedulo
In regno caelorum,
Me turbatum nubilo
Desideriorum
Mentis in oppidulo,
Quaeso, fac decorum.

66. Ave, luminarium
Rutilans de caelis,
Coetus quem credentium
Veneratur melis,
Mentis secretarium
Meae, quaeso, velis
Gravibus ab hostium
Liberare telis.

67. Ave, qui in tumulo
Passus quievisti,
De quo in diluculo
Victor surrexisti
Captamque a zabulo
Praedam reduxisti
Et fideli populo
Dona praestitisti.

68. Ave, qui angaria
Crucis gravabaris,
Sputi per ludibria
Vultu turpabaris,
Fellica cibaria
Gustans turbabaris
Rexque irrisoria
Voce vocabaris.

69. Ave, Iesu, pauperum
Dulce adiuvamen,
Quis tuorum munerum
Praestas consolamen,
Servi tui scelerum
Dilue atramen,
Mihi dans in prosterum
Ab his conservamen.

70. Ave, admirabile
Pretium salutis,
Quo intolerabile
Iugum servitutis
Tollitur, nunc flebile
Tempus senectutis
Meae fac flexibile
Ad iter virtutis.

71. Ave, cui munera
Reges ferunt tria,
Quem regentem sidera
Mente laudant pia,
O te nobis resera
Thesaurum, sophia,
Quem per carnis viscera
Gennit Maria.

72. Ave, lux splendifica
Mira claritate,
Cuncta dans lucifica
In aeternitate,
Me tecum clarifica
Mentis caecitate
Atque sic iustifica
Ab iniquitate.

73. Ave, o principium
Iesu omnis boni,
Caput frangens impium
Stygeo draconi,
Tuae sis praesidium
Congregationi
Nostraeque subsidium
Da cognationi.

74. Ave, quo colluvio
Mentis depuratur,
Ex diverso vitio
Quae coadunatur
Cornu et tentatio
Per te confringatur
Hostis, qua nos crucio
Tradere conatur.

75. Ave, Homousion
Notus in Iudaea,
Quem ignorat Babylon
Pravitatis rea,
Meam purga thymicon
Irae a morphea,
Sic me clemens in Sion
Cum electis bea.

76. Ave, quem praesagia
Vatum cecinere,
Hominis naufragia
Tollere debere,
Tuae me vestigia
Vitae fac tenere,
Ut queam fastigia
Caeli obtinere.

77. Ave, o viaticum
Populi egeni,
Chorum pascens caelicum
Ordinis noveni,
O alimen vivificum,
Me sanare veni,
Omne mundans lubricum
Animi effreni.

78. Ave, qui opprobium
Iudaeis fuisti,
Sanguinem per proprium
Cum nos redemisti,
Nobisque propitium
Te tunc praebuisti,
Voces subsannantium
Quando contempisti.

79. Ave, Iesu Saraphin
Faciens ardentes,
Sedens super Cherubin
Hosque dans scientes,
Per divinam dynamin
Fac nos sapientes,
Ut semper cum Beniamin
Simus te videntes.

80. Ave, Iesu, animae
Cibus singularis,
Semper nobis victimae
Loco immolaris;
Motus malos reprime,
Quibus irritaris,
Dans te digne sumere
Ara de altaris.

81. Ave, quo sunt tenebrae
Pulsae a terrenis,
Cum te carnis pondere
Iunxisti egenis,
Tuis fac insistere
Laudibus amoenis,
Quos solvisti carcere
Et inferni poenis.

82. Ave, Iesu, caelicae
Princeps potestatis,
Phalanx cui angelicae
Servit dignitatis,
Gratiarum adice
Aquas inflammatis
Igne carnis lubricae
Ac malignitatis.

83. Ave, o catholicae
Plebis legislator,
Sicque es angelicae
Ruis reparator,
Clementer me respice
Pie miserator,
Ut sim domus caelicae
Perpes habitator.

84. Ave, qui ex femina
Nasci voluisti
Carne, caeli culmina
Cum qua ascendisti,
Fac per cruciamina,
Passus quae fuisti,
Nos odire crimina,
Quae semper odisti.

85. Ave, lucens saeculo
Stella matutina,
Dans credenti populo
Dona peregrina,
Aurem tuo famulo
Dulciter inclina
Salvans a periculo
Mentisque ruina.

86. Ave, o credentium
Princeps speciose,
In terra viventium
Regnans gloriose,
Fac me, precor, socium,
Iesu amorose,
Choro te laudantium
Hymnis iubilose.

87. Ave, qui patibulum
Volebas subire
Crucis, sic periculum
Mortis abolire,
Quando me putibulum
Iubes introire,
Animum in saeculum
Digneris salvire.

88. Ave, flos virginee,
Mirum dans odorem,
David consanguinee
Carnis per decorem,
Tu poenae sulphureae
Depelle foetorem
Et rompheae flammeae
Abice ardorem.

89. Ave, lux flammivoma
Splendens a surpernis,
Suprema et infima
Lustrans in internis,
Defectum in anima
Patior, ut cernis,
Quem, exoro, concrema
Gratiae lucernis.

90. Ave, o rex gloriae,
Ave, rex virtutum,
Sumens voluntarie
Carnis nostrae lutum,
Humanae miseriae
Te opponas scutum,
Quae succumbit varie
Tolerans versutum.

91. Ave, seminarium
Vitae sanctitatis,
Fructum ferens varium
Cordium in pratis,
Malum multifarium
Meae pravitatis
Aufer per donarium
Tuae pietatis.

92. Ave, stirps Davidica
Carneo cum flore,
Terram atque caelica
Satians odore,
Induatur lubrica
Mea mens decore,
Fraude quae zabolica
Iacet in putore.

93. Ave, cuius oculus
Cuncta conspicatur,
Quem fidelis populus
Digne veneratur,
A te tuus famulus
Non derelinquatur,
Donec illi loculus
Busti fodiatur.

94. Ave, cui magnifice
Animorum coetus
Iubilis symphonice
Munia dat laetus,
Cordis mei abice
Gemitus et fletus,
Fraudis diabolicae
Quos immittit metus.

95. Ave, cuius gloria
Pollet inter gentes
Et misericordia
Inter paenitentes,
Duc in caeli atria
Te benedicentes,
Tua mirabilia
Digne confitentes.

96. Ave, caeli curiae
Lux miri splendoris,
Radios clementiae
Spargens cunctis horis,
Sanctae continentiae
Nos constringe loris,
Legibus iustitiae
Vinclisque amoris.

97. Ave, qui describeris
Dei salutare,
Quo decrevit hominis
Morti obviare,
Cum in fine veneris
Orbem iudicare,
Iube me a dexteris
Tuis laetum stare.

98. Ave, Iesu stabilis
Fidei columna,
Quam tua amabilis
Erexit alumna,
Hostem tuis credulis
Sonticum expugna,
Per quem infinibilis
Minatur aerumna.

99. Ave, cui assidue
Populi credentes
Astant, tuas strenue
Laudes concinentes,
Duc in locum pascuae
Tibi servientes,
Ubi te perpetue
Sint inspicientes.

100. Ave, innocentiae
Potens reparator,
Quam Adam superbiae
Perdidit sectator,
Esto conscientiae
Meae tutelator,
Ne sit rex fallaciae
Eius depravator.

Quinquagena III.

101. Ave, qui terribulum
Crucis ascendebas,
Miserum homunculum
Morte cum solvebas,
Tribue tempusculum,
Defleam quo nefas,
Ne mergar per zabulum
In Arverni scrobas.

102. Ave, Iesu scrinium
Benedictionis,
Faciens iudicium
Pressis a profanis,
Meum desiderium
Repleas in bonis,
Pellens exterminium
Tribulationis.

103. Ave, amantissime
Fili maris stellae,
Carnis quae mundissimae
Te contexit pelle,
Tibi devotissime
Credentis turmellae
Motus pravos comprime
Culpasque convelle.

104. Ave, lex credentium
Et philosophia,
Quam in lucem gentium
Produxit Maria,
Audi confidentium
Voces aure pia,
Devote quaerentium
Hac te melodia.

105. Ave, Iesu epulum
Mentis amorosae,
Quam nunc et in saeculum
Reples copiose,
Sumere me servulum
Fac te operose,
Ne me velut nihilum
Spernas odiose.

106. Ave, orci pessula
Qui comminuisti
Et sanctorum vincula
Fortiter rupisti
Hisque tabernacula
Caeli tribuisti,
Ut regnes in saecula,
Quando ascendisti.

107. Ave, exsultatio
Beatorum clara,
Fidei quam natio
Collaudat praeclara,
Cor meum a vitio,
Quaeso, mundum para,
Uti habitatio
Tibi fiat cara.

108. Ave, Iesu parilis
Patri pneumatique,
Quem Iudaea flebilis
Abiecit inique
Et sic admirabilis
Exstas utrobique
Mihique amabilis
Appares ubique.

109. Ave, Iesu lucifer
Rutilans in mane,
Praecluis vexillifer
Plebis christianae,
Stipum reple, opifer,
Me caelesti pane,
Ne me vincat pestifer
Hostis in agone.

110. Ave, dux credentium,
Veritas divina,
Tua pellens vitium
Aurea doctrina,
Quaeso, post iudicium
Tuis me combina,
Sic a pereuntium
Praeserves ruina.

111. Ave, sol iustitiae
Totum lustrans mundum,
Veneno malitiae
Mersum in profundum,
Templum conscientiae
Meae redde mundum
Et per dona gratiae
Mite et iucundum.

112. Ave, cuius gloria
Terram, caelos, mare
Replet, qui humilia
Intueris clare,
Animum subtilia
Meum, Iesu care,
Tua ut subtilia
Queat indagare.

113. Ave, per quem machina
Exstat universi,
Cuius legis trutina
Redeunt perversi,
Animam conglutina
Tibi nunc conversi
Servuli, per crimina
Antea demersi.

114. Ave, benignissime
Iesu, quem dilexi,
Postquam te verissime
Deum intellexi,
Ad te visum animae
Devotus erexi
Hostemque citissime
Abnuens despexi.

115. Ave, gloriatio
Martyrum tuorum,
Dira cruciatio
Te collaudat quorum,
Pia intercessio
Mihi det eorum,
Iungar ut consortio
Chori beatorum.

116. Ave, summa veritas
Informans credentes,
Cuius gratiositas
Laetas facit mentes,
Duc in caulas caelicas,
Precor, omnes gentes
Tibi laudes debitas
Iugiter reddentes.

117. Ave, qui iuridice
Laude extollaris,
Nam ruis angelicae
Restaurator faris,
Et ecclesiasticae
Quia actor laris,
Diceris prophetice
Lapis angularis.

118. Ave, conquisitio
Animae credentis,
Mundum, se cum proprio
Propter te spernentis,
Tuo desiderio
Meae claustra mentis
Reple fractam taedio
In modum torpentis.

119. Ave, legis trutina
Iusti qua librantur,
Ad caeli intermina
Qui praedestinantur,
Vitia extermina,
Mentes quis gravantur,
Nosque sic intermina
Illis, qui salvantur,

120. Ave, lux deifica,
Qua illuminantur,
Qui per mundi lubrica
Cordibus caecantur,
A fraude daemonica
Per te tueantur
Laude hac hymnifica
Qui te venerantur.

121. Ave, per quem civitas
Est constructa pacis,
Quam et tu illuminas,
Splendor Dei patris,
Servos tuos protegas
Alis caritatis,
Abigens versutias
Hostis pertinacis.

122. Ave, Iesu speculum
Sancti caelibatus,
Ante omne saeculum
A genitore natus,
Ad te mentis oculum
Levo tribulatus,
Praesens a me scandalum
Ut pellas miseratus.

123. Ave, auctor luminis,
Quo lustrantur mentes,
Fons beatitudinis
Replens sitientes,
Fac laudes dictaminis
Huius depromentes
Mundialis turbinis
Transire torrentes.

124. Ave, via lucida
Boni claritate,
Tuque vita solida
Perpetuitate,
Veritas inturbida
Sine pravitate,
Servum tuum albida
Taetrum falsitate.

125. Ave, exsultatio
Cordis tribulati
Et ab omni vitio
Gratia purgati,
Esto consolatio
Ob poenam peccati
His, qui purgatorio
Sunt concatenati.

126. Ave, abolitio
Mortis sempiternae,
Legis quam transgressio
Intulit veternae,
Tuo desiderio
Me repletum cerne,
Aptans aedificio
Sion me supernae.

127. Ave, vitis gratiae,
Temeto abundans,
Filios ecclesiae
Virtute inundans,
Freno tolerantiae
Tuos sis circumdans,
Auctor quos pellaciae
Tribulat impugnans.

128. Ave, legis gratiae
Prudens institutor,
Qua es innocentiae
Pius restitutor,
Tuae sis familiae
Director et tutor,
Carnis quam nequitie
Vexat persecutor.

129. Ave, Iesu, moribus
Dulcis et iucunde,
Nostris qui maeroribus
Subvenis abunde,
Gratiae fluoribus,
Quaeso, me perfunde,
Carnis facinoribus
Dimersum profunde.

130. Ave, spes fidelium
Atque custodela,
Quibus mirabilium
Caeli pandis vela,
Sorti me humilium
Iunge obsequela
Legis et ab hostium
Fraude, quaeso, cela.

131. Ave, Iesu, requies
Vera beatorum,
Quibus regnans praesides
In regno caelorum,
Preces audi supplices
Mente turbatorum,
Quos premit saevities
Adversariorum.

132. Ave, pax amantium
Corda dans serena,
In mundo solacium
Caelique amoena,
Tuum per subsidium
Fortiter refrena
Mentes discordantium
Amoris catena.

133. Ave, Iesu millies,
Ave, mi dilecte
Quem sanctorum acies
Laudat circumspecte,
Ad caelorum linites
Ducas me directe,
Quo me tua facies
Satiet perfecte.

134. Ave, o dulcissimum
Nomen Iesu, ave,
Mihi iucundissimum
Mihique suave,
Servum strenuissimum
Tuum fore fave
Mihi et ad ultimum
Libera me a vae.

135. Ave, patris dextera
Et brachium extentum,
Quod Aegyptus effera
Sensit per tormentum,
Quo Israelitica
Plebs sumpsit augmentum,
Tuum nos ad supera
Vehat amamentum.

136. Ave, pastor provide
Ovium tuarum,
Quas abduxit callide
Princeps tenebrarum,
Me coronis splendide
Orna gratiarum,
Abluendo nitide
A faece culparum.

137. Ave, mons excelsior
Universo caelo,
Sed factus declivior
Passionis prelo,
Sordes, quibus inquinor,
Carnis tuae velo
Terge, ut sim aptior
Laudis tuae melo.

138. Ave, auctor luminis
Relucentis clare,
Glisco quem ex intimis
Meis adamare,
Me virtute flaminis
Tui consolare,
Quem sititor sanguinis
Cupit devorare.

139. Ave, lux credentium
In caeli fulgens cella,
Quam dat ad solacium
Mundo maris stella,
Largire subsidium
Nobis in procella,
Acies nam hostium
Dura parat bella.

140. Ave, suavissima
Gratiae dulcedo,
Pellitur ab anima
Culpae qua acredo,
Nostra per te pessima
Solvatur torpedo,
Per quam in parvissima
Pugna hosti cedo.

141. Ave, mire redolens
Flos amygdaline,
Mundialis nesciens
Algorem pruinae,
Odore sis refovens
Gratiae divinae
Cor meum deficiens
In extremo fine.

142. Ave, proles inclita
Patris adorandi,
Ad quem mentis abdita
Precibus expandi,
Mea laxa debita
Sceleris nefandi
Et fomitis debilita
Motus exsecrandi.

143. Ave, lapis virginis
Olim clausus funda,
Quae te vi spiraminis
Peperit fecunda,
Gratiarum fluminis
Aquis me inunda,
Carnis quem et daemonis
Inquinant immunda.

144. Ave, rex theotice
Cuius theoleta,
Assero catholice,
Omni caret meta,
Fantem has symphonice
Laudes mente laeta
Sorti tuae adice,
O summe propheta.

145. Ave, splendidissima
Lux de caelo fulgens,
A fideli anima
Tenebras repellens,
Gratia gratissima,
Peto, sis adurens
Cor meum taeterrima
Caecitate turgens.

146. Ave, fons dulcissime
Gratiarum melle,
Quem fudit clarissimae
Venter maris stellae,
Legi tuae optime
Iunge meum velle,
Mundans id purissime
A peccati felle.

147. Ave, sapientia
Omnia videntis,
Tecum in iustitia
Cuncta discernentis,
Releva nos gratia
A te procedentis
Seductos astutia
Callidi serpentis.

148. Ave, qui principium
Caeli, terrae, maris
Et in his degentium
Recte appellaris,
Unde a caelestium
Choro veneraris
Ac plebe credentium
Laudibus praeclaris.

149. Ave, quem in aethere
Phalanx angelorum
Nunquam cessit colere
Titulis hymnorum,
Digneris absolvere
Me a vitiorum
Compede et iungere
Coetui sanctorum.

150. Ave, servientium
Tibi tutelamen,
Virtus, laus, solacium
Atque sublevamen,
In poenis degentium
Audi suspiramen,
Ipsis dans consortium
Cum electis. Amen.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. anni 1470. fol. 92 a. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467 Clm. Monacen. 19991. fol. 257 b. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. fol. 60 a. C. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. fol. 72. a. D. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19636. fol. 258 a. E. —

A hat folgende Bemerkungen: fol. 92 a: Incipit psalterium elegans et amorosum de dulcissimo et amantissimo salvatore nostro Iesu, Dei et Mariae, generosissimae virginis, filio; fol. 104 b sq.: Explicit psalterium devotum, valde pulchrum et amorosum de dulcissimo et superamabilissimo Deo et salvatore nostro, Domino Iesu Christo, Dei patris et Mariae, speciosissimae virginis, pulcherrimo, delicatissimo, amantissimo, carissimo, pretiosissimo, desiderantissimo filio.

Proem. 13, 1 Os nam A. — 2, 2 Scribere calamus A. — Psalt. 3, 1 salus intima A. — 7, 5 Zum Worte ran hat A diese Randbemerkung: Ran est nomen indeclinabile, locus irae. Inde venit randicus, iracundus. — 23, 8 Me quem amisisti A. — 24, 7 et conscientiae A. — 31, 3 Crucis per suppli-

cium C. — 31, 5 und 6 fehlen A. — 50, 7 Zu precarie am Rande: precabiliter A. — 56, 8 Zu sutela am Rande: astutia A. — 58, 8 Miserere ei A. — 59, 3 sq. und 5 sq. umgestellt. — 74, 1 Zu colluvio am Rande: collectio A. — 75, 5 Zu tymicon am Rande: irrascibilem [scl. vim]; ἡ irrascibilis, Gegenteil concupiscibilis, scholastischer Schulausdruck. — 83, 6 Pie fehlt A. — 87, 5 Zu putibulum am Rande: sepulcrum A. — 88, 7 39. fehlen A. — 105, 7 und 8 fehlen A. — 109, 5 Zu stipum am Rande: mendicum A. — 133, 8 Satiat A. — 140, 4 Zu acredo am Rande: amaritudo A. — 140, 7 in pernissima A. — 145, 5 gratissima fehlt A.

III.

DE CHRISTO DOMINO

PSALTERIUM TRIPLEX.

VII. Psalterium Primum.

Oratio prooemialis.

1. Illibatae matris nate,
Fili Dei, precor, mei
Cordis munda latebram,
Ut aperte et diserte
Mente tota et devota
Hymnos tuos proferam.

2. Heli, heli, rector caeli,
Nos attende et accende
Me superna gratia,
Nam sincero corde quaero
Tibi ferre et offerre
Laudum sacrificia.

3. Eruditum et munitum
Tuae legis, qua nos regis,
Fac me per eloquium,
Quo timore et amore
Possim tui semper frui
Per hoc soliloquium.

4. Suspirantem et clamantem
Ad te Deum audi reum
Solita clementia,
Confer statum, sed signatum
Signo crucis, hostis trucis
Servans a saevitia.

5. Uas honoris, mors erroris,
Opto nimis, ut imprimis
Tui des memoriam,
Ut decenter et frequenter
Puro corde sine sorde
Tuam cantem gloriam.

6. Splendor patris, honor matris,
Ob insigne tuum digne
Nomen fac me strenue
Te laudare, praedicare,
Ut finita carnis vita
Gaudeam perpetue.

Quinquagena I.

1. Ave, Iesu, qui super flumina
Gratiarum plantas ecclesiam,
Sere in me virtutum semina,
Quibus fructus
perennes faciam.

2. Ave Iesu, quem theologica
Dicta Dei demonstrant filium,
Sorti tuae me, quaeso, adplica
Cum extremum erit iudicium.

3. Ave, in quem gens adversaria
Insurrexit crebro fallaciter,
Tela hostis persecutoria
Declinare fac me sagaciter.

4. Ave, qui virorum gementium
Frontes insignasti Tau litera,
Ne in iram ruam frementium,
Cruce muni me salutifera.

5. Ave, in quem
spem nostram ponimus,
Qui sequentes te semper liberas,
In te corda nostra dirigimus.
Ut ad preces aures aperias.

6. Ave, o salvator piissime,
Tua morte restaurans vetera,
A tormentis mentis me exime,
Quibus premor ob mea scelera.

7. Ave, leo stirpis Davidicae,
Prophetiae solvens signacula,
Ne in pravitatis haereticae
Cadam, me conserva, pericula.

8. Ave, calcans torcular fortiter,
Ex quo fluunt
iustorum praemina,
Te ex corde peto humiliter,
Ne incurram Stygis supplicia.

9. Ave, Iesu, quem amphisaepere
Tota mundi non potest fabrica,
Tuae crucis solve charactere
Adligatos catena hostica.

10. Ave, per quem hostis insidiae
Declinantur a tuis cautius,
Virus, precor, aufer invidiae
Serpentino veneno noxius.

11. Ave, Iesu, per bona opera
Salvandorum ditans pauperiem,
Mea vane consumpta tempora,
Da, per bonam vitam recuperem.

12. Ave, qui venisti a superis,
Aperire caecorum oculos,
Volutantes nos in his tenebris
Declinare fac caute subdolos.

13. Ave, florulente sanguineis
Guttis, pugnans
pro nobis strenue,
Me venenis tinctum vipereis
Miseratus precantem ablue.

14. Ave, Iesu, cuius benignitas
Vitam mavult
quam mortem impii,
Poenas nobis relaxa debitas,
Locum praebens aeterni gaudii.

15. Ave, cuius nos fructuaria
Caro ducit ad vitam caelibem,
Potestate ne adversaria
Opprimamur, fer opem celerem.

16. Ave, Iesu, qui piis auribus
Audis tuo redemptos sanguine,
Me, qui premor ab adfligentibus,
Tuo protegas obumbramine.

17. Ave, Iesu, per mansuetudinem
Tuos clemens
auscultans supplices,
Preme tuam per fortitudinem
Inimicum et eius complices.

18. Ave, cuius radix fontanea
Iustis praestat fructus iustitiae,
Carnem textam compage terrea
Menti subde per dona gratiae.

19. Ave, cuius carnis litamine
Est placata summa divinitas,
Solve nos a mentis ligamine,
Quo nos vinxit hostis atrocitas.

20. Ave, cuius sanguis terrigenas
Iungat choris caelestis curiae,
Da vincentes hostes multigenas
Laureamur corona gloriae.

21. Ave, qui in crucis patibulo
Pependisti nudatus vestibus,
Obumbramen da tuo servulo,
Qui turbatur a persequentibus.

22. Ave, Iesu, mentis indiguae
Salus, amor et consolatio,
Nos in locum perducas pascuae,
Beatorum quo est refectio.

23. Ave, Iesu, qui Deus Sabaoth
In prophetis frequenter diceris,
Ab immundo defende Beemoth,
Nos ne foedet squalore Veneris.

24. Ave, qui pro vitae tutamine
Es in regna latus Canopica,
Delictorum mentem atramine
Obfuscatam sollerter albica.

25. Ave, qui vitiorum delubrum
Dissolvisti per rorem gratiae,
Tortuosum da vincam colubrum,
Qui me strinixit cauda lasciviae.

26. Ave, cuius praeclaram faciem
Sancti concupiscunt prospicere,
Meis, quaeso,
propinquis requiem
Praesta, qui teguntur in funere.

27. Ave, benedicte per saecula,
Qui in patris venisti nomine,
Tuus tibi supplicat assecla,
Adulantum ne cadat famine.

28. Ave, cuius omnipotentia
Maiestatis mundo innotuit,
Cum de nube patris sententia
In baptismo tuo intonuit.

29. Ave, Iesu, qui recte dicere
Mediator Dei et hominum,
Vinculatos educ de carcere,
Qui purgantur ardore criminum.

30. Ave, qui de massa pulverea
Potestate formasti hominem,
Me exutum mole corporea
Fac gustare tuam dulcedinem.

31. Ave, Iesu qui per sanguineum
Nos sudorem ad caelos revocas,
Motum luxus exstingue igneum
Ac livoris faces fumificas.

32. Ave, quem pro-
sequuntur laudibus,
Continentur qui caeli ambitu,
Nos renatos aquis vitalibus
Septiformi informa spiritu.

33. Ave, Iesu, quem benedicere
Non cessabunt sancti in superis,
Ne nos patiaris succumbere
In adversis neque in prosperis.

34. Ave, qui Iudaeis venumdari
Voluisti vili numismate,
Nos, quos cernis
hoste circumdari,
Scripturarum conforta dogmate.

35. Ave, fons aquarum viventium,
Quae in praeceps
fluunt de Libano,
Mentes ad te confugientium
In eorum conforta termino.

36. Ave, Iesu qui nos assidue
Ad te vocas lege bifaria
Laudes tibi promentes strenue,
Praebe usui necessaria.

37. Ave, Iesu qui culpas abluis
Supplicantum tibi humiliter,
Nos a poenis serva perpetuis
Et aeterna bona da largiter.

38. Ave, per quem captis remissio
Praedicata est ac exhibita,
Sic ornetur mea locutio,
Dilabatur ne in prohibita.

39. Ave, Iesu, qui ad agalmata
Angelorum
fers drachmam decimam,
Precis meae sint thymiamata
Tibi grata
ob spem firmissimam.

40. Ave, flos, qui ab horto caelico
Oluisti per mundi climata,
Me odore tuo vivifico
A peccati morte resuscita.

41. Ave, qui confregisti tartara
Angelorum stipatus acie,
Me turbatum, precor, exhilara,
Ne ignava turper segnitie.

42. Ave, Nazarene, lux Bethlehem,
Omnis boni decus egregium,
Agonizans ne fide titubem,
Lucis tuae immitte radium.

43. Ave, qui sudorem sanguineum
In agone fudisti positus,
Observantes meum calcaneum
Hostes tuis prosterne viribus.

44. Ave, Iesu, decorus specie
Filiorum prae natis hominum,
Ensem mihi praesta constantiae,
Temptamenta
quo vincam daemonum.

45. Ave, Iesu, fons, cuius impetus
Civitatem Dei laetificat,
Rivis aquae nos sancti spiritus
Pota, quos hic latex significat.

46. Ave, qui ad
regnandum perpetim
Ascendisti cum summa gloria,
In excessus
nos perduc Beniamin,
Contemplemur quîs te in patria.

47. Ave, qui es in templum Domini
Praesentatus ritu Iudaico,
Inimitentes defende nomini
Tuo vento ab aquilonico.

48. Ave, cuius os sapientiam
Est locutum turbis fidelium,
Linguae meae da eloquentiam
Veri, pravum frenans eloquium.

49. Ave, cuius manifestatio
Exspectatur iudiciaria,
Tua assit tunc consolatio,
Gloriemur qua caeli gloria.

50. Ave, Iesu, cuius vocamine
Propelluntur hostis conamina,
Gratiarum aquae aspergine
Mentis meae lava cavamina.

Quinquagena II.

51. Ave, Iesu, in cuius laudibus
Gloriamur caelorum neumatum,
Da, ne hostis fallamur fraudibus
Neque dolis eius satellitum.

52. Ave, Iesu, cuius ventilabro
Secernemur iusti ab impiis,
Da, ne rursum foeder volutabro
Noxae victus concupiscentiis.

53. Ave, cuius mortis per stigmata
Confortamur in belli acie,
Nostra sumens holocaustamata
Rorulentos fac imbre gratiae.

54. Ave, cuius per mortis merita
Liberamur a mundi turbine,
Da, peccata mihi inolita
Tuo fretus vincam iuvamine.

55. Ave, Iesu, qui quinque vulnera
Es perpessus crucis patibulo,
Gratiarum da nobis munera,
Ut laudemus te voto sedulo.

56. Ave, Iesu, thronis aethereis
Introducte tua potentia,
Irretitos venantum laqueis
Tua solvas misericordia.

57. Ave, Iesu, cuius mors inclita
Serpentino succurrit morsui,
Freno legis tuae debilita
Reluctantem carnem spiritui.

58. Ave, qui cum inferni principe
Passionis certasti gladio,
Me a foro ipsius eripe,
Quando mundi tollar de medio.

59. Ave, benedicte a saeculo,
Quo palantur hostis versutiae,
Concertanti tuo tirunculo
Armamentum da patientiae.

60. Ave, qui nos a domo carceris
Liberasti per fortitudinem,
Da, ne mundi levemur prosperis,
Nec adversa
gignant formidinem.

61. Ave, fortitudo languentium
Tuis praestans hic patrocinia,
A languore conserva mentium
Recolentes tua praeconia.

62. Ave, fili David symphonidis,
Ex intacta genitus virgine,
Nos abstractos horto Adonidis
Gratiarum reple dulcedine.

63. Ave, gratiarum fons omnium,
Cuius fundum est inscrutabile,
Inimicum enerva bestium,
Qui frequenter
nos tentat subdole.

64. Ave, Iesu, qui verbis acriter
Blasphematus es multis vicibus,
Te colentes hymnis alacriter
Ab amaris defende casibus.

65. Ave, sator casti consilii,
Quod implentes
meremur gloriam,
Incolarum huius exsilii
Esto redux ad caeli patriam.

66. Ave, Iesu, qui nos charactere
Tui sancti signasti nominis,
Nos ad viam velis dirigere
Errabundos instinctu daemonis.

67. Ave, qui post mortis supplicia
Eduxisti vinctos de carcere,
Sed nunc regnans in caeli gloria
Tuo sacro nos reple munere.

68. Ave, cuius cruore roseo
Expiantur mundi facinora,
Me, qui latam viam nunc transeo,
Fac per arta ire itinera.

69. Ave, cuius mortis antidotum
Restauravit thronos aethereos,
Paradisi mitte praepositum
Ad pellendum hostes tartareos.

70. Ave, cuius sub tirocinio
Reparatur mens olim profuga,
Vitam meam oppressam senio
Legi tuae nunc saltem subiuga.

71. Ave, qui es cultu regifico
Adoratus a tribus regibus,
Nos ab hoste salva terrifico
Opem ferens te adorantibus.

72. Ave, Iesu, cuius creamine
Constant caeli, terrae et maria,
Insignitum tua imagine
A fortuna serva contraria.

73. Ave, finis atque principium
Carens fine atque initio,
Caeli nobis da municipium
Ab inferni conservans crucio.

74. Ave, Iesu, quo latex aqueus
Est in vini versus dulcedinem,
Sacramenti tui nectareus
Potus mentis lavet putredinem.

75. Ave, cuius tonant praeconia
Mundi partes per quadrifarias,
A colente crucis insignia
Cunctas hostis depelle furias.

76. Ave, Iesu, qui plurifariam
Ad te trahis beandas animas,
Mentis meae abrade scoriam,
Quae est indurata ut adamas.

77. Ave, petra, ex cuius latere
Fons effluxit aquae et sanguinis,
Legem tuam fac nos exquirere
Per lustramen aeterni flaminis.

78. Ave, Iesu, qui Adae debitum
Tua morte solvisti inclita,
Peccatorum me fasce obrutum
Pietate leva ingenita.

79. Ave, cuius per mortem carneam
A peccatis mundus absolvitur,
Serva per te plantatam vineam,
Quam inferni fera depascitur.

80. Ave, cuius, per carnis alimen
Impinguantur iustorum animae,
Omne meum, exoro, genimen
A tormentis aeternis redime.

81. Ave, cuius poenae acerbitas
Reformavit polorum limites,
Sanctae lucis tuae vicinitas
Tenebrarum fugat satellites.

82. Ave, cui aequiparabile
In creatis rebus non repperi,
Nomen tuum per ineffabile
A fermento nos purga veteri.

83. Ave, qui in vita perpetua
Laetabundis laudaris vocibus,
Caro mea luxu circumflua
Torreatur amoris facibus.

84. Ave, modo inaestimabili
Ex intacta qui natus virgine,
Mihi, quaeso, succurre flebili,
Qui astringor mentis gravedini.

85. Ave, o laborantum requies
Sedens sedem super aetheram,
Curvos rege viarum tramites,
Rectae vitae dans sequi lineam.

86. Ave, petra, de qua ecclesiae
Sanctus Paulus
stravit fundamina,
Rege me contectum canitie
Legis tuae per moderamina.

87. Ave, Iesu, cuius almifama
Nos a lacu redemit passio,
Nos, cum redis
nube flammivoma,
Beatorum iunge consortio.

88. Ave, proles David et Abrahae,
Alvo natus sacratae virginis,
A malorum me sorte abstrahe,
Ne deturper foetore criminis.

89. Ave, in quem fecerunt impetum
Iudaeorum manus sacrilegae,
Propinquorum atque sodalium
Vitam, precor, meorum dirige.

90. Ave, Iesu, qui te precantibus
Semper clemens
praestas subsidia,
Ab hac vita nobis meantibus
Angelorum mitte solacia.

91. Ave, sator bonorum seminum,
Quibus hortum plantas ecclesiae,
Statum eius reforma pristinum,
Fructum illi praestans iustitiae.

92. Ave, civitatis uranicae
Pulchritudo, sol atque gaudium,
Insurgentes in nos bararice
Tuum, precor,
frenet praesidium.

93. Ave, Iesu, iudex aequissime,
Ultionum Deus qui diceris,
Meae consolamen da animae
Sepulturam post mei funeris.

94. Ave, quem adorat ecclesiae
Omnis aetas, sexus et dignitas,
Gratulari aeterna requie
Tua nobis praestet benignitas.

95. Ave, cuius laus indelebilis
Cuncta durat per aevi saecula,
Te exoro, Iesu amabilis,
Mihi assis in mortis horula.

96. Ave, Iesu, nostra spes unica,
Lumen verum de vero lumine,
Laudi tuae me totum dedica,
Mentem tuo replens amamine.

97. Ave, cuius nomen percelebre
Claret cunctis in terrae finibus,
Fac devote me tibi psallere
Voce psalmi, tubis ductilibus.

98. Ave, qui ideirco nos percutis,
Ut correctos a morte redimas
Absolvendo a suis debitis,
Nostras perduc
ad caelos animas.

99. Ave, Iesu, in quem haereticae
Olim sectae latrarunt perfide,
Iubilantem tibi symphonice
Veritatis circumda aegide.

100. Ave, Iesu, qui mundi tenebras
Pepulisti surgens diluculo,
Animarum septem mortiferas
Corruptelas aufer a servulo.

Quinquagena III.

101. Ave, quem de castis visceribus,
Veneramur Mariae genitum,
Me exutum carnis pulveribus
Ad superna sustolle spiritum.

102. Ave, Iesu, cui dominantia
In supernis ministrant numina,
Fac me pura cum conscientia
Laudis tibi offerre carmina.

103. Ave, cuius serviunt nutui
Terra, mare atque caelestia,
Me coapta sancto spiritui,
Cuius substo omnipotentia.

104. Ave, Deus noster et Domine,
Cuius sunt in terra iudicia,
Confidentes in tuo nomine
Repleantur omni iustitia.

105. Ave, benedicte a saeculo,
Cuius gloriamur in laudibus,
Da salutem fideli populo
Hunc defendens
ab hostis fraudibus.

106. Ave, Iesu, per cuius sanguinem,
Bona iustis donantur varia,
Mentis meae,
quaeso, salsuginem
Gratiarum rivis inebria.

107. Ave, ponte qui mundi transito
Exaltatus es super angelos,
Nos calamitosos consulito,
Honestatis propellens aemulos.

108. Ave, Iesu, cuius acerbitas
Poenae mortis fregit imperium,
A me tua repellat pietas
Seminantem livoris lolium.

109. Ave, trudens de caelo zabulum
Michaelis per bella inclita,
A me aufer peccati cumulum,
Gratiarum
praestans charismata.

110. Ave, cuius magnificentia
A supernis tonat principibus,
Tua nobis donet clementia,
Saginemur ut caeli dapibus.

111. Ave, quem caelestes militiae
Intuentur iucundis vultibus,
Te exortum solem iustitiae
Aquilinis cernam obtutibus.

112. Ave, qui in excelsis habitas
Et deiectos benigne respicis,
Foeditates mihi inolitas
Piamentis purga seraphicis.

113. Ave, qui fluenta Iordanica
Divisisti ad iter populi,
Nos per fidem tuam sanctifica
Toxicatos veneno zabuli.

114. Ave, Iesu, qui adversarias
Potestates vicisti fortiter,
Poenas resolve carcerarias,
Quis defuncti torquentur acriter.

115. Ave, mundum
salvans quadrifidum,
Eradicans peccati fruticem,
Babylonis letali spumidum
Potu aufer, precamur, calicem.

116. Ave, terris illapsa veritas,
Obsequelam patris perficiens,
Tua nos consoletur pietas
Miserorum fletus inspiciens.

117. Ave, patris aeterni dextera,
Per quam iustis
praestat victoriam,
Ex adversis fac nobis prospera,
Sempiternam
dans caeli gloriam.

118. Ave, cuius sacratis legibus
Reducuntur iusti in patriam,
Locupletem fac me virtutibus,
Quarum gravem fero penuriam.

119. Ave, Iesu o mansuetissime,
Velut ovis captus fallacia,
Famulantem tibi me redime
Odientum a lingua tertia.

120. Ave, Iesu, lux splendidissima,
Plus quam anthrax
splendens in tenebris,
Per te mea, exoro, anima
Depurgetur peccato Veneris.

121. Ave, qui caelestem Ierusalem
Pretiosis fundas lapidibus,
In hanc tuum
perducas supplicem,
Ut te iugis extollat laudibus.

122. Ave, motus qui multifarios
Es perpessus pro nobis fortiter,
Adversantum mores barbarios
Supportare fac nos hilariter.

123. Ave, factor caeli empyrei,
Fundans quoque
ignes aethereos,
Venatoris Nembroth tartarei
Declinare fac me aculeos.

124. Ave, Iesu, qui Ierosolyma
Elegisti mori pro populo,
Meae vitae in hora ultima
Me a mortis serva periculo.

125. Ave, Iesu, cuius clementia
Flentum semper
assurgit precibus,
Seminantes nos in tristitia
Post hanc vitam
iunge gaudentibus.

126. Ave, Samarites piissime,
Sanans genus
humanum saucium,
Civitatis Sion altissimae
Me coapta in aedificium.

127. Ave, princeps, cuius dominium
Omnes pavent
terrarum termini,
Cordis mei, quaeso, confinium
Tuo dulci apta amamini.

128. Ave, qui oborbem quadrifidum,
Ascendisti in crucis stipitem,
Hostem, quaeso,
subnerva trifidum,
Carnem, mundum
et mortis principem.

129. Ave, cuius per consolamina
Liberamur a malo vario,
Audi clemens et ululamina
Exsistentum in purgatorio.

130. Ave, Iesu, gigas fortissime,
Ab inferno detrahens spolia,
Me defende, te precor intime,
Oculorum ab extollentia.

131. Ave, qui de regali stemmate
Es secundum
carnem progenitus,
Passionis tuae nos stigmate
Consignatos serva divinitus.

132. Ave, cuius nos benedictio
A peccati solvit ligamine,
Conglobatos in hoc coenobio
Unitatis iunge spiramine.

133. Ave, ad quem virtutum tramite
Pervenitur a pertingentibus,
Passionis tuae nos stigmate
Consignatos serva divinitus.

134. Ave, qui mirando commercio
Reduxisti captos in patriam,
Oberrantem me gentilitio,
More, quaeso,
reduc per gratiam.

135. Ave, qui Iudaeorum populo
Divisisti maxima flumina,
Me solutum carnis ergastulo
Ad polorum vehe intermina.

136. Ave, Iesu qui clavis ferreis
Es adfixus cruci humanitus,
Nos captiva catenis aureis
Septem sancti
donorum spiritus.

137. Ave, Iesu celsa humilians,
Et sublimans corda humilia,
Profugetur hostis insidians
Angelorum, da, per auxilia.

138. Ave, Iesu confringens ianuas
Acherontis et vectes ferreos,
Mundi curas depelle nocuas
Atque hostes nostros tartareos.

139. Ave, Iesu,
qui vindex pauperum
Comprobaris
exemplis plurimis,
Me clamantem
exaudi miserum
Ad te cordis
mei ex intimis.

140. Ave, dona qui singularia
Te colenti dabis assidue,
Ne a lingua adulatoria
Fascinemur, cautelam tribue.

141. Ave, quem Pilati satellites
Coronarunt corona spinea,
Obsequentes nos tibi milites
Ad amoena perduc aetherea.

142. Ave, Iesu, per quem multimode
Via vitae nobis proponitur,
Nos conserva,
quos diversimode
Aemulator atrox insequitur.

143. Ave, Iesu, cui axis stelliger
Nato novae stellae dat radium,
Contra hostes,
da, ut sim belliger,
Ut coronae consequar bravium.

144. Ave, cunctis qui das viventibus
Oportuno escam in tempore,
Beatorum me ciba dapibus,
Terrenorum
qui premor pondere.

145. Ave, per quem astra micantia
Fulgent orbem
per totum aetheris,
Tua solvat, precor, clementia
Habitantes in domo carceris.

146. Ave, Iesu, quem stella lucida
Demonstravit magis Arabicis,
Mea terge delicta livida,
Stagnis mergar
ne Acheronticis.

147. Ave, qui amoris mulcedine
Nectis tibi Adae propaginem,
Liberatos nos tuo sanguine
In caelestem reduc Ierusalem.

148. Ave, Iesu, phalanx angelica
Melodiis quem laudant iugibus,
Genuinos meos salvifica
Beatorum hos iungens coetibus.

149. Ave, Iesu, cui laus harmonica
Per sanctorum
fertur concordiam,
Pietate tua mitifica
Me effrenum per iracundiam.

150. Ave, Iesu, qui corpus leteum
Assumpsisti misericordia,
Hoc dictamen sume carmineum,
Quo desudo te laudans iugiter.

Parerga.

Super Beati immaculati.

1. Ave, cuius sacratis legibus
Reducuntur iusti in patriam,
Locupletem fac me virtutibus,
Quarum gravem fero penuriam.

2. Ave, Iesu, largitor inclite,
Tuis dona opime tribuens,
Per te, precor, vitae praeteritae
Obliviscar, sanctam instituens.

3. Ave, cuius duplex nativitas
Creaturae est ineffabilis,
Meae mentis, exoro, tenebras
Tua spargat lux invisibilis.

4. Ave, cuius manus tornatiles
Sunt adfixae crucis patibulo,
Servos tuos ad bonum fragiles
Verbi tui sustenta pabulo.

5. Ave, Iesu, cuius praesentia
Omnis dolor fugit et gemitus,
Mihi, temptor qui avaritia,
Paupertatem lagire spiritus.

6. Ave, cuius tormenta varia
Siccaverunt peccati scatebras,
Luce tua dolis contraria
Mentis nostrae depelle tenebras.

7. Ave, cuius per sapientiam
Sunt elisa hostis fraudamina,
A languore me in valentiam
Tua muta per medicamina.

8. Ave, lapis, quo David inclitus
Rex Goliat stravit semiferum,
Meum, precor, expurga funditus
Cor a faece suorum scelerum.

9. Ave, qui diversis laboribus
Mundi es affectus assidue,
Me incultum
honestis moribus
Disciplinis nunc tuis instrue.

10. Ave, veri magister dogmatis,
Mentis reformans habitudinem,
Servientis, exoro, plasmatis
Aegram lima cordis rubiginem.

11. Ave, Iesu, qui rex veraciter
Appellatus es crucis titulo,
Me ab hoste
captum fallaciter
Iam ab eius absolve vinculo.

12. Ave, cuius per aevum ditio
Durat in terrenis et superis,
Me coapta tuo servitio,
Ut te digne laudem cum ceteris.

13. Ave, turba quem principatuum
Laudet atque virtus uranica,
Nomen tuum da per mellifluum
Declinemus ut mundi lubrica.

14. Ave, Iesu, fontale luminum
Aeternorum urbis uranicae,
Eradica sentes peccaminum,
Ut laudemus te honorifice.

15. Ave, Iesu, cuius praesidio
Est succursum ruinae veteri,
Me a luxus serva incendio,
Pastus ignis ne fiam inferi.

16. Ave, o protector eximie,
Semper astans
in te sperantibus,
Da, ne foeder nota infamiae
Infernorum canum latratibus.

17. Ave, Iesu cuius intuitus
Cuncta videt infallibiliter,
Mea tibi placeat servitus,
Qua desudo te laudans iugiter.

18. Ave, o aequitatis arbiter,
Cui totus est mundus subditus,
Mentis sentes,
quas infert spinifer,
Eradica, exoro, funditus.

19. Ave, cuius beato nomini
Sempiterna debetur gloria,
Sublevamen deiecto homini
In hac mundi praebe miseria.

20. Ave, Iesu, per quem spurcitiae
A devotis pelluntur mentibus,
Solidemur ut patientiae
Inconcussis, precamur, basibus.

21. Ave, quem hic laudare satago
Propter formam tuae iustitiae,
Revertenti occurre prodigo
Primam stolam dans innocentiae.

22. Ave, Iesu desiderabilis
Super cuncta delectabilia,
Nos a cunctis serva periculis
Et ad caeli perduc ovilia.

* *
*

Super Magnificat.

23. Ave, cuius mater magnifica
Deo novum confecit canticum,
Me per preces eius iustifica
Hoc pangentem
metrum Pindaricum.

Super Nunc dimittis.

24. Ave, quem Simonea brachia
Sunt amplexa
oblatum Domino,
Me cum eo fac caeli gloria
Collaudare te sine termino.

Super Benedictus.

25. Ave, Iesu, sermo propheticus
Nuntiavit quem ante tempora,
Nos, quos turbat
tumultus bellicus,
Manu tua potenti libera.

Super Te Deum.

26. Ave, Iesu, quem plebs angelica
Sanctorumque
collaudat contio,
Nomen tuum in me mirifica
Eorundem iungens consortio.

Conclusio finalis.

27. Doxa patri sit innascibili,
Nato ac utruisque nexui,
Conregnant in saeclum saeculi
Potentatu regni perpetui.

Orat. ms. Tegrinsense anni 1466. Clm. Monacen. 19991. fol. 209. A. — Orat. ms. Tegrinsense saec. 15. Clm. Monacen. 19353. fol. 81a. B. — 1, 3 Sepe A. — 44, 1 Iesu fehlt A. — 57, 4 Resultantem A. — 80, 1 carnem A. — 134, 3 gentilitius im Sinne von gentilis gebraucht. — 148, 3 Genuinus im Sinne von consanguineus.

VIII. Psalterium Secundum.

Tristichon prooemiale.

1. Increata patre nata
   Iesu sapientia,
   Te laudantum et amantum
   Choris me associa,
   Sumens pauca licet rauca
   Laudum sacrificia.

2. Haec ostende et perpende
   Servi famulitia,
   Quis honoro et adoro
   Tua beneficia,
   Uti dignus, non indignus
   Tua sim praesentia.

3. Eia, Christe, gressum siste
   Auscultans cum gratia,
   Te paventem et fatentem
   Tibi sua vitia,
   Quae gregavit et patravit
   Sua ab infantia.

4. Sic me vere paenitere
   Mea fac flagitia,
   Ut evulsa et expulsa
   Animi tristitia,
   Tibi tandem laudes cantem
   Cordis cum laetitia.

5. Uirtus patris, decus matris,
   Mentis quo duritia
   Est soluta et abluta
   Mundi sunt exitia,
   Haud me spernas, sed me cernas
   Consueta laetitia.

6. Supplicantis et laudantis
   Te per haec sequentia,
   Sume vota quae devota,
   Offero instantia,
   Et finita me hac vita
   Tuo vultu satia.

Quadragena I.

1. Ave, Iesu, rex beatissime,
   Supernorum praesidens civibus
   Meae, quaeso, affectus animae
   Tuis sanctis subiuga legibus.

2. Ave, in quem belluinum fremitum
   Perfecerunt gentes malevolae,
   Onus crucis nobis impositum
   Leve per te sit et portabile.

3. Ave, Iesu, resurgens tumulo,
   Sacrum corpus
   coniungens animae,
   Cum discedam ab isto saeculo,
   Tunc me, quaeso,
   clementer suscipe.

4. Ave, o sempiterna veritas,
   Tuis praestans dona laetitiae,
   Per te omnis pellatur falsitas,
   Et donetur virtus constantiae.

5. Ave, o miserator inclite,
   Sanctis donans
   aeterna praemia,
   Domum tuam
   expurga schismate
   Et exorna tua iustitia.

6. Ave, salus fidelis populi,
   Servum tuum exaudi miserum
   Ad te voce clamantem flebili
   Pro medela suorum scelerum.

7. Ave, Iesu, leo fortissime,
Cuius virtus iustos eripuit,
A leone nos Stygis redime,
Persequendo
quos semper circuit.

8. Ave, Iesu, O et initium,
Omne bonum
semper concomitans,
Sis tuorum memor sequacium,
Pietate tua hos visitans.

9. Ave, iudex venturi saeculi,
Liberator te confitentium,
Nunc virtute tua mirabili
Dolos preme insidiantium.

10. Ave, Iesu, qui censum annuum
Dicis fore reddendum Caesari,
Adiuvamen praebe continuum,
In profundis ne mergar tartari.

11. Ave, Iesu, cuius potentia
Relevatur inops a gemitu,
Me oppressum gravi miseria
Septiformi releva spiritu.

12. Ave, cuius adventus inclitus
Destructivus est idolatriae,
Hostis per te frangatur impetus,
Qui impugnat nos multifarie.

13. Ave, Iesu, cuius benignitas
Lustrat mentes te requirentium,
Conteratur per te malignitas
Viam pacis non cognoscentium.

14. Ave, Iesu, in cuius atria
Inquinatus nullus ingreditur,
Sed in tua manens iustitia
In aeternum non commovebitur.

15. Ave, per quem caelorum incolis
Exstat restituta hereditas,
A malorum nunc conventiculis
Nos defendat tua benignitas.

16. Ave, in quo ulla iniquitas
Inveniri nequit a saeculo,
A me, quaeso, mentis duplicitas
Propellatur, precor te sedulo.

17. Ave, Iesu, a cuius facie
Caritatis ignis egreditur,
Firmamentum esto ecclesiae,
A perversis quae iam concutitur.

18. Ave, Iesu, plasmator omnium,
Cuius sancti enarrant gloriam,
Frontis meae, quaeso, tricellium
Tu informa per sapientiam.

19. Ave, agne, qui in altaribus
Summo patri litaris iugiter,
In supernae Sion me laribus
Fac laetari, peto, humiliter.

20. Ave, Iesu, quem pater luminum
Coronavit corona gloriae,
Benedictione dulcedinum
Nos tuarum expurga carie.

21. Ave, Iesu, qui sputa facie
Processisti ac caesus alapis
Scutum nobis da patientiae,
Cum ferimur pravorum labiis.

22. Ave, parans mensam fidelibus
Sacramenti tui sanctissimi,
Nos habenis rege suavibus
Caritatis tuae et proximi.

23. Ave, rex, sempiternae gloriae,
Universum cui est subditum,
Donum nobis da innocentiae
Et post mortem caeli introitum.

24. Ave, Iesu, misericordiae
Circa tuos qui reminisceris,
Iuventutis et ignorantiae
Delictorum mis ne memineris.

25. Ave, Iesu, aeterna veritas,
In qua pater sibi complacuit,
Ipse reddat coronas perditas,
Quas mors tua nobis promeruit.

26. Ave, qui promissis propheticis
Polliceris vitam credentibus,
Muni servos castris angelicis,
Expugnari ne possint hostibus.

27. Ave, cuius de excellentia
Collaetantur turbae fidelium,
Per virtutem tuam nequitia
Immutetur mala loquentium.

28. Ave, Iesu, aquis baptismatis
Mundans tibi
sponsam ecclesiam,
Scripturarum
condensa dogmatis
Manifesta nobis per gratiam.

29. Ave, Iesu, de David germine
Per Mariae genitus viscera,
Tuo sancto redemptos sanguine
Consolare in vitae vespera.

30. Ave, cuius misericordia
Collaudatur per prolem gratiae,
Me vas irae factum per vitia
Vas honoris fac atque gloriae.

31. Ave, Iesu, relaxans crimina
Sanctis opportuno in tempore,
Nostra, quaeso, tege peccamina
Mentes replens divino munere.

32. Ave, Iesu, misericordiam
Semper amans sed et iudicium,
In adversis da patientiam
Et pravorum frange consilium.

33. Ave, splendor aeterno iubare
Animorum tenebras dimovens,
Menti meae, quaeso, illabere
Noctem mortis ab ea removens.

34. Ave, Iesu dsiderabilis,
Protestatus iniquis testibus,
Munimenti inexpugnabilis
Scutum praesta
obsistens hostibus.

35. Ave, Iesu, fons sapientiae,
Corda rigans
sanctorum montium,
A me motus aufer superbiae,
Omnis mali quae est initium.

36. Ave, Iesu, zelotes intime,
Per quem sanctis
perpes hereditas
Condonatur,
nunc fraudes comprime,
Quas pravorum
parat malignitas.

37. Ave, Iesu, spes paenitentium
Cicatrices medens et vulnera,
Vitiorum insidiantium
Ad pellendum
motus iam propera.

38. Ave, via, vita et veritas,
Summi patrisque sapientia,
Huius mundi me premit vanitas,
Tua mihi assis clementia.

39. Ave, Iesu, qui fons es veniae,
Piis semper intendens precibus,
Nos de lacu educ miseriae
A peccatique purga faecibus.

40. Ave, Iesu, largitor optime,
Qui es praesto misericordibus,
Hostes nostros benigne deprime
Et fer opem nostris doloribus.

41. Ave, Iesu, qui in calvaria
Crucifixus es pro christicolis,
A me mundi pelle contraria,
Quae me turbant diebus singulis.

42. Ave, Iesu, lux atque veritas,
Qui es missus a patre luminum,
Per te nobis donetur novitas
Vitae atque amoris glutinum.

43. Ave, Iesu, rex potentissime,
Cuius personamus praeconium,
Ab aerumnis mundi nos redime
Et a linguis nos diffamantium.

44. Ave, verbum patris ingeniti,
Eructavit quod a principio,
Per te vitae iungamur limiti
Accingamurque verbi gladio.

45. Ave, Iesu, ex cuius sonitu
Potestates sunt motae saeculi,
Gratiarum nos move impetu
Ad plangendum sordes piaculi.

46. Ave, cuius ascensu inclito
Iubilabant sancti apostoli,
Nos a casu praeserva subito,
Ne tradamur hosti terribili.

47. Ave, Iesu, Deus laudabilis,
Mira semper et pulchra faciens,
Fac, ut mitis
sim atque humilis,
Voluntatem tuam perficiens.

48. Ave, Iesu, lux sapientiae,
Omnem hominem qui illuminas,
A me nubem insipientiae
Pelle atque mundi delicias.

49. Ave, cuius ex Sion species
Clara toti mundo resplenduit,
Manifeste in fine venies,
Cuius pietas diu siluit.

50. Ave, Iesu, salvator saeculi.
Antrum nudans
humani pectoris,
Te ex corde deposco humili,
Sordes mei leva facinoris.

Quinquagena II.

51. Ave, Iesu, iustorum gloria,
Quos confirmas sermone utili
Antichristi per te malitia
Conteretur in fine saeculi.

52. Ave, qui hostiles insidias
Pepulisti a sanctis fortiter,
Praesta, mundi huius molestias
Sufferamus ut aequanimiter.

53. Ave, Iesu, per quem magnifica
Largiuntur sanctae ecclesiae
Pietate tua me iudica
Confitentem te voluntarie.

54. Ave, Iesu, qui es fallaciter,
Inimicis a Iuda traditus,
Te exoro corde humiliter,
Ne hiatu mergar interitus.

55. Ave, Iesu, bellorum optime,
Propugnator invisibilium,
Hostes nostros
potenter comprime
Refoveque corda flebilium.

56. Ave, Iesu cuius ecclesia
Laudes semper et grates resonat,
Ab aeterna mortis sententia
Vernam serva, qui te glorificat.

57. Ave, Iesu, iudex iustissime,
Cui assistunt conventus caelici,
Me conserva, te peto intime,
A serpentis morsu venefici.

58. Ave, Iesu, qui alimoniis
Scripturarum foves ecclesiam,
Impetentes nos contumeliis
Frange ac eorum invidiam.

59. Ave, Iesu, cuius benignitas
Nobis patet per evangelium,
Detur nobis munita civitas,
Qua habetur
aeternum gaudium.

60. Ave, Iesu, turris fortissima,
Qua dependent virtutum clipei,
His a servi, exoro, anima
Hostes repellantur tartarei.

61. Ave, salutaris et gloria
Populorum in te spernantium,
Mentis nostrae ruit maceria,
Cui benigne praebe auxilium.

62. Ave, auctor, lucis perpetuae,
Vigilamus ad quem diluculo.
Exsultantis in te assidue
Cor confige amoris iaculo.

63. Ave, qui pro salute hominis
Ascendisti crucis patibulum,
Toxicatos veneno daemonis
Tuum sana per adminiculum.

64. Ave, Iesu spes terrae finium,
Cui cum plausu
hymnum concinimus,
Post hanc vitam
nos tuum atrium
Fac intrare, devote petimus.

65. Ave, cuius sunt terribilia
Facta, quae fecisti a saeculo,
Sempiterna sit tibi gloria,
Quod adesse dignaris servulo.

66. Ave, Iesu, via tutissima,
Qua venitur ad caeli patriam.
Mentis meae illustra intima
Tuam praestans misericordiam.

67. Ave, aeternale principium,
Qui cum patre
regnas et pneumate,
In conventu tuo laetantium
Corda riga superno dogmate.

68. Ave, cuius per multitudinem
Miserationum respicimur,
Cum per fellis amaritudinem
Et aceti poenis absolvimur.

69. Ave, Iesu, adiutor nobilis.
Toto corde ad te clamantium,
Subiacenti multis periculis
Tuum mihi da adiutorium.

70. Ave, Iesu, qui hostem crucias,
In inferno ne sanctos sauciet,
In senecta ne me proicias,
Virtus mea quando deficiet.

71. Ave, Iesu, pax nos conglutinans
Fide, spe ac amoris vinculo,
Ne nos laedat
hostis exterminans,
Obsecramus te voto sedulo.

72. Ave, cordis mei solacium,
Cui tota mente adhaereo,
Sempiternum da mihi gaudium,
Per aenigma qui te nunc video.

73. Ave, qui opertus in tempore
Descendisti e patris gremio,
Congregationis meminere.
Possedisti quam ab initio.

74. Ave, qui passionis calicem
Degustasti pro vita hominum,
Praestolamur
quem nostrum iudicem.
Nexum solve
nostrorum criminum.

75. Ave, cuius nomen innotuit
In Iudeae et eius finibus,
Cum maiestas tua apparuit
Ab aeternis
resplendens montibus.

76. Ave, finis bonorum omnium,
Sine quo consolari renuo,
Unde fastum hunc transitorium
Propter te nunc omnino respuo.

77. Ave, Iesu, panis angelice
Munducaris qui ab hominibus,
Mentem meam hoc cibo refoves
Glorisique eius fructibus.

78. Ave, cuius potestas regia
Nos sustantans,
arcens malevolos,
Tibi mea voluntas propria
Obsequatur actus per singulos.

79. Ave, vitis irrorans gentibus
De supernis salutis poculum,
Servos tuis tege palmitibus
Atque cunctum
fidelem populum.

80. Ave, Iesu, qui tuos supplices
Sedem locas super aetheream,
Da, pressuras mundi multiplices
Forti mente pro te sustineam.

81. Ave, Iesu, cuius divinitas
Nullo unquam fine concluditur,
Consoletur per te humanitas,
Quae diversis malis atteritur.

82. Ave, Iesu, Deus altissime,
Caelo regnans perpetualiter,
Declinemus, da, prudentissime
Blandientes nobis fallaciter.

83. Ave, Iesu fundator inclite,
Tabernaculorum caelestium.
Ad quae te inducamur comite
Nos et cunctae
turbae fidelium.

84. Ave, Iesu,
per quem absolvimur
A captivitate diaboli,
Cum a malis ad te convertimur
Deplorantes nos motu flebili.

85. Ave, Iesu, suavis et patiens
Mala sua vere plangentibus,
Da, ut legem tuam custodiens
Iungi possim te diligentibus.

86. Ave, fundamentum ecclesiae,
Vocitatur quae Dei civitas,
Quam circumdant caeli militiae,
Ubi summa
regnat tranquillitas.

87. Ave, Deus salutis omnium,
Inferorum profunda penetrans,
Tuum nobis defer auxilium,
Quos devastat hostis insidians.

88. Ave, Iesu, quem primogenitum
Pater ponit in summis civibus,
Turbatorum respice gemitum,
Hos a mundi
salvans turbinibus.

89. Ave, splendor luminosissime,
Quem emittit paterna claritas,
Luce tua pauperis animae
Propulsetur omnis obscenitas.

90. Ave, cuius per adiutorium
Hic ab inimicis protegimur,
Esto semper meum refugium,
In quem forti spe nunc erigimur.

91. Ave, Iesu, palmeta caelica
Gratiarum infundens imbribus,
Depromentes
psalmorum cantica
Nos coniunge caeli florentibus.

92. Ave, Iesu, qui pulchritudine
Es indutus, ut docet symbolum,
Mentem meam tu sanctitudine
Orna, in qua regnes in saeculum.

93. Ave, legis tuae scientia,
Ne delinquant,
informa homines,
Tua mihi assis potentia
Concertanti adversus daemones.

94. Ave, olim escam ex aëre
Ac ex petra profundens laticem,
Nos mundatos omni facinore,
Obtinere fac caeli apicem.

95. Ave, cuius nos incarnatio
Ab inferni reduxit faucibus,
Unde iuste te nostra contio
Nuntiando laudat in gentibus.

96. Ave, Iesu, de tabernaculo
Alvi sanctae prodiens virginis,
Adiuvamen, te quaeso sedulo,
Confessori da tui nominis.

97. Ave, salutare eximium,
Notum fecit quod Deus gentibus,
Post finale examen praemium
Nobis dona
cum sanctis omnibus,

98. Ave, Iesu, rex admirabilis,
Cuius honor amat iudicium,
Multum malis qui est terribilis,
Mihi, quaeso,
praebe propitium.

99. Ave, Iesu, thesaure unice,
Cordis mei mentisque iubilus,
Servi tui torporem disice,
Ut saxorum
qui premit cumulus.

100. Ave, cuius beati oculi
Ad fideles tuos respiciunt,
Ne sermone me laedant subdoli
Quaeso, contra
me qui insaniunt.

Quinquagena III.

101. Ave, Iesu, cuius apparuit
Huic mundo vera humanitas,
Mea virtus ut fenum aruit,
Quam infundat tua divinitas.

102. Ave, Iesu, qui peccatoribus
Misereris ut pater filiis,
Sana, quaeso,
me a languoribus,
Replens bonis me desideriis.

103. Ave, virtus et sapientia
Summi patris,
quem sancti iugiter
Benedicunt in caeli patria,
His me iunge, peto humiliter.

104. Ave, Iesu, cuius possessio
Sancta mater exstat ecclesia,
Oris mei te nunc confessio
Benedicit laudans magnalia.

105. Ave, Iesu, cuius est gloria
Confitenti benigne parcere,
Cordis mei audi suspiria
Hoc consolans
superno munere.

106. Ave, Iesu, quem quadrifaria
Confitetur mundi divisio,
Nobis assit misericordia,
Ex qua nostra venit redemptio.

107. Ave, Iesu, patris praeconia
Iudaeorum nuntians populis,
Mentis meae purga confinia
Vitiorum a cunctis maculis.

108. Ave, Iesu, qui contumelias
Pertulisti a gente propria,
Fac nobiscum misericordias,
Possedisti quos ut manicipia.

109. Ave, nate, ante luciferum
Ex aeterni patris substantia
Inimicum preme pestiferum
Cuius turbat nos pervicacia.

110. Ave, Iesu, cuius iustitia
Permanebit in saeclum saeculi
Tua nobis omnipotentia
In hoc mundo succurrat flebili.

111. Ave, omni qui potentatui
Dominaris hic et in superis
Beatorum nos iunge coetui,
Torqueamur ne poenis asperis.

112. Ave, rerum
cunctarum conditor,
Quem sanctorum
collaudat puritas,
Me, qui labe peccati inquinor
Tibi placens lavet humilitas.

113. Ave, Iesu, aquis Iordanicis
Baptizatus Iohannis manibus
Faecibus nos purga Satanicis
Veritate lucescens mentibus.

114. Ave, Iesu, pastor eximie,
Greges tuos pie custodiens,
Nos a lupo rapaci erue,
Defensamen
benignum largiens.

115. Ave, Iesu, qui tuo sanguine
Patrem tuum nobis pacificas,
Gloriantum in tuo nomine
Passiones comprime lubricas.

116. Ave, cuius misericordia
Confirmata est in christicolis,
Quando ipsos tua custodia
Liberasti a suis aemulis.

117. Ave, lapis structurae caelicae,
Qui es factus in caput anguli
In superno me loca apice,
Michaelis per manum angeli.

118. Ave, via, qua ambulantibus
Sempiterna vita promittitur,
Tuis sanctis nos munda legibus,
Quibus ad te directe graditur.

119. Ave, via per quam ascenditur
Ad superna virtutum gradibus,
Vitam nostram,
quae hic adfligitur,
Tu defende a detrahentibus.

120. Ave, Iesu, cuius benignitas,
In supernis sanctos remunerat,
Quos hostilis turbat immanitas,
Defensamen
tuum hos protegat.

121. Ave, qui es natus in Bethlehem
Ex Maria intacta virgine,
Fac caelestis cives Ierusalem
Gloriantes in tuo nomine.

122. Ave, Iesu, qui caelis habitas,
Ad quem nostros
levamus oculos,
Tua fortitudine comprimas
Inimici impulsos sedulos.

123. Ave, Iesu, qui tuo dogmate
Pravitates frangis haereticas,
Peccatorum ne mergar gurgite,
Fraudes, quaeso,
pelle zabolicas.

124. Ave, in quem sancta ecclesia
Suam semper ponit fiduciam,
Mentis nostrae tu rege devia
Dans in bono perseverantiam.

125. Ave, Iesu, per quem calamitas
Nostra est con-
versa in gaudium,
Cum inferni dira captivitas
Est per tuum fracta obsidium.

126. Ave, architecte caelestium
Tabernaculorum mirifice,
Meae, quaeso, mentis triclinium
Tis amore benigne perfice.

127. Ave, Iesu, qui te timentibus
Caeli praestas beatitudinem,
Nos solutos a facinoribus
Fac gustare tuam dulcedinem.

128. Ave, Iesu, qui ab infantia
Es perpessus multas insidias,
Da, ne passionum frequentia
Mentis nobis gignat molestias.

129. Ave, salus in te sperantium,
Quos defendis pia custodia,
De profundis ad te clamantium
Rugibunda audi suspiria.

130. Ave, Iesu, cuius humilitas
Nostra facta est exaltatio,
Tua nobis praestet benignitas
Ne subrepat cordis elatio.

131. Ave, cuius, est incarnatio
Repromissa ex David germine,
Sed completa
est haec promissio,
Cum es natus ex pura virgine.

132. Ave, Iesu, cuius religio
Coadunat nos in ecclesia,
Tua quoque dulcis dilectio
Nos coniungat in amicitia.

133. Ave, Iesu,
quem flagrantissimae
Caritatis laudamus studio,
Servi te nunc
petunt humillime,
Ut his assis tuo praesidio.

134. Ave, Iesu, cui cordis iubilo
Alleluia cantamus iugiter,
Supernorum nos iunge populo,
Cum quis te
laudemus perenniter.

135. Ave, cuius magnificentia,
Declaratur multis prodigiis,
Mentis nostrae purgentur vitia
Dirae mortis tuae suffragiis.

136. Ave, Iesu,
qui mundum possides,
Hunc cum patre
gubernans fortiter,
Babylonis absolve compedes,
Quibus ligor miserabiliter.

137. Ave, cuius misericordia
Promeretur per paenitentiam,
Angelorum nobis custodia
Nobis assit per tuam gratiam.

138. Ave, qui post mortis victoriam
Depraedatoque lacu inferi
Ascendisti ad patris dexteram,
Ope nobis succurre celeri.

139. Ave, Iesu, qui tuos eripis
Servos, ne iniquus
hos opprimat,
Rumpe trucis
habenas aucupis,
Ne in palam post virus evomat.

140. Ave, per quem
hostem sophisticum
Servi tui declinant cautius,
Verbum audias publicanicum:
Deus, esto mihi propitius.

141. Ave, qui in agone positus
Patrem voce orasti humili,
Te exoro servus immeritus,
Ut in fine succurras flebili.

142. Ave, Iesu, qui te amantibus
Semper ades misericorditer,
Te precanti expansis manibus
Adiuvamen praebe velociter.

143. Ave, cuius de promptuario
Beatorum pascuntur animae,
Te laudantem in hoc psalterio
A malignis benigne redime.

144. Ave, regnans perpetualiter
Cum gignente
et sancto pneumate,
Nos elisos miserabiliter
Leva nectens iustorum semitae.

145. Ave, cordis mei fiducia,
Cui psallam, quamdiu fuero,
Fatigatum per multa vitia
Me conserva, quaeso, de cetero.

146. Ave, Iesu, caelestis medice,
Contritorum
medicans vulnera,
A squalore me carnis lubricae
Emundatum
sanctis connumera.

147. Ave, Iesu, rex caeli patriae,
Rex aeterne,
rex magni nominis,
Firma tuae portas ecclesiae
Ponens pacem in eius terminis.

148. Ave, quem caelestes militiae
Melodiis laudant harmonicis,
Hostis ne subdamur potentiae,
Nos praeceptis liga dominicis.

149. Ave, Iesu, cui cantat canticum
Plebs sanctorum
in regno gloriae
Carmen istud
canentem rhythmicum
Triumphanti iungas ecclesiae.

150. Ave, meum solamen unicum,
Quem sanctorum
laudat exercitus,
Modulamen hoc panegyricum
Sume, meus quod offert spiritus.

Parerga.

Super Beati immaculati.

1. Ave, via, qua ambulantibus
Sempiterna vita promittitur,
Tuis sanctis nos munda precibus,
Quibus ad te directe graditur.

2. Ave, Iesu, dulcis iucunditas
Toto corde te ex quaerentium,
Deprecatur te mea pravitas,
Tuum ne me celes eloquium.

3. Ave, Iesu, fons sapientiae,
In quo foedus quisque abluitur,
Velum amove ignorantiae,
Quo aspectus mentis obducitur.

4. Ave, o electe ex millibus,
Cuius pulchritudine trahimur,
Miserere de tuis legibus
Nobis,qui peccatis confundimur.

5. Ave, lex et norma iustitiae,
Per quam ad divina reflectimur,
Pestem aufer nunc avaritiae.
In ambitum qua rerum ducimur.

6. Ave, Iesu, qui homousion
Es vocatus a sanctis patribus,
Per oramen sanctae theotocon
Nos custodi ab exprobrantibus.

7. Ave, consolator lugentium,
Quod ex tua patet sententia,
Tu aerumnis nostris solacium
Nobis sis depellens contraria.

8. Ave, cuius beatae visio
Faciei sanctis promittitur,
Laqueorum mentis solutio
Per te fiat, quis circumplectitur.

9. Ave, cuius instigat bonitas
Caritatis ad desiderium,
Nobis a te detur humilitas,
Quae virtutum est servatorium.

10. Ave, sapor dulcoris intimi,
Iusta semper inspirans opera,
Perturbati maerores animi
Per dulcedinem tuam tempera.

11. Ave, nulla quem capit ratio,
Cuius cuncta potestas continet,
Da malorum ne fabulatio
Mentis nostrae
auditum inquinet.

12. Ave, finis et consummatio
Duplae legis, virtutum omnium,
Quarum iugis nunc meditatio
Pellat a me omne contrarium.

13. Ave, nobis qui evangelio
Praestitisti vivendi regulam,
Verbi tui nos lustra radio,
Ut vitemus peccati maculam.

14. Ave, lumen, cuius absentia
In ruinam gravem incidimus,
Tua nostris praestet clementia
Verbi tui lucernam pedibus.

15. Ave, Iesu, susceptor exsulum,
Te precantum pro adiutorio,
Malignorum aufer tendiculum,
Illud tuo frangens imperio.

16. Ave, Iesu, fons omnis gratiae,
Donum bonum
dans te amantibus,
Nos informa norma iustitiae,
Ne tradamur culumniantibus.

17. Ave, Iesu, cuius obsequia
Intellectum
praestant humilibus,
Desperatis confer remedia,
In pressuris fovens flebilibus.

18. Ave, Iesu, cuius iustitia
Violatur a cunctis perfidis,
Purga corda nostra sordentia,
Hostibus ne tradamur rabidis.

19. Ave, omnis boni efficiens
Causa, cuius, rectum iudicium,
Sis clementer voces exaudiens
Toto corde ad te clamantium.

20. Ave, Iesu, cuius principium
Exstat summa verborum veritas,
Me digneris sanare saucium,
Quem mortalis
premit infirmitas.

21. Ave, Iesu, qui diligentibus
Legem tuam das pacis cumulum,
Praesta tibi nunc supplicantibus,
Ne incurrant aliquod scandalum.

22. Ave, pastor, qui ovem perditam
Reportasti ad caulas caelicas,
Poenam, quaeso,
dimitte debitam,
Quam incurri
per culpas lubricas.

Conclusio.

23. Honor patri et benedictio
Sit aeterno atque potentia,
Beatorum quem sacra contio
Laudat cordis in affluentia.

24. Honor nato, laus, sapientia,
Possessori regni perpetui,
Pietate cuius et gratia
Carmen illud libens contexui.

25. Honor, virtus, salus et bonitas
Sit amori patris et filii,
Cuius semper nos regat pietas
Mole pressos huius exsilii.

Orat. ms. Tegrinsense anni 1466. Clm. Monacen. 19991. fol. 266. b sqq. „Incipit psalterium de divinissimo Domino Iesu. Et est metrum decasyllabicum, pindaricum, dactylicum. Et dicitur decasyllabicum a numero sillabarum, Pindarium ab inventore, dactylicum a pede praedominante.“

IX. Psalterium tertium.

Distichon prooemiale.

1. Infinitae et invictae
Iesu rex potentiae,
Tu dignare mihi dare
Donum sapientiae.

2. Huc aspectum, huc affectum
Dirige propitium,
Omnis doni atque boni
A quo est initium.

3. En, propono tuo dono
Carmen tibi promere,
Ut te Iesum saepe laesum
Queam flexum reddere.

4. Sis adiutor et instructor,
Ut te possim libere
Collaudare et amare
Et sincere sapere.

5. Unguentorum me tuorum
Unge aromatibus
Et praeclaris tui paris
Cinge charismatibus.

6. Seductoris et raptoris
Animarum obrue
Cunctas fraudes, uti laudes
Tibi pangam strenue.

Quinquagena I.

1. Ave, lignum vitae fructiferum,
Fructum ferens
menses per singulos,
Cum in fine veneris temporum,
Inter tuos nos pone ramulos.

2. Ave, celsi tonantis unice
Fili, solvens peccati vincula,
Rege statum plebis catholicae,
Cuncta pellens ab ea scandala.

3. Ave, Iesu, creator omnium,
Diem luce decora vertiens,
Ne malignum
me, quaeso, somnium
Turbet, quando
quiesco dormiens.

4. Ave, lumen,
quo sanctae animae
Insignitae habent laetitiam,
Fronti meae
Tau signum imprime,
Quo in fine cognosci valeam.

5. Ave, Iesu, te diligentium
Scutum atque corona gloriae,
Omne aufer a me mendacium,
Ne secludar a regno patriae.

6. Ave, per quem
exactor contumax
Est destructus in funus inferi,
Medicamen largire efficax
Animarum nostrarum vulneri.

7. Ave, Iesu, scrutator cordium.
Exaltatus in terrae finibus,
A me aufer
vibratum gladium,
Ne condemner cum pereuntibus.

8. Ave, Iesu, rex admirabilis,
Elevatus magnificentia,
Minoratus
quondam ab angelis,
Nunc subiecta sunt tibi omnia.

9. Ave, lucis aeternae claritas
Atque decor Dei altissimi,
Contra omnes hostis versutias
Dona nobis virtutem animi.

10. Ave, Iesu, rector ecclesiae,
Quam illustras tua iustitia,
Hanc expurga haeresum carie
A praesenti quoque tristitia.

11. Ave, verbum patris ingeniti,
Cuius sonant ut aes eloquia,
In virtute divini digiti
Nunc disperde dolosa labia.

12. Ave, Iesu, spes te amantium,
Cui corde devoto psallimus,
Visum purga
nostrarum mentium,
Inimicus
quem turbat pessimus.

13. Ave, Iesu, per quem hereditas
Sempiterna nobis promittitur,
Per te nostra dira captivitas
Absolvatur,
qua mens opprimitur.

14. Ave, quem creator altissimus
Est dignatus ad terras mittere,
Nostra vota, quae tibi vovimus,
Da, reddamus sincero opere.

15. Ave, Iesu, per quem resurgere
Nos speramus in fine saeculi,
Praesta nobis in te quiescere,
Donec dote ditemur nobili.

16. Ave, salus in te sperantium,
Quorum gressus
benigne perficis,
Nisus preme insidiantium,
Machinantes cum suis pedicis.

17. Ave, verbum patris altissimi,
Per quod huic mundo intonuit,
Cuius voce oris dulcissimi
Cordis nostri terra contremuit.

18. Ave, Iesu, virginis thalamo
Qui procedens
succurris perditis,
Servum tuum hostis tendiculo
Captum cunctis
absolve debitis.

19. Ave, Iesus, salutis hostia,
Per quam in
hac vita reficimur,
Dolor premit nos et angustia,
In te tamen semper laetabimur.

20. Ave, Iesu, rex benignissime,
Cuius regnum
durat in saeculum,
Iudicabis quando strictissime,
Nobis praesta
tunc adminiculum.

21. Ave, Iesu passe hostiliter
Pro peccatis humani generis,
Es a matre planctus flebiliter,
Quae nunc tecum
regnat in superis.

22. Ave, Iesu, nostra refectio,
Quos lavisti sacro baptismate,
Umbrae mortis
duc nos de medio
Legis tuae conectens semitae.

23. Ave, princeps caeli exercitus,
Tibi quoque vere credentium,
Cordis ad te suspirant gemitus
Flagitantes vitam insontium.

24. Ave, dulcis atque rectissime
Iesu legem
dans delinquentibus,
Tis timorem infunde animae,
Vitiorum ne pungar sentibus.

25. Ave, Iesu decorus gloria,
Occiderunt
quem viri sanguinum,
Circumdantes tua altaria
Nunc expurga
labe peccaminum.

26. Ave, salutaris credentium,
Inimicus quos turbat saeviens,
Esto servis tuis suffragium,
Nos in die malorum protegens.

27. Ave, Iesu, cuius emicuit
Caro sancta ex pura virgine,
Resurgendo ut flos refloruit
Fuso sacro pro nobis sanguine.

28. Ave, cuius patris vox sonuit:
Hic est meus dilectus filius,
Propter te a nobis continuit
Iram suam et nutrit vocibus.

29. Ave, cuius planctus in gaudium
Est conversus surgens a mortuis,
Consolare corda maerentium,
Qui in poenis lugent continuis.

30. Ave, Iesu, praestans gratuitum
Consolamen tuos enutriens,
Commendatum suscipe spiritum
Meum, quando
decedam moriens.

31. Ave, cuius humano generi
Virtus de supernis emicuit,
Mentis meae succurre vulneri,
In peccatis qui iam consenuit.

32. Ave, cuius nos verna vectigal
Docet regi terreno reddere,
Mentes nostras fac tibi penetral,
Ut devote possimus psallere.

33. Ave, Iesu, te per magnificum
Nomen tuum rogamus fervidi,
Comitatum praesta angelicum
Servis tuis, quos turbant perfidi.

34. Ave, Iesu, mi amantissime,
Qui flagellis es caesus graviter,
Meae, quaeso, succurre animae,
Insequuntur
quam hostes fortiter.

35. Ave, Iesu, origo luminis,
Servi tui mentem clarifica
Et in hora tui examinis,
Quaeso, me turbatum laetifica.

36. Ave, salus iustorum omnium
Et protector in malo tempore,
Nobis vitam da innocentium
Strophosorum-
que arcum contere.

37. Ave, mundi lux infuscabilis,
Infirmorum claustra illuminaus,
Carnis nostrae peccata fragilis
Pietate esto obnubilans.

38. Ave, Iesu, mis exspectatio,
Apud quem est mea substantia,
Mentis me molestat turbatio,
Quam depellas tua potentia.

39. Ave, Iesu, qui petra diceris,
In quam pedum
gressus infigimus,
Molestamur malis innumeris,
Unde tristes ad te confugimus.

40. Ave, Iesu, qui Iudae osculo
Es Iudaeis datus fallaciter,
Sed resurgens fortis de tumulo
Gloriosus regnas perenniter.

41. Ave, Iesu, fons dulcis poculi,
Beatorum infundens animas,
Toxicatis veneno zabuli
Paenitudinis praebe lacrimas.

42. Ave, Iesu, desiderabilis,
Ad quem melos
nostrum dirigimus,
Inimicus ne invisibilis
Nos supplantet, devote petimus.

43. Ave, Iesu, qui patris dextera
Es vocatus ore prophetico,
Oblatrantum linguas dilacera,
Collocatae quae sunt in lubrico.

44. Ave, Iesu, speciosissime,
Cuius vultus est plenus gratia,
Exoramus te nunc cordintime,
Ut nos liberes ab angustia.

45. Ave, Iesu, in quo absconditi
Sunt thesauri donorum gratiae.
Ne nos casus perturbent subiti,
Esto nobis in adiutorium.

46. Ave, Iesu, qui alta nubium
Ascendisti virtute propria,
Sedem nobis dona caelestium,
Ut laetemur tecum in gloria.

47. Ave, Iesu, cuius in finibus
Terrae nomen
lausque agnoscitur,
Per te iusti splendent virtutibus,
Superborumquemens conteritur.

48. Ave, Iesu, cuius os loquitur
Inter devotos sapientiam,
Vita sancta iustis proponitur
Imitabilis per prudentiam.

49. Ave, Iesu, lux orbis inclita,
Qua beatis Deus ostenditur,
Ad superna sis nobis semita,
Perquem omnebonum egreditur.

50. Ave, Iesu, misericordiae
Fons, relaxans lapsis peccamina,
Mundi fraudis atque malitiae
Cuncta aufer, quaeso, discrimina.

Quinquagena II.

51. Ave, per quem mundana vanitas
Est destructa virtutum opere,
Post hanc vitam tua benignitas
Nos olivae iungat fructiferae.

52. Ave, Iesu, cuius clementia
Consolatur nos in maeroribus,
Nos a mundi vana placentia
Liberato atque terroribus.

53. Ave, Iesu, Deus absconditus,
Qui fuisti virginis utero,
Te exoro peccatis deditus,
Ut me iungas coetui supero.

54. Ave, Iesu cuius sacerrimum
Corpus pendens in crucis stipite
Propulsavit
hostem deterrimum,
Vulnerarat qui nos ancipite.

55. Ave, Iesu, cuius calcaneum
Observarunt Iudaei subdoli,
Locum nobis praesta sidereum,
Quos creasti dudum ex nihilo.

56. Ave, cuius misericordia
Consolatur mentes fidelium,
Turbatorum aufer opprobrium
De supernis mittens auxilium.

57. Ave, clavis, quae caelum reseras
Iustis, vincunt
qui hostis laqueos,
Mentis nostrae emunda latebras
Eradicans rami aculeos.

58. Ave, Iesu, sanctorum gaudium
Atque merces qui iuste diceris,
Bis acutum da mihi gladium
Duplae legis, novae ac veteris.

59. Ave, Iesu, granum triticeum,
Multum fructum
post mortem adferens,
Me aeternae vitae idoneum
Fac, peccata cuncta demoliens.

60. Ave, petra, sub qua protegimur
Inimici a torva facie,
Cum post mundi
finem deducimur,
Ubi verae assunt deliciae.

61. Ave, Iesu, qui te timentibus
Frumentum es et refrigerium,
Naufragemur
ne mundi fluctibus,
Sublevamen da necessarium.

62. Ave, Iesu, lux, cuius radio
Dissolvuntur legis mysteria,
Nos, quos caecat mundi ambitio,
Pietate tua humilia.

63. Ave, Iesu, tutor credentium,
A timore hostis quos sublevas,
A conventu nos malignantium
Nunc defende, premens insidias.

64. Ave, Iesu, inferni aciem
Percussisti qui manu valida,
Mentis meae impingua maciem,
Uti in te sit superfervida.

65. Ave, fons et origo gaudii
Populorum, quos unda renovas,
Tribulatis da refrigerii
Opem, quos per ignem examinas.

66. Ave, iter, per quod qui graditur
Oberrare nequit per tenebras,
Per te via angusta panditur,
Qua venitur ad sedes superas.

67. Ave, Iesu, qui hostes dissipas,
Qui oderunt te in hoc saeculo,
Cogitationes fumiferas
Longe fac a cordis oppidulo.

68. Ave, cuius nomen cum cantico
Collaudamus
nunc et in saeculum,
Nos a fundo emerge limico,
Per quod solet oriri scandalum.

69. Ave, qui nos tuis praesidiis
Liberasti ab hostis furia,
Da, malorum victis opprobriis
Exsultemus tecum in gloria.

70. Ave, Iesu, protector populi
Dimicantis adversus zabulum,
Truculenti quos turbant aemuli,
Tu solamen largire sedulum.

71. Ave, Iesu, rex regum omnium,
Tuae pacis dans abundantiam,
Per natalis tui mysterium
Tuam nobis
iam praesta gratiam.

72. Ave, Iesu, qui mundis cordibus
Te videndum spondes in patria,
A peccati nos munda sordibus
Gratiarum praebens donaria.

73. Ave, Iesu, perpes hereditas
Beandorum in caeli curia,
Neme, quaeso, tangat calamitas,
Quam molitur hostilis furia.

74. Ave, Iesu, cui confitebimur
Implorantes misericordiam,
Peccatorum
fascem, qua premimur,
Per divinam leva clementiam.

75. Ave, auctor pacis et gratiae,
Qui vicisti arcum et gladium,
Per virtutem tuae potentiae
Bellum aufer paci contrarium.

76. Ave, Iesu, cuius memoria
Maestis dulcis est delectatio,
Fera turbat me iracundia,
Quam compescat tua dignatio.

77. Ave, petra, de cuius latere
Sacramentum fluxit baptismatis,
Quo renatos dignare munere
Consolari aeterni pneumatis.

78. Ave, Iesu, quo nihil dulcius,
Devotorum refovens animum,
Sis peccatis meis propitius
Propter nomen
tuum sanctissimum.

79. Ave, Iesu, ad caeli pascua
Qui deducis
credentem populum,
Mentes nostras sorde evacua
Et depelle omne periculum.

80. Ave, Iesu, dulcedo mellica,
Pia cibans corda fidelium,
Servitute de Aegyptiaca
Nos absolve dans refrigerium.

81. Ave, Iesu, protector pauperum,
Quorum causas benigne suscipis,
Me resolve
nunc, quaeso, miserum
Ab habenis inferni principis.

82. Ave, Iesu, cui nemo similis
Hic in terra nec in caelestibus,
Servus tuus te petit humilis,
Ut defendas ipsum ab hostibus.

83. Ave, amor et desiderium
Cordis mei, Iesu dulcissime,
Caeli me fac intrare atrium,
Sic te vigor exorat animae.

84. Ave, Iesu, exorta veritas
De Maria intacta virgine,
Tua nobis praestet benignitas,
Ut salvemur in mundi turbine.

85. Ave, miserator et Domine,
Cuius semper manet imperium,
Gloriantem in tuo nomine
Salva tuae ancillae filium.

86. Ave, cuius per mundi spatium
Latitudo claret imperii,
Nos ad chorum
tecum laetantium
Per ducatum duc evangelii.

87. Ave, Iesu, qui inter mortuos
Liber claustra fregisti inferi,
Incidamus ne in perpetuos
Ignes, ope succurre celeri.

88. Ave, Iesu, fundator machinae
Mundi eiusque plenitudinis,
Exsultantes in tuo nomine
Donis dita beatitudinis.

89. Ave, Iesu, asylum exsulum,
Turbatorum mortis formidine,
Me custodi nunc et in saeculum
Ab aeterni ignis uredine.

90. Ave, Iesu, qui tuis servulis
Pandis aures, ut hos exaudiant,
Manda, quaeso, beatis angelis,
Ut in vita hac nos custodiant.

91. Ave, cuius facta magnifica
Collaudamus
nunc et perenniter,
Nos ut cedrum,
quaeso, multiplica,
Ut vivamus odorabiliter.

92. Ave, Iesu, qui fortitudine
Es indutus devincens zabulum
Ab aeternae amaritudine
Mortis tuae defende famulum.

93. Ave, qui per arta itinera
Ad aeternam vitam nos dirigis,
Membra tua nos fove tenera,
Qui, quae nobis
desunt, intellegis.

94. Ave, Iesu, rex creans omnia,
Iubilamus cui totis cordibus,
Gregem tuum aeternis satia
Alimentis cum caeli civibus.

95. Ave, Iesu, cuius praesentiam
Promiserunt dicta prophetica,
Nos mundatos per paenitentiam
Tandem transfer
ad regna caelica.

96. Ave, Iesu, quem sancti angeli
In supernis adorant iugiter,
Capiamur ne fraude zabuli,
Nos custodi, peto humiliter.

97. Ave, cuius fama velocius
Vento currit per mundi climata,
Servis tuis succurre ocius,
Quos peccati premunt demerita.

98. Ave, candor
sidusque splendidum,
Illustratur quo caeli civitas,
Me fulgore tuo fac canditum,
Quem peccati obfuscat nigritas.

99. Ave, Iesu, aeterne Domine,
Iubilamus cui in laetitia,
Absolutos ab omni crimine
In aeterna perduc nos atria.

100. Ave, Iesu, cui simplicitas
Semper placet ac innocentia,
A me, quaeso, omnis duplicitas
Elongetur atque superbia.

Quinquagena III.

101. Ave, de excelso prospiciens,
Ut audires
vinctorum gemitum,
Te mens mea petit caecutiens,
Ut ipsius expurges abditum.

102. Ave, Iesu, cui benedicimus,
Patri quoque
cum sancto spiritu,
Te ex toto corde exposcimus,
Ut nos redimas ab interitu.

103. Ave, Iesu, cuius stabilitas
In aeternum manet immobilis,
Tuo nutu nostra infirmitas
Protegatur a sanctis angelis.

104. Ave, cuius carnis susceptio
Nostra compro-
batur hereditas,
Tua tergat amara passio
Mentis nostrae
sordes praeteritas.

105. Ave, Iesu, cuius potentia
Creaturae est ineffabilis,
Corda nostra reple laetitia
A peccati absolvens vinculis.

106. Ave, liberator fortissime,
Hostis vincla
rumpens tyrannica,
Cibo tuae carnis dulcissimae
Corda nostra reple famelica.

107. Ave, cuius nubes imbriferae
Infideles populos irrigant,
Noli servos turbatos spernere,
Pro salute qui ad te clamitant.

108. Ave, quem ferina protervitas
Synagogae sprevit mulimode,
Linguas tua compescat pietas
Contra servos
latrantes perfide.

109. Ave, Iesu,
summum principium
Cuncta simul creans ex nihilo,
Cum extremum erit iudicium,
Opem tuo largire servulo.

110. Ave, Iesu, nostra redemptio,
Pater misit quem suis populis,
Mente, carne quoque deficio,
Nunc succurre,
quaeso, amabilis.

111. Ave, lumen ortum in tenebris,
Ubi sol non potest accedere,
Ne corrumpar
mundi illecebris
Me illustra superno iubare.

112. Ave, cuius nomen laudabile
Praedicatur per
mundi ambitum
Tu, cui nihil est impossibile
Carnis in me refrena impetum.

113. Ave, Iesu, qui te timentibus
Benedicis magnis et parvulis,
Ne confundar
cum descendentibus
In infernum, te peto humilis.

114. Ave, Iesu, qui tuis requiem
Das in regione viventium,
Caeni mei aufer congeriem,
Terrae tradar ne morientium.

115. Ave, Iesu, solamen unicum
Orthodoxae matris ecclesiae,
Cerne vota
benignus supplicum,
Metam ponens
nostrae miseriae.

116. Ave, Iesu, aeterna veritas,
Quae cum patre
regnas in saeculum,
Tibi laudes reddentem debitas
Intuere benigne populum.

117. Ave, miserorum fiducia,
Fortitudo, spes et praesidium,
Tua nobis sit tolerantia
Passionum vitae subsidium.

118. Ave, Iesu, auctor iustitiae,
Per quam transit
exsul in patriam,
Donum in nos reforma gratiae,
Praestans nobis
virtutum copiam.

119. Ave, Iesu, per quem destruitur
Huius mundi saeva malitia,
Incolatum mens mea patitur,
Consoletur quam tua gratia.

120. Ave, Iesu, vigil dulcissime,
Non dormitans
neque obdormiens,
Meae gressus dirige animae,
Hanc ab omni malo custodiens.

121. Ave, caeli principans civibus,
Quibus praestas
aeternam gloriam,
Domum tuam inambulantibus
Pacis tribue abundantiam.

122. Ave, Iesu, qui in miseriis
Tuis praestoes per clementiam,
Superborum pulsis opprobriis
Nobis praesta misericordiam.

123. Ave, Iesu, quem sancti sedule
Benedicunt cordis tripudio,
Nomen tuum per venerabile
Nobis assis tuo praesidio.

124. Ave, Iesu, qui rectis cordibus
Semper ades tuo auxilio,
Me depressum iniquitatibus
Intuere vultu propitio.

125. Ave, sator optimi seminis,
Ex quo crescunt
turbae fidelium,
Seminantes
nunc nos in lacrimis
Fac post mortem
metere gaudium.

126. Ave, Samaritane inclite,
Super cives tuos qui vigilas,
Obsecramus te nunc sollicite,
Uti mentes nostras custodias.

127. Ave, patris o sapientia,
Gyrum caeli sola circuiens,
In amoris nos abundantia
Tui sis frequenter reficiens.

128. Ave, Iesu, qui crucem baiulans
Es in locum ductus supplicii,
A peccati nos fasce sublevans
Praesta nobis donum consilii.

129. Ave, Iesu, misericordia
Apud quem est
atque redemptio,
Servi tui, quaeso, contagia
Deleantur tuo subsidio.

130. Ave, Iesu, cuius auctoritas
Per scripturas relucet saeculo,
Mentes, quas ob-
caecat stoliditas,
Veritatis repleas pabulo.

131. Ave, in quo sanctificatio
Summi patris clare effloruit,
Quando hostes stravit confusio
Et electus salutem induit.

132. Ave, supra
quem sanctus spiritus
In columbae descendit specie,
Te exoro, licet immeritus,
Ut me ungas hoc dono gratiae.

133. Ave, cuius nos benedictio
In securitatem constituit,
Cum sanctorum
iungas consortio,
Quibus fides tua nos miscuit.

134. Ave, cuius dulcedo nominis
Nectar praebet
devotis cordibus,
Per virtutem aeterni flaminis
Mentes nostras
expurga sordibus.

135. Ave, sol de supernis oriens,
Diaphana cuncta irradians,
Sis peccati nubes demoliens
Et amore tuo nos satians.

136. Ave, consolator dulcissime
Captivorum mundi miseria,
Supplicantes tibi humillime,
Cives fore fac caeli patria.

137. Ave, iudex, qui complacaberis
Hymnis atque confessionibus,
Me emunda a labe sceleris,
Ne inferni tradar praedonibus.

138. Ave, Iesu, per quem scientia
Patris praedicatur mirabilis,
Passionis tuae insignia
Nos a mentis solvant piaculis.

139. Ave, Deus meus et Domine,
Qui cum patre
regnas et spiritu,
Me defende,
quaeso humillime,
Ab aeternae mortis interitu.

140. Ave, per quem
speramus veniam
Nobis dari ex dono gratiae,
Ori meo pone custodiam,
Ne in verbis ruam malitiae.

141. Ave, Iesu, solamen pauperum,
Spes, asylum et consolatio,
Hinc conductum
da nobis prosperum,
Ut in caelis sit nostra portio.

142. Ave, Iesu, qui per potentiam
Nos levasti oppressos scelere,
Flagitantes misericordiam
Lucis tuae illustra iubare.

143. Ave, petra o limpidissima,
Qua Goliassaevus prosternitur,
Per te mea devincat anima
Passiones
carnis, quis premitur.

144. Ave, cunctis
qui da viventibus
Opportuno escam in tempore,
Beatorum me ciba dapibus,
Terrenorum
qui premor pondere.

145. Ave, Iesu, ductor tritissime
Oberrantum a caeli gaudiis,
Me pupillum potenter redime
A pravorum cunctis iniuriis.

146. Ave, Iesu, qui pressos scelere
Scripturarum
infundis pluviis,
Nos exutos corvino vellere
Nunc virtutum orna induuiis.

147. Ave, Iesu, patris eloquium,
Cuius sermo currit velociter,
Mortis tuae per beneficum
Carne tua nos ciba dulciter.

148. Ave, Iesu, qui merces unica
Et corona es triumphantium,
Fatigato per mundi lubrica
Mihi, quaeso, praebe solacium.

149. Ave, Iesu, qui promerentibus
Sempiternam
das caeli gloriam,
Te devoto corde poscentibus
Peccatorum largire veniam.

150. Ave, Iesu, per quem evasimus
Satanina multa pericula,
Unde iuste te benedicimus
Nunc et per infinita saecula.

Orat. ms. Tegrinsense anni 1466. Clm. Monacen. 19991. fol. 271a sqq. — „Incipit aliud psalterium de dulcissimo Domino nostro Iesu Christo. — 40, 3 fortiter.

IV.

DE BEATA MARIA

PSALTERIUM TRIPLEX.

X. Psalterium Primum.

Hymnus prooemialis.

1. O Nazareni floris radix inclita,
Quem concepisti de superno pneumate,
Tandem enixa virgo tamen permanes,
Vultu sereno nos benigne respice,
Odae praesentis dum litamus victimam.

2. Nil hoc profecto altius mysterio,
Quo comprobatur humanari deitas,
Mundi auctorem creaturam effici
Eiusque lactis pasci alimonia,
Cuius est ipse essendi principium.

3. Dei perennis nempe exstat filius,
Per genituram a quo semper nascitur,
Praenuncupatus ore qui prophetico
Emmanuel est sive Nobiscum Deus,
Per quem creavit cuncta existentia.

4. Hinc se videndum praestitit mortalibus,
Ex te, beata, corpus sumens leteum,
Ut, dum caducum portat aeternus Deus,
Transire nostrum posset ad caelestia,
Carne peremptus et resurrexit Deus.

5. Hunc, virgo prudens, tuis flecte precibus,
Ut nos dignetur dono sapientiae
Illuminare, quo tua praeconia
Mente sincera recolamus iugiter
Per infinita saeculorum saecula.

Quinquagena I.

1. Ave, virgo, Christi puerpera,
Cum quo iucundaris in aethere,
Vitam meam, exoro, prospera,
Ut hac oda te laudem libere.

2. Ave, virgo, quam geneologus
Genuisse Deum explicuit,
Te delectet versus semilogus,
Quem poesis mater elicuit.

3. Ave, virgo, virtute praedita,
Inimici qua dentem conteris,
Corda nostra mundanis dedita
Erigendo coniunge superis.

4. Ave, stella orta divinitus,
Cuius splendor inferna penetrat,
Per te irae solvatur impetus,
Quae ut pestis
mentem degrandinat.

5. Ave, reparatrix iustitiae,
Mundi gravi succurrens lapsui,
Sinum pande misericordiae,
Aurem meo praebens hortatui.

6. Ave, pyxis unguentaria,
Medicamen contritis offerens,
Infirmorum per probra varia
Restauratrix sis
sanum conferens.

7. Ave, gemma, cuius praeclaritas
Dei splendet in diademate,
Tua suffragetur benignitas,
Phlegethontis ne mergar gurgite.

8. Ave, o gloriosa domina,
Elevata es super angelos,
A me cuncta prorsus extermina,
Quae divinos offendunt oculos.

9. Ave, lex testamenti gratiae,
Aptos gemmis
virtutum phalerans,
Donum mihi da patientiae,
Biliosam mentem pacificans.

10. Ave, cuius est gloriositas
Mihi cunctisque ineffabilis,
Sordes meas purga praeteritas,
Ne nex me neget infinibilis.

11. Ave, virgo, cuius per gratiam
Mentes corroborantur stolidae,
Vagabundum per inconstantiam
Redde, quaeso, me vitae solidae.

12. Ave, stella maris praefulgida,
Parentelis orta regalibus,
Corda nostra illustra turbida,
Excaecata noxis carnalibus.

13. Ave, virgo sapientifera,
Deum nobis gignens in homine,
Meum purga os, mater tenera,
Dolo atque amaritudine.

14. Ave. cuius solamen efficax
Huius mundi lenit angariam,
Per te via planetur difficax,
Quae in caeli perducit patriam.

15. Ave, virginitatis lilio
Ante, in et post partum redolens,
Me commenda dilecto filio,
Quando mundum
relinquam moriens.

16. Ave, rubus ardens in eremo,
Gignens prolem
sed virgo permanens,
Exorantes te corde intimo
Sis ab hoste maligno protegens.

17. Ave, virgo amore carior,
Devotorum exsistens mentibus,
Placa mentis furorem, deprecor,
Ne rependam male dicentibus.

18. Ave, sponsi reclinatorium,
Quo pausavit
ter tribus mensibus,
Sequax esse meum arbitrium,
Precor, Dei fac sacris legibus.

19. Ave, quae humano defectui
Succurristi Deum parturiens,
Me altaris coapta esui
Vitiosa cuncta abiciens.

20. Ave, cuius proles vi propria
Axem victor scandit astrigerum,
Esto nobis post transitoria
Ductrix, ne
mergamur in tartarum.

21. Ave, cuius maternam animam
Mortis Christi
transfodit gladius,
Hymnodiam hanc tibi rancidam
Decantanti succurre ocius.

22. Ave, quam per viam iustitiae
Deus duxit ad caeli gaudia,
Mentem meam confectam macie
Gratiarum potu inebria.

23. Ave, scala, per quam rex gloriae
Ad frangendum
descendit inferum,
Consolare me tua facie
Relinquentem
hunc mundum miserum.

24. Ave, virgo, flos innocentiae,
Fama mundum
per totum redolens,
Per virtutem tuae praesentiae
Inimicus fugetur pestilens.

25. Ave, gemma splendens aetherea,
Thronum ornans regis iustitiae,
Madefactum me cupidinea
Faece rivo emunda gratiae.

26. Ave, per quam patet fidelibus
Paradisi via praelucida,
Mihi atque meis parentibus
Sis reductrix ad caeli fulgida.

27. Ave, virgo virtutum germine
Creaturis florens prae omnibus,
Me exutum carnali tegmine
Angelorum iunge concentibus.

28. Ave, cuius forma egregia
Unicornem allexit superum,
Mundi huius tolle naufragia,
Lites aufer,
da pacem temporum.

29. Ave, cuius natus ab inferis
Victo rege peccati rediit,
Resurgendo a tumba funeris
Gloriosus tibi apparuit.

30. Ave, cedrus o altitudinis,
Fastu tamen carens superbiae,
Donum mihi da fortitudinis,
Qui conturbor hostili rabie.

31. Ave, virgo, radix germinea,
Florem campi
gignens credentibus,
Eius suavi odore recrea
Perforatos peccati sentibus.

32. Ave, quam iustorum religio
Harmoniae laudat concentibus,
Procelloso nos a naufragio
Tuis sacris conserva precibus.

33. Ave, mortis o abolitio,
Vitam nobis
restaurans caelicam,
Me notatum hostis cauterio
Normam solve per evangelicam.

34. Ave, cuius est dulcis filius
Flagris dire caesus et alapis,
Tuis, quaeso, me solve precibus,
Vinclis vinctum
inferni principis.

35. Ave, lampas o indeficiens,
Illustrata caelesti lumine,
Cor eodem meum caecutiens
Purga, precor, ab omni crimine.

36. Ave, quam virtutes uranicae
Oda laudant mirae dulcedinis,
Pronitatem furoris abice,
Donum mihi
dans mansuetudinis.

37. Ave, per quam mens reviviscere
Potest prius peccatis mortua,
Damasceno me pressum onere
Manu tua potenti subleva.

38. Ave, virgo piatrix scelerum,
Qui gravamur in conscientia,
Nobis confer iustorum operum
Bonum finem cum sufferentia.

39. Ave, gemma auro splendidior,
Cuncta mundi illustrans spatia,
Me, peccati qui faece tenebror,
Tuo fulvo splendore radia.

40. Ave, mater prolis ingenuae
Eligente te Dei gratia,
Vitae meae, quaeso, occiduae
Det solamen tua clementia.

41. Ave, navis ferens suffragia,
Quae divinum
mulcent imperium
Concinentem tua praesagia
Duc in caeli epulatorium.

42. Ave, vera spes veri gaudii,
Qua levamur pressi maestitia
Me, quem motus
perturbant varii,
Sublevare tua clementia.

43. Ave, qua paradisi ianua
Aperitur clausa a saeculo,
Furnam carnis culpam evacua,
Cui adhaesi heu corde sedulo.

44. Ave, virga Assueri aurea,
Signum mundo
datum clementiae,
Cervix mea frangatur ferrea,
Per te capax ut fiat gratiae.

45. Ave, virgo sapientissimi
Salomonis reclinatorium,
Arcum nostri
hostis nequissimi
Tuum frange per adiutorium.

46. Ave, videns ab olinifero
Monte natum
caelum ascendere,
Fac, beata, me tibi, obsecro,
Sapienter hanc odam psallere.

47. Ave, mundi praecelsa domina,
Cui hoc carmen
libo harmonicum,
Deplorantem me mea crimina
Duc in campum paradisiacum.

48. Ave, virgo fons manans satie
Gratiarum rivos credentibus,
Aqua pota me sapientiae
Comparatum insipientibus.

49. Ave, virgo, cui libens offero
Carmen istud fructu eximium,
Ad tribunal cum ductus fuero,
Tuum salvet me patrocinium.

50. Ave, per quam misericordiam
A superno meremur numine,
Prece tua velut nix albeam,
Qui peccati turpor nigredine.

Quinquagena II.

51. Salve, virgo, arbor fructifera,
Fructum ferens vitae perpetuae,
Pia mater, nostra facinora
Dele et ab hoste nos erue.

52. Salve, per cuius opificium
Lapsus redit ad statum gratiae,
Cordi meo caeco per vitium
Lumen mitte intellegentiae.

53. Salve, virgo, cuius memoria
Dulcis mihi exstat refectio,
Odae huius sume donaria,
Quae devoto libo servitio.

54. Salve, virgo, urbs fortitudinis,
Circumsaepta virtutum moeniis,
Praegravato mole formidinis
Sis munimen tuis praesidiis.

55. Salve, virgo, thronus eburneus
Regis hierarchiae angelicae,
In conflictu ne nos tartareus
Hostis vincat, te ipsam obice.

56. Salve, quae in stellato solio
Exaltaris iuxta altissimum,
Verbi Dei acuto gladio
Servi tui transfige animam.

57. Salve, quae ducatu angelico
Exsaltata es super sidera,
Me ab igne tuta venefico
Propinante philtrum per scelera.

58. Salve, virgo cuius corrigiae
Chorus adfluit apostolicus,
Tuo, deprecamur, suffragio
Adiuvetur coetus catholicus.

59. Salve, stella, cuius micamine
Illustrantur corda maerentia,
Tuo solve, precor, oramine
Infinita, quae gessi, vitia.

60. Salve, turris o invincibilis,
Contra hostes
dans propugnacula,
Te rogantem his laudum titulis
In aeterna duc tabernacula.

61. Salve, mater salutigeruli,
Concepisti quem sancto spiritu,
Gubernatrix sis tui famuli
Ab aeterno servans interitu.

62. Salve, cuius videntes faciem
Recreantur cordis mulcedine,
Mentis meae impingua maciem,
Caritatis Dei pinguedine.

63. Salve, candens flos super lilia,
Odoramen dans castimoniae,
Tela hostis fac me subtilia
Superare vi sanctimoniae.

64. Salve, cuius laudes hymnificas
Cecinerunt summa praesagia,
Nos in locum
duc, quem inhabitas,
Tua, deprecor, per suffragia.

65. Salve, virgo, quae iubilamine
Cordis Deum laudas hilariter,
Odas tuas frequenti rumine
Concinentem salva perenniter.

66. Salve, sidus, cuius a superis
Fulgor micat, ut nos illuminet,
Voluntates in mundi tenebris
Lucis tuae splendor irradiet.

67. Salve, cuius est per auxilium
Diminuta hostilis dynamin,
Tuum, quaeso, ostende filium
Mihi contemplandum
cum Beniamin.

68. Salve, dignum Dei sacrarium
Perornatum cunctis virtutibus,
Te laudantis emunda animam,
Putrefactam peccati faecibus.

69. Salve, margarita splendifera,
Diadema ornans altissimi,
Adiuvamen meum accelera,
Quem infestant
hostes taeterrimi.

70. Salve, quam hac
oda psalmigrapha
Laudo gloriantem in superis,
Peccatorum dele chirographa.
Vanitatis quae scripsit litteris.

71. Salve, cuius ac Dei filio
Promunt magi Eoa munera,
Irrorari nos stillicidio
Gratiarum benigna impetra.

72. Salve, praedicanda in saeculis,
Summi patris quam amat unicus,
Salus nobis sis in periculis,
Quae intentat
hostis altrinsecus.

73. Salve, paenitentum causidica
Consolatrixque
clemens inopum,
Pellis mea, fac, Aethiopica
Permutetur in vellus ovium.

74. Salve, vitis o fructuaria,
Vini meri propinans calicem,
Potestate ab adversaria
Tuum, quaeso,
defende supplicem.

75 Salve, cuius nati mors inclita
Infernalem confregit carcerem,
Pete mihi, dimittat debita
Ante meum
discessum lugubrem.

76. Salve, arbor o fertilissima,
Figurarum florescens flosculis,
Mentis meae, exoro, intima
Gratiarum consperge rivulis.

77. Salve, quae a choris angelicis
Veneraris ac Dei populo,
Frange panem caeli famelicis
Tui ventris pistum fornaculo.

78. Salve, quae fuisti materies,
De qua Deus
assumpsit hominem,
Emundetur servi luxuries
Tuam, virgo,
per pulchritudinem.

79. Salve, imperatrix clarissima,
Caeli, mari
terraeque principans,
Per te mea soletur anima,
Quam perturbat
ferus exterminans.

80. Salve, sidus fulgore caelicum
Plus relucens
quam stellae ceterae,
Mentem meam, quam Pelusiacum
Onus gravat, illustra iubare.

81. Salve, mater
caelorum principis,
Peperisti quem
virgo permanens,
Carmen tui accepta mancipis
Gratiarum odorem redolens.

82. Salve, virgo, cui vita caelibe
In creatis non exstat similis,
Favorosam te mihi exhibe
Odam istam sumens amabilis.

83. Salve, cuius beati oculi
Deum contemplantur
perenniniter,
Flatus tui decedens servuli
Invehatur caelis velociter.

84. Salve, virgo, terra fructifera,
Vitae nobis gignens edulium
Epularum, o mater tenera,
Sympolonem
fac me caelestium.

85. Salve, virgo, stirpe ingenua
Generata Dei oraculo,
Honorantem te mente cernua
Pietatis respice oculo.

86. Salve, spei fundamen stabile
Christianam fidem scientium,
Consolare cor meum flebile,
De supernis mittens solacium.

87. Salve, virgo, hosti terribilis
Et castrorum cincta praesidio,
Me prex tua irreprensibilis
A virtutum levet naufragio.

88. Salve, caeli regina nobilis,
Genuisti quae Dei filium,
Finis vitae meae plorabilis
Tueatur tis per axilium.

89. Salve, virgo, flos dulce redolens,
Spiramentum virtutum omnium,
Gressus meos
sis, quaeso, dirigens
Beatorum ad contubernium.

90. Salve, virgo, cuius per merita
Reformamur
ad statum pristinum,
Superare fac me phantasmata,
Quis perturbor
instinctu daemonum.

91. Salve, arbor palma sublimior,
Stans ornata virtutum floribus,
Me, hac oda qui te nunc veneror,
Ab inferni praeserva foribus.

92. Salve, porta, per quam fidelibus
Salus intrat mentis et corporis,
In procinctu belli pugnantibus
Administra solamen roboris.

93. Salve, pupillorum opifera,
Spes, asylum atque solacium,
Cordis mei planctum considera,
Natum mihi reddens propitium.

94. Salve, quae sanctitatis tramite
Angelorum excellis agmina,
Te precantem obstipo capite
Per amorem tibi adglutina.

95. Salve, virgo pulchrior Noëmi
Puritate et sanctimonia,
Ne permittas, precamur, oprimi,
Quos impugnant
saeva daemonia.

96. Salve, virgo, quae caeli ianuas
Intrans regnas
cum Deo perpetim,
Amamentum meum ne respuas,
Quo cogente te laudo affatim.

97. Salve, virginitatis speculum,
Matris tamen
honorem retinens,
Me pangentem
honorem sedulum
Tuum tua sis prece refovens.

98. Salve, mater mundi opificis,
Cum quo regnas in caeli sedibus,
Verbis tuis hunc delenificis
Demulcere stude credentibus.

99. Salve, cuius natus in umeris
Sacris ovem revexit perditam,
Viam rege nostri itineris
Per virtutum tibi ingenitam.

100. Salve, tribu quae ex Iudaica
Nata ornas hanc multipliciter,
Detractorum iacula fellica
Declinare fac me subtiliter.

Quinquagena III.

101. Gaude, cuius fulget manubries
Super aurum atque topazion,
Hostis per te frenetur rabies,
Qua intentat nobis supplicium.

102. Gaude, comes peregrinantium
Ierarchiaeque caeli domina,
Beatorum da contubernium
Modulanti
haec laudum carmina.

103. Gaude, virgo, cella vinaria,
Vinum nobis
propinans gratiae,
Me nutantem
per mundi varia
Firma, precor, dono constantiae.

104. Gaude, pietatis vicaria,
Irae Dei constringens impetum,
Captione da carceraria
Stygis ne con-
fringar post obitum.

105. Gaude, orbis regina inclita,
Supernorum fruens deliciis,
Sensus nostros
auscultans visita,
Hos reformans deiectos vitiis.

106. Gaude, planta caelestis hortuli,
Suavitatis
producens palmitem,
Quaeso, tui ex corde famuli
Eradica peccati cespitem.

107. Gaude, virgo,
quam laus harmonica
In excelsis extollit iugiter,
Odae huius ausculta cantica
Aurem flectens misericorditer.

108. Gaude, virgo, quae passo filio
Astitisti lacrimabiliter,
Hostes tuo frena auxilio
Insectantes nos odibiliter.

109. Gaude, mater
nostri Melchisedech,
Nempe ipse est rex iustitiae,
Tua prece vincam Abimelech
Malignorum stipatum acie.

110. Gaude, virgo,
cuius memoria
Desolatis est consolatio,
Dignos sacra nos eucharistia
Tua faciat intercessio.

111. Gaude, virgo, cuius iustitia
Manet ex hoc
nunc et in saeculum,
Me habeto tunc in memoria,
Cum incumbit
mortis periculum.

112. Gaude, cuius fama fraglantior
Rosa mundi spirat per climata,
Me, qui faece peccati inquinor,
Munda per virtutum aromata.

113. Gaude, per quam
caelorum aditum
Promerentur fideles populi,
Muni meum, exoro, exitum
De Aegypto istius saeculi.

114. Gaude, relevatrix iacentium,
Depressorum peccati onere,
Animarum poenis degentium
Audi voces clamantes misere.

115. Gaude, radix et virga Iessea,
Florem gignens
splendore rutilum,
Corda nostra expurga ruscea,
Peccatorum
disrumpens vinculum.

116. Gaude, virgo,
cuius cum memoror,
Consolamen mentis recipio,
Me, qui odam
hanc tibi modulor,
Tuo semper fulci praesidio.

117. Gaude, virgo,
linquens exsilium
Huius mundi gaudes perpetuo,
Inter me et dilectum filium
Foederatialem te statuo.

118. Gaude, operatrix magnifica
Exemplarque
virtutum omnium,
In extremis me beatifica
Promulgantem
tuum praeconium.

119. Gaude mater,
ornans Davidicum
Germen donis atque virtutibus,
Natum tuum nobis pacificum
Redde nostris
offensum actibus.

120. Gaude, virgo,
prae cunctis celebris
Decoratis per sapientiam,
Me gravatum curis anxiferis
Consolare ferens suppetiam.

121. Gaude, mater
educans Dominum,
Reparantem caeli confinia,
Cunctas aufer
causas iurgaminum.
Eorumque diversiclinia.

122. Gaude, o beata caelicola,
Deum laudans
cum cordis iubilo,
Cum decedent nostra spiracula
Beatorum haec iunge populo.

123. Gaude, o gloriosa domina,
Benedicta prae cunctis aliis,
Me peccati gravatum sarcina
Tuis leva sanctis praesidiis.

124. Gaude, cuius corpus virgineum
Carnis nostrae evasit tabida,
Servi tui cor arundineum
Fulcimentis tuis consolida.

125. Gaude, quae ornata virtutibus
Es ad caeli perducta gaudia,
Mihi atque meis tribulibus
Gratiarum praesta stipendia.

126. Gaude, arbor paradisiaca,
Fulta cunctis virtutum floribus,
Fructus tuos mihi communica,
Praestans bonis
pollere moribus.

127. Gaude, cuius glorificamine
Condelector his in carminibus,
Tuae precis me exoramine
Electorum iunge agminibus.

128. Gaude, dispensatrix munifica,
Te laudantum ditans inopiam,
Me certantem, quaeso, fortifica
Expugnando hostis potentiam.

129. Gaude, cuius orationibus
Convertuntur ad fidem exteri,
Honorantes te in his laudibus
A profundo praeserva inferi.

130. Gaude, mater Christi eximia,
Nominosa in mulieribus,
Passione me pressum nimia
Sana et a mentis vulneribus.

131. Gaude, gloriosa
(Christi) theotocos,
Quae meruisti
Christum gignere,
Ad excessus eius theoricos
Me digneris,
quaeso, perducere.

132. Gaude, praeelecta a saeculo
Ad conceptum
Christi thearchicum,
Caritatis me liga vinculo,
Quo te amem,
Deum et proximum.

133. Gaude, o benedicta domina,
In superna regnans Ierusalem,
Sere in me virtutum semina,
Quibus fraudes
hostis mellificem.

134. Gaude, virgo,
cui mundi machina
Tota laudes nictanter resonat,
Dissidentum
mentes conglutina,
Quos hostilis livor degrandinat.

135. Gaude, cuius munificentia
Animarum ditat pauperiem,
De superna, exoro, gratia
Mentis meae ciba esuriem.

136. Gaude, virgo, cuius oramine
Inimici fugantur impetus,
Libertati me redde pristinae,
Babylonis
quem premit servitus.

137. Gaude, cuius
praeclaris meritis
Instaurantur ruinae caelicae,
Absolutum peccati debitis
Me phalangi apta angelicae.

138. Gaude, stella, cuius serenitas
Animarum illustrat tramites,
Lucis tuae, rogo, vicinitas
Tenebrarum fuget satellites.

139. Gaude, via, qua vitae portitor
Ad nos venit
carnem suscipiens,
Me, qui tibi hac oda famulor,
Sis ab inimicis eripiens.

140. Gaude, cuius iusti custodiam
Promerentur orationibus,
Assis mihi, precor, ne corruam
Adulationum sermonibus.

141. Gaude, virgo, cuius praesidio
Debellantur hostes tartarei,
Natus tuus tuo suffragio
Donet nobis regnum Elysii.

142. Gaude, clavis, absolvens noxios
Inimici a truce impetu,
Luctus nostros resolve anxios
Miserationis intuitu.

143. Gaude, virgo, funda Davidica,
Cuius lapis stravit allophylum,
Inter bella tuum daemonica
Consternatum
conforta famulum.

144. Gaude, virgo, cuius pro gloria
Symphonizo
hanc odam melicam,
Mentem meam peccati scoria
Obduratam lima per gratiam.

145. Gaude, odis
quam laudant melicis
Dia et marina et terrea,
Irretitum peccati pedicis
Per oramen tuum elaquea.

146. Gaude, cuius laude assidue
Psalmodiae odis insistimus,
Trinitati nos individuae
Recommenda, devote petimus.

147. Gaude, virgo cuius virtutibus
Argumenta succedunt fidei,
Tuis sacris virtutum laudibus
Ad superna concede provehi.

148. Gaude, quae in
caelo virgineis
Choris praees
et sanctis omnibus,
Te laudantem a subitaneis
Huius mundi defende casibus.

149. Gaude, virgo, quae iugi cantico
Collaudaris per caeli incolas,
Sensu carnis
me fructum lubrico
Loca inter paradisicolas.

150. Gaude, quae virtutum insigniis
Perornaris
prae sanctis omnibus,
Te laudantem sinceris studiis
Beatorum iunge spiritibus.

Parerga.

Super Magnificat.

1. Ave, cuius effamen cantici
Super mel atque favum redolet,
Per hoc contra bellum sophistici
Hostis robur
praebe, quod imminet.

Super Nunc dimittis.

2. Ave, cuius per mentem gladium
Transeundum praedixit Simeon,
Me ad tuum commenda filium.
Cui nomen est homousion.

Super Benedictus.

3. Ave, luminare fidelium,
Quo licebet cavere tenebras,
Me reducas ad tuum filium
Peccatorum foventem latebras.

Super Te Deum.

4. Ave, cuius cor super omnia
Amat patrem,
natum, paraclitum,
Depromentis tua praeconia
Cor refrena, precor, indomitum.

Super Confitebor.

5. Ave, mater Christi magnifica,
Quam collaudo mentali iubilo,
Mores meos, quaeso, modifica,
Ne hostili cadam tendiculo.

Super Ego dixi.

6. Ave, virgo, per quam ab inferis
Deus praedam
reduxit plurimam,
Cum cubile tumbae intravero,
Ad superna perducas animam.

Super Exsultat.

7. Ave, quae maledictum sterilis
Evasisti Christum parturiens,
Me sublima, o virgo nobilis,
Vitiorum a luto erigens.

Super Cantemus.

8. Ave, gratiarum mirophyla,
Te laudantes venustans affatim,
Cordis mei, quaeso, ab arcula
Onus grave propelle Philistim.

Super Audivi.

9. Ave, stella, sucurre algui
Mentis tuae splendore rutilo,
Meo assis de mundo itui
Sublevando precatu sedulo.

Super Audite caeli.

10. Ave, cuius magnificentia
Claret cunctis in mundi partibus,
Per te mihi doctrinae pluvia
Fluat, mentis
qua munder sordibus.

Super Benedicite.

11. Ave, virgo quam honorifice
Benedicunt creata omnia,
Servis tuis me, quaeso, adice,
Qui frequentant tua praeconia.

Conclusio totius operis.

12. O pia mater, o spes nostra vivida,
Sincero corde atque voto supplici
Toties ave tibi decantatibus
Succurre suis cunctis in miseriis,
Quibus gravantur mente vel in corpore.

13. Tot tibi, virgo, sint honoris tituli,
Quot sunt in aethre stellae, quot in fluctibus
Marinis guttae, quot in terra lapides,
Quotquot in agris flores vel arboribus,
Quot Phoebus spargit relucentes radios.

Cod. S. Petri Salisburgen. b II 3. saec. 15. fol. 177 b. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. fol. 233 b. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20005. fol. 67 a. C. — Orat ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. fol. 228 b. D.

A hat folgende Bemerkungen: fol. 174 b: Prologus in sequentia tria psalteria decasyllaba gloriosissimae Dei genetricis. Folgt der Analecta VI, 11 mitgetheilte Brief des Frater Quisutis. — fol. 177 b: Incipit liber odarum beatissimae Mariae virginis, distinctus in tres quinquagenas. Constat metr(ic)o dactylico decassyllabico pindarico. Prima Quinquagena incipit feliciter. — B bemerkt am Schluss fol. 240 a: Praedicta haec psalteria fecit quidam Cardinalis cum opere sequenti. Dies opus sequens ist das Centinomium, Analecta VI, 71. — In C sind zur ersten Strophe Notenlinien gezogen, die Melodie ist aber nicht eingetragen.

Prooem. 1, 1 radix fehlt A. — 1, 3 tamen fehlt A — 5, 1 flectere A. — Psalt. Nach jeder Strophe folgen die Worte O Maria. — 2, 2 explicuit fehlt A. — 2, 8 es fehlt A B. — 10, 1 Cave cuius A; est fehlt A. — 19, 14 Dei fehlt A. — 33, 3 nodatum B. — 34, 4 Vinculis A. — 57, 4 Propinante fel atque filera A B. — 62, 4 Calcatis Dei A. — 67, 2 hostilis fehlt A. — 73, 3 sq. Pellis mea ociodica fac ut mutetur A. — 94. 3 obscipio A. — 88, 4 tuis per A. — 101, 1 manubrium A. — 191, 2 aurum et A. — 102, 1 comes fehlt A. — 104, 3 conceptione da A. — 106, 3 familiae A. — 110, 4 facit A. — 115, 1 Iesse A. — 117, 2 Huius mundi fehlt A. — 124, 2 tabita A. — 127, 3 in exoramine A. — 137, 4 phalangem A. — 139, 1 vitae fehlt A. — 150, 2 perornas A.

XI. Psalterium Secundum.

Oratio prooemialis.

1. O virgo felix, o novella gloria,
Caelestis arcis satraps nobilissima,
Inclina meis supplicationibus
Vultum gemellis cum diadematibus,
Cui posse soli cunctiparens subdidit.

2. Genetrix Christi, filia altissimi,
Elinguis oris, fautrix, move organum,
Largire comptum carmen infaustissimo,
Fac, ut tuarum mira laudum concinam,
Nam scis et ipsa posse mutos eloqui.

3. Nam meus haerens sermo lingua debili
Balbutit et modis laborat absonis,
Sed si superno rore respergas iecur
Et spiritali lacte pectus irriges,
Vox impeditos rauca laxabit sonos.

4. Sum mutus nempe, sed potens facundiae,
Unde tu, mater, nato tuo supplica,
Ut mihi donet plectrum eloquentiae,
Quatenus digne hymnos tuos proferam,
Quibus lauderis hic et in perpetuum.

5. Evangelista sparsit ipsum talia
Olim praecepta dedisse apostolis:
Nolite verba, cum sacramentum meum
Erit canendum, providentes quaerere,
Ego imparatis, quae loquantur, suggeram.

6. Frenentur in me corporum cupidines,
Tersa ut intus emicet prudentia,
Sic excitato prospice cacumine
Liberque flatu laxiore spiritus
Christi parentem rectius te praedicem.

7. Gloriam ergo tuam, virgo, resonent
Mecum fideles renati baptismate,
Sed id beata tu des nobis praemii,
Ut conregnemus tecum in caelestibus
Per indefessa saeculorum saecula.

Quinquagena I.

1. Ave, virgo, arbor fructifera,
Fructum suo ferens in tempore,
De eiusdem esu me repara
Peccatorum foedatum pulvere.

2. Ave, quae ex tribu Iudaica
Es electa in matrem Domini,
Labe prisca me solvens adplica
Dignitatis tuae servimini.

3. Ave, virgo, quae es continua
Succurrendo ad te clamantibus,
Removere digneris nocua,
Quibus premor ab adversantibus.

4. Ave, virgo, splendor laetitiae,
Corda replens superna gratia,
Cunctas aufer causas maestitiae,
Tribulatis praebens solacia.

5. Ave, qua, revertuntur praevia
Ad coronas electi perditas,
Oberrantem me nunc per devia
Ad virtutum reducas semitas.

6. Ave, spes et salus debilium,
Hos consolans donis largissimis,
Audi quoque preces flebilium
Te precantum cum piis lacrimis.

7. Ave, virgo,
per quam credentibus
Reserata est spei ianua,
Tuis me interesse laudibus
Circumspectione fac congrua.

8. Ave, o dominarum domina,
Admiratur quam universitas,
Nos transnantes
per mundi flumina
Ad polorum dirige semitas.

9. Ave, virgo, adiutrix omnium,
Te quaerentum mentis instantia,
Nostrum impleas desiderium
Dans amorem cum patientia.

10. Ave, beatorum laetitia,
Cuncta frangens
figmenta haeresum,
Accedentem te cum fiducia
Serva, ne mergatur in tartarum.

11. Ave, virgo, cuius nobilitas
Declaratur regali schemate,
Per te nobis lucescat veritas
Scripturarum contenta dogmate.

12. Ave, mater, salutis gentium,
Qua speramus misericordiam,
In agone mihi solacium
Praesta, ne in morte obdormiam.

13. Ave, virgo, natum parturiens
Rubicundum,
pulchrum et candidum,
Profugetur per te insipiens
Caupo virus propinans aspidum.

14. Ave, paradisi iucunditas,
Cum qua iustus
quisque tripudiat,
Nos praeservet tua benignitas,
Hostis pellax ne nos decipiat.

15. Ave, virgo stans Aaronico
Flore compta,
sed per mysterium,
Nos ligatos fune daemonico
Tuum solve per ministerium.

16. Ave, virga Iesse christifera,
Obumbrata aeterno numine,
Tibi carmen hoc fantem libera
Ab aeterni ignis uredine.

17. Ave, virgo, caeli delicias
Meruisti quae per munditiam,
Purga mentis meae spurcitias,
Ut te puro amore diligam.

18. Ave, mater gigantis strenui,
Procedentis a tuo utero,
Me coapta eius occursui,
Cum a carne eductus fuero.

19. Ave, virgo, innitens nomini
Dei nostri patris litamine,
Congaudentes beatitudini
Tuae tuo tuta tutamine.

20. Ave, mater Christi magnifica,
Quam honorant concentus caelici,
Vultu tuo tunc me laetifica,
Praesentabor cum summo iudici.

21. Ave, cuius exstitit virginal
Impollutum ab omni crimine,
Nos a truce conserva Belial
Tui ventris redemptos germine.

22. Ave, cuius precum instantia
Restauratur fides Theophilo,
Sitientes precantes satia
Pietatis de fontis poculo.

23. Ave, victrix qua dux militiae
Assur Holofernes prosternitur,
Donum nobis da innocentiae,
Cui virtuti caelum promittitur.

24. Ave, cuius prolis per sanguinem
Est amotus ensis versatilis,
Mentis meae dita pauperiem
Phalerando virtutum gemmulis.

25. Ave, stella o serenifica,
Tenebrarum pultrix formidinis,
Servi tui mentem purifica
Ab hac fugans imbres libidinis.

26. Ave, tutrix Deum timentium
Atque mentis illuminatio,
Me a feritate nocentium
Tua, quaeso, servet protectio.

27. Ave, benedicta a Domino,
Protectore in te sperantium.
Nos amoris renecte glutino.
Quos livoris turbat dissidium.

28. Ave, virgo, in cuius gremium
Se recepit fortis rhinoceros,
Obtinere sanctorum praemium
O beata fac me theotocos.

29. Ave, virgo, per quam beatitas
Est incepta humani generis,
Tua, precor, solvat benignitas
Habitantes in domo carceris.

30. Ave, virgo, amoris scrinimum,
Copulata sancto spiritui,
Cordis mei munda triclinium
Prolis tuae aptans amplexui.

31. Ave, arca Noe quae diceris,
Mundum salvans
peccatis naufragum,
Expiatrix sis mei sceleris,
Reconcilians Deo prodigum.

32. Ave, virgo, quae a credentibus
Veneraris per laudem congruam,
Infrenato me Dei laudibus,
Ne ut equus in praeceps corruam.

33. Ave, fax caelestis candelabri,
Peccatorum resolvens loculos,
Super foedum caeno volutabri
Pietatis reflecte oculos.

34. Ave, virgo, per cuius filium
Reparatur in mente debilis,
Esto mihi in adiutorium,
Ne ut arbor evellar sterilis.

35. Ave, virgo, et fons irrigue
Omnis boni et plenus gratia,
Ambulare sic me fac congrue,
Ne offendam quemquam malitia.

36. Ave, relevatrix labentium,
Hos a casu clementer sublevans,
Purga sordes
nostrarum mentium,
Quos foedavit caro tabificans.

37. Ave, virgo, flore stans florida,
Cuius odor mentes inebriat,
Corda nostra peccatis morbida
Sana, hostis noster quae sauciat.

38. Ave, mater prolis altissimae
Pietatisque thesaurarium,
In diei hora novissima
Mihi, precor, sis adiutorium.

39. Ave, stella, marina fulgida,
Illustratur qua mentis caecitas,
Corda nostra expurga sordida,
Inquinavit quae mundi vanitas.

40. Ave, virgo, rosa de Iericho,
Fama olens per mundi climata,
Me, qui carmen hoc tibi porrigo,
A peccati morte resuscita.

41. Ave, fons, ad quem cervus sitiens
Festinavit, salutem hominum,
Summo Deo et tibi confitens
A terrore servetur daemonum.

42. Ave, virgo, aurora rutilans,
Lucem vitae immittens tenebris,
Has a mente sis mea ventilans,
Ut te digne laudem cum ceteris.

43. Ave, virgo, in qua mirifica
Operata est summa deitas,
Vias meas, quaeso, rectifica,
Quas decurvat morum stoliditas.

44. Ave, arca caelestis gratiae,
Qua perfusa sunt mundi spatia,
Nos commenda regi iustitiae,
Ut infundar eadem gratia.

45. Ave, flumen misericordiae,
Civitatem Dei laetificans,
Prece tua malum discordiae
Aufer, corda nostra pacificans.

46. Ave, natum videns in iubilo
Ascendentem
ad sedem superam,
Post examen da tuo servulo
Pervenire ad eius dexteram.

47. Ave, quae incomprehensibilem
Circumplexa es sacris brachiis.
Praesta mihi vitam laudabilem,
Qua coniungar
sanctorum gaudiis.

48. Ave, virgo felix christigena,
Quam honoro hoc in psalterio
Me, quem gravant
mala multigena,
Tuo releves adiutorio.

49. Ave, virgo, pons fluctuantium
Huius vitae fluctibus lubricae,
Nos in fine dierum omnium
Coram iusto excusa iudice.

50. Ave, o exemplar munditiae,
Supernorum decus et gloria,
Prolis tuae me redde gratiae,
Quam amisi per probra varia.

Quinquagena II.

51. Ave, radix, quae salutigerum
Florem produxisti parturiens,
Agrum cordis mei spinigerum
Placa semen virtutum conferens.

52. Ave, turris David praeeminens,
Perornata virtutum gemmulis,
Caro mea per te insipiens
Excitetur timoris stimulis.

53. Ave, cuius membris virgineis
Se inclusit creator omnium,
Inimicis nos a tartareis
Tuum salva per adiutorium.

54. Ave, sidus splendore rutilum,
Cuncta mundi illustrans spatia,
Metuentes mortis periculum
Consoletur tua clementia.

55. Ave, conditioni miserae,
Quae succuris nostrae per filium,
Caput anguis antiqui contere,
Observantis nostrum calcaneum.

56. Ave, virgo, salutis galea
Fideique columna stabilis,
Mentem meam, precor, elaquea,
Peccatorum con-
strictam vinculis.

57. Ave, quae castitatis titulo
Exornaris ut caeli numina,
Ne serpentis nocentis sibilo
Toxicemur, succurre, domina.

58. Ave, stella,
quae mentem naufragam
E marinis reducis fluctibus.
Insurgentem in nos stratilogam
Preme suis cum satellitibus.

59. Ave, virgo, Davidis filia,
Cuius Deus cupivit speciem,
Natum tuum nobis concilia,
Evadamus ut arcus faciem.

60. Ave, virgo, turris eburnea,
De sub cuius pugno velamine,
Me iuvando, quaeso, accelera
In pravendo mortis discrimine.

61. Ave, tutrix plebis catholicae,
Ab hac hostis pellens fallaciam,
Me praeceptis divinis subice
In adversis dans patientiam.

62. Ave, virgo, sub cuius tegmine,
Requiescunt corda humilia,
Gratiarum reple pinguedine
Te devote laudantis labia.

63. Ave, spes et mater fidelium,
Diriguntur qua velut remige,
Tuum mihi
praestans praesidium,
A pravorum me coetu protege.

64. Ave, virgo, ancilla Domini,
Hymnum ei decorum offerens,
Meo, precor, assis genimini
Mala cuncta ab eo removens.

65. Ave, cuius prolis nativitas
Est monstrata
per cellam gentibus.
Mentis meae per te ariditas
Irroretur gratiae imbribus.

66. Ave, o deitatis cellula
Praeservata ab omni vitio,
Te laudantem hac in litterula
Intuere vulto propitio.

67. Ave, virgo, polorum satrapa
Facta, potens nos salvos facere,
Zabulinum conatum dissipa,
Quo nos crebro temptat evertere.

68. Ave, cuius nati mors inclita
Ius confregit hostis tyrannicum,
Carne busto
post mortem tradita
Me ne spernas velut exoticum.

69. Ave, cuius alvi gestamine
Confunduntur
fraudes satanicae,
Tuae precis serva iuvamine
Te laudantem hymnis magnifice.

70. Ave, speciosa iuvencula,
Quam collaudo mente et labiis.
Mea iam decrescens aetatula
Animetur tuis praesidiis.

71. Ave, Sion o pulchra filia,
Agni Dei contecta vellere,
Gratiarum per stillicidia
Te laudantes purga a scelere.

72. Ave, stella o Balamitica,
Qua medentur corda flebilium,
A me mundi aufer sophistica
Et in morte praebe auxilium.

73. Ave, quam fabricator temporum
Matrem elegit ab initio,
Ergo pia sis memor memorum
Hac laudantum te famulitio.

74. Ave, quae continentem omnia
Claustris tui celasti uteri,
Extollentem tua praeconia
Ne permittas ab hoste conteri.

75. Ave, virgo, radix vivifica,
Gratiarum rivos scaturiens,
Cogitatum meum rectifica,
Ad superna promissa erigens.

76. Ave, virgo turris constantiae,
Praemunita virtutum clipeis,
Velo tuo me rege gratiae,
Ne procellis mergar aequoreis.

77. Ave, virgo, quae mundo perdito
Genuisti salutis pretium,
Esu Iesu carnis me facito
Dignum, ne incurram iudicium.

78. Ave, mentis asylum profugae,
Inimici deceptae fraudibus,
Manum mihi iutricem porrige,
Vitiorum levans a sordibus.

79. Ave, caeli regina, imperans
Seraphinae sceptris militiae,
Aper infernalis exterminans
Vi pellatur tuae praesentiae.

80. Ave, panis aeterni alitrix,
Quo cibatur sanctorum contio,
Venerantes te, Dei genetrix,
In extremo salva iudicio.

81. Ave, virgo Maria inclita,
Mediatrix Dei et hominum,
Prece mea absolve debita,
Postetati ne tradar daemonum.

82. Ave, virgo et mater nobilis,
Creaturis cunctis praeeminens,
Illis nempe exstas dissimilis
Salvatorem mundi parturiens.

83. Ave, cella o pigmentaria,
Speciebus abundans gratiae,
Fac intrare nos caeli atria,
Iucundemur ut Christi facie.

84. Ave, sub cuius carne contegi
Est dignata summa divinitas,
Ad superna conantes provehi
Tua dulcis iuvet benignitas.

85. Ave, o reparatrix gratiae,
Desperati spes et fiducia,
Nos in viam ducas iustitiae,
Qua venitur ad caeli gaudia.

86. Ave, virgo, munita civitas,
Cuius iecit Deus fundamina,
Incarnata in te divinitas
A me cuncta pellat discrimina.

87. Ave, Christi reclinatorium,
Requievit quo novem mensibus,
His, quos cruciat purgatorium,
Tuis piis succurre precibus.

88. Ave, gignens sine gravamine
Caeli, terrae
marisque principem,
Dona nobis tuo iuvamine
Superare peccati fomitem.

89. Ave, virgo o Aaronitica,
Flore pollens praefigurabili,
Eius precor vi aromatica
Me exorna vita laudabili.

90. Ave, virgo, sub cuius pedibus
Anguis infernalis proteritur,
Opem nobis fer supplicantibus,
Quos frequenter idem insequitur.

91. Ave, virgo, cuius clementia
Paenitentis lenit angariam,
Nato tuo me reconcilia,
Quem offendi, heu, plurifariam.

92. Ave, virgo, decore regio
Perornata et fortitudine,
Te laudare me cum tripudio
Fac dierum in longitudinem.

93. Ave, o exemplar humilium
Sed ruina superbientibus,
Prece tua demulce filium,
Ut me servet a malignantibus.

94. Ave, cuius forma spectabilis
Animarum impugnat maciem,
Tuam mihi, virgo amabilis,
Aurolentam ostende faciem.

95. Ave, caeli et terrae domina,
Namque tuo subsunt regimini,
Da, purgati ut sorde pristina
Innitamur tuae dulcedini.

96. Ave, obumbrata divinitus
Pietate aeterni flaminis,
Me absorbe, quaeso, medullitus
In sapore tui amaminis.

97. Ave, prolem
gignens mirabilem,
Potestate divina praeditum,
Vultum tuum praebe amabilem
Carmen istud
canenti rhythmicum.

98. Ave, virgo, rubi Mosaici
Incombusti typus et veritas,
Per ardorem ignis Seraphici
Mentis purga
faeces absconditas.

99. Ave, porta, quae soli pervia
Deo exstitisti hunc pariens,
Oberrantem sis me per devia
Veritatis ad viam redigens.

100. Ave, cuius misericordiam
Veneramur loti a sordibus,
Odiosam Deo superbiam
Eradica e nostris cordibus.

Quinquagena III.

101. Ave, virgo, quam omnis natio
Veneratur nunc et in saeculum,
A me, laudem tuam qui nuntio,
Omne, precor, aufer periculum,

102. Ave, mater Iesu laudabilis,
Gyro caeli terraeque dominans,
Tu sis mihi interminabilis
Vitae sedem in caelis praeparans.

103. Ave, quam hierarchiae caelicae
Venerantur
condignis laudibus,
Naufragantem ecclesiasticae
Plebis navem subleva precibus.

104. Ave, consolatrix maerentium,
Maris stella quae recte diceris,
Consolamen tuum quaerentium
Preci aures ne obfirmaveris.

105. Ave, fruens caeli deliciis
Ventris tui cum almo germine,
Nos illectos concupiscentiis
Carnis tuae munda precamine.

106. Ave, virgo, caeli galaxia,
Qua ducuntur iusti in patriam,
Oberrantes a via regia
Legis Dei reduc per gratiam.

107. Ave, quam in
sanctorum numero
Prima summa locavit deitas,
Invocare cum te nequivero
Prae angore mortis, subvenias.

108. Ave, sidus caeli signiferum,
Tuo cuncta illustrans radio,
Contra nos elatum anguiferum
Caput tua premat oratio.

109. Ave, quae
incircumscriptibilem
Tuo sacro clausisti utero,
Vitam meam nunc miserabilem
Muta, ne damner cum lucifero.

110. Ave, cuius magnificentia
Deitate relucet filii,
Reple Dei me sapientia,
Donum quoque praesta consilii.

111. Ave, stella, quae tuo lumine
Solis lucem
vincis et menstruae,
Tuo, flagito, coruscamine
Mentem meam lustra assidue.

112. Ave, formam
praebens humilibus,
Dicens: ecce, ancilla Domini,
Collocare cum caeli civibus
Tuo benedicentes nomini.

113. Ave, virgo,
quae caelum diceris,
Astro splendens
inconfuscabili,
Tui, precor,
sis memor memoris,
Venerantis te voto humili.

114. Ave, virgo, quae te petentibus
Tuis ades cum adiutoriis,
Sublevamen pie degentibus
Praebe poenis in purgatoriis.

115. Ave, virgo, fons indeficiens,
Salutaris eructans calicem
Da, ut digne illum suscipiens
Sim supernae civis Ierusalem.

116. Ave, cuius aeterna veritas
Alvo nascens illuxit gentibus,
Tua dulcis me servet pietas
Laborantem petulcis motibus.

117. Ave, virgo,
mons, quo abscinditur
Lapis nectens duos parietas,
Laudi tuae qui nunc innititur,
Per te sedes acquirat perpetes.

118. Ave, o immaculatissima,
Legem implens sincero opere,
Mentis meae conforta intima,
Ut eandem queant exquirere.

119. Ave, decus incomparabile
Ac exemplar
virtutum omnium,
Fac in fide cor meum stabile,
Contra fraudes
decertans daemonum.

120. Ave, cuius nati per merita
Caeli nobis patet introitus,
Honorantis te laude debita
Protegatur a carne exitus.

121. Ave, virgo,
Iudith pulcherrima,
Holofernem ducem decapitans,
Mentis meae, quaeso, finitima
Sis per caritatem pacificans.

122. Ave, virgo, caelorum domina,
Commendatus
sum cuius manibus,
Mundanorum me oblectamina
Refutare fac totis nisibus.

123. Ave, Sion superna filia,
Quae trivisti peccati laqueum,
Contra tela hostis subtilia
Tuae pone virtutis clipeum.

124. Ave, veri solis umbraculum,
Nube celans hunc tui uteri,
Iustae vitae pelle obstaculum,
Ne in fundum mergamur inferi.

125. Ave, cuius ventris editio
Consolamen
praebuit mentibus,
Tua felix magnificatio
Nos in caelo
iungat gaudentibus.

126. Ave, via, per quam appropians
Samarites aegrotum reficit,
Mentem meam
sis reaedificans,
A virtutis quae bono deficit.

127. Ave, radix virgae fructiferae,
Effundentis vinum laetitiae,
Me digneris nunc benedicere,
Qui devastor bellva tristitiae.

128. Ave, vellus divino madidum
Rore, dans pugnanti solacium,
Servum tuum informa stolidum
Scripturarum intellegentia.

129. Ave, virgo, cuius custodia
Semper praesto
est te amantibus,
Da defunctis precis auxilia
De profundis
ad te clamantibus.

130. Ave, virgo, cuius humilitas
Exaltationem promeruit,
Subiugetur per te protervitas
Mea legi Dei, quam praebuit.

131. Ave, cuius per fructum uteri
Restaurantur sedes angelicae,
Meo, precor, medere vulneri,
Quod ab Adae
contraxi traduce.

132. Ave, reparatrix concordiae
Inter Deum,
mundum et angelos,
Commendati tuae custodiae
Tuo unge unguento oculos.

133 Ave, virgo,
per quam credentibus,
Aperitur caelorum atrium,
Benedic te benedicentibus,
Ab incursu defendens hostium.

134. Ave, nubes,
qua Christus Dominus
Est in regna latus Canopica
Luxum carnis abice eminus,
Quo defendar vi diabolica.

135. Ave, virgo, quae sole cingeris
Calcearisque luna pallida,
Vitam meam periclis asperis
Subiacentem levans consolida.

136. Ave, virgo, cuius per filium
Est devictus rex Babyloniae,
Huius mundi me post exsilium
Sedi redde caelestis curiae.

137. Ave, quam hierarchiae caelicae
Persequuntur laude unanimi,
Te colentes benigne respice
Dirigendo in viam Domini.

138. Ave, stella,
quae nunquam mergeris
Obumbraris nec ullo turbine,
Habitantes in mundi tenebris
Ab erroris purga caligine.

139. Ave, virgo Aaron gracilis,
Paradisi florens amygdalum.
Me, qui, heu, sum
ad malum facilis,
Ne incurram,
conserva, scandalum.

140. Ave, fragrans o caeli lilium,
Cuius odor infirmos recreat.
Servi tui hoc sacrificium
Ut incensum tibi redoleat.

141. Ave, virgo,
quae caeli principem
Vultu semper
iucundo respicis,
Dolis suis defrauda aucupem
Infernalem cum suis pedicis.

142. Ave, veris rosa praefulgida,
Cuius odor
fraglat ut balsamus,
Corda nostra torpore algida
Igne sancti accende spiritus.

143. Ave, funda victoris Davidis,
Qua Golias saevus perimitur,
Scutum nobis sis corde pavidis,
Inimicus quos trux insequitur.

144. Ave, salutata magnifice
Gabriele a Deo nuntio,
Nos in imis iacentes respice
Beatorum nectens consortio.

145. Ave, quae hunc pravisti ubere,
Qui dat escam esurientibus,
Me digneris lapsum erigere
Conectendo tibi psallentibus.

146. Ave, virgo, quae stellis fulgidis
Coronaris bis senis mystice,
Corda nostra infunde fluidis
Gratiarum rivis mirifice.

147. Ave, porta in domo Domini
Clausa, Deo exsistens praevia,
Me concorda superno flamini
Vitiorum currentem in via.

148. Ave, mater, callis errantium
Draconisque deiectrix subdoli,
Choro te in caelis laudantium
Tui vocem coniunge famuli.

149. Ave, regis aeterni alitrix,
Beatorum quam
laudant cantica,
Illis, precor, o Dei genetrix,
Famulantem me tibi adplica.

150. Ave, mater mundi opificis,
Omni carens peccati macula,
Melodiis, da, te organicis
Laudem per infinita saecula.

Parerga.

Super Beati immaculati.

Aleph.

1. Ave, o immaculatissima,
Legem implens sincero opere,
Mentis meae conforta intima,
Ut eandem queant exquirere.

Beth.

2. Ave, virgo o venerabilis,
Mater tamen exstas per gratiam,
Ora Deum precibus sedulis,
Vitam meam ut cito corrigam.

Gimel.

3. Ave, Esther, cuius industria
Fregit Aman stygis consilium,
Aufer a me, quaeso, opprobria
Et contemptum ferens auxilium.

Daleth.

4. Ave, virgo, quam corde fervido
Veneratur nostrum collegium,
Cordi meo peccatis arido
Lacrimarum infunde fluvium.

He.

5. Ave, virgo succurrens subditis
Tibi prece tua vivifica,
Incedentem reflexis semitis
Me divinis mandatis adplica.

Vau.

6. Ave, cuius misericordiam
Nuntiamus per cultum sedulum,
Legem Dei, fac, ut custodiam
Ex hoc nunc et
usque in saeculum.

Zain.

7. Ave, cuius dulcedo nominis
Est turbatis magna refectio,
Ab instinctu defende daemonis
Me, quem premit
mentis defectio.

Heth.

8. Ave, quae supernorum apicem
Tenes laude iucundans varia,
Cordis mei emunda silicem
Induratum peccati scoria.

Theth.

9. Ave, virgo, quae guttis lacteis
Natum tuum pavisti dulciter,
Legem datum tabellis saxeis
Meditari fac me sinceriter.

Ioth.

10. Ave, o matrona praecipua,
Quam praesenti
laudo poemate
Omnes in me sordes evacua,
Ut aeterno te laudem neumate.

Caph.

11. Ave, consolatrix maerentium,
Quibus ades tuo solamine,
A furore me persequentium
Tuo protegas adiuvamine.

Lamech.

12. Ave, cuius per venerabilem
Ventrem mundo
reluxit veritas,
Sinum tuum assecurabilem
In extremis mihi aperias.

Mem.

13. Ave, virgo, cuius suavitas
Omnem aufert amaritudinem,
Prece tua mihi divinitas
Scripturarum
praestet dulcedinem.

Nun.

14. Ave, virgo, sub cuius pedibus
Decurvantur mentes ingenuae,
Cordis mei affectionibus
Verbum Dei lucernam tribue.

Samech.

15. Ave, Deum quae invisibilem,
Ostendisti nobis divinitus,
Timoratum fac me et humilem,
Exaltari ut queam caelitus.

Ain.

16. Ave, feminarum pulcherrima,
Auro gemmisque pretiosior,
Mihi sublevamen, piissima,
Praebe, qui a pravis calumnior.

The.

17. Ave, mentis solatrix naufragae,
Ab hac omnem
pellens miseriam,
Gressus meos in viam dirige,
Qua venitur ad caeli patriam.

Sade.

18. Ave, per quam corona pristina
Restituitur innocentiae,
Mihi, quaeso, digneris, domina,
Impertire zelum iustitiae.

Coph.

19. Ave, virgo, cuius maturitas
Morum datur cunctis in regulam
Mentis meae, quaeso, stoliditas
Ad eandem formetur normulam.

Sin.

21. Ave, virgo, quam super aethera
Vexit Dei aeterni bonitas,
Symphonistam tuum corrobora,
Quem hostilis gravat immanitas.

Res.

20. Ave, per quam venit humanitus
Omnis creaturae principium,
Idem tuus det unigenitus
Caelum nobis in municipium.

Thau.

22. Ave, cuius vi deprecaminis
Triumphamus de mortis principe,
Hymnodiam huius dictaminis
Offerentem a malis eripe.

Cod. S. Petri Salisburgen. b II 3. fol. 203 a. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. fol. 218 a. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. fol. 90 b. C. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. fol. 237 a. D.

A hat folgende Bemerkungen: fol. 203 a: Sequitur oratio prooemialis in sequens psalterium BVMariae, castissimae Dei genetricis. Metrum iambicum, trimetrum, acatalecticum Archilochium et concordat cum hymno illo: Quodcunque vinclo super terram; fol. 205 a: Incipit psalterium beatissimae et dulcissimae Dei Genetricis Mariae. Metrum, dactylicum, decasyllabicum et isosyllabicum, Pindaricum acatalecticum. — B bemerkt am Schlusse: Praedictum psalterium cum duobus sequentibus edidit quidam cardinalis. Diese beiden folgenden Psalterien sind XII und X. — In B steht das Prooem. hinter dem Psalterium fol. 225 sq.

5, 1 qua fehlt A. — 9, 2 quaerentes A. — 23, 4 caeli prosternitur A. — 33, 4 reflectentem A. — 38, 4 assis A. — 59, 2 concupivit A. — 63, 2 qua fehlt A. — 67, 2 salvos fehlt A. — 69, 3 Tua prece A. — 71, 2 Dei fehlt A. — 73, 3 meorum A. — 73, 4 famulatio A. — 90, 4 isdem A. — 95, 2 Nam tuo A. — 95, 3 ut a sorde A. — 104, 4 aures tuae A. — 114, 3 Sublevamine A. — 120, 4 laude digna A. — 123, 1 Ave virgo Sion A. — 134, 2 regnum A. — 135, 4 laucois consolida A.

XII. Psalterium Tertium.

Prologus.

1. Matrem Altissimi Regis In AnimuM
Meum deposui laudare cantico,
Cuius oramine a malis variis
Tutamur ocius et bonis fruimur.

2. Amore etenim cogor et gratiA
Eius, quam reperi laude dignissimam,
Carmen depromere, quamvis dissimile
Ipsius meritis atque praeconio.

3. Regina gloriae, cunctis praestantioR
Sanctis in caelica aula degentibus,
Auditum aperi petitiunculis,
Quibus subordior te, virgo, aggredi.

4. Iuva ingenium mis, tui famulI,
Ut digne proferam tua praeconia,
Quibus extolleris a iustis iugiter,
Quorum participem me posco fieri.

5. Auctori omnium virtus et gloriA,
Patri et filio atque paraclito,
Qui te ex gratia dant nobis miseris
Matrem Ac Reginam In Affluentia.

Quinquagena I.

1. Ave, regis nostri pacifici
Mater, aula, thronus et thalamus,
Fac nos legi ipsius subici,
Cuius templum haberi cupimus.

2. Ave, virgo, cui nihil denegat
Prolem sibi aequalem generans,
Famulatus hic meus placeat
Tibi, quo desudo te venerans.

3. Ave, virgo, inventrix gratiae,
Quam hoc hymno laudari molior,
Scutum mihi da tolerantiae,
Qui hostili dente confodior.

4. Ave, per quam venit haec novitas,
Qua circumdatur vir a femina,
Iracundum me animositas
Reddit, quam a corde elimina.

5. Ave, prophetata antiquitus
Genituram divinam subolem,
Defunctorum exaudi gemitus,
Quibus pulsant te venerabilem.

6. Ave, genetrix homousion,
Quo praestatur
salus credentibus,
Purga meam, exoro, miticon,
Defoedatam peccati sordibus.

7. Ave, quam melodiis melicis
Devotorum collaudat unitas,
Laquatismo me captum illicis
Hostis tua resolvat pietas.

8. Ave, virgo, quem alimonia
Lactis Dei pavisti filium,
Mihi eius ad tirocinia
Consecrato praebe auxilium.

9. Ave, mater et thronus gratiae,
Qua solantur corda maerentium,
Regem nobis placa iustitiae.
Cum finale erit iudicium.

10. Ave, virgo, sedes altissimi,
Qua resedit novenis mensibus,
Mea, quaeso, arcana animi
A perversis serva haeresibus.

11. Ave, de qua suprema veritas
Carnem sumpsit
pro natis hominum,
Per te mea purgetur vanitas,
Qua deturpor
instinctu daemonum.

12. Ave, luna sole praeclarior,
Quae ignoras viam eclipticam,
Tribulamen aufer, quod patior,
Per orationem magnificam.

13. Ave, virgo formae egregiae,
Oriunda regum prosapia,
Inimicos pacis et gratiae
Superare fac me modestia.

14. Ave, arca, manna dulcissimum
In te servans legisque paginam
Bonae vitae dona propositum,
Quo caeleste regnum obtineam.

15. Ave, stella, cuius praeclaritas
Cunctis astris exstat fulgidior,
In extremis mihi securitas
Esto, cum est hostis infestior.

16. Ave, cellula pigmentaria,
Odoramen dans balsamiticum,
Insectantem nos plurifaria
Fraude hostem
preme vulnificum.

17. Ave, cuius nos amabilitas
Ad laudandum te cogit iugiter,
Ad coronas nobis propositas
Pervenire fac nos velociter.

18. Ave, virgo, quae pretiosior
Exstas auro cunctis operibus,
Passionem mentis, quam patior,
Tuis aufer orationibus.

19. Ave, admiranda in saeculum,
Quam hac dulci affor dictamine,
Sub honore mundi periculum
Sustinentes iuva precamine.

20. Ave, coronata magnifice
Privilegiorum insigniis,
Obviare fac me pacifice
Persequentum inimicitiis.

21. Ave, cuius ventris oppidulo
Ad bellandum se Christus induit,
Qui pugnando crucis patibulo
Ab inferno suos eripuit.

22. Ave, virgo, fons lucidissime,
Aquam vitae
praebens potantibus,
Turbativa clementer reprime,
Quibus premor
ab adversantibus.

23. Ave, quae superno spiramine
Concepisti salutem gentium,
Exoramus, tuo praecamine
Puritatem det nobis mentium.

24. Ave, virgo, diei gnomana,
Sempiternam
demonstrans lineam,
Da, carnali abiecta sarcina
Ad eandem laetus perveniam.

25. Ave, stella sole praestantior,
Animorum pellens caliginem,
Me peccatis
munda, te deprecor,
Qui per ea mutor in pecudem.

26. Ave, cuius mentis humilitas
Deum traxit de caeli sedibus,
Mea, quaeso, per te temeritas
Subiugetur divinis legibus.

27. Ave, virgo, ministra foederis,
Sempiterni pacti cum homine,
Servum tuum a supplicariis
Pietate innata erue.

28. Ave, vernans flos pudicitiae,
Mundi carens
carnisque foetidis,
Lege purga me continentiae
Lupanari foedatum Cypridis.

29. Ave, cuius fletus in gaudium
Resurgente dilecto filio
Est conversus,
praesta subsidium
Gravi pressis mundi exsilio.

30. Ave, virgo, cuius dulcedinis
Magnitudo tristes exhilarat,
Me a potu amaritudinis
Serva, Stygis
quem caupo praeparat.

31. Ave, mundum
qua summa deitas
A peccati mundat atramine,
Servi tui, precor, iniquitas
Obtegatur tuo oramine.

32. Ave, quae virtute altissimi
Es replecta
Christum concipiens,
Mei, quaeso, arcana animi
Munda, ut sim Deum parturiens.

33. Ave, o benedicta millies,
Venerandapraesanctisomnibus,
Fac nos actu et mente humiles
Et nos necte Deum timentibus.

34. Ave, per quam vetusta lapsio
Est soluta nostrae originis,
Inimici, qua ligor, captio
Vi rumpatur tui precaminis.

35. Ave, virgo, ancilla humilis,
Dei parens, tamen et filia,
Caritatis divinae poculis
Mentem meam, quaeso, inebria.

36. Ave, decus gentis Iudaicae,
Ex qua trahis carnis materiam,
A periclis me manus hosticae
Fac remotum per providentiam.

37. Ave, angelorum laetitia,
Hymnodia ista quam veneror,
Medicare me tua gratia,
Delictorum telis qui vulneror.

38. Ave, cuius in laudem congero
Odae huius meditatorium,
Ne veneno linguae mortifero
Foeder, mihi fer adiutorium.

39. Ave, virgo speciosissima,
Illibatam te servans Domino,
Laudis huius, exoro, victima
Mihi prosit in vitae termino.

40. Ave, virgo, quam universitas
Pietatis colit obsequio,
Cum instabit meae acerbitas
Mortis, tuae assit auxilio.

41. Ave, virgo, turtur solivaga,
Deum mentis contemplans acie,
Corda nostra sustolle naufraga
Et sopita rerum ambitie.

42. Ave, cuius relucet probitas
Super solem in mundi partibus,
Mea pressa per probra vilitas
Sublevetur tuis precatibus.

43. Ave, stella, per cuius radium
Longum terrae latumque emicat,
Hostis nostri frange obsidium,
Qui frequenter
contra nos dimicat.

44. Ave, aula regis altissimi,
Qua pausavit
ter tribus mensibus,
Sedem mei expurga animi
Omnis rei a cupidinibus.

45. Ave, cordis mei fiducia,
Consolamen atque refugium,
Hierarchiae supernae gaudia
Tuum nobis praestet suffragium.

46. Ave, virgo de olivatio
Monte natum videns ascendere,
Me subactum gravi imperio
Vitiorum stude absolvere.

47. Ave, creatura mirabilis,
Qua nil maius
quam Deum repperi,
Nos digneris, mater amabilis,
Custodire a portis inferi.

48. Ave, genetrix sapientiae
A supernis dilapsae sedibus,
Donum mihi praesta scientiae
Comparato insipientibus.

49. Ave, cuius laudis praeconium
Iam per totum
mundum increbuit,
Fac me tuum per patrocinium
Declinare, quae Deus vetuit.

50. Ave, stella, cuius luciditas
Mundum omni purgat caligine,
Foeditates mihi inolitas
Tuae lucis munda aspergine.

Quinquagena II.

51. Ave, virgo, radix magnifica,
Nobis crevit qua flos odorifer,
Funda mihi sedem in caelica
Regione, qua tecum glorier.

52. Ave, o dulcedo munditiae,
Replens tibi devotos gratia,
Lumen mihi praesta scientiae,
Quem bonorum caecat iustitia.

53. Ave, caeli quae tabernacula
Introisti mente et corpore,
Inimici igniti iacula
Prece tua da mihi vincere.

54. Ave, qua mundiale facinus
Est amotum, quod Eva intulit,
Prece tua nos salvet Dominus,
Qui pro nobis indigna pertulit.

55. Ave, cuius exemplis vividis
Demonstratur vitae perfectio,
Miserere, o nata Davidis,
Profligatis in purgatorio.

56. Ave, quam venerantur caelites,
Super caeli levata sidera,
Me ad vitae reducas tramites,
Qui per vaga curro itinera.

57. Ave, porta beatitudinis,
Per quam intrant
linquentes lubrica,
Me per lineam rectitudinis
Errabundum perduc ad caelica.

58. Ave, virgo, flos admirabilis,
Cuius factus sum odorisequus,
Fac sermone ut sim affabilis,
In affectu pius et placidus.

59. Ave, mater rectoris omnium,
Quo nil constat
esse praestantius,
Tribulatione me obsitum
Sublevare digneris ocius.

60. Ave, mater Christi amabilis,
Quo regnas nunc
et immortaliter,
Exoratu ne sis difficilis,
Sed petita praesta hilariter.

61. Ave, mater, o favorabilis,
Locupletans tuos munifice,
Servi tui, o venerabilis,
Paupertatem mentalem disice.

62. Ave, felicitatis praevia,
Post te trahens corda fidelium,
Decurrenti mihi per invia
Mundi tuum confer auxilium.

63. Ave, virgo, quae sacro ubere
Summi patris lactasti genitum,
Machinamen da mihi vincere
Hostis atque eius satellitum.

64. Ave, virgo, in cuius laudibus
Personamus hymnos alacriter,
Nos adesse Dei conspectibus
Fac, laudemus
et hunc perenniter.

65. Ave, virgo, quae mentis iubilo
Paradisi intrasti florida,
Caritatis Dei igniculo
Corda nostra accende frigida

66. Ave, via, cuius planitie
Ad superna directe graditur,
Donum praesta perseverantiae,
Qua salutem iustus consequitur.

67. Ave, sidus splendore caelicum,
Orbem tuo illustrans iubare,
Da per nomen
tuum specificum
Nos divino repleri munere.

68. Ave, stella inconfuscabilis,
Mundo mittens
splendorem gratiae,
Me illustra, o mater nobilis,
Caligatum nube iustitiae.

69. Ave, o propitiatorium,
Sub quod pressi delictis fugiunt,
Contra hostes fer adiutorium,
Qui in servos tuos insaniunt.

70. Ave, pratum caeleste, roridum
Sempiterni flatu spiraminis,
Carmen hoc
sonanti rancholidum
Munimentum praebe oraminis.

71. Ave, mater et fautrix flentium,
Semper praebens te hispieticam,
Mentes liga te venerantium
Per amoris catenam auream.

72. Ave, mater mundo amabilis,
Mater spei et mater gratiae,
Prece mea mens variabilis
Vi stabiliatur constantiae.

73. Ave, virgo, quam Basileaca
Tellus laudat eiusque synodus,
Te a culpa monstrans Adamica
Praeservatam fore divinitus.

74. Ave, urna caelestis poculi,
Recreantur quo iusti iugiter,
Exoptamen ausculta famuli
Te precantis fiducialiter.

75. Ave, cuius laus multifaria
Cunctis claret in terrae finibus,
Mentis me depressum angaria
Relevare digneris citius.

76. Ave, cuius vitae vestigium
In exemplum nobis proponitur,
Salva servum
precis per brachium,
Qui a Deo iuste proicitur.

77. Ave, arca panis angelici,
Praesignati mannae mysterio,
Fac me digne eodem refici,
Cuius flagro in desiderio.

78. Ave, mater solis iustitiae,
Cuius fulgor mundat a sordibus,
Flammas aufer concupiscentiae,
Ne ardescant in me ulterius.

79. Ave, stella, nobis visibilem
Verum solem gignendo exhibens,
Ad nos verte micantem faciem,
Sic maeroris
nubem sis removens.

80. Ave, virgo, fons indulgentiae,
Quo mundantur spurci per vitia,
Me infunde rivo munditiae,
Uti dignus sim eucharistiae.

81. Ave, mater superni principis,
Qui gubernat et regit omnia,
Fac me mundi et Stygis aucupis
Declinare tela inania.

82. Ave, virgo, cui aequabilem
Creaturam puram non repperi,
Me peccatis abominabilem
Ope tua reforma gratiae.

83. Ave, quam circumdant deliciae
Sempiternae beatitudinis,
Te laudantis a mentis facie
Fel propelle amaritudinis.

84. Ave, virgo, tellus fructifera,
Fruges nobis
aeternas proferens,
Tribulamen meum considera,
Manum mihi
iutricem porrigens.

85. Ave, o regina clementiae,
Cunctos caeli
praecellens aulicos,
Pelle, mater solis iustitiae,
Tua vi instinctus satanicos.

86. Ave, cuius in natalitio
Salus coepit humani generis,
Te laudantes hoc famulitio
A foetore conserva Veneris.

87. Ave, cuius per adiutorium
A peccati sanamur vulnere,
Precis tuae dona subsidium,
Purgamentum reclusis carcere.

88. Ave, virgo, cuius nutrimine
Educatus est Dei filius,
Solve vinctum hostis ligamine
Tuis tuum hymnistam precibus.

89. Ave, trinitatis triclinium,
Subfulcitum virtutum floribus,
Servi tui mentis confinium
Orna, precor, honestis moribus.

90. Ave, confortatrix pugnantium,
Fructum praebens
ad te clamantibus,
Ab incursu insidiantium
Sis tutamen te venerantibus.

91. Ave, virgo, cuius nobilitas
Nati claret omnipotentia,
Per praesentes coronas perditas
Tua nobis pece recupera.

92. Ave, o singularis femina,
Sanctitate inaestimabilis,
Hostis tu relide conamina
Qui molestat nos horis singulis.

93. Ave, mater mi atque domina
Consolatrix-
que dulcis pauperum,
Terge mea paulisper lumina
Obcaecata nube facinorum.

94. Ave, mater mundi opificis,
Quem adorat coetus credentium
Iubilantes nos tibi melicis
Hymnis duc in
chorum gaudentium,

95. Ave, cuius partus virgineus
Nobis affert
spem atque gratiam,
Da, ut meus affectus carneus
Religetur per sanctimoniam

96. Ave, virgo decus angelicum,
In supernis exsultans sedibus,
Hostem nostrum,
quaeso, maestificum
Pelle suis cum satellitibus.

97. Ave, virgo, cuius memoria
Suavitate mira reficior,
Mente me distractum per varia
Stabilire digneris, deprecor.

98. Ave, cuius partus mirabilis
Potestate infernum penetrat,
Mititatis me liga vinculis,
Quem insanus furor exagitat.

99. Ave, virgo, quam evangelica
Matrem Dei proclamat veritas,
Ad spectandum sustolle caelica
Mentis meae vires invalidas.

100. Ave, radix
producens palmitem,
Qui nos malis tegit a variis,
Ad verarum
virtutum tramitem
Duc delusos imaginariis.

Quinquagena III.

101. Ave, o desertum purissimum,
Pelicanus divus quo residet,
Modulamen hoc suavissimum
Dulce tuas in aures resonet.

102. Ave, virgo, flos, odorantia
Cuius nares delectat animae,
Voluptatum me appetentia
Innodatum clementer redime.

103. Ave, supernorum iucunditas,
Cunctos caeli
praecellens ordines,
Confer fraudes
contra daemonicas
Mihi opem ac mundi turbines.

104. Ave, cuius natum attonitus,
Conabatur rex dolo perdere,
Mentis meae instat interitus,
Quem digneris tua vi pellere.

105. Ave, quam virginalis puritas
Maternalisque ornat gloria,
Me expurget tua clementitas
Inquinatum concupiscentia.

106. Ave, o paradisus florida,
Voluptatis
profundens fluvium,
Corda nostra irrora arida,
Ne cogantur ire per devium.

107. Ave, proles electa Davidis,
Exaltata ad sedes superas,
Servis tuis succurre pavidis
Praegravatis per noxas efferas,

108. Ave, cuius nati martyrium
Mentis tuae fodit praecordias,
Passionis eius me socium
Fac, ut caeli
consequar gaudium.

109. Ave, virgo, quae vaticinio
Mater Christi fore describeris,
Te colentes hoc famulitio
Tecum glorientur in superis,

110. Ave, virgo
prae cunctis sanctior
Sanctis praerogativis gratiae,
Divinarum me legum, deprecor,
Fac obtemperare iustitiae.

111. Ave, huius cultrix iustitiae
Olim fractae
per primum hominem,
Redde, mater,
precor, constantiae
Cordis mei motum volubilem.

112. Ave, cinnamomum dulcissimum,
Puritatis respirans nebulam,
Superare usum nequissimum
Delinquendi fac me per gratiam

113. Ave, virgo, flumem perennio
Auro fluens gemmisque ceteris,
Beatorum me contubernio
Iunge, quo te
laudem in superis.

114. Ave, virgo, quae impalpabilem
Tuis sacris tractasti manibus,
Meis caris defunctis requiem
Praesta, tentis in cruciatibus.

115. Ave, mater
et nutrix pauperum,
Pietate cunctis amabilis,
Me absolve, exoro, miserum
Peccatorum nodatum vinculis.

116. Ave, per quam aeterna veritas
Devotorum relucet mentibus,
Multiformes hostis versutias
Tuis pelle sacris precatibus.

117. Ave, cuius dilectus filius
Caelo regnat perpetualiter,
Hostem tuis prosterne viribus
Insequentem iustos pellaciter.

118. Ave, virgo, quae incingibile
Verbum Dei stringis in fasciam,
Quaeso, meum cor indomabile
Per legalem liga iustitiam.

119. Ave, cuius in consistorio
Mentis nil reperitur sceleris,
A sermone diffamatorio
Nos defende malisque ceteris.

120. Ave, cuius opitulantia
Reducuntur lapsi ad gratiam,
Tuae precis frange instantia
Adversantum nobis malitiam.

121. Ave, solvens Sybillae vatium,
Salomonis quoque aenigmata,
Flammas, quaeso,
restringe litium,
Quae per mundi
crebrescunt climata.

122. Ave, ad quam levamus oculos
Habitantem in caeli curia,
In sublime nostros fer animos
Passim tractos
per mundi varia.

123. Ave, virgo, Dei et hominum
Mediatrix benedictissima,
Adiuvamen
da contra daemonum
Fraudem nobis in die ultima.

124. Ave, virgo, regina gloriae,
Principanter
regnans in superis,
Me a mentis emunda caric,
Ne praescitis
coniungar miseris.

125. Ave, virgo coniuncta denuo
Proli sempiternis in gaudiis,
Attollentem te me desiduo
Tuis tuta tutis praesidiis.

126. Ave, cuius opitulamine
Rues restauratur angelica,
Tuo impetra flagitamine,
Obtinere ut queam caelica.

127. Ave, vitis frondosa virgula,
Vino puro replentis calicem,
Te precantem hac in paginula
Fac videre bona Ierusalem.

128. Ave, virgo, te venerantium
Coronatrix copiosissima,
Corde maesto ad te clamantium
Exauditrix esto promptissima.

129. Ave, turris bene certantium,
His per tua succurrens merita,
Robur contra
iustos pugnantium
Tua prece, quaeso, debilita.

130. Ave, virgo fortisque mulier,
De longinquo
offerens pretium,
Da, ut mente ita humilier,
In tumoris ne ruam vitium.

131. Ave, virgo, terra fructifera,
Gratiarum nacta temperiem,
Me distractum
quaeque per aspera
Ad mentalem
reducas requiem.

132. Ave, stella o lucidissima,
Cuius splendor
excellit phosphorum,
Me amoris face sic concrema,
Ne ab hac de-
clinem in posterum.

133. Ave, virgo, arbor frondifera,
Murram spirans
primam credentibus,
Tua prece reduc ad supera
Te laudentes die ac noctibus.

134. Ave, cuius in puerperio
Deo laudes canebant angeli,
Miserere in purgatorio
Flentes dolo captos diaboli.

135. Ave, tellus caelesti rorida,
Rore fructus ferens iustitiae,
Me tempestas
mentis praevalida
Quassat, velum
expande gratiae.

136. Ave, decus atque flos virginum,
Cuius dulci amore langueo,
Onus auferas Babylonicum,
Quo premente peccatis sordeo.

137. Ave, quae in excelsis habitas,
Constipata sanctorum cuneis,
Ad virtutum reduc me semitas
Oberrantem viis erroneis.

138. Ave, cuius decus logisticon
Cunctis decoravit scientiis,
Meam, quaeso,
registra thymicon,
Decurvatam inimicitiis.

139. Ave, virgo et mater nobilis,
Plena et superplena gratia,
Venerantem te his sertunculis
Ab hostili serva pellacia.

140. Ave, quae te in sacrificium
Obtulisti excelso principi,
Da, ne damner
per carnis vitium,
Sed me iube in caelis recipi.

141. Ave, stella, cuius serenitas
Cordis maesti depellit nubila,
Tua, mater, officiositas
A me cunta pellat pericula.

142. Ave, o norma geometrica,
Qua metitur
terrae profunditas,
Manum mihi victricem adplica,
Quem confundit
cordis anxietas.

143. Ave, virgo, David fundibula,
Philistaeum qua stravit valide,
Hostis, carnis, mundi pericula
Sustinenti solamen provide.

144. Ave, hortus, virtutum olera
Praebens te devote colentibus,
Me in regna reduc astrifera,
Quibus pulsus
sum in parentibus.

145. Ave, supermundana femina,
Nullum unquam
relinquens inopem,
Laudis huius
promentem carmina
Circa caeli
commenda principem.

146. Ave, virgo reverendissima,
Collaudanda virtutum titulis,
Assis mihi in hora ultima
Me a mortis
servans periculis.

147. Ave, cuius thronus virgineus
Castitate fraglat ut viola,
Mentis tuae me candor niveus
A carnali desiccet macula.

148. Ave, Dei formosa genetrix,
Virginalis quam laudat contio.
Creaturae suprema conditrix,
Per te nobis sit consolatio.

149. Ave, quam sanctorum ecclesia
Symphoniis collaudat iugibus,
Me divina absolve gratia
Vitiorum strictum compedibus.

150. Ave, virgo, conclusus hortulus,
Fons signatus turisque virgula.
Carmen istud qui cantat, famulus
Te ac Deum laudet per saecula.

Cod. S. Petri Salisburgen. b II 3. saec. 15. fol. 230 a. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. fol. 225 a. B. — Orat ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. fol. 239 b. C. —

A hat die Bemerkungen fol. 230 a: Incipit psalterium tertium de superbenedicta et pulcherrima virgine Maria. Prologus; fol. 231 a: Incipit Psalterium tertium de dulcissima et castissima Dei genetrice, virgine Maria, imperatrice caeli et terrae. Der Prologus befindet sich auch in Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Afrae) 4423, anni 1481. fol. 43 a. D.

Prol. 1, 4 Tutamur ocius fehlt A; Liberamur et bonis, korrigiert in Tutamur ocius et BC. — 4, 1 tui servuli D. — 5, 1 Ductorum omnium A. — Psalt. 12, 2 eclipsicam A. — 12, 4 orationem tuam AB. — 14, 2 servans leginam A.; legis propaginam B. — 17, 2 colit A. — 43, 4 nos fehlt A. — 54, 4 intulit A. — 55, 4 Profligatis in purgatis in purgatorio A. — 59, 3 nos obsitum A. — 61, 2 nos munifice A. — 66, 4 Qua per salutem A. — 75, 3 Mentis meae depressis A; Mentis meae depressum B. — 85, 2 aulicolos A. — 85, 4 Tu vi A. — 90, 3 clamantium A. — 91, 4 nos prece A. — 97, 3 Menteque A. — 102, 4 Innodum A. — 113, 3 Beatorumque A. — 132, 2 excellit sossorum A. — 139, 3 serviunculis A. — 140, 3 vitium fehlt A. — 144, 4 in partibus A.

V.

DE BEATA MARIA

PSALTERIUM TRIPLEX.

XIII. Psalterium „Tituli praeconiorum".

Prooemium.

Alma Deus trinitas, quae saecula cuncta gubernas.
Annue iam coeptis in laudem Dei genetricis,
Ac tu prae cunctis Maria veneranda creatis,
Depelle meae retinacula tarda loquelae
Deque nati sanguine exhaustae porrige linguae,
Ut queam habiles tibi depromere laudes,
Quas in grandiloquis scripturae repperi dictis,
Psalmis praecipue ac libris sacrae sophiae
Nec non et paginis devotorum tibi doctorum.
Adiutrix igitur mihi sis, o mater benigna,
Perfida mundani cum desinam vada freti,
Transferas ad niveas caeli sine turbine caulas
Ut fruar optati iam statione soli.

Quinquagena I.

1. Ave, virgo sanctissima
Consulque fidelissima,
Frutex virtute pullulans
Legemque crebro meditans.

2. Ave, devincens impetum
Carnis hostisque fremitum,
Mundi spernens inania,
Honesta sequens omnia.

3. Ave, susceptrix exsulum
Eorumque latibulum,
Hostilem dentem contere,
Qui nos gliscit percutere.

4. Ave, norma iustitiae
Ac fons misericordiae,
Boni perseverantiam
Da cordisque laetitiam.

5. Ave, regina gloriae
Fulcita ordinarie
Cunctis virtutum titulis,
Dei sic astans oculis.

6. Ave, matrona flentium,
Peccata confitentium
Laborantem in gemitu
Tuo iuva intuitu.

7. Ave, in te sperantium
Salus, virtus, solacium,
Laudantem te concentibus
Salva a persequentibus.

8. Ave, o plena gratia,
Cuius magnificentia
Cunctis est ineffabilis
Hominibus et angelis.

9. Ave, o Dei filia,
Qua fecit mirabilia,
Quae nunquam vidit oculus
Nec audivit auditulus.

10. Ave, praebens fiduciam,
Laetae mentis constantiam,
Serva nos a haeresibus
Per obscura meantibus.

11. Ave, prae cunctis sanctior,
Cui hac oda dulcior,
Me veritatis lumine
Reple ac sanctitudine.

12. Ave, cuius praesentia
Corda sanat maerentia,
Consolare me facie
Tua stantem in acie.

13. Ave, mater, flos virginum,
Pultrix amaritudinum,
Reforma me inutilem
Atque abominabilem.

14. Ave, quae sine macula
Intrasti tabernacula
Caeli, quo omnis spiritus
Deum laudat medullitus.

15. Ave, o mater tenera,
Gaudens in prolis dextera,
Mihi, virgo mirifica,
Vias vitae notifica.

16. Ave, praeclara gemmula
Florensque veris primula,
Tuis succurre famulis,
Obstans protervis aemulis.

17. Ave, virgo egregia,
Quae fuisti materia,
Qua Christus sibi texuit
Carnem, qua nos eripuit.

18. Ave, o tabernaculum,
Quo Christus ponens thalamum,
Completis novem mensibus
Se mundi offert sensibus.

19. Ave, credentis populi
Tutrix a fraude zabuli,
Omnis coetus fidelium
A te poscit auxilium.

20. Ave, quae elatoria
Spernens caelesti gloria
Coronaris a Domino,
Qua fulges sine termino.

21. Ave, quam tribulatio
Prolisque dira passio
Perfodit velut framea,
Ut vates dixit antea.

22. Ave, fons meracissime
Ex quo fluunt largissime
Gratiae stillicidia,
Quis pellitur fastidia.

23. Ave, figuris typicis
Monstrata et propheticis,
Paritura caelestium
Regem atque terrestrium.

24. Ave, quam summa bonitas
Amat et universitas,
Me respice pauperculum,
Tollens peccati scandalum.

25. Ave, regina celebris,
Carnis carens illecebris,
Foedatis per luxuriam
Largire continentiam.

26. Ave, mater maerentium,
Legem Dei quaerentium,
Nos proli fac amabiles,
Hosti insuperabiles.

27. Ave, cuius non putruit
Caro, resurgens floruit,
Purga me a putredine
Mentis tua mulcedine.

28. Ave, quae caeli atria
Intrasti summa gloria,
Ignis flammam intercide,
Cades desertum commove.

29. Ave, cuius in gaudium
Planctus versus per filium
Resurgentem diluculo
Potestate de tumulo.

30. Ave, protectrix pauperum,
Solamen praebens prosperum,
In te sperantis, domina,
Visum mentis illumina.

31. Ave, per quam divinitas
Sordes delet praeteritas,
Mea veterna vitia
Tege tua clementia.

32. Ave, virgo, quam eminus
Caeli respexit dominus,
Cum ob salutem gentium
Te elegit hospitium.

33. Ave, cuius humilitas
Deo placet et puritas,
A morte, quaeso, pessima
Me serva hora ultima.

34. Ave, lana candidior,
Cuius in laude gratulor,
Da neminem calumnier,
Donec qui carne revocer.

35. Ave, per quam superbiae
Rex suasorque inergiae
A cordibus fidelium
Expellitur per filium.

36. Ave, qua nobis moriger
Christus atque virtutifer
Venit carnem suscipiens,
Paccata sic demoliens.

37. Ave, mater artificis
Mundanae molis supplicis,
Tui perpende gemitum
Verentis hostis impetum,

38. Ave, qua mundi vanitas
Spreta est atque falsitas,
Da mihi, dulcis domina,
Verborum moderamina.

39. Ave, cuius suffragia
Mundi tollunt naufragia,
Nos de lacu miseriae
Reduc in domum patriae.

40. Ave, o virgo virginum,
Caelorum gignens dominum,
Nostros subleva debiles
Ac consolare flebiles.

41. Ave, ex qua aethereus
Fons fluxit et nectareus,
Qui sitientes satiat
Devotosque inebriat.

42. Ave, cuius sunt ubera
Prae vino redolentia,
Per tuam famam celebrem
Carnem refraena mulcebrem.

43. Ave, virgo pulcherrima,
Me factum ut peripsima
Decori redde pristinae [sic],
Ab omni purgans crimine.

44. Ave, virgo, quam cuneus
Veneratur virgineus
Ac angelorum contio
Paradisi in gaudio.

45. Ave, o Dei filia,
Caeli scandens sedilia,
Id fanti hortatorium
Carmen fer adiutorium.

46. Ave, virgo morigera,
Evecta super sidera,
Ubi laetaris iugiter
Laudarisque perenniter.

47. Ave, mater laudabilis,
Cuius partus mirabilis
Ducit ob tui gratiam
Nos in supernam patriam.

48. Ave, sidus aethereum,
Mundum lustrans et inferum,
Menti meae irradia
Tenebrosae per vitia.

49. Ave, virgo, quae gaudio
Atque miro tripudio
Genuisti caelestium
Regem nec non terrestrium.

50. Ave, quam Basileacum
Declaravit cocilium
Servatam ab Adamica
Culpa in vi deifica.

Secunda Quinquagena.

51. Ave, regis iustitiae
Thronus et mater gratiae,
Tua per haec praeconia
Nobis fer patrocinia.

52. Ave, magistra sapiens,
Ecclesiam erudiens
Articulis in fidei,
Qua caelis possit invehi.

53. Ave, lux fulgentissima
Mentis illustrans intima,
Lucis tuae per radios
Propelle adversarios.

54. Ave, Messiae genetrix,
Educatrix et alitrix,
Nos eius mortis pretio
Praeserves ab exitio.

55. Ave, praecelsa domina,
Quam beatorum agmina
Venerantur in superis
Nobis succurre miseris.

56. Ave, quae super sidera
Sedes in prolis dextera,
Miserere me famulum
Redactum in opprobrium.

57. Ave, fructum iustitiae
Ferens sanctae ecclesiae,
Ad me tuendum propera
Morsum inferni vipera.

58. Ave, nata altithroni
Luxque maris undisoni,
Mihi, stella lucifera,
Lumen fer vitae vespera.

59. Ave, virilis nescia
Thori, quam Christi gratia
Ordinavit prae omnibus
In matrem mulieribus.

60. Ave, turris altissima
Caeli attingens ultima,
Cor meum cura anxium
Propter labem peccaminum.

61. Ave, suave lilium,
Aeterni patris filium
Trahens de caeli curia
Tua dulci fraglantia.

62. Ave, cuius visceribus
Natus est Dei filius,
Onus meum allevia,
Quo gravor currens in via.

63. Ave, peccati nescia
Ex speciali gratia
Deitatis magnificae,
Te servantis mirifice.

64. Ave, virgo, flos redolens,
Pias mentes reficiens,
Insistentes servitiis
Tuis redde deliciis.

65. Ave, quae individuae
Trinitati assidue
Astas, hanc laudans iubilis
Cum sanctis atque angelis.

66. Ave, virgo ex milibus
Electa, cum humilibus
Incedens legis trutina,
Mentes nostras illumina.

67. Ave, sponsa spiraminis
Omnisque expers criminis,
Efficaces ex opere
Fac nos divino munere.

68. Ave, virgo amabilis,
Cui proles mirabilis
Post mortis suae gladium
Resurgens dedit gaudium.

69. Ave, mater o tenera,
Sublevata ad sidera,
Sis iuvamen colentibus
Te sinceris affectibus.

70. Ave, cuius hospitium
Ventris per caeli nuntium
Elegit Dei filius,
Exstans mundo propitius.

71. Ave, vellus Ieroboal,
Intactum cuius virginal
Regem nobis clementiae
Parit atque iustitiae.

72. Ave, lux, cuius lumine
Procelloso de turbine
Sublevantur insontium
Corda ad te clamantium.

73. Ave, cuius memoria
Mentis purgatur scoria,
Per tuum patrocinium
Nostrum salva collegium.

74. Ave, quae nos laetificas,
Cum ut vitis fructificas,
Meri propinans calicem
Cordis frangentem silicem.

75. Ave, quam vatis gladius
Confodit olim acrius,
Nam dolor et tristitia
Sunt omnibus communia.

76. Ave, rectorum gloria,
Cuius iugi memoria
Exhilarescit animus
Amore tibi intimus.

77. Ave, mater virginea,
Feta prole aetherea,
Me caeli reple dapibus
Supernis cum principibus.

78. Ave, quam imperterritus
Fidelium exercitus
Collaudat unanimiter,
Quem adiuva hilariter.

79. Ave, superno numine
Divo feta propagine,
Me ferum inclementia
Exorna patientia.

80. Ave, quam caeli intima
Laudant per iubilamina,
At peccati oneribus
Tuis me leva precibus.

81. Ave, regina virginum,
Quae genuisti Dominum,
Qui principatur omnibus
Orbis terrarum finibus.

82. Ave, fruens deliciis
Supernorum, a vitiis
Tuum absolve famulum,
In laude tua sedulum.

83. Ave, quam amabiliter
Laudo et singulariter,
Me recommenda hodie
Nato atque cotidie.

84. Ave, o mater gratiae,
Causa nostrae laetitiae,
Fanti tua praeconia
Precum praebe suffragia.

85. Ave, florescens virgula,
Ex qua succrevit viola,
Quae odoris aspergine
Mentes replet dulcedine.

86. Ave, superni civitas
Regis, cuius divinitas
Tua stravit fundamina,
Serens virtutum semina.

87. Ave, repleta gratia
Parensque paris nescia,
Opem tuam fer miseris,
Constitutis in tenebris.

88. Ave, Maria genetrix
Dei eiusque alitrix,
Exoro te medullitus,
Infringe hostis impetus.

89. Ave, fraglans aureola
Et puritatis viola,
Ad natum preces porrige
Et actus meos dirige,

90. Ave, genetrix Sabaoth,
Quo depellitur Beemoth,
Qui est auctor mendacii
Atque carnalis vitii.

91. Ave, quam caeli milites,
Fecundi quoque palmites,
Qui veram vitem ambiunt,
Te venerari cupiunt.

92. Ave, ornata regio
Cultu, tuo suffragio
Fac, ut triumphem fortiter,
Ut coroner perenniter.

93. Ave, vita humilium
Et gaudium maerentium,
Pupillis atque viduis
Tuis assis subsidiis.

94. Ave, cuius maternitas
Oves reducit perditas
Ad ovile ecclesiae,
Feno pascens iustitiae.

95. Ave, virgo amabilis,
Mundo, hosti terribilis,
Vitiorum sculptilia
Frange, o David filia.

96. Ave, cuius maturitas,
Praecipue humilitas,
Regnantem caeli solio
Tuo immisit gremio.

97. Ave, cuius notitia
Menti praebet solacia,
Intende iubilamini,
Quod tuo pango nomini.

98. Ave, myrtus fraglantiae
Et adamas constantiae,
Praesta triumphum regibus
Pro fide militantibus.

99. Ave, repleta gratia,
Cui cordis in laetitia
Servire glisco iubilis
Praeconiorum titulis.

100. Ave, beata millies,
Nunc salutata centies,
Da nulli unquam detraham
Bonisque non invideam.

Quinquagena III.

101. Ave, quam summa bonitas
Et humana obliquitas
Matrem Dei constituit,
In te carnem cum induit.

102. Ave, prae mulieribus
Glorificata omnibus,
Nos tuum iungat meritum
Cohorti caeli militum.

103. Ave, enixa subolem
Angelis venerabilem,
Ad sanctorum duc praemia
Haec promentes servitia.

104. Ave, paradisicola,
Sed olim terrae accola,
Absolve me a compede
Hostis, qua stringor valide.

105. Ave, conclusus hortulus
In quo ortus est flosculus,
Cuius mira fraglantia
Mundi replevit spatia.

106. Ave, stella, quae iubare
Alto fulges in aethere,
Nos reducas ab invio
Tuo splendore praevio.

107. Ave, quam universitas
Collaudat et divinitas,
Dum corpore et anima
Te tulit ad altissima.

108. Ave, virgo eximia,
Cuius mentis confinia
Acer confodit gladius,
Cum moreretur filius.

109. Ave, virga miraculo
Florens in tabernaculo,
Salvatorem concipiens,
Enixa virgo permanens.

110. Ave, quam plurifaria
Laus extollit in patria,
Reduc in stolam gratiae
Me dono sapientiae.

111. Ave, cuius per operam
Recuperamus superam
Sedem ac dona gratiae
Per opera iustitiae.

112. Ave, cuius praeconia
Replent mundi confinia,
Perpende laudes debitas,
Quas mea fert pusillitas.

113. Ave, quae es prophetico
Ore atque angelico
Nuntiata Emanuel
Mater et regis Israel.

114. Ave, vas pigmentarium,
Dulcorem servans varium,
Da tuam per dulcedinem
Defunctis meis requiem.

115. Ave, pincerna gratiae,
Vinum propinans veniae,
Precantis mente sedula
Disrumpe noxae vincula.

116. Ave, regina gloriae
Laudanda plurifarie
A cunctis mundi populis,
Praesertim a christicolis.

117. Ave, o fortis mulier,
Qua tortuosus coluber
Percussus exstat valide
De monte caeso lapide.

118. Ave, virtutum cellula
Legis adimplens singula,
Te extollentes sedula
Laude salva per saecula.

119. Ave, finis miseriae,
Mors infernalis furiae,
Amoris noda funibus,
Fractos irae turbinibus.

120. Ave, quae aspiramine
Misso de caeli culmine
Dum genuisti filium,
Turbatis fers auxilium.

121. Ave, nata feliciter
Vivens quoque normaliter,
Paca me monachiculum,
Ne incidam periculum.

122. Ave, caeleste speculum,
Cuius nunc pascit oculum
Aeternae pacis visio
In singulari gaudio.

123. Ave, cuius clementia
Mihi exstat fiducia,
Me a stagnis sulphureis
Serva et hostis laqueis.

124. Ave, scala, qua scanditur
Regnum caeli et rapitur
Violentis fidelibus,
Quos confortas cum precibus.

125. Ave, gaudens perenniter,
Quam amo singulariter,
Me consolare igitur,
Nam cor meum adfligitur.

126. Ave, domus eburnea
Turri praecincta aurea,
Me fac in bonis vigilem
Et hosti invincibilem.

127. Ave, regis altissimi
Ornati virga balsami,
Ecclesiae primoribus
Succurre in laboribus.

128. Ave, arbor iustitiae
Florem ferens et gratiae,
Nos pugnantes in stadio
Crucis praecinge gladio.

129. Ave, templum munditiae,
Carens peccati carie,
Redde me gratum filio,
Pressum mundi exsilio.

130. Ave, matrona nobilis,
Mundi huius volubilis
Caduca vincens fortiter
Habendo te humiliter.

131. Ave, virgo Iesseica,
Infusa unda caelica
Ad germinandum flosculum,
Qui salvet nos in saeculum.

132. Ave, cella aromatum
Unguen spirans charismatum,
Amoris liga vinculo
Dissutos irae scandalo.

133. Ave, quae caeli patria
Summa intrasti gloria,
Tuis astantem crebrius
Attende, clemens, laudibus.

134. Ave, nubes fructiferum
Solum reddens Canopicum,
Quando Christus simulacra
Fregit eiusque delubra.

135. Ave, virgo, qua remige
Mentes salvantur naufragae,
Fluctuanti in fluctibus
Mihi succurre precibus.

136. Ave, quam vocis organo
Laudo cordeque consono,
Mentem meam illumina
Per lacrimarum flumina.

137. Ave, cuius humilitas
Atque carnis integritas
Deum de caeli curia
Traxit pro nostra gloria.

138. Ave, qua venit novitas,
Quam nescivit antiquitas,
Virum complecti femina,
Qui caeli regit numina.

139. Ave, vas sapientiae,
Vas decoris et gratiae,
Hostis nos ab insidiis
Tuis serva praesidiis.

140. Ave, cuius est facies
Devotis magna saties,
Amoris ob indicium
Hoc sume sacrificium.

141. Ave, misericordiae
Fons et vas pudicitiae,
Da, ut nobis sit portio
In sanctorum consortio.

142. Ave, in cuius nomine
Desudo hoc in carmine,
Succurre mihi igitur,
Quem hostis trux persequitur.

143. Ave, o carens carie,
Benedicta primarie
Prae cunctis mulieribus
In mundo habitantibus.

144. Ave, mater deifica
Et gratia magnifica,
Nostris finem fac vitiis,
Ne tradamur suppliciis.

145. Ave, cuius conamine
A peccati ligamine
Tui solvuntur famuli
Te venerantes seduli.

146. Ave, virgo, flos redolens,
Pia corda reficiens,
Animae meae vitia
Pelle tua fraglantia.

147. Ave, o Dei filia,
Cuius intrans cubilia
Gaudes ineffabiliter
Ipsum laudans perenniter.

148. Ave, quam honorifice
Turmae laudant angelicae,
Atque creata omnia
Tua dicunt praeconia.

149. Ave, quae caeli gloriam
Nacta es per victoriam,
Hostis, mundi et sanguinis
Vi superni spiraminis.

150. Ave, virgo, quam inclitus
Angelorum exercitus
Laudat et conventicula
Beatorum per saecula.

Parerga.

Super Beati immaculati.

1. Ave, virtutum cellula,
Legis adimplens singula,
Te extollentes sedula
Laude salva per saecula.

2. Ave, rosa o caelica,
Cordis mei spes unica,
Me virtute deifica
Peccatorem iustifica.

3. Ave, pudoris lilium,
Enixa Dei filium,
Quem nobis in auxilium
Ostende post exsilium.

4. Ave, o David filia,
Quae mentis cum vigilia
Mundi fugisti vilia
Naturaeque debilia.

5. Ave, filia Israel,
Quam nuntiavit Gabriel
Matrem fore Emanuel,
Quo reductus est Ismael.

6. Ave, o stirps Davidica,
Compta lege Mosaica,
Conserva me ab hostica
Fraude et diabolica.

7. Ave, quae caeli foribus
Sublimaris honoribus,
Praesta tuis memoribus,
Solamen in maeroribus.

8. Ave, cuius mirabilis
Partus est ineffabilis,
Forma desiderabilis,
Virtus est invincibilis.

9. Ave, virgo deifera
Et caelorum signifera,
Serva me ab ephimera
Mentis ac gente effera.

10. Ave, decus ecclesiae,
Mater misericordiae,
Motum aufer superbiae,
Quae me vexat cotidie.

11. Ave, norma iustitiae
Atque fons pudicitiae,
Nos certantes in acie
Dono conforta gratiae.

12. Ave, roratum Gedeon
Vellus virgaque Aaron,
Turris firmata in Sion,
Recte dicta theotocon.

13. Ave, lignum dulcifluum,
Fructum ferens perpetuum,
Fontem quoque irriguum,
Melle et lacte profluum.

14. Ave, vas Dei gratiae
Materque sapientiae,
Onus aufer tristitiae
Sanctae matris ecclesiae.

15. Ave, stirps castimoniae,
Florans florem iustitiae,
Me pollutum aspergine
Labis munda peccamine.

16. Ave, o venerabilis
Mundo et sanctis angelis,
O natu exspectabilis,
Ad bonum fac sim habilis.

17. Ave, mater mirabilis,
Cuius est inscrutabilis,
Partus et ineffabilis
Tamen superamabilis.

18. Ave, virgo, qua media
Mentis fugit inedia,
Pelle mundana taedia
Dans gratiae remedia.

19. Ave, caelorum ianua,
Per quam iusti ad pascua
Inducuntur perpetua
Mala nostra evacua.

20. Ave, norma humilium
Deique domicilium,
Tuum dilectum filium
Da lapsis in auxilium.

21. Ave, salus quae mentium
Es pro culpis dolentium,
Me in terram viventium
Duc pressum vi nocentium.

22. Ave, Abrahae filia,
Mundi spernens mobilia,
Me currentem per devia
Duc ad prolis ovilia.

Cod. S. Petri Salisburgen. C II 3 saec. 15. fol. 153 a. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991 fol. 250 a. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20005. fol. 60 a. C. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. fol. 253 a. D.

A hat die Bemerkungen fol. 153 a: Incipit prooemium super titulos praeconiorum beatae virginis Mariae; fol. 154 a: Incipiunt tituli praeconiorum beatae Mariae Dei genitricis, distincti in tres quinquagenas.

Prooem. 11 vela freti A. — 13 Et frnar A. Es folgt noch: Qno te cum divis semper intucar personis, was verderbt oder Zusatz. — 22, 4 Quibus pelluntur A. — 32, 4 in hospitium A. — 39, 2 tollens A. — 45, 3 Ad fonti A. — 70, 2 per fehlt A. — 70, 4 in mundo. — 74, 1 quae fehlt A. — 79, 3 Me praecrum A. — 85, 2 succrescit virgula A. — 101, 4 cum fehlt A. — 105, 2 ortus fehlt A. — 121, 2 Omens quoque A. — 121, 3 monarsilicum AB; monarsiculum C. — 128, 2 Florens et B. — 128, 3 in stadio fehlt A. — 128, 4 fehlt A. — 132, 2 Unguens A.

XIV. Psalterium „Iubilus BMV".

Prooemium.

1. Tibi, mater eximia,
Depromam laudis munia,
Cuius sancta ecclesia
Semper canit praeconia.

2. Huius odas dictaminis
Fantem, o sponsa flaminis,
Vi tui deprecaminis
Absolve nexu criminis.

3. Et sic purgatus primitus
Per dona sancti spiritus
Odis te laudem dignius
Conscriptis in sequentibus.

4. O virgo beatissima,
Ego, quamvis peripsima,
Mente tamen promptissima
Te laudis laudo victima.

5. Terrorem fuga daemonum
Ipsorumque satellitum,
Commotionis impetum
Et nubilum phantasticum.

6. O cunctis castis castior,
Amore tuo crucior,
Sed iterum reficior,
Cum te devote veneror.

7. Cervicem conor flectere
Et mente me prosternere,
Ut me digneris propere
Per gratiam invisere.

8. Assis, o vitae speculum,
Me lustrans tuum servulum,
Ut per sequentem iubilum
Te videam in saeculum.

Quinquagena I.

1. Ave, radix gratiae,
Ex qua crevit fructus,
Humanae miseriae
Quo sanatur luctus,
Adam cum progenie
Per quem est reductus,
Olim per fallaciae
Auctorem seductus.

2. Ave, mater figuli
Universitatis,
Contra quem increduli
Fremuerunt gratis,
Aurem praebe servuli
Tui praedicatis,
Quibus te et angeli
Laudent cum beatis.

3. Ave, virgo gloria
Tibi devotorum,
Providens ex gratia
Saluti eorum,
Non timebo milia
Adversariorum,
Si assis praesentia
Munerum tuorum.

4. Ave, ager proferens
Benedictionis
Fructum, qui reficiens
Est nos summis bonis,
Esto mei miserens
Tempore agonis,
Larvas turpes abigens
Barathri draconis.

5. Ave, fons dulcissime
Super omni melle,
Quae tenes iustissime
Nomen maris stellae,
Mundialis adime
Impetum procellae,
Quae decurvat animae
Meae bonum velle.

6. Ave, mater gratiae,
Mater divinalis,
Regis caeli curiae
Thronus principalis,
Laus tuae clementiae
Haec nos specialis
Reddat innocentiae,
Redimat a malis.

7. Ave, quam nunc adeo
Hac hymnologia,
Nam te laude censeo
Dignam, o Maria,
Unde tibi spondeo
Servitutem, pia,
Interim quod transeo
In huius vitae via.

8. Ave, admirabilis
Cunctis o femella,
Quam voco literulis
In his, maris stella,
O mater amabilis.
Pro me interpella
Stante in periculis
Mundique procella.

9. Ave, Iudith fortiter
Hostes quae prosternis,
Corpus cum viriliter
Truncas Holofernis,
Adeo flebiliter
Te nunc, mater, cernis,
Uti me hilariter
Mundes in internis.

10. Ave, stella nobilis
Stellaque serena,
Cunctis carens maculis
Gratiaque plena,
Alliga nos vinculis
Et legis habena,
Servens a piaculis
Stygisque hyaena.

11. Ave, quae es pauperum
Mater liberalis,
Tuorum hos munerum
Protegens sub alis,
Libera me miserum,
Deprecor, a malis
Daque locum superum
Vitae aeternalis.

12. Ave, sidus aureo
Rutilans fulgore,
Modo cuius ferveo
Pius in amore,
Lustra me virgineo
Tuo cum splendore
Tinctum fuligineo
Scelerum colore.

13. Ave, quam alacriter
Mentis acutela
Laudo et sinceriter
In ista loquela,
Pellatur celeriter
Per te corruptela,
Indidit pellaciter
Quam Stygis muscela.

14. Ave, tabernaculum
Summae trinitatis,
Pauperis umbraculum.
Pausa fatigatis,
Sis nobis latibulum
Multum tribulatis,
Auferens piaculum
Nostrae pravitatis.

15. Ave, prudentissimi
Salomonis nata,
Filii dulcissimi
Dextris sociata,
Mei sis pauperrimi
Clemens advocata,
Nec permittas perimi
Me propter peccata.

16. Ave, mater inclita
Sempiterni regis,
Quae per tua merita
Culpas nostras tegis,
Populum civilita
Christiani gregis
Ipsumque habilita
Ad mandata legis.

17. Ave, cunctis sanctior
Sanctis, o Maria,
Cui libens famulor
Hac in poetria,
Laqueis praeoccupor
Positis in via,
Hos disrumpe, deprecor
Te, o virgo Maria.

18. Ave, regis caelici
Thalamus pudoris,
Vinea tu Engaddi,
Balsamus odoris,
Esto mei lubrici
Clibano ardoris
Calorem deifici
Tribuens amoris.

19. Ave, cuius filii
A patre legamen
Hominis exsilii
Fuit relevamen,
Tortis per incendii
Stygis da purgamen
Clementis subsidii
Tui consolamen.

20. Ave, prae carbunculo
Splendens margarita,
Per quam huic saeculo
Vera venit vita,
Mea mens oraculo
Tuo sit munita,
Ne hostili vinculo
Cadat irretita.

21. Ave, cuius animum
Pressit maestitudo,
Cum gravavit filium
Poenae gravitudo,
Tua tuum famulum
Salvet lenitudo,
Quem perturbat plurimum
Cordis amaritudo.

22. Ave, stella clarius
Radians quam luna,
Tibi famulantibus
Praebens opportuna,
Deo tuis precibus,
Quaeso, me aduna,
Caleo interius
Qui peccati pruna.

23. Ave, quam nunc praedico
Per divinum nutum
Carmine poetico
Dominam virtutum,
In procinctu bellico
In hostem versutum
Statim mihi illico
Precis praebe scutum.

24. Ave, in quam fortius
Post Deum confido,
Per quam cordis citius
Pellitur formido,
Me cum temptat acrius
Honoris cupido,
Suggere velocius
Poenas, quas formido.

25. Ave, stirps eximia,
Ex qua fructus crevit,
Mundi qui confinia
Odore replevit,
Carnis luxum expia,
In me qui desaevit,
Et nunc ex frequentia
Quasi inolevit.

26. Ave, virga fertilis
De radice Iesse,
Digna venerabilis
Dei mater esse,
O virgo amabilis,
Menti meae fessae
Mortis in periculis
Digneris adesse.

27. Ave, arbor florida,
Fructus qua divinus
Crevit, sanans morbida
Corda, quae vulpinus
Dolus fecit sordida,
Rogo te reclinus,
Prece tua vivida
Fac, sim columbinus.

28. Ave, cui geniculor
Cordis ex amore,
Nam omni profiteor
Te dignam honore,
Assis mihi, deprecor.
Gratiae madore,
Quia iam destituor
In carnali flore.

29. Ave, quam per grammaton
Huius symphoniae
Matrem homousion
Scribo vel sophiae,
O felix theotocon
Praesta mihi pie,
Ne me urat Phlegethon
In extremo die.

30. Ave, lucernarium
Caeli portans lumen,
Quod per modum varium
Menti dat acumen,
Perduc me in caelicum,
Deprecor, cacumen,
Contempler in saeculum
Ut aeternum numen.

31. Ave, stella rutilans,
Stella matutina,
Quam accendit radians
Semper lux divina,
Esto, precor, miserans
Me, clemens regina,
Quem pungit exterminans
Vitiorum spina.

32. Ave, cui pneumaton
Olim obumbravit,
Matrem homousion
Cum te consecravit,
Aufer, o theotocon,
Pater quam amavit,
Ardorem, quem Acheron
Malis praeparavit.

33. Ave, quam religio
Novi testamenti
Frequenti suffragio
Pulsat in praesenti,
Assis e vestigio
Mihi nunc maerenti
In tuo confugio
Multum confidenti.

34. Ave, quae devotius
Legis obsequelam
Tenens das credentibus
Exemplum, suadelam,
Te deprecor attentius,
Praesta confugelam,
Qua devitem cautius
Satanae sutelam.

35. Ave, mater afflua
Mentis pietate,
Corda culpis vacua
Replens caritate,
A me, precor cernua
Te humilitate,
Ut propellas nocua
Cum iniquitate.

36. Ave, o columbula
Zeli carens felle,
Sed cluens per saecula
Gratiarum melle,
Aufer cuncta scandala
Credentis turbellae
Nostraque piacula
Penitus evelle.

37. Ave, venerabilis
Virginum regina,
Cunctis praecoptabilis
Gratiae resina,
Meis sis piaculis,
Precor, medicina,
Ne interminabilis
Me premat ruina.

38. Ave, virgo stabile
Fidei fulcimen,
Sub quo vulgus flebile
Recipit munimen,
Tuum delectabile,
Tuum da blandimen,
Mortis cum tristabile
Sum scansurus limen.

39. Ave, quam aggredior
Supplex hac in prece,
Ut me mundes, inquinor
Qui peccati faece,
Tuum natum, deprecor,
Pia mater, mulce,
Ne damnet, quam mereor,
Me secunda nece.

40. Ave, stella, caecitas
Mentis qua fugatur,
Cuiusque serenitas
A nobis amatur,
Per te nam infirmitas
Vetus medicatur,
Et omnis austeritas
Legis temperatur.

41. Ave, hauritorium
Quae es vivi fontis,
In coetum credentium
Per te emanantis,
Sume laudatorium
Modo te amantis,
Ab ipso incendium
Pellens Phlegetontis.

42. Ave, virgo, luminis
Lampas sempiterni,
Quod propellit hominis
Tenebras interni,
Manu me regiminis
Dirige materni,
Ne post vim examinis
Me contingat sperni.

43. Ave, honorifica
Redemptoris mater,
Pietate unica
Qui est nobis frater,
Ipsi nos unifica,
O amoris crater,
Quos fraude sophistica
Hostis vexat ater.

44. Ave, cuius species
A nobis amatur
Nec non et effigies
Iure veneratur,
Nam tu es materies,
Qua praeparabatur
Christo Deo requies,
Cum incarnabatur.

45. Ave, sidus fulgidum
Caelicum dans lumen,
Mundo reddens placidum
Sempiternum numen,
Riga me nunc aridum
Per amoris flumen
Sublevaque rigidum
Ad caeli cacumen.

46. Ave, cui milito
Hac in poetria,
Quam et gaudens recito
Mentis symphonia,
Te honore debito
Precor, o Maria,
Ut me salves merito
Tuo, virgo pia.

47. Ave, cuius nobilis
Genealogia
Proditur a saeculis
Multa prophetia,
Serves a piaculis
Me, virgo Maria,
Qui te laudum titulis
Laudo mente pia.

48. Ave, mater niveo
Praefulgens splendore,
Nam vere virgineo
Emines pudore,
Tuo me calcaneo
Debito honore
Haerentem tartareo
Serves a fervore.

49. Ave, arca foederis
Novi testamenti,
Levigat quod veteris
Pondus instrumenti,
Squamas aufer sceleris
Motus faeculenti,
Qui ab annis teneris
Instat meae menti.

50. Ave, quam glorifico
Istud per dictamen.
Cuius prece sentio
Semper sublevamen,
Placa tuo merito
Patrem, natum, flamen,
Ut ab omni debito
Me absolvat. Amen.

Quinquagena II.

51. Ave, virgo siderum
Stella primitiva,
Arbor pomis munerum
Ferax ut oliva,
Consolatrix pauperum,
Mater Iesu diva,
Salva me, quem scelerum
Temptant rediviva.

52. Ave, o vibrabile
Sidus, cor tristatum
Reddens consolabile,
Noxis depuratum,
Meum fac frenabile
Dei per mandatum,
Nunc abominabile
Bonisque nudatum.

53. Ave, cui merito
Libens et ovatim
Symphonias recito
Atque seriatim,
Mihi quasi perdito
Subveni citatim
Et solvens a debito
Voca nominatim.

54. Ave, quae prophetica
Littera expresse
Scriberis deifia
Christi mater esse,
O spes mea unica,
Mei menti fessae
Propter bella hostica
Digneris adesse.

55. Ave, cuius cultui
Colligo laudamen,
Cuius opem habui
Per aeternum flamen,
Tribue conflictui
Meo sublevamen,
Quo quasi contabui
Belli ob gravamen.

56. Ave, iris temperans
Nobis iram Dei,
Mundo signum celebrans
Dans temperiei,
Peto pauper clamitans:
Miserere mei,
Nato sis concilians
Me peccantem ei.

57. Ave, campi caelici
Herbula formosa,
Medicans catholici
Gregis morbidosa,
Refice hymnidici
Tui ruinosa
Pelleque horrifici
Anguis venenosa.

58. Ave, cuius recito
Laetus insignimen
Sicque tuum flagito
Devotus lenimen,
Auferas ut subito
A me fastidimen
Et cum hoste perdito
Eiusdem molimen.

59. Ave, obumbraculum,
In quo vitae lignum
Crevit, omne frivolum
Pellens et malignum,
Sume pedis osculum
Ob amoris signum,
Quo, precor, in saeculum
Facias me dignum.

60. Ave, cuius merito
Iubilans laudamen,
Per quam homo subito
Recipit levamen,
Cordis mei, rogito,
Dissipa velamen,
Quod ob culpae merito
Perfero nodamen.

61. Ave, cui attentius
Carmen symhonizo,
Gemmis mihi carius
Auroque obrizo,
Mihi, precor, citius
Subveni eliso,
Ne tradar daemonibus,
Quando agonizo.

62. Ave, venerabilis
Stella matutina,
Pellitur a credulis
Qua culpae pruina,
Esto tuis famulis
Gratiae cortina,
Ne uramur faculis
In Stygis officina.

63. Ave, periergia
Nati pro honore
Zelans, adversantia
Pellens cum errore,
Nostra fac hilaria
Corda prae amore
Tuo, modo tristia
Hostis prae timore.

64. Ave, apis melleum
Gratiae liquorem
Faciens, qui felleum
Amputat putorem,
Infundens aethereum
Servis tuis rorem,
Qui exstinguunt carneum
In nobis ardorem.

65. Ave, cuius iubilans
Virtutum laudamen
Sum devotis intimans
Istud per effamen,
Esto meae sublevans
Culpae oneramen,
Ne me sit exterminans
Christi iudicamen.

66. Ave, quam magnifico
Hoc per meditamen,
Ave quando replico
Mentis per conamen,
Cordis mei supplico
Aufer nubilamen,
Cernam ut perpetuo
Patrem, natum, flamen.

67. Ave, mons laetitiae,
Mons coagulatus,
Gratiarum pluviae
Stillis impinguatus,
Agnus innocentiae
In te est monstratus,
Qui paternae gloriae
Fuit immolatus.

68. Ave, quam acerrimi
Doloris gravamen
Pressit, cum dulcissimi
Nati cruciamen
Cerneres, ne pessimi
Hostis per temptamen
Me contingat deprimi,
Tuum des iuvamen.

69. Ave, quam credentium
Cantus decusatim
Laudat, cum, subsidium
Petunt alternatim,
Meum ad auxilium
Propera citatim,
Qui tuum praeconium
Recito affatim.

70. Ave, levatorium
Casus matris Evae,
Ducentis in scandalum
Nos culpae primaevae,
Vitae adiutorium
Meae fer grandevae,
Ne fiam opprobrium
Stygis genti saevae.

71. Ave, quam ecclesiae
Plebes congregatim
Laudant per laetitiae
Cantica globatim,
Tuae stillas gratiae
Funde vel guttatim,
Ut pondus inertiae
Meae pellant statim.

72. Ave, cui in saeculum
In caelorum thronis
Regnanti munusculum
Hoc devotionis
Porrigo, tu torculum
Meae devotionis
Reple, pellens frivolum
Malae actionis.

73. Ave, cui ecclesiae
Sanctae aggregamen
Iugiter laetitiae
Fert glorificamen,
Auferas tristitiae
Meae onustamen,
Dans divinae gratiae
Mihi gratulamen.

74. Ave, quae decentibus
Es praerogativis
Perornata dignius
A personis divis,
Meis genitoribus
Mortuis et vivis
Succurre celerius
Gratiarum rivis.

75. Ave, fons nectareum
Praebens iustis potum,
Qui in membris carneum
Frigeravit motum,
Mihi fac virgineum
Vultum tuum notum,
Circa vitae terminum
Visitans aegrotum.

76. Ave, cuius memoror
Animo gaudenti,
Unde tecum colloquor
In oda praesenti,
Obvia, te deprecor,
Hosti persequenti,
Qui iam est infestior
Populo credenti.

77. Ave, stirps o caelica,
Ferens angelorum
Panem, qui famelica
Corda devotorum
Reficit, me adplica
Coetui iustorum
Auferendo lubrica
Desideriorum.

78. Ave, mulieribus
Omnibus praelata
Et cunctis credentibus
In patronam data,
Esto paenitentibus
Nobis advocata,
Ut dilectus filius
Condonet peccata.

79. Ave, felix gemmula
Miro modo nitens,
Omni semper macula
Peccatorum carens,
Aaron tu virgula
Absque succo florens.
Gratiae amygdala
Christianis ferens.

80. Ave, fructuaria
Stirps praebens frumenti
Adipem cum gratia
Animae credenti,
Hac laudis materia
Tibi servienti
Assis a miseria
Mundi divertenti.

81. Ave, cuius opera
Et benignitate
Solvitur mens misera
Ab iniquitate,
Me pupillum libera
Ab adversitate
Deoque confoedera
Cum celebritate.

82. Ave, radix germinans
Nobis vitae lignum,
Peccatum exterminans
Omneque malignum,
Id per carmen elegans
Et amoris signum
Rogo, ne sis exsecrans
Me sicut praevignum.

83. Ave, arcus foederis,
Arcus aerinus,
Quem regnans in superis
Fecit rex divinus,
Me impugnat Veneris
Impetus equinus,
Pro quo tuis meritis
Detur turturinus.

84. Ave, fecundissima
Arbor ferens fructum,
Quem devota anima
Sumens ponit luctum
Reduc, o piissima,
Ab hoste seductum
Ad aeterna gaudia
Mihi dans conductum.

85. Ave, quam sinceriter
Menteque supina
Veneror ac dulciter,
O stella marina,
Amore celeriter
Deo me combina,
Laesum multipliciter
Scelerum sentina.

86. Ave, tabernaculum
Summae maiestatis,
Conferens latibulum
Corde tribulatis,
Porrige vel granulum
Tuae pietatis,
Me absolvens famulum
Tuum a peccatis.

87. Ave, honorabilis
Caelorum regina,
Cunctis carens maculis
Ac peccati spina,
Auditum christicolis
Clementer inclina,
Tentis pro piaculis
In Stygis officina.

88. Ave, herba caelica
Mirum odoramen.
Dans, quo mens maestifica
Sumit medicamen,
Da per ista cantica
Mihi sublevamen,
Qui per bella hostica
Patior gravamen.

89. Ave, flos, quem cupio,
Ave, flos amoris,
Flos sine contagio,
Flos miri odoris,
Apta me servitio
Tuo cunctis horis,
Omni purgans vitio
Intus atque foris.

90. Ave, firmum oppidum,
In quo habitavit
Christus, quando callidum
Hostem superavit,
Devotis praesidium
In te praeparavit,
Cum venenum aspidum
Illos molestavit.

91. Ave, arbor nobilis,
Ut oliva ferax,
Quam Deus laudabilis
Plantavit et verax,
Da, ne Christo credulis
Obsit hostis pellax
Nec interminabilis
Flamma Stygis edax.

92. Ave, virgo, regia
Quam ornat origo,
Te nunquam contagia
Culpaeve fuligo
Foedarunt, vestigia
Tua fletu rigo
Et petens suffragia
Tua me adfligo.

93. Ave, in qua iugiter
Mente anatizo,
Unde tibi dulciter
Laudes organizo,
Subveni celeriter
Pro culpis deriso,
Ne tradar finaliter
De caelo eliso.

94. Ave, ineffabilis
Pastoris ovilla,
Cuius es et nobilis
Mater et ancilla,
Praesta tuis famulis
Venire ad illa
Regna, ubi stabilis
Pax est et tranquilla.

95. Ave, cuius fortius
Allicit pulchredo,
Unde tuis manibus
Me totalem dedo,
Mea per te protinus
Pellatur pigredo,
Animi frequentius
Quam causat curvedo.

96. Ave, virgo, luminis
Caelici lucerna,
Quod devoti hominis
Accendit interna,
Materni regiminis
Manu me guberna,
Ut devitem daemonis
Cautius laverna.

97. Ave, stirps magnifica
Caelicae olivae,
Semper stans salvifica
A peccati nive,
Carnis meae lubrica
Auferas lascivae
Audique haec cantica
Laudum amative.

98. Ave, flos mirifice,
Mirum odoramen
Dans ecclesiasticae
Plebi ac solamen,
Pia mater, respice
Meum reluctamen,
Quo gravor ob hosticae
Fraudis litigamen.

99. Ave, quam novagies
Modo salutavi
Insuper et novies,
Quia te amavi,
Nato me concilies,
Quem exasperavi,
Sicuti te pluries
Antea rogavi.

100. Ave, cuius precibus
Fugio gravamen,
Cum tibi devotius
Cano iubilamen,
Eradica funditus
Meorum foedamen
Scelerum, ut dignius
Venerer te. Amen.

Quinquagena III.

101. Ave, hortus deitas
Christi quo latebat,
Cum se sua pietas
Carne vestiebat,
Nostra tunc humanitas
Dulciter gaudebat,
Cum se sua pietas
Carne vestiebat.

102. Ave, quam organicis
Laudo melodiis
Cum choris angelicis
Sive hierarchiis,
Fraudibus ab hosticis
Precibus me piis
Libera et lubricis
Mentis phantasiis.

103. Ave, cui opusculum
Huius symphoniae
Affectum per solidum
Cano mentis piae,
Tuere me famulum
Tuum, o Messiae
Mater, ne in scandalum
Cadam in hac die.

104. Ave, felix domina,
Ave ter quaterque,
Cui laudum carmina
Concinunt plerique,
Tua consolamina
Protegant ubique,
Quos turbant molimina
Hostium inique.

105. Ave, virgo gratiae
Donis opulenta,
Nam misericordiae
Semper es intenta,
Consigna cotidie
Manu me extenta
Et tandem clementiae
Divinae praesenta.

106. Ave, consistorium,
In quo celebravit
Trinitas concilium,
Quo deliberavit
Hominis exilium,
Per quod exsulavit,
Solvere et filium
Mittere dictavit.

107. Ave, quae in superis
Es collateralis
Dulcis nati dexteris
Cunctis carens malis,
Laus tua his litteris
Scripta aliqualis
Protegat cum ceteris
Me sub tuis alis.

108. Ave, quam antiquitus
Prophetae scripsere,
Messiam divinitus
Gignere debere,
Mente fac nos penitus
Ipsi adhaerere,
Ut dignetur primitus
Admissa delere.

109. Ave, quam altissimi
Matrem theoria
Scripit et verissimi
Vatis prophetia,
Mei sis pauperrimi
Tutrix, virgo pia,
Quem perturbat pessimi
Hostis phantasia.

110. Ave, natu nobilis,
Stirpe nam regali
Genita describeris
Voce prophetali,
Dono tuis famulis
Sapientiali,
Succurre a maculis
Mundans omnis mali.

111. Ave, honorifica
Imperatrix mundi,
Quam laudant per cantica
Animo iucundi,
Auferas tristifica
Hostis furibundi,
Qui optat pro lubrica
Culpa nos confundi.

112. Ave, o munifica
Mater pietatis,
Munera mirifica
Dans a te amatis,
Igne me califica
Tuae caritatis,
Qui ob mundi lubrica
Algeo peccatis.

113. Ave, quae fons veniae,
Stella quoque maris
Et misericordiae
Mater nuncuparis,
Filiis ecclesiae
Dona largiaris,
A quibus cotidie
Digne veneraris.

114. Ave, quae conventui
Praesidens sanctorum
Gratularis plausui
Carminum eorum,
Consolamen luctui
Praebe defunctorum,
Hos iungendo coetui
Regni supernorum.

115. Ave, sidus rutilum,
Ave, radix Iesse,
Produxisti surculum
Quae de caeli messe,
Cum me, tuum famulum,
Mori est necesse,
Per te istum iubilum
Peto tunc adesse.

116. Ave, honorabilis
Omni christiano,
Quam his laudum titulis
Colere propono,
Solve me a vinculis,
Precor, tuo dono,
Me commendans singulis
Horis summo bono.

117. Ave, apis utile
Dans mellificamen,
Quod mentis culpabile
Solvit religamen.
Da per huius nobile
Cantici libamen
Mihi tui stabile
Nominis amamen.

118. Ave, temperantiae
Forma exemplaris
Et oboedientiae
Norma singularis,
Speculum iustitiae
Recte praedicaris,
Mater sapientiae
Es et nominaris.

119. Ave, virgo, nuntia
Dei pietatis,
Cuius mundum gratia
Solvit a peccatis,
Succurrat nunc mitia
Tua tribulatis
Praebens his solacia
Tuae bonitatis.

120. Ave, stella lucida,
Cuius per micamen
Mens maerore lurida
Sumit delectamen,
Tua luce fulgida
Des astipulamen,
Fugem mente provida
Hostis quo fraudamen.

121. Ave, stirps salvifica
Ferens medicamen,
Per quod plebs catholica
Sumit recreamen,
Mentis reaedifica
Meae laceramen,
Fraus quod infert hostica
Frequens per luctamen.

122. Ave, Christi Domini
Mater et ancilla,
Per quam dantur homini
Tempora tranquilla,
Sectas tuo nomini
Adversas sugilla,
Contra te quas inferi
Construit anguilla.

123. Ave, cui mittito
Dulce salutamen,
Quaerens modo debito
Tuum adiuvamen,
Infunde, te flagito,
Gratiae stillamen,
Quia mente fluito
Noxae ob gravamen.

124. Ave, quam clementiae
Vitaeque honestas
Exornat et gratia
Summaque potestas,
Passiones ascia,
Deprecor, funestas,
Quis causantur vitia
Et mentis egestas.

125. Ave, praeamabilis,
Cuius hilaramen
Nobis tuis famulis
Praebet consolamen,
Largire christicolis
Illud per effamen
In cunctis periculis
Tuum sublevamen.

126. Ave, decus hominum
Omnisque facturae,
Tu via ad bravium
Perducens secure,
Nos in aedificium
Caelicae structurae
Coapta per filium
Tuae geniturae.

127. Ave, stirps iustitiae
Fructum ferens divum,
Praebentem laetitiae
Credulis olivum,
Roga, mater gratiae,
Pro me Deum vivum,
Ut misericordiae
Mihi fundat rivum.

128. Ave, turris aurea
Bene moenitata,
A cohorte Stygea
Nunquam expugnata,
Haec dicta carminea
Per me decantata,
O mater virginea,
Tibi exstent grata.

129. Ave, arbor gratiae
Abundans olivis,
Succurrens cotidie
Mortuis et vivis,
Repleas clementiae
Divinae nos rivis
Filiis ecclesiae
Nectens adoptivis.

130. Ave, quae facetia
Carminis praeclari
Dixeras humilia
Corda exaltari,
Tua fac me gratia
Sic humiliari,
Ut in caeli gloria
Queam sublimari.

131. Ave, quam profiteor
Genetricem Dei,
Unde nunc te veneror
Plausu cordis mei,
Da mihi, te deprecor,
Et progeniei,
De qua carne orior,
Locum requiei.

132. Ave, sidus gloriae
Splendens plus quam luna,
Omnibus per gratiae
Dona oportuna,
Credentis familiae
Post Deum spes una,
Lapsos per discordiae
Virus coaduna.

133. Ave, cui pusillitas
Mea et conamen
Laudes reddet debitas
Per hoc modulamen,
Tua det maternitas
Mortuis solamen,
Quos premit acerbitas
Poenae vel gravamen.

134. Ave, securissima
Navis navicilla,
Qua fidelis anima
Navigat tranquilla,
Haec, mente promptissima
Quae pango, mixtilla
Placent, quem purissima
Lactasti mamilla.

135. Ave, o nubecula,
Cuius per gestamen
Natus fugit scandala
Regisque fraudamen,
Momenta per singula
Mihi sis tutamen,
Quo vitem per saecula
Hostis machinamen.

136. Ave, o victoriae
Signum Gedeonis,
Clipeus tu Iosue,
Victrix Pharaonis,
Huius fanti strenue
Carmen cantionis
Fortiter da vincere
Regem Babylonis.

137. Ave, venerabilis
Et intemerata,
Tu virtutum flosculis
Mire decorata,
Mea mens a vinculis
Carnis liberata
Te laudet cum angelis
In vita beata.

138. Ave, fax luciflua,
Cor obtenebratum
Abigendo nocua
Dans illuminatum,
Per id carmen cernua
Mente decantatum
In vita perpetua
Para mihi statum.

139. Ave, gubernaculum
Christianitatis,
Depellens periculum
Velut firma ratis,
Resolve obstaculum
Meae caritatis,
Quo premor per scandalum
Vivens in peccatis.

140. Ave, o prodigium
Prophetis ostensum,
Tuum qui praeconium
Scribunt in immensum,
Hoc per sacrificium
Laudisve incensum
Placa tuum filium
Peccatis offensum.

141. Ave, cuius partui
Chori angelorum
Concinebant strenui
Canticum decorum,
Auditum ploratui
Praebe miserorum
Traditorum aestui
Purgatoriorum.

142. Ave, odorifera
Herba dans medelam
Propellentem scelera
Mentisque querelam,
O mater christifera,
Da mihi cautelam
Ducasque ad aethera
Meam parentelam.

143. Ave, funda Davidis,
Cuius per iactamen
Philistaeis rabidis
Abstulit solamen,
Mente nobis aridis
Gratiae guttamen
Largire ac pavidis
Tuum adiuvamen.

144. Ave, quam magnifico
Hac oda meapte,
More quam poetico
Concino ornate,
Me, o mater, supplico,
Tua pietate
Fac in regno caelico
Vivere beate.

145. Ave, virgo, pauperum
Clemens miseratrix,
Dei atque hominum
Potens mediatrix,
Tu nostrorum scelerum
Esto expiatrix
Et ad vitae meritum
Sis cooperatrix.

146. Ave, infirmantium
Mente laniena
Gratiarum omnium
Medicinis plena,
Prae peccatis saucium
Cor meum serena,
Alligans in posterum
Legis cum catena.

147. Ave, quam temporibus
Patres primitivis
Coluerunt laudibus
Multum mirativis,
Da, ut in caelestibus
Tuus sim concivis,
Qui laudo concentibus
Modo te proclivis.

148. Ave, quam veraciter
Saeculum primaevum
Contrituram fortiter
Scripsit anguem saevum,
Rogo te suppliciter
Omne fuga laevum,
Odis ut hilariter
Laudem te per aevum.

149. Ave, cui carminum
Laudes luculenter
Conventus caelestium
Canunt et gaudenter,
Praesens infortunium
Turbans nos dolenter
Tu in eufortunium
Commuta clementer.

150. Ave, cui assidue
Sanctorum examen
Canit ac perpetue
Laudis iubilamen,
Peccatorum despue
Meorum fuscamen,
Commendans individuae
Trinitati. Amen.

Cod. S. Petri Salisburgen. b II 3. saec. 15. fol. 97 b. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. anni 1470. fol. 270 b. B — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. fol. 111 a. C. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. fol. 197 a. D.

AB bemerken fol. 97 b (270 b): Incipit prooemium in opus sequens; fol. 98 b (271 a): Incipit Psalterium, alias Iubilus beatissimae et colendissimae virginis Mariae, divisus in tres quinquagenas.

Proem. fehlt (ist ausgeschnitten) D. — 7, 1 canor C. — Psalt. 3, 7 Sed his praesentia AB. — 12, 1 aureo fehlt AB. — 22, 2 Radius quam AB. — 26, 5 virgo venerabilis et amabilis A. — 28, 5 te deprecor A. — 35, 3 Cordis AB. — 37, 3 promptabilis A. — 52, 1 vibrale A. — 63, 7 Tuo amore tristia A. — 68, 5 Cernerem A; Cernerens B. — 70, 1 lavatorium A. — 73, 2 aggravamen A. — 78, 7 filius tuus A. — 102, 6 Tuis precibus A. — 104, 5 Tuo A. — 110, 8 Mundanis AB. — 111, 7 per AB. — 111, 8 Culpa fehlt A; Culpa non confundi B. — 112, 5 me fehlt AB. — 119, 5 Succurrat nobis mitia A, nos mitia B; zu dem Worte mitia am Rande: mansuetudo C. — 120, 8 Hostis primo fraudamen A. — 123, 7 Quae mente fluito AB. — 126, 3 Tua via AB. — 132, 8 virtus AB.

XV. Psalterium „Hymnarius BMV."

Prooemium.

1. Mater Christi, quem in imis
Peperisti, te inprimis
Adeo pro gratia,
Qua iuvante luculenter
Pura mente ac gaudenter
Proferam sequentia.

2. A venenis me errorum
Et catenis peccatorum,
Virgo clemens, eruc
Ac rationis facultatem
Et sermonis veritatem
Abundanter tribue.

3. Reparatrix oberrantis
Et salvatrix desperantis
Scelerum prae pondere,
Tua prece nunc me velis
Culpae faece et a telis
Hostium eripere.

4. Istis mecum, o Maria,
Praesta precum in hac via
Tuarum suffragia,
Qui tuorum mente pura
Meritorum et secura
Concinunt praeconia.

5. Alma, parens Christi Dei,
Omni carens malae rei
Et peccati macula,
Fac me caecum te videre
Atque tecum congaudere
Per aeterna saecula.

Quinquagena I.

1. Ave, arbor optima
Optimum dans fructum,
A devota anima
Qui abstergit luctum,
Quo fide promptissima
Credimus reductum,
Adam fraude pessima
Satanae seductum.

2. Ave, meum gaudium
Tu peculiare,
Cuius nunc praeconium
Conor deplanare,
Cordis mei gremium
Digneris mundare,
Ut te ac tuum filium
Dignus sim laudare.

3. Ave, sidus gratiae
Praestans iustis rorem,
Firmamento gloriae
Mirum dans splendorem,
Matri des ecclesiae
Tuum per amorem
Titulum victoriae
Contra bellatorem.

4. Ave, viridarium,
Quod per Dei manum
Satum profers triticum
Et sinapis granum,
Per istum hymnarium
Fac me mente sanum,
Ne unquam in posterum
Declinem in vanum.

5. Ave, venerabile
Nomen, o Maria,
Saepe iterabile
Miseris in via,
Sis inexpugnabile
Scutum mihi, pia,
Quam laudabo sedule
Hac in hymnodia.

6. Ave, o puerpera
Gignens modo miro,
Nam virtute supera
Feta, non ex viro,
Iudicis me libera
A furore diro
Et adversa tempera
Gratiae butyro.

7. Ave, lux, quam edidit
Omnium creator,
De qua splendor exiit
Adae reparator,
Stipem petens adiit
Te tuus laudator,
Fraude quem impetiit
Impius temptator.

8. Ave, quae ab omnibus
Recte invocaris
In necessitatibus,
Nam es stella maris,
Te deprecor attentius
Odis his praeclaris,
Potenter ab hostibus
Ut me tuearis.

9. Ave, domus pauperum
Plena cunctis bonis,
Domus fugientium
Et protectionis,
Auferas obsidium
Tartari draconis,
Nobis dans praesidium
Consolationis.

10. Ave, sacri pneumatis
Templum singulare,
Tenens tymiamatis
Aureum altare,
Digneris charismatis
Donis me mundare,
Valeam ut debitis
Odis te laudare.

11. Ave, virgo splendidum
Mundi luminare,
Terram, caelos, inferum
Potens illustrare,
Pectus meum squalidum
Digneris purgare
Et purgatum septuplum
Purum conservare.

12. Ave, o vehiculum
Aut lucis fenestra,
Quae depellit scandalum
Cunctaque molesta,
Iuva tuum famulum
Stantem in palaestra
Ac post illud saeculum
Ab hoedis sequestra.

13. Ave, lumen gratiae
Communicativum
Omnisque malitiae
Plene expulsivum,
Divinae clementiae
Funde mihi rivum
Salvans me cotidie
Mortuum et vivum.

14. Ave, quae cubiculum
Claustri virginalis
Facis habitaculum
Carnis filialis,
Tuis tuum famulum
Tuta me sub alis,
Ne incurram scandalum
Culpae criminalis.

15. Ave, mater, gaudium
Quae tunc contulisti
Mundo, quando filium
Virgo peperisti,
Hostis aufer proelium,
Quem tunc deiecisti,
Conservans in posterum
Me a casu tristi.

16. Ave, quam fecunditas
Ornat maternalis,
Tibi tamen puritas
Manet virginalis,
Protegat benignitas
Tua nos a malis,
Quos premit iniquitas
Culpae criminalis.

17. Ave, fax o caelica
Mundique lucerna,
Siccans vi deifica
Vitia interna,
O Bethlehemitica
Gratiae cisterna,
Da, ne vi Satanica
Trahar ad inferna.

18. Ave, testimonii
Arca singularis,
Quae splendoris nimii
Auro decoraris,
Da manum subsidii,
Pia stella maris,
Constrictis incendii
Venis in amaris.

19. Ave, lux quae tenebras
Mundi detersisti,
Per regales lineas
Orta cum fuisti,
Consolamen praebeas
Menti meae tristi,
Impetrando gratias
Mihi Iesu Christi.

20. Ave, cuius nobilis
Genealogia
Scripta laudum titulis
Est in Isaia,
Serves a periculis
Omnes, o Maria,
Qui te his literulis
Laudant mente pia.

21. Ave, quae tripudio
Maximo gaudebas,
Resurgenti filio
Quando assistebas,
Plus nam cunctis anxio
Corde tunc dolebas,
Mori hunc supplicio
Crucis cum cernebas.

22. Ave, lux luciflua
Fugans umbram mortis
Abigensque nocua
Mulier ut fortis,
Virtutem evacua
Stygeae cohortis,
Prece nos assidua
Redde caeli portis.

23. Ave, mater millies
Cum nato Messia,
Qui sanctorum requies
Est finita via,
Hunc mihi propities,
Clemens o Maria,
Laesum infinities,
Peccator sum quia.

24. Ave, lux, qua caecitas
Fugatur culparum
Simulque obscuritas
Conscientiarum,
Relevamen praebeas
Poenis animarum,
Naturae per lineas
Mihi coniunctarum.

25. Ave, fons, qui arida
Rigas animarum
Abluisque sordida
Lue vitiorum,
Tuorum nunc candida
Mentes laudatorum,
Squalidas insipida
Qualitate morum.

26. Ave, virgo, clipeus
Interfectionis,
Daemonum quo cuneus
Congregationis
Christi stat innocuus,
Meae nationis,
Te exoro, clipeus
Sis defensionis.

27. Ave, splendens lectulus
Summi Salomonis,
Exstans mire floridus
Gratiarum donis,
Assis mihi protinus
Tempore agonis,
Ne tunc tradar manibus
Inferi draconis.

28. Ave, domus figuli
Universitatis,
Per quam sumus singuli
Opus bonum satis,
Aurem praebe famuli
Tui praedicatis,
Quem conturbant aemuli
Vi malignitatis.

29. Ave, quam concentibus
Laudant supernates,
Priscisque temporibus
Quam scripsere vates,
Precamur attentius,
Aufer pravitates,
Ne post poenas acrius
Premant infernates.

30. Ave, delectabilis
Animae dulcedo,
Qua fugatur flebilis
Culparum acedo,
Purges a piaculis
Viam, qua incedo,
Ne me stringat vinculis
Infernalis praedo.

31. Ave, fons, ariditas
Mentis quo rigatur,
Prece tua pravitas
Eius cum laxatur,
Hinc mea pusillitas
Deum deprecatur,
Ut per te iniquitas
Mea dimittatur.

32. Ave, cuius gratia
Hymnis his desudo,
Quam ornat iustitia
Atque sanctitudo,
Pellat ab ecclesia
Tua lenitudo
Modo quaeque tristia
Ponatque in sudo.

33. Ave, cuius mititas
Atque mansuetudo
Miseris est firmitas
Sive fortitudo,
Per te mea gravitas
Et inquietudo
Tollatur ac pravitas
Nec non turpitudo.

34. Ave, Christi Domini
Nobilis alumna,
Praebens viam homini
Ut olim columna,
Christiano nomini
Sonicos expugna,
Tendentes unanimi
Fraude vel aerumna.

35. Ave, turris gratiae,
Ave turris gregis,
Quae manu potentiae
Tuae tuos tegis,
Subde nos iustitiae
Regulisque legis,
Ut mater clementiae
Quos benigne regis.

36. Ave, mater, ostium
Caelici Augusti,
Per quod caeli gaudium
Intrant omnes iusti,
Aufer desiderium
Hominis vetusti,
Maxime per vitium
Veneris adusti.

37. Ave, virgo, civitas
Mihi praeamanda,
Quam construxit trinitas
Cunctis adoranda,
Si me stringit pravitas
Scelerum nefanda,
Quam tua benignitas
Solvat veneranda.

38. Ave, clemens hospita
Mentis peregrinae,
Bonitate praedita
Gratiae divinae,
Supplex rogo, visita
Me in meo fine
Et inferni abdita
Capere non sine.

39. Ave, petra largiter
Olei dans rivos,
Quibus sanas iugiter
Mortuos et vivos,
Confortando dulciter
Subleves activos,
Irriga hilariter
Et contemplativos.

40. Ave, virgo, pauperum
Clemens iudicissa,
Ad solandum miserum
Hominem praemissa,
Corda nostra scelerum
Ense sana scissa,
Iter praebe prosperum
Ad caeli promissa.

41. Ave, fons, qui pocula
Fundis gratiarum,
Satians per saecula
Sitim animarum,
Ablue piacula
Conscientiarum
Per amoris vincula
Mihi coniunctarum.

42. Ave, delectabile
Animae condimen,
Praestans indicibile
Gratiae lenimen,
Auferas tractabile
Hostium molimen
Et onus culpabile,
Boni impedinem.

43. Ave, luna, generans
Nobis caeli rorem,
Qui peccatum medicans
Dei dat amorem,
Sis in me refrigerans
Carnalem fervorem
Odium exterminans,
Iram et livorem.

44. Ave, vestiaria
Domus, qua indutum
Christum credo trabea
Carnis, qua versutum
Stravit per certamina
Eius frangens scutum,
Nobis ad caelestia
Iter parans tutum.

45. Ave, flumen gratiae
Dans iucunditatem,
Irrigans ecclesiae
Sanctae civitatem,
Stantibus in acie
Contra pravitatem
Hostis da constantiae
Immobilitatem.

46. Ave, lux quae devium
Mundum direxisti,
Quando Dei filium
Carne genuisti,
Super solis radium
Tunc resplenduisti,
Cum ad caeli solium
Assumpta fuisti.

47. Ave, virgo, civitas
Cunctis opulenta
Bonis, in qua foeditas
Nulla est inventa,
Tua, mater, pietas
Ad me sit extenta,
Quem gravat iniquitas
Mille per talenta.

48. Ave, sole clarior
Comparatione,
Luna luminosior
Radiatione,
Mente sapientior
Rege Salomone,
Carne speciosior
Pulchro Absalone.

49. Ave, mater taedium
Auferens a bonis,
Conferens remedium
Consolationis,
Tribuas auxilium
Liberationis
Pressis per incendium
Mortis regionis.

50. Ave, fons clementiae
Profluens levamen,
Quo sumunt ecclesiae
Filii piamen,
Meae conscientiae
Abluas nigramen,
Ut aeternae gloriae
Bonis fruar. Amen.

Quinquagena II.

51. Ave, radix gratiae,
Ave radix viva,
Qua misericordiae
Nascitur oliva,
Adveni clementiae
Mater tempestiva,
Hostilis versutiae
Pellens turbativa.

52. Ave, mater gratiae,
Mater verbi Dei,
Mater indulgentiae,
Mater sanctae spei,
Aufer ignorantiae
Ac segnitiei
Causas et superbiae
A fundo cordis mei.

53. Ave, caeli gloria
Iustorumque rectrix,
Pugnantum constantia,
Pauperum susceptrix,
Protegat me gratia
Tua, mi dilectrix,
Ne concupiscentia
Fallat me deceptrix.

54. Ave, virgo, puteus
Consolationis,
Quo fluit nectareus
Potus plenus bonis,
Mihi, precor, clipeus
Sis absconsionis,
Ne me premat puteus
Interitionis.

55. Ave, quae virtutibus
Cunctis insignita
Nunc es in caelestibus
Iuxta natum sita,
Seda tuis precibus
Bella tripartita,
Quae mea frequentius
Mens fert imperita.

56. Ave, mater gratiae
Materque divina,
Quae misericordiae
Diceris regina,
Precibus ecclesiae
Auditum inclina,
Praesentis tristitiae
Salvans a ruina.

57. Ave, fons, quo profluunt
Pietatis rivi,
Quibus frui cupiunt
Mortui et vivi,
Te laudare gestiunt
Corde amativi,
Quam infirmi fugiunt
Serpentes nocivi.

58. Ave, venerabilis
Mater ac sincera,
Semper tuis famulis
Laudanda revera,
Serva me ab aemulis,
Rogo mente mera,
A peccati vinculis
Et a Stygis fera.

59. Ave, virgo pallium
Splendens iacintinum,
Involvens candelabrum
Nutum per divinum,
Allevet auxilium
Tuum me supinum,
Deiectum per hostium
Impetum caninum.

60. Ave, invincibilis
Gratiae turella,
Ignorans terribilis
Inimici bella,
Praesta, venerabilis
Dulcisque puella,
Uti stem immobilis
In mundi procella.

61. Ave, mater gratiae,
Mater pietatis,
Tu mater iustitiae,
Mater veritatis,
Donum indulgentiae
Impetra peccatis
Culpa fraudulentiae
Per me perpetratis.

62. Ave, fons clementiae,
De quo mens pusilla
Sumit potum gratiae,
Unica vel stilla
Meae conscientiae
Sitim refocilla,
Donum ut laetitiae
Semper sit in illa.

63. Ave, ferens gladium
Christi passionis
Iuxta vaticinium
Iusti Simeonis,
Da mihi praesidium
Consolationis
Timenti obsidium
Pessimi praedonis.

64. Ave, caeli domina,
Summa prole feta,
Per quam cuncta crimina
Mundi sunt deleta,
Virtute per carmina
Haec me locupleta,
Hostis ut molimina
Mente vincam laeta.

65. Ave, luna indicans
Nobis caeli festa,
Ubi laus est iubilans
Cunctaque modesta,
Per id carmen elegans,
Mente rogo maesta,
Aufer scelus irrogans
Omnia molesta.

66. Ave, mundi domina
Et illuminatrix,
Per quam deflet crimina
Anima peccatrix,
Me per ista carmina
Tua, mi amatrix,
Ducat ad intermina
Trinitas creatrix.

67. Ave, quae es caelitus
Mira prole feta,
Quam et post hominibus
Genuisti laeta,
Nobis decertantibus
Sis agonitheta
Superis agminibus
Angelorum freta.

68. Ave, quae dulcedinis
Mater exstitisti,
Cum virtute flaminis
Christum concepisti,
Sed amaritudinis
Plena tunc fuisti,
Rivos sacri sanguinis
Quando conspexisti.

69. Ave, cunctis firmior
In adversitate
Caeloque stabilior
Mentis firmitate,
Ecce, nimis anxior
Mea pravitate,
Subveni, te deprecor,
Cum celeritate.

70. Ave, quam nativitas
Decorat regalis,
Nec non morum probitas
Vitae virginalis,
Thesauri potentias
Intra divinalis,
Affectus dans gratias
Mihi maternalis.

71. Ave, o fons imbrium,
Gratiarum stilla,
Corda innocentium
Faciens tranquilla,
Fluat stillicidium
Tua de mamilla,
Quod vim pellat hostium
Stygis cum anguilla.

72. Ave, quam per sedulum
Cultum veneramur,
Cum per mentis iubilum
In te iucundamur,
Satanam in nihilum
Redige, precamur,
Ne post istud saeculum
Per hunc confundamur.

73. Ave, contus conterens
Caput Sataninum,
Ut fert auctor proferens
Praeceptum divinum,
Impetum sis auferens
A nobis caninum,
Blandimentum conferens
Pium ac agninum.

74. Ave, refertissima
Navis institoris,
Dona ferens optima
De caelorum foris,
Aufer ab ecclesia
Calicem maeroris,
Patitur quae plurima
Intus atque foris.

75. Ave, suavissimum
Nomen o Maria,
Quod devotum animum
Reficit in via,
Per hoc hostem pessimum
Abige, maestia
Qui me vexat plurimum,
Turpi phantasia.

76. Ave, de qua meditor
Hac in hymnodia,
Quae mihi suavior
Est omni melodia,
Miserere, deprecor,
Mei, virgo pia,
Omnibus miserior
Miseris sum quia.

77. Ave, arbor caelicae
Benedictionis,
Quae ecclesiasticae
Congregationis
Populum magnifice
Cibas tuis donis,
Gratia me refice
Absolutionis.

78. Ave, quam nobilitas
Commendat regalis,
Prophetalis dignitas
Et sacerdotalis,
Sublevet hos pietas
Tua liberalis,
Deprimit quos gravitas
Culpae criminalis.

79. Ave, stella radians,
Stella luminosa,
Virtute illuminans
Corda tenebrosa,
Esto reaedificans
Mea criminosa,
Quae ferus exterminans
Fecit vitiosa.

80. Ave, mater caelici
Horreum frumenti,
Quo vivunt catholici
In vita praesenti,
Tuae des hymnidici
Consolamen menti,
Ictum diabolici
Impetum timenti.

81. Ave, virgo, medium
Hominis et Dei,
Unde patrocinium
Tuum quaerunt rei,
Meae adiutorium
Des progeniei,
Gratiae praesidium
Largiendo ei.

82. Ave, luna clarius
Lucens cunctis stellis,
A devotis mentibus
Tenebras quae pellis,
Modo crebrescentibus
Finem pone bellis,
Ne suis credentibus
Noceant procellis.

83. Ave, mons o frugifer,
Mons securitatis,
Quem ignorat pestifer
Auctor pravitatis,
Meis, sancta mulier,
Impetra cognatis
Vivere perenniter
Cum praedestinatis.

84. Ave, quae laetitiam
Angelis fecisti,
Mundi priscam gratiam
Cum reinvenisti,
Mihique des veniam
Peccatori tristi,
Olim plurifariam
Cui benedixisti.

85. Ave, quae feliciter
Christum genuisti,
Tamen mirabiliter
Virgo permansisti,
Per viam hilariter
Duc me, quam transisti,
Quando laudabiliter
In mundo vixisti.

86. Ave, Dei filii
Civitas munita,
Caelestis praesidii
Manu custodita,
Dono me consilii
Praemioque dita
Sempiterni gaudii
In futura vita.

87. Ave, mater, hydria
Caelicae farinae,
Praestantis praesidia
Plebi peregrinae,
Sacra eucharistia
Ciba me in fine,
Cum cessabunt varia
Artis medicinae.

88. Ave, fons laetitiae
Fonsque pietatis,
Fons misericordiae
Ac benignitatis,
Rigorem iustitiae
Sanctae trinitatis
Placa, mater gratiae,
Finem dans peccatis.

89. Ave, stirps, divinitus
Pulchrum gignens florem,
Qui devotis mentibus
Mirum dat odorem,
Sed tibi prae omnibus
Largiter decorem
Et nunc in caelestibus
Laudem et honorem.

90. Ave, virgo, tristium
Clemens consolatrix
Ac tuos laedentium
Dira comminatrix,
Esto te colentium
Pia reparatrix,
Multum quos per vitium
Laesit Stygis natrix.

91. Ave, mater generans
Nobis redemptorem,
Qui scelus exterminans
Aufert et auctorem,
Nobis reconcilians
Esto creatorem,
Mentes nostrans reparans
Eius per amorem.

92. Ave, privilegiis
Matris decorata,
Ideo collegiis
Sanctorum praelata,
Mea mens a vitiis
Multum deturpata
Te petit pro gratiis,
O mater beata.

93. Ave, o navicula,
In qua transfretavit
Christus, cum pericula
Mundi degustavit,
Corpore et anima
Te laetificavit,
Cum te super agmina
Caeli exaltavit.

94. Ave o hausarium
Aquae fontis vitae,
Per invitatorium
Clamitans: Venite,
Sitis adiutorium,
Gratiam haurite,
Gaudenter ad proprium
Locum sic redite.

95. Ave, nobilissimum
Decus puellare,
Quam istud per canticum
Conor exaltare,
Nam est suavissimum
Mihi te amare
Tuumque praeconium
Cunctis propalare.

96. Ave, quae virtutibus
Multis decorata
Nunc es in caelestibus
Multum exaltata,
Laus in his carminibus
Tibi decantata
A te venerantibus
Auferat peccata.

97. Ave, cui attentius
Caeli hierarchiae
Tubis in ductilibus
Psallant omni die,
Te laudantes plausibus
Huius melodiae
Visita frequentius.
O mater Messiae.

98. Ave, o sacrarium
Dei virginale,
Cuius quoque solium
Es imperiale,
Meum aufer varium
Pondus criminale,
Post ne me incendium
Urat gehennale.

99. Ave, porta clavibus
Nullis reserata,
Virtutum divinitus
Gemmis decorata,
Meis genitoribus
Subveni beata,
Quos forte in ignibus
Detinent peccata.

100. Ave, caeli lilium,
Cuius odoramen
Saepe mulcet filium,
Patrem atque flamen,
Cum erit iudicium,
Mihi da solamen,
Ne feram excidium
Cum damnatis. Amen.

Quinquagena III.

101. Ave, mater, animae
Vagae hospitatrix,
Quae se noxis pessime
Foedat et peccatrix,
Rogo devotissime
Te, o mi amatrix,
Meae ut citissime
Mentis sis curatrix.

102. Ave, virgo, aquila
Dei singularis,
Omnia per saecula
Cum quo iucundaris,
Prece, rogo, sedula
Odis his praeclaris,
Momenta per singula
Ut me tuearis.

103. Ave, cornu oleum
Servans unctionis,
Levigat quod impetum
Persecutionis,
Sis mihi praesidium
Tempore agonis,
Ne vincat obsidium
Barathri draconis.

104. Ave, quam nunc veneror
Hac in cantilena,
Es nam cunctis sanctior
Gratiaque plena,
Cum Maria, deprecor,
Assis Magdalena,
Solvens me, qua implicor,
Scelerum catena.

105. Ave, lux virginea,
Tenebras peccati
Pellens ac erronea
Mundi depravati
Cordis mei saxea
Onera caecati
Aufer et per carnea
Vitia foedati.

106. Ave, dux errantium
In mundi procella,
Quibus das praesidium
Velut maris stella,
Pro nobis ad filium,
Precor, interpella,
Hostis ut obsidium
Auferat et bella.

107. Ave, Christi Domini
Genetrix electa,
Nunc beatitudini
Caelorum invecta,
Adplica huic carmini
Aures, mi dilecta,
Tibi quod nunc cecini
Mente circumspecta.

108. Ave, virgo luminis
Caelici lucerna,
Quo devoti hominis
Lustrantur interna,
Mei sis geniminis
Adiutrix materna,
Hoc a labe criminis
Absolvens veterna.

109. Ave, fortis mulier,
Pede quae trivisti
Satanam tunc fortiter,
Quando genuisti
Nobis mirabiliter
Corpus Iesu Christi,
Credulam quo dulciter
Plebem refecisti.

110. Ave, felix femina,
Sanctior prae cunctis,
Diva per spiramina
Chrismatis inunctis,
Praesta consolamina
Vivis ac defunctis,
Mihi per ligamina
Naturae coniunctis.

111. Ave, cuius largitas
Iuste commendatur,
Pauperum modicitas
Qua locupletatur,
Adversantum pravitas
Per te propellatur
Ab his, quorum pietas
Tibi famulatur.

112. Ave, o humillima
Caeli dominatrix
Et vere largissima
Gratiarum datrix,
Hac laude promptissima
Rogo, mi amatrix,
Mea per te anima
Resurgat peccatrix.

113. Ave, domus numini
Summo dedicata
Et misello homini
In asylum data,
Nos laus haec nunc nomini
Tuo decantata
Iungat aggregamini
In vita beata.

114. Ave, quae dignissima
Es creaturarum
Unquam a potentia
Dei creatarum,
Dolores, piissima,
Tollas animarum
Pro peccatis maxima
Poena detentarum.

115. Ave, virga flosculo
Pollens divinali,
Qui mundum a vinculo
Solvit criminali,
Te laudantem sedulo
Laude speciali
Tutes a diabolo,
Rege gehennali.

116. Ave, stella, radium
Mirum quae misisti,
Cum salutem gentium
Carne genuisti,
In caelis tripudium
Angelis auxisti,
Satanae excidium
Et solamen tristi.

117. Ave, lapis caelicae
Novaeque scructurae,
Quam laudant angelicae
Semper creaturae,
Pia mater, abice
Meam molem curae,
Qua premor ab hosticae
Metu imposturae.

118. Ave, via lactea
Viaeque lucerna,
Ducens ad aetherea
Regna vel aeterna,
Meam, o virginea
Mater, sic guberna
Vitam, ne erronea
Me ducat ad inferna.

119. Ave, quae sequentibus
Te praestas ducatum
Ac mundi spernentibus
Huius incolatum,
Post mortem, devotius
Rogo, meum flatum
Perducas celerius
Ad felicem statum.

120. Ave, o lux radii
Caeli emissiva
Et eius contrarii
Omnis expulsiva,
Servi tui devii
Esto directiva,
Servans me a vitii
Semper recidiva.

121. Ave, sagacissima
Domini ancilla,
Oboedientissima
Semper et tranquilla,
Mala, quae in anima
Mea sunt, sugilla,
Iugiter ut optima
Fiat pax in illa.

122. Ave, quam felicitas
Perornat aeterna,
Tua quam humilitas
Meruit interna,
Perducat benignitas
Tua nos ad verna
Caeli, ubi trinitas
Regnat sempiterna.

123. Ave, celleraria
Sanctae trinitatis,
Gratiae donaria
Praebens praeparatis,
Praestes adiutoria
Tuae pietatis
His, quos purgatoria
Gravant pro peccatis.

124. Ave, mons o caelicae
Benedictionis,
Sate ab opifice
Summo cunctis bonis,
Mentes nostras perfice
Cum virtutum donis,
Lumen dans deificae
Contemplationis.

125. Ave, quam his laudibus
Conor elimatum
Laudare devotibus
Atque decusatum
Fac me, cum gaudentibus
Vivere gregatum,
Caute cum errantibus
Atque separatum.

126. Ave, porta iugiter
Semperque serrata,
Per vatem veraciter
Olim prophetata,
Messiae feliciter
Tandem adaptata,
Subveni celeriter
Mihi, o beata.

127. Ave, quae es unguine
Pneumatis repleta
Et sic divo germine
Miro modo feta,
Te laudantum carmine
Isto mente laeta
Debita pro crimine
Poena sit deleta.

128. Ave, regni superi
Prudens restauratrix,
Consequenter inferi
Es evacuatrix,
Esto mei miseri
Pia defensatrix
Hostisque pestiferi
Fortis expugnatrix.

129. Ave, mater gaudii
Et iucunditatis,
Mater Dei filii,
Mater pietatis,
Gratiam remedii
Cunctis da turbatis
Atque purgatorii
Poenis profligatis.

130. Ave, o sublimior
Cunctis o Maria,
Sanctis nam humilior
Fuisti in via,
Subveni, te deprecor,
Mihi, mater dia,
Virtute pauperior
Omnibus sum quia.

131. Ave, arca gratiae
Et salvationis,
Suavis foedus gloriae
Repromissionis,
Te laudantes serie
Huius cantionis
Refove in requie
Exsultationis.

132. Ave, domus regiae
Christi maiestatis
Ac imperatoriae
Sanctae trinitatis,
Porrige clementiae
Manum tribulatis
Abigens discordiae
Virus cum peccatis.

133. Ave, mirabiliter
Quae Christum concepisti,
Incorruptibiliter
Huncque peperisti,
Carmini sagaciter
Insistentes isti
In caelis perenniter
Tibi fac assisti.

134. Ave, quam nunc veneror
Hoc per carmen meum,
Nam es mihi carior
Omnibus post Deum,
Te devote deprecor,
Pelle lebusaeum,
Qui modo infestior
Occupat cor meum.

135. Ave, purgans aerem
Sidus o caeleste,
Quando motum lugubrem
Pellis mentis maestae,
Fac, ut caute ambulem,
Recte ac modeste,
Ne foeder per mulcebrem
Motum inhoneste.

136. Ave, mons deificae
Habitationis
Monsque diabolicae
Comminutionis,
Per istud hymnidicae
Carmen cantionis
Plebi sis catholicae
Mons defensionis.

137. Ave, digna caelici
Regis hospitatrix
Omnisque angelici
Gregis dominatrix,
Populi catholici
Esto gubernatrix
Meique hymnidici
Tui defensatrix.

138. Ave, caecis mentibus
Illuminatorem
Et immundis cordibus
Gignens mundatorem,
Consolamen tristibus,
Curvis erectorem,
Bene laborantibus
Remuneratorem.

139. Ave, venerabilis
Mundi prophetissa,
A Deo christicolis
Ad solamen missa,
Tuta me ab aemulis,
O mi principissa,
Horum corda scandalis
Mihi placa scissa.

140. Ave, mater caelitus
Honorificata,
Fuisti divinitus
Quando impraegnata,
In hac oda servitus
Tibi demonstrata
A me cuncta penitus
Resecet errata.

141. Ave, quae dulcedine
Mundum refecisti,
Cum de sacro flamine
Christum concepisti,
Sed amaritudine
Plena tunc fuisti,
Eum quando sanguine
Tinctum conspexisti.

142. Ave, honorabilis
Dei creatura,
Semper stans a maculis
Vitiorum pura,
Aufer a me singulis
Horis nocitura,
Iungens tuis famulis
In vita futura.

143. Ave, o melliflua
Domina Maria,
Animi a nocua
Mundans phantasia,
Laudantes praecipua
Te hac hymnodia
Ab omni evacua
Culpae dyscrasia.

144. Ave, panis horreum
Et saturitatis,
Pane replens cuneum
Christianitatis,
Inclina virgineum
Cor his praedicatis
Per me tuum famulum
Devote cantatis.

145. Ave, Christi Domini
Claustrum obfirmatum,
Nunquam ullo homini
Carne reseratum,
Carmen istud nomini
Tuo decantatum
Impetret genimini
Meo vitae statum.

146. Ave, stella gratiae
Proferens aestatem,
Hiemem nequitiae
Et inquietatem
Pellentem, ad gloriae
Duc aeternitatem
Laudantem cotidie
Te per caritatem.

147. Ave, quae in Bethlehem
Panem produxisti,
Quo novam Ierusalem
Dulciter pavisti,
In regnum me flebilem
Duc, quod introisti,
Quando miserabilem
Mundum exuisti.

148. Ave, terra fertilis,
Terra pabulosa,
Pascua dans credulis
Multum copiosa,
Te colentem titulis
Laudum hac in prosa
Duc cum tuis famulis
Ad caeli gaudiosa.

149. Ave, fax lucifera
Luminans micatim,
Quam laudo per cantica
Haec enucleatim,
Deprecor, pacifica
Me interduatim,
Donec me ad caelica
Perducas ornatim.

150. Ave, cui ecclesiae
Sanctae consolamen
Per donum laetitiae
Canit iubilamen,
Auferas nequitiae
Meae laboramen,
Laetus ut cotidie
Te collaudem. Amen

Cod. S. Petri Salisburgen. b II 3. saec. 25. fol. 39 a. A. — Cod S. Petri Salisburgen. b. VII 20. anni 1470. fol. 234 b. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. fol. 101 a. C. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20020. fol. 175 a. D.

A bemerkt fol. 39 a: Incipit prooemium in hymnarium beatae virginis Mariae; fol. 40 a: Incipit hymnarius beatissimae virginis Mariae, distinctus in tres quinquagenas.

Prooem. 4, 1 Astis mecum B; Assis mecum A. — Psalt. 1, 8 reductum AB. — 23, 8 Peccatorum sum A. — 31, 5 pusillaminitas A. — 31, 8 diminuatur A. — 33, 7 gravitas AB. — 39, 2 vivos AB. — 60, 7 Ut A. — 65, 5 sq. fehlen A. — 68, 7 Tu nos sacri AB. — 86, 1 filii Dei A. — 86, 7 Superni gaudii AB. — 88, 7 mater misericordiae A. — 94, 1 o thesaurariorum A; o hausarium B. — 103, 8 Barathrum AB. — 105, 4 Mundi damnati AB. — 118, 5 Mea A. — 118, 7 erroneam A. — 123, 1 cellaria A; cellararia BC. — 123, 8 Pravant AB, korrigiert in gravant B. — 131, 5 serie fehlt A. — 146, 2 Praeferentem AB. — 146, 7 Laudantes B. — 146, 8 Te fehlt A. — 147, 6 Duc in quo A.

VI.

DE BEATA MARIA

PSALTERIUM DUPLEX.

XVI. Psalterium „Theotoca".

Prooemium.

1. Tibi, mater deifica,
Depromam laudum cantica
Sumpta de evangelica
Scriptura et prophetica.

2. Hinc mihi, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Donum da sapientiae
Ac plectrum eloquentiae.

3. Evelle obstrepentia,
O virgo, mentis taedia,
Phantasmata et vitia
Omni cum iniustitia.

4. Occurre mihi obviam
Tardanti per desidiam,
Praesta mentis constantiam,
Spem, fidem atque gratiam.

5. Te iubilis et plausibus
Nec non orationibus
Aggredior attentius
Regnantem in caelestibus.

6. Orantis, mater tenera,
Affectum nunc considera,
Me filio confoedera
Per mea laeso scelera.

7. Cum tristis corde anxior,
O cunctis sanctis sanctior,
Celeriter reficior,
Cum te devote veneror.

8. Aurem praebe precatui,
Vigorem intellectui,
Candorem mentis visui
Et vim amoris mutui.

Quinquagena I.

1. Ave, virgo, cathedra,
Deus qua pausavit,
Quando pacis foedera
Homini dictavit,
Qui per multa scelera
Olim aberravit,
Fraude postquam effera
Hostis illum stravit.

2. Ave, mundi nobilis
Princeps et regina,
Qua largitur credulis
Culpae medicina,
His petitiunculis
Auditum inclina
Et nos a piaculis
Solvere festina.

3. Ave, mater, gratiam
Conferens maerenti
Et per innocentiam
Deo adhaerenti,
Mihi curras obviam
Mundum relinquenti,
Statuens ad dexteram
Nato resurgenti.

4. Ave, virgo gratiae
Lumine signata,
Tandem donis gloriae
Privilegiata,
Regi me iustitiae
Commendes, beata,
Contristatum varie
Mea ob peccata.

5. Ave, vellus caelico
Rore delibutum,
Gladio ab hostico
Vatem reddens tutum,
Tuae precis, supplico,
Praebe mihi scutum
In conflictu bellico,
Quo vincam versutum.

6. Ave, benignissima
Pauperum matrona,
Quibus das creberrima
Gratiarum dona,
Defectum, in anima
Patior quem, sana
Et in hora ultima
Assis, mater bona.

7. Ave, rosa caric
Carens atque spina,
Qua caelestis curiae
Gaudet officina
Omnis immunditiae
Munda me sentina,
Auctori nequitiae
Ne fiam rapina.

8. Ave, templum, camera
Portaque serata,
Navis, portus, ancora,
Domus conquadrata,
Tu per Dei munera
Mire decorata
Es et super sidera
Tandem elevata.

9. Ave, veris primula,
Virgo, flos pudoris,
Trinitatis cellula,
Mater salvatoris,
Aufer mala singula
Mei peccatoris,
Quibus premor sedula
Fraude temptatoris.

10. Ave, mundi domina,
Regina iustorum,
Cui laudes agmina
Panguat angelorum,
Meorum ligamina
Solve peccatorum
Et aufer molimina
Adversariorum.

11. Ave, candens lilium
Flosque castitatis,
Devotarum mentium
Redolens in pratis,
Roga tuum filium,
Mater bonitatis,
Ut praestet auxilium
Cunctis tribulatis.

12. Ave, sidus radians,
Lumen salutare,
Peccatum exterminans
Potens propulsare,
Digneris me miserans
Nunc illuminare,
Ne per probra cespitans
Cogar oberrare.

13. Ave, mater pariens
Modo speciali
Et intacta permanens
Flore virginali,
Cor meum desipiens
Culpa prae mortali
Sis in domo instruens
Sapientiali.

14. Ave, quam inebriat
Gratiae piscina,
Et semper irradiat
Caelica doctrina,
Tua prece protegat
Me virtus divina,
Hostis ne decipiat
Fraus me viperina.

15. Ave, arca foederis
Auro redimita
Filii in dexteris
In caelo nunc sita,
Intus atque deforis
Virtute nos dita,
Ne iungamur miseris
Hac finita vita.

16. Ave, funda Davidis,
Quae iecit lapillum
In Goliae praesidis
Caput, sternens illum,
Precibus me validis
Subleva tantillum,
Protegens a rabidis
Tempus da tranquillum.

17. Ave, superbissimi
Victrix Holofernis,
Quam cantus dulcissimi
Laudant in supernis,
Non me sinas supprimi,
Precor, in internis,
Quem invadunt pessimi
Motus, sicut cernis.

18. Ave, regis gloriae
Mater benedicta,
Sic vero iustitiae
Sole stans amicta,
Nostrae iniustitiae
Tollere delicta
Satage, nam gratiae
Tu es mater dicta.

19. Ave, virgo Aaron
Divo flore plena,
Dicto homousion
In synodo Nicaena,
O sancta theotocon,
Cor meum serena
Et caelestis me Sion
Perduc in amoena.

20. Ave, quae veridice
Rubus appellaris,
Cum concupiscentiae
Igne non uraris,
Duodenis mystice
Stellis coronaris,
Ideo prophetice
Stella Iacob faris.

21. Ave, cuius placuit
Deo caelibatus,
Unde carnem induit
Ex te incarnatus,
Hic pro nobis doluit
In cruce levatus
Et nostrorum diluit
Scelerum reatus.

22. Ave, profundissimae
Fons benignitatis,
Potum dans largissime
Corde tribulatis,
Ignis acerbissime
Poenis profligatis
Porrige dulcissimae
Manum pietatis.

23. Ave, terrae gloria
Et regina poli,
Famae tuae gratia
Comparata soli,
Gravatos tristitia
Pertransire noli,
Sed tua clementia
Recommenda proli.

24. Ave, regis gloriae
Genetrix beata,
Es misericordiae
Mater nominata,
Pande portas veniae,
Clemens advocata,
Nostrae ignorantiae
Diluens peccata.

25. Ave, ros o caelice,
Ros miri dulcoris,
Quo flos carnis deicae
Crevit salvatoris,
Flammam luxus abice
A claustro pudoris,
Quae saevit barbarice
Intus atque foris.

26. Ave, o credentium
Princeps et patrona,
In terra viventium
Regnans sub corona,
Audi te colentium
Preces aure prona,
Pro nobis ad filium
Ut loquaris bona.

27. Ave, clementissima
Mundi imperatrix,
Quae Stygis fortissima
Es evacuatrix,
Ad te, benignissima
Pauperum amatrix,
Clamat ut peripsima
Mea mens peccatrix.

28. Ave, virgo celebris
Baiulans secretum,
Quod mittendum miseris
Dudum est decretum,
Cor meum illecebris
Noxisque repletum
Mundatum a tenebris
Fac in Deo laetum.

29. Ave, fons solacii,
De te praesumentes
Replens et auxilii
Dono indigentes,
Ad te clamant filii
Matris Evae flentes,
Mater veri lilii,
Respice gementes.

30. Ave, honorabile
Vas divinitatis,
Exemplar laudabile
Omnis puritatis,
Cor meum fac habile
Tuis praedicatis,
Vas abominabile
Factum in peccatis.

31. Ave, praeclarissima
Virgo, mater Dei
Eiusque dignissima
Domus requiei,
Vitiorum concrema
Spinas cordis mei,
Ne in hora ultima
Poenas feram rei.

32. Ave, patris filia
Desuper tonantis,
Cuncta exsistentia
Per verbum creantis,
Exaudi suspiria
Ad te proclamantis
Et pro indulgentia
Devote orantis.

33. Ave, sponsa nobilis
A Deo electa,
Bene propugnaculis
Virtutum protecta,
Fuisti ab angelis
Semper circumspecta,
Ut a culpae maculis
Esses insuspecta.

34. Ave, rubens rosula,
Tuum per odorem
Hostis pellens iacula
Eiusque terrorem,
Auferas piacula
Christi per amorem
Carnis, mundi, scandala
Stygisque horrorem.

35. Ave, fons laetitiae,
Fons patens hortorum,
Pellens potu gratiae
Sitim peccatorum,
Vitium superbiae,
Virus animorum,
Aufer et luxuriae
Ignem Chaldaeorum.

36. Ave, virga prodiens
De radice Iesse,
Fructu tuo cupiens
Omnibus prodesse,
Lolium sis abigens
Fidei ex messe,
Semper ut proficiens
Sit ad bene esse.

37. Ave, hortus gratiae,
Hortus voluptatis,
Plantatus potentiae
Manu deitatis,
Murram paenitentiae
Dona mihi gratis,
Ne damner iustitiae
Lege pro peccatis.

38. Ave, decus, virginum,
O mater Maria,
Expiatrix criminum,
Naufragantum via,
Circa vitae terminum
Assis mihi, pia,
Defendens a daemonum
Turpi phantasia.

39. Ave, quam Ezechiel
Scriptis revelavit
Portam, quam Emmanuel
Solus subintravit,
Angelus quem Gabriel
Tibi nuntiavit,
Tempore quem Israel
Longo expectavit.

40. Ave, gemma nobilis
Ardens ut candela,
Quae plus cunctis gemmulis
Vales in medela,
Mortis in periculis
Te nobis revela
Hostis invisibilis
Abigendo tela.

41. Ave, stirps Davidica
Qua flos Isaiae
Crevit vi deifica
In carne Messiae,
Ipsi me unifica
Modo matris piae,
Ut ducar ad caelica
In extremo die.

42. Ave, cui carmina
Pangunt omnes sectae
Per baptismi flumina
Gratiam adeptae,
Pietatis lumina
Super nos reflecte
Et ad caeli culmina
Perducas directe.

43. Ave, Iesse virgula,
Quam praecinuerunt
Priscorum oracula,
Qui de te scripserunt
Ante multa saecula
Teque laudaverunt,
Aufer mundi scandala,
Quae invaluerunt.

44. Ave, virgo, splendidum
Templum verae pacis,
Ab hostis intrepidum
Fraude stans minacis,
Amoris me calidum
Fac igne fornacis
Gratiaque humidum
Olivae feracis.

45. Ave, virgo, civitas,
Quam sanctificavit
Sempiterna trinitas
Et inhabitavit,
Pneumatis benignitas
Tibi obumbravit,
Filii humanitas
Te glorificavit.

46. Ave, virga aurea
Principis Assueri,
Holofernis framea
Iudith es severi,
O mater eburnea,
Christi regis veri,
Ordinis erronea
Aufer cuncta cleri.

47. Ave, carens omnibus
Peccatorum naevis,
Qua in mulieribus
Non est maior quaevis,
Adiuva me precibus,
Qui sum vita brevis,
Ut sit in maeroribus
Labor meus levis.

48. Ave, mater gratiae,
Ave fons salutis,
Haustum sapientiae
Fide dans imbutis,
Rege per iustitiae
Donum et virtutis
Statum ignorantiae
Meae senectutis.

49. Ave, rosa nobilis
De spinetis Evae
Orta, carens maculis
Sed culpae primaevae,
Praesta tuis famulis
Per id carmen breve,
Ne finitis saeculis
Parti demur laevae.

50. Ave, consolatio
Meumque levamen,
Ex cuius suscipio
Dono recreamen,
En, ad te confugio
Tuum defensamen
Petens, ne pro vitiis
Poenis tradar. Amen.

Quinquagena II.

51. Ave, fons laetitiae
Omnisque dulcoris,
Stillas fundens gratiae
In cor peccatoris,
Abigas malitiae
Causas et erroris,
Quis premor cotidie
Intus atque foris.

52. Ave, sidus nobile,
Tuum per fulgorem
Omne fugans flebile
Hostisque horrorem
Cor abominabile
Meum ob foetorem
Scelerum fac habile
Ad Dei amorem.

53. Ave, Christi Domini
Mater atque nutrix
Cunctisque discrimini
Datis pia tutrix,
Digne nostro crimini
Poenae sis solutrix
Dicens: Consolamini,
Vestra sum adiutrix.

54. Ave, campi lilium,
Flos virginitatis,
Satus per consilium
Sanctae trinitatis,
Placa tuum filium
Offensum peccatis
Et praesta auxilium
Animo turbatis.

55. Ave, mater nesciens
Virum in conceptu
Gaudioque pariens
Christum, non cum fletu,
Esto nos eripiens
A malorum coetu
Et in fine redimens
A gehennae metu.

56. Ave, fontis gratiae
Rivus salutaris,
Quae misericordiae
Mater praedicaris,
Unde ab ecclesiae
Filiis laudaris,
Pro quibus et gloriae
Regem deprecaris.

57. Ave, caeli lilium,
Laudes pango cui,
Benedictum filium,
Fructum ventris tui,
Monstra nobis praemium,
Quo possimus frui
Contemplando gaudium
Semper vultus sui.

58. Ave, Deum pariens
Felix creatura,
Sed pudorem retinens
Virgo manens pura,
A me sis abiciens
Cuncta nocitura
Uti tibi serviens
Mente sim secura.

59. Ave, invincibilis
Turris quae firmata
Divis propugnaculis
Es et decorata,
Nulla clavi masculis
Unquam reserata,
Sed Dei signaculis
Semper sigillata.

60. Ave, stella, puritas
Cuius illustravit
Mundum, qui per tenebras
Scelerum erravit,
Sed tunc eius caecitas
Plurimum cessavit,
Cum se verbi deitas
Carne calceavit.

61. Ave, sapientiae
Mater illibata,
Regina clementiae
Merito vocata,
Exora iustitiae
Regem, o beata,
Ut nostrae nequitiae
Diluat errata.

62. Ave, stirps, qua floruit
Nux amygdalina,
Per quam cunctis patuit
Olim fraus vulpina,
Ecce, nyx occubuit,
Nobis matutina
Sed per te resplenduit,
O stella marina.

63. Ave, virgo mystico
Stans ornata flore,
Irrigata caelico
Divinoque rore,
Me fantem poetico
Laudes tuas more
Praeserves ab hostico
Undique timore.

64. Ave, splendorifera
Stella sedans fluctum
Maris et ad aethera
Iustis dans conductum,
Ortum propter scelera
Nostrum pelle luctum,
Donans pacis foedera
Et amoris fructum.

65. Ave, rosa recreans
Virtutum odore,
Cuius cano iubilans
Laudem hoc tenore,
Cor meum sis relevans
Ab omni languore
Hostis infert minitans
Quem suo horrore.

66. Ave, nobilissimum
Templum trinitatis,
Fidei signaculum,
Lumen veritatis,
Spei retinaculum,
Splendor claritatis,
Amoris vehiculum
Lima pravitatis.

67. Ave, cuius dignitas
Cunctis est laudanda,
Maxime fecunditas
Nobis amplexanda,
Qua verbi divinitas
Fuit incarnanda
Et vetus captivitas
Adae reparanda.

68. Ave, prudens hospita
Christi exsulantis,
Ad caelos deperdita
Umero portantis,
Fomitem debilita
Modo te laudantis,
Ne curram per abdita
Carnis petulantis.

69. Ave, caeli ianua,
Quam hac cantione
Laudo mentis cernua
Supplicatione,
Sis mihi contigua
Cum defensione,
Ne supplanter nocua
Hostis suasione.

70. Ave, mater inclita,
Cuius ab amorem
Concino poemata
Laudis per tenorem,
Me per tua merita
Piumque favorem
Amplius habilita
Tuum ad honorem.

71. Ave, vellus gratia
Caelica complutum,
Confortans constantia
Vatem destitutum,
Omni me iustitia
Facito imbutum
Replens abundantia
Pacis et virtutum.

72. Ave, spes humilium,
Pausa fatigati,
Solamen fragilium,
Sinus tribulati,
Adhibe remedium
Meae pravitati,
Pellens gelicidium
Cordis obdurati.

73. Ave, sanctuarium
Christi singulare,
Quo ter trium mensium
Tempore pausare
Voluit, subsidium
Digneris praestare
Conanti praeconium
Tuum decantare.

74. Ave, virgo humilis
Christique alumna,
Mons amoris, stabilis
Fidei columna,
Hostem tuis famulis
Infestum expugna,
Per quem indicibilis
Minatur aerumna.

75. Ave, venerabilis
Mater et ancilla
Christi, quam spectabilis
Meminit Sibylla,
Fidei sit stabilis
Domus et tranquilla,
Sit imperturbabilis
Semper pax in illa.

76. Ave, quae deliciis
Paceque interna
Frueris et gaudiis
In Sion superna,
Absolvas a vitiis
Me prece materna,
Ne tradar suppliciis
Saecla per aeterna.

77. Ave, sidus gratiae,
Decus firmamenti,
Per rorem clementiae
Fruges dans egenti,
Fructum paenitentiae
Da mihi petenti,
Tandem eucharistiae
Panem sacramenti.

78. Ave, mundi domina,
Cuius ob honorem
Ista cano carmina
Dulcem per tenorem,
Meorum extermina
Criminum putorem
Deoque conglutina
Verum per amorem.

79. Ave, o frugifera
Vinea dans fructum
Sanantem per scelera
Hominem destructum,
Clementer me repara
Ab hoste seductum,
Tribuens ad aethera
Liberum conductum.

80. Ave, nubes lucida,
Ferens in Aegyptum
Velut mater provida
Fructum benedictum,
Prece tua valida
Redde me invictum,
Ut vincam intrepida
Mente maledictum.

81. Ave, mundi inclita
Potensque Augusta,
Olim stirpe genita
Adae de vetusta,
Sed nunquam per debita
Scelerum onusta,
Sed multa per merita
Gratiae venusta.

82. Ave, admirabilis
Virgo sed fecunda,
Cui in cunctis saeculis
Nulla est secunda,
Cor meum a maculis
Criminum emunda
Omniumque titulis
Virtutum fecunda.

83. Ave, tabernaculum
Factum deitatis,
In quo solvit saeculum
Christus a peccatis,
Solve, precor, vinculum
Meae pravitatis,
Mihi habitaculum
Dans aeternitatis.

84. Ave, ager caelicae
Benedictionis,
Florens vi deificae
Miserationis,
Per fructum dominicae
Incarnationis
Evae poenam abice
Maledictionis.

85. Ave, fax illuminans
Corda tenebrosa,
Ab illis eliminans
Cuncta vitiosa,
Meum sis laetificans,
Mater gratiosa,
Ut semper magnificans
Sit te gloriosa.

86. Ave, domus aurea
Civitas murata,
Tu fenestra vitrea
Sole radiata,
Mea, fac, sint carnea
Vitia sublata,
Ut mens ad aetherea
Semper sit levata.

87. Ave, quae regalibus
Orta parentelis,
Salutata vocibus
Sancti Gabrielis,
Meis aurem precibus
Inclinare velis,
Fodior qui iugibus
Inimici telis.

88. Ave, fecundissima
Mater Deum gignens,
Corpore et anima
Virgo semper manens,
Meae mentis intima
Ita sis disponens,
Ut sit iucundissima
Legi dei parens.

89. Ave, splendor mentium
Et illuminatrix
Atque innocentium
Omnium amatrix,
Carne decedentium
Illuc sis delatrix,
Ubi in perpetuum
Regnas imperatrix.

90. Ave, praeamabilis
Mundiali gyro,
Virgo venerabilis,
Mater sine viro,
Cum sub culpae vinculis
Graviter suspiro,
Tunc sub tuis scapulis
Dulciter respiro.

91. Ave, vas clementiae
Vasque pietatis,
Cedrus pudicitiae,
Myrtus lenitatis,
Cupressus fraglantiae,
Nardus caritatis,
Palma patientiae,
Limes aequitatis.

92. Ave, vellus madidum
De caelesti rore,
Concepisti filium
Cum salvo pudore,
Indue me miserum
Virtutum decore,
Multorum qui scelerum
Cario putore.

93. Ave, thronus iudicis
Statim adfuturi,
Cum choris angelicis
Cuncta discussuri,
Fac, in conscientiis
Semper simus puri,
Ne fleamus vindicis
Poenas luituri.

94. Ave, caeli domina
Vitaeque dulcedo,
Qua fugantur crimina
Mentisque torpedo,
Mundo consolamina
Per te data credo,
Unde iubilamina
Ista tibi edo.

95. Ave, cuius gratia
Cano reverenter,
Haec Dei clementia
Scripta luculenter,
Meis da suffragia
Mortuis clementer,
Ad te per suspiria
Qui clamant dolenter.

96. Ave, quam attentius
Caeli monarchia
Veneratur laudibus
Iugi symphonia,
Et nunc in ductilibus
Tubis tibi, pia,
Meus psallit spiritus
Hac in hymnodia.

97. Ave, proles regia,
Quam praecinuerunt
Antiqua praesagia
Vatum, qui scripserunt
Tua privilegia,
Quae coronaverunt
Te et ad collegia
Caeli invexerunt.

98. Ave, tabernaculum
Summi Salomonis,
Moysi spectaculum
Rubo visionis,
Vellus nobilissimum
Vatis Gedeonis,
Recompensa iubilum
Hunc in caeli thronis.

99. Ave, cuius laudibus
Astra, solum, mare
Semper diligentius
Gliscunt insudare,
Meque fac devotius
Tibi iubilare,
Tandem in caelestibus
Tecum exultare.

100. Ave, praeclarissimum
Domini conclave,
Semper stans mundissimum
Peccatorum a vae,
Audi nobilissimum
Melos et suave,
Quod tibi centesimum
Plaudens dico, Ave.

Quinquagena III.

101. Ave, mater nobilem
Gignens pelicanum,
Qui genus per sanguinem
Salvavit humanum,
Tibi acceptabilem
Fac et mente sanum
Me nec despicabilem
Quasi publicanum.

102. Ave, o puerpera
Virgo digna dici,
Christo praebens ubera
Pectoris pudici,
Peto, mater tenera,
A te benedici,
Ne laedar per effera
Tela inimici.

103. Ave, sapientiae
Mater veneranda,
Infernali bestiae
Iuste formidanda,
Mihi venerantiae
Cultu honoranda
Et cunctis ecclesiae
Filiis amanda.

104. Ave, regnans domina
In creatis cunctis,
Praetans consolamina
Chrismate inunctis,
Aufer cruciamina
Meis a defunctis,
Mihi per ligamina
Naturae coniunctis.

105. Ave, stella radium
Sumens ab acterno
Sole ac consortium
In regno superno,
Petens patrocinium
Mente me prosterno,
Ut me in perpetuum
Praeserves ab inferno.

106. Ave, deviantium
Prudens reparatrix,
Nam Dei et hominum
Tu es mediatrix,
Cordibus maerentium
Sis auxiliatrix
Ac poenas luentium
Reconciliatrix.

107. Ave, quae primordia
Genealogiae
Nacta stirpe regia,
O mater Messiae,
Unde summa studia
Te, mater sophiae,
Laudant cum concordia
Dulcis symphoniae.

108. Ave, o tutissime
Miserorum portus,
Tu quoque verissime
Es conclusus hortus,
Quo mirabilissime
Mundo flos est ortus,
A Iudaeis pessime
Qui est cruce tortus.

109. Ave, virga Aaron,
Flore quae ornaris,
Cui homousion
Nomen, unde faris
Debite theotocon,
Quia Deum paris,
Servos tuos de Sion
Semper tuearis.

110. Ave, caelo altior
Tua dignitate,
Omni terra latior
Plena caritate,
Abysso profundior
In humilitate,
Cunctis sanctis sanctior
Tua sanctitate.

111. Ave, indulgentiae
Virgo felix porta,
Per quam lux iustitiae
Nobis est exorta,
Tuis dona gratiae
Famulis reporta,
Nostrae neglegentiae
Corrigens distorta.

112. Ave, mater inclita
Nostri redemtoris,
Collaudanda debita
Laude cunctis horis,
Fomitem debilita
Mei peccatoris,
Ne trahar ad vetita
Lege creatoris.

113. Ave, vena putei,
Ex quo hauriuntur
Sacramenta fidei,
Quibus imbuuntur
Devotorum cunei
Atque absolvuntur,
Fac nos illic invehi,
Sancti quo ponuntur.

114. Ave, sanctuarium
Deprecationis,
Quo datur solacium
Exauditionis
Tentis per supplicium
Umbrae regionis
Mortis per praesidium
Absolutionis.

115. Ave, prudens, humilis,
Suavis et decora,
Hostibus terribilis,
Splendens ut aurora,
Mundans nos piaculis
Gratiam irrora
Ac solutos vinculis
Fer ad caeli fora.

116. Ave, quam plebecula
Christianitatis
Mente laudat sedula
Matrem veritatis,
Cuncta aufer scandala
Meae pravitatis,
Ut iungar per saecula
Beatificatis.

117. Ave, mons immobilis
Monsque singularis,
Qui divini apiculis
Solis radiaris,
De te venit nobilis
Lapis angularis,
Unde a christicolis
Iure veneraris.

118. Ave, plena gratia,
Spes desperatorum,
Sanctorum laetitia,
Vita beatorum,
Me ab immunditia
Facito decorum
Ducens in consortia
Tibi devotorum.

119. Ave, quae angelica
Voce salutaris
Atque evangelica
Laude praedicaris,
Mentem suavifica
Meam, stella maris,
Fractam vi satanica
Fletibus amaris.

120. Ave, Sion filia
Genetrixque Dei,
Petentes auxilia
Ad quam currunt rei,
Meae post excidia
Extremae diei
Mihi des subsidia
Miserendo mei.

121. Ave, pax concordium,
Ave, maris stella,
Cuius luce criminum
Sedatur procella,
Pro nobis ad filium
Clemens interpella,
Temporum praesentium
Auferat ut bella.

122. Ave, caelos habitans
O divina turtur,
Cuius odim modulans
Mulsit Christum guttur,
Depelle tabificans
Vitiorum furfur,
Ne feram exterminans
Inimici murmur.

123. Ave, nubes gratiae
Pluviis abundans,
Mundum hunc iustitiae
Fructibus circumdans,
Esto sapientiae
Stillis nos inundans,
Nostrae conscientiae
Squalida expugnans.

124. Ave, sicca virgula
Aaron levitae,
Proferens amygdala,
Lignum quoque vitae,
Da cuncta piacula
Sic vitemus rite,
Ne post mundi saecula
Audiamus: Ite.

125. Ave, consolatio
Animae maerentis,
Cordis desiderio
Animae lugentis,
Da in purgatorio
Omnibus detentis
Levamen suffragio
Tuo a tormentis.

126. Ave, stirps Iesseica
Pulchrum gignens florem,
Cuius mundi fabrica
Gaudet ob decorem,
In me reaedifica
Fracta per errorem
Sicque tibi adplica
Purum per amorem.

127. Ave, vitis gratiae
Fundens nobis vina,
Pelluntur maestitiae
Quibus vi divina,
Precibus ecclesiae
Auditum inclina,
Quae turbatur varie
Fraude zabolina.

128. Ave, virga Iessea
Miro pollens flore,
Caelica et terrea
Qui replet odore,
O Mater virginea,
Tuo pro honore
Corda nosta ruscea
Purges a foetore.

129. Ave, o triclinium
Dei singulare,
Cuius patrocinium
Conor implorare,
Ut per purgatorium
Tentos adiuvare
Digneris et crucium
Ipsorum levare.

130. Ave, caeli lilium,
Ave, mater Dei,
Exemplar humilium,
Robur meae spei,
Mihi des auxilium
Miserendo mei,
Ne cogar exsilium
Sustinere rei.

131. Ave, ante saeculum
Filius quam Dei
Elegit in thalamum
Suae requiei,
Prece tua scandalum
Aufer cordis mei,
Per amoris vinculum
Ut coniungar ei.

132. Ave, lux ecclesiae,
Ave, virens vitis,
Potum dans laetitiae
Animo unitis,
Scandalum discordiae
Tolle, mater mitis,
Satum per malitiae
Regem atque litis.

133. Ave, prae sideribus
Rutilans aurora,
Mare mundi nantibus
Tu salutis prora,
Tibi famulantibus
Gratiam implora
Et succurre precibus
Nobis mortis hora.

134. Ave, patens oppidum
Nostro redemptori,
Largiens hospitium
Carnis eius flori,
Praebeas solacium
Tuo laudatori,
Vim repellens hostium,
Cum continget mori.

135. Ave, amoenissimum
Domini conclave,
Cui per archangelum
Destinavit Ave,
Concinentem famulum
Carmen hoc suave
Conserves in saeculum
Inferorum a vae.

136. Ave, domus aurea
Summi Salomonis
Et fiscella scirpea
Dei Pharaonis,
O turris eburnea
Praefulcita thronis,
Arce tela ignea
Dei Babylonis.

137. Ave, venerabilis
Caelo, terrae, mari,
Quam cum sanctis angelis
Glisco venerari,
Quorum me oraculis
Tuisque solari
Peto, ut caelicolis
Queam sociari.

138. Ave, naufragantium
Portus salutaris
Ipsis dans praesidium
Velut stella maris,
Largire solacium,
Parens expers paris,
Omnium flebilium
Fletibus amaris.

139. Ave, caeli viola,
Nam humilitatis
Omnibus es regula
Et benignitatis,
Cordis mei scandala
Tolle cum peccatis
Iungens me per saecula
Beatificatis.

140. Ave, tabernaculum
Foederis divini,
Quo sumunt umbraculum
Mente columbini,
Sume sacrificium
Cultus vespertini,
Dictum per servitium
Tui inquilini.

141. Ave, prophetantium
Typus et figura
Et de te narrantium
Multa profutura,
Sis peregrinantium
Semita secura,
Ducens nos ad bravium
Bonaque futura.

142. Ave, aula regia
Summi creatoris,
Cuius privilegia
Resonant in choris,
Adesto, egregia,
Mihi cunctis horis,
Ne vexer inergia
Fraude deceptoris.

143. Ave, Hesther precibus
Salvans Mardochaeum,
Tu funda lapidibus
Sternens Philistaeum,
Munda plenum sordibus,
Deprecor, cor meum,
Abigens a finibus
Eius Iebusaeum.

144. Ave, quam hoc carmine
Conor exaltare,
In caelorum culmine
Quam credo regnare,
Tuo da iuvamine
Hostem superare,
Ut sine gravamine
Queam te laudare.

145. Ave, o deifica
Genetrix Maria,
Gratia magnifica,
Sapiens et pia,
Laudantes poetica
Hac te melodia
Ab omni salvifica
Mentis dyscrasia.

146. Ave, quae in dextera
Nati iucundaris
Et eius laetissima
Vultum contemplaris,
Serva nos, dulcissima,
A casibus amaris,
A quibus promptissima
Mente collaudaris.

147. Ave, miris laudibus
Sacris in scripturis
Laudata et vocibus
Vatum et figuris,
His te odis mentibus
Venerantes puris
Serves a praesentibus
Malis et futuris.

148. Ave, quam devotius
Virginum chorea
Sequitur cum laudibus
In caeli platea,
Me digneris ocius,
O dilecta mea,
Mundare a sordibus
Mentisque morphea.

149. Ave, Christi Domini
Genetrix beata
Et mortali homini
In patronam data,
Laus haec tuo nomini
Sancto decantata
Vota nostra numini
Summo reddat grata.

150. Ave, cui per cymbala
Mentisque conamen
Istud mente sedula
Cecini dictamen,
Aufer cuncta scandala
Culpaeque ligamen,
Salvans me per saecula
Saeculorum. Amen.

Cod. S. Petri Salisburgen. b I 20. saec. 15. fol. 123 a. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b II 3. saec. 15. fol. 70 b. B. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. anni 1470. fol. 252 a. C. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20123. fol. 184 b. D. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. fol. 186 a. E. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20005. fol. 48 a. F.

A fol. 123 a: Incipit oratio prooemialis in sequens Psalterium multum sollemne et pretiosum de sanctissima aeterni regis puerpera, virgine Maria. — B fol. 71 a: Incipit Psalterium, alias Iubilus dulcissimae et colendissimae virginis, Dei genetricis Mariae, divisus in tres quinquagenas. — C fol. 252 b: Explicit prooemium „Theotoca". O Maria, quam felices, quam beati, qui te vere amant et sinceris laudibus colunt. Incipit Psalterium, alias Iubilus etc. wie oben. — F fol. 49 a: Incipit Psalterium, alibi Iubilus beatae Mariae virginis.

Psalt. 8, 4 Domus quadrata BC. — 11, 6 bonitatis fehlt B. — 14, 8 vulpina BC. — 15, 5 atque foris B. — 15, 8 Hac fehlt B. — 19, 3 Dictam A. — 31, 2 Dei mater C. — 38, 5 Citra vitae BC. — 43, 5 saecula multa BC. — Str. 47 steht in B und C zweimal; dann lautet 47, 6 das erstemal Minimum in suevis C, nimium in sevis B. Vor die wiederholte Strophe setzt C in rubro: generaliter sic. Auch F hat beide Lesarten, ohne die ganze Strophe zu wiederholen. — 49, 6 Per illud B. — 51, 7 Qui premor A. — 59, 5 clavis ABC. — 76, 5 a vitiis fehlt B. — 78, 8 Uni per amorem A. — 8, 4 Inspirationis BC. — 86, 7 ad caelestia B. — 95, 7 sq. fehlen B. — 101, 5 Sibi acceptabilem A. — 101, 8 Quasi pelicanum A. — 104, 6 abs defunctis BC. — 117, 8 Iuste BC. — 119, 3 Meam suavifica meam A. — 128, 7 rustica B. — 132, 4 Animo unio vincis BC. — 134, 3 sq. sternens lapidibus B. — 145, 3 Gratia deifica A. — 147, 5 In his A. —

Von diesem Psalter schreibt Mone II, 255: „Am Ende nennt sich der Dichter Babo"; es hat ihn die Schreibernotiz irregeleitet:

Est tibi, Christe, datus liber iste Babone patratus.

Der Dichter Babo ist natürlich auch in Chevaliers Repertorium hymnologicum übergegangen.

XVII. Psalterium.

Praefatio.

1. O Maria, virgo pia,
Te devote postulo,
Ne moreris, sed digneris
Nunc adesse famulc.

2. Me dignare te laudare
Psalmorum carminibus,
Ut compungi et coniungi
Caeli possim civibus.

3. Meam mentem iam foetentem
Et oppressam viliter
Purga prece omni faece,
Subleva hilariter.

4. Intellectum et affectum
Lustra tuo iubare,
Ut te amem et honorem
Dulci cordis nectare.

5. Praestet pater atque natus
Cum aeterno pneumate,
Ut te semper ac libenter
Puro laudem neumate.

Quinquagena I.

1. Ave, virgo, lignum fructiferum,
Fructum gignens
nostrorum vulnerum
Medicamen, tu pacem temporum
Praesta atque
solamen prosperum.

2. Ave, caeli praeclara rosula,
Tu suavis ac sine macula,
Quae nos premunt,
dissolve vincula,
Cuncta quoque pelle pericula.

3. Ave, regis aeternae gloriae
Mater, nobis succurre hodie,
Adversantum namque insidiae
Contra nos insurgunt cotidie.

4. Ave, mater regis iustitiae,
Mater pacis et mater gratiae,
Nubem pellas nostrae tristitiae
Atque donum praesta laetitiae.

5. Ave, virgo digna honoribus,
Tuas pias nostris clamoribus
Pande aures nec non doloribus
Ac succurre cordis maeroribus.

6. Ave, mater nostris gemitibus
Subvenias atque ploratibus,
Condescende piis conatibus
Et coniunge choris caelestibus.

7. Ave, mater summe amabilis
Et columna fidei stabilis,
Vita premit nos miserabilis,
Fac, sit iudex
nobis placabilis.

8. Ave, pulchra et admirabilis,
Universis incomparabilis,
Nos tuere, mater amabilis,
Nam haec vita
est nimis labilis.

9. Ave, virgo, nostra protectio,
Assis nobis tuo praesidio,
Nam incumbit magna turbatio,
Quam depellat tua oratio.

10. Ave, mundi regina celebris,
Da post finem istius funebris
Vitae Dei nos nosci palpebris,
Ne tradamur inferni tenebris.

11. Ave, virgo stirpe clarissima
Genetrixque Dei dignissima,
Te exorat haec plebs miserrima,
Ut succurras in hora ultima.

12. Ave, mater summi consilii,
Nos timemus diem iudicii,
Namque male de nobis conscii,
Sed tu esto locus refugii.

13. Ave, virgo, turris Davidica,
Cuncta frangens dicta haeretica,
Aufer a me vitia lubrica
Atque praesta gaudia caelica.

14. Ave, virgo, quae in oraculis
Prophetarum fulsisti saeculis,
Nos supernis fac tabernaculis
Interesse ac vitae pabulis.

15. Ave, cuius filii passio
Nobis exstitit liberatio
Ab inferno et resurrectio
Nostra fuit iustificatio.

16. Ave, virgo celsi praesagii
Ac origo nostri fastigii,
Esto ductrix mei vestigii
Atque pultrix cordis fastidii.

17. Ave, virgo simplex et sapiens,
Universa legis custodiens,
Per te hostis fugetur saeviens,
Cum de mundo
decedam moriens.

18. Ave, virgo, salutis balsamus,
Quae es sponsi caelestis thalamus
Atque thronus eius dignissimus,
Mala aufer, devote petimus.

19. Ave, virgo, decus eximium,
Solis vincens splendore radium,
Audi preces te invocantium
Absque mora praebe auxilium.

20. Ave, mater regis magnifici,
Quem adorant conventus caelici,
Fac nos pie ab eo respici,
Qui gravamur malo multiplici.

21. Ave, virgo, quae tuo filio,
Cum penderet crucis patibulo,
Astitisti cum eius famulo,
Opem tuo largire servulo.

22. Ave, mater sanctorum iubilus,
Te honorat fidelis populus,
Tu sis, virgo, caecorum oculus,
Pes claudorum, virga et baculus.

23. Ave, caeli virtutum domina,
Cuius natus summa potentia
Debellavit daemonum agmina
Et nunc regnat in patris gloria.

24. Ave, thronus Dei dignissimus,
Inimicus nos vexat pessimus,
Et omnino quasi deficimus,
De te tamen semper confidimus.

25. Ave, virgo mirae dulcedinis,
Omnis expers amaritudinis,
Motus aufer a me libidinis,
Ne demergar antro formidinis.

26. Ave, virgo, norma credentium,
Consolatrix in te sperantium,
Ecce, instat
contra nos proelium,
Tuum ora pro nobis filium.

27. Ave, mater pacis et gratiae,
Quae es expers omnis nequitiae,
Nos molestant cordis tristitiae
Nobis confer donum laetitiae.

28. Ave, virgo, per quam ecclesia
Offert Domino sacrificia,
Quae in nostra sunt conscientia,
Mala tua purget clementia.

29. Ave, quae a supernis coetibus
Exaltaris sed et fidelibus,
Nostris, virgo, faveto precibus
Ac solare nos in gemitibus.

30. Ave, virgo, cuius humilitas
Reparavit nos ac fecunditas,
Per te nostra cesset infirmitas,
Relaxetur et omnis vanitas.

31. Ave, virgo, a qua protegimur
Nec non in spem
fortem erigimur,
Peccatorum spinis configimur,
Ad te tamen tristes convertimur.

32. Ave, chorda caelestis citharae,
Quae in rebus es sine compare,
Mentes tristes caelesti nectare
Debriare, illustra iubare.

33. Ave, virgo decora specie,
Deum mentis contemplans acie,
Consolare me tua facie
In extremis ac dono gratiae.

34. Ave, mater mundi artificis,
In aeternum
gaudens cum caelicis.
Nos ab hostis erue pedicis
Ac coniunge choris angelicis.

35. Ave, mater, origo gratiae,
Pietatis atque fiduciae,
Tu fons vivus emanans satie,
Medicamen da menti sauciae.

36. Ave, arcus divini foederis
Ac solamen humani generis,
Nunc, beata, succurre miseris,
Qui tormentis
torquentur asperis.

37. Ave, florens Aaron virgula
Omniumque virginum primula
Ac sanctorum regum filiola,
Nos expurga carnali macula.

38. Ave, mater summi solacii,
Caelo sedens in dextris filii,
Finem pone nostri opprobrii
Ac impone frenum silentii.

39. Ave, porta regis iustitiae
Atque mater misericordiae,
De lacu faecis et miseriae
Me misellum reforma gratiae.

40. Ave, salus totius saeculi,
Quam collaudant
omnes et singuli,
Tu virtute tua mirabili
Aegrum sana, succurre debili.

41. Ave, de qua rivus efferbuit,
Qui de Stygis sitis nos eruit,
Declinare fac nos, quae vetuit,
Et implere
legem, quam praebuit.

42. Ave, polorum tympanistria,
Deum laudans in caeli patria,
Cuncta mundi pelle contraria,
Contra hostes detur victoria.

43. Ave, virgo, regina gentium
Christo Domino adhaerentium,
Linguas comprime
obloquentium
Brachiumque nos odientium.

44. Ave, mater regis pulcherrimi,
Cuius legis ritus iustissimi,
Nos ad te clamamus miserrimi,
Qui timemus ab hoste deprimi.

45. Ave, vitae caelestis normula
Atque turis florescens virgula,
Regnum caeli pro nobis postula
Sisque nostra adiutrix sedula.

46. Ave, carens carnali formite,
Caelos scandens directo tramite,
Nos infunde superno pneumate
Ac innecte caelorum semitae.

47. Ave, Sion caelestis filia,
Dei cernens semper magnalia,
Nunc concorda nostra civilia
Et conforta corda flebilia.

48. Ave, virgo, dicta verbigena,
Quam collaudat omnis caeligena,
Te exoro pauper terrigena,
Ut pellatur hostis maligena.

49. Ave, characteris signaculum,
Itineris caeli vehiculum,
Esto pauperibus umbraculum
Atque nostrum aufer piaculum.

50. Ave, poli regina curiae
Atque mater misericordiae,
Pia nobis sis porta veniae
Ac solamen nostrae miseriae.

Quinquagena II.

51. Salve, conceptum salutiferum
Parturiens mundo fructiferum,
Aufer dolum hostis mortiferum
Ac affectum cordis luctiferum.

52. Salve, genetrix Deum pariens,
Solis splendor
ecclipsim nesciens,
Per te hostis cedat insipiens,
Devorare fideles cupiens.

53. Salve, manans
fontem mellifluum,
Fructum quoque
vitae perpetuum,
Consolamen praebe assiduum
Ac depelle hostem luctifluum.

54. Salve, mater, regina virginum,
Redemptorem
generans hominum,
Fraudes pia
comprime daemonum,
Dolos quoque
virorum sanguinum.

55. Salve, virgo, mater viventium,
Miserorum spes delinquentium,
Relevatrix sis pereuntium
Cunctorumque
corde gementium.

56. Salve, virgo,
quae quondam fletibus
Fatigata atque gemitibus,
Iucundaris nunc in caelestibus
Dulcis nati fruens amplexibus.

57. Salve, Engadina fertilitas
Nec non iaspidina praeclaritas,
Quam non aspidina disparitas
Maculat nec ulla iniquitas.

58. Salve, genetrix Dei tenera,
Obumbrata virtute supera,
Tuo nato me nunc confoedera
Et ab hoste maligno libera.

59. Salve, virgo, mater fidelium,
Atque navis portans suffragium,
Tribulatis confer remedium
Ac aeternae vitae subsidium.

60. Salve, virgo, fons pulchritudinis,
Quae emittis aquas dulcedinis,
Turris nobis sis fortitudinis
Atque pultrix nostri discriminis.

61. Salve, regnans sereno solio
In aeternum cum dulci filio,
Desolatos in hoc exsilio
Consolare tuo auxilio.

62. Salve, mater
Christo credentium,
Spes et salus ad te currentium,
Linguas preme mala loquentium
Atque dolos averni vulpium.

63. Salve, virgo luna lucidior,
Creaturis omnibus dignior,
Super omnes aspectu pulchrior,
Ad te clamo ceteris nequior.

64. Salve, stella emicans eminus,
Angelorum
quam movet dominus,
Vitae meae cum instat terminus,
Peto te tunc adesse protinus.

65. Salve, foetu caelesti gravida,
Gratiarum conchula rorida,
Nostra sana corpora tabida
Ac infunde pectora arida.

66. Salve, regnans in poli area,
Numina quam laudant aetherea,
Gleba tibi supplicat terrea,
Ut depellas bella tartarea.

67. Salve, virgo, quam cives superi,
Laudant, timent sed canes inferi,
Nos timemus ab ipsis conteri,
Ope nobis succurre celeri.

68. Salve, virgo,
gignens Christiferum
Et salutis nostrae legiferum,
Inimicum pelle pestiferum
Ac solamen praebe frugiferum.

69. Salve, virgo, decus, fidelium,
Vera salus in te sperantium,
Esto nobis in adiutorium
Saeculorum in fine omnium.

70. Salve, virgo, caelesti numine
Obumbrata atque munimine,
Toto cordis peto conamine,
Mihi tuo assis iuvamine.

71. Salve, mater iustorum omnium
Reorumque dulce praesidium,
Esto mihi, quaeso, confugium,
Quando strictum erit iudicium.

72. Salve, virgo, Christi sacrarium,
Caeli habitans sanctuarium,
Mentis nobis da refrigerium,
Omne quoque aufer contrarium.

73. Salve, fons de supernis oriens,
Gratiarum rivos scaturiens,
Fide, quaeso, ne sim deficiens,
Cum de mundo recedam moriens.

74. Salve, summum
gignens pontificem,
Deferentem mixturae calicem,
Nostram precem
exaudi supplicem,
Placa quoque iratum iudicem.

75. Salve, mundi lux atque domina,
Tui servi audi precamina,
Mentis meae visum illumina
Atque cuncta pelle discrimina.

76. Salve, ductrix exorbitantium,
Voces audi ad te clamantium,
Ut post vitae praesentis spatium
Sempiternae praestes solacium.

77. Salve, mater panis angelici,
Quo fideles merentur refici,
Ut in via non possim defici,
Fac me illo tu dignum effici.

78. Salve, imperatrix egregia,
Quae de stirpe genita regia
Nunc superna tenes fastigia,
Esto mater nobis propitia.

79. Salve, caeli regina inclita,
Supernorum culmine praedita,
Mentes nostras torpentes excita,
Comprehendat
ne mors nos subita.

80. Salve, caeli gignens edulium,
Quod depellit mentis fastidium,
Tuum nobis confer subsidium,
Ne fiamus hosti ludibrium.

81. Salve, praesignata antiquitus,
Impraegnata quoque divinitus,
Pupillorum te petunt gemitus,
Ne illorum sit finis subitus.

82. Salve, Dei ancilla humilis,
Cui nunquam fuit consimilis,
Te mens mea exoret flebilis,
Ut resurgat in sorde debilis.

83. Salve, virgo, quae illic habitas,
Ubi pacis adest tranquillitas,
Mentes nostras vitiis deditas
Nunc reformet tua benignitas.

84. Salve, rubus visus per Moysen,
Civitate nobis in Bethlehem
Gloriosam gignens propaginem,
Fac nos esse cives Ierusalem.

85. Salve, virgo, mater mirabilis,
Quae es Deo summe amabilis,
Te mens mea petit instabilis,
Uti fiat ad bonum habilis.

86. Salve, nostra salus et sanctitas,
Gloriosa Dei tu civitas,
Nobis praestet tua benignitas
Regnum caeli, quo est felicitas.

87. Salve, Iesse virgula tenera,
Manifestat quam vetus litera,
Mentis meae medica vulnera,
Quae gens Stygis intulit effera.

88. Salve, radix Iessea florida
Atque stella caelestis fulgida,
Te exorat mens mea timida,
Gens fugetur Arverni rancida.

89. Salve, virgo, decus caelestium
Et adiutrix te invocantium,
Miserorum spes et refugium,
Tuum ora pro nobis filium.

90. Salve, lumen caeli vivificum,
Solem terris gignens lucificum,
Placa nobis regem terrificum
Ac solamen confer angelicum.

91. Salve, planta summi agricolae,
Quam collaudant
cuncti caelicolae,
Te exornant plebes Christicolae,
Uti fiant paradisicolae.

92. Salve, caeli regis puerpera,
Qui per mortem
confregit tartara,
Mentes nostras tristes corrobora
Ad salvandum in fine propera.

93. Salve, stella, cuius serenitas
Prophetias solvit absconditas,
Ad te clamat Adae posteritas
Illustretur ut eius caecitas.

94. Salve, virgo, cuius protectio
Cordis nostri est exsultatio,
Nos absolve culpae exitio
Ac praesenta caeli palatio.

95. Salve, sidus caeli magnificum,
Omne frangens dogma haereticum,
Nostrum clemens
accepta canticum
Impetraque gaudium caelicum.

96. Salve, orbis totius domina,
Placa nobis regentem numina,
Tuae plebi praebe iuvamina
Et ipsius relaxa crimina.

97. Salve, virgo, quae non ex semine
Concepisti sed sancto flamine
Iesum Christum, tuo precamine
Nos conserva in mundi turbine.

98. Salve, deitatis subsellium
Atque mater Christi fidelium,
Intuere nostrum exsilium,
Sine mora praesta auxilium.

99. Salve, virgo, aurora rutilans,
Peccatorum
tenebras ventilans,
Tibi mundus
supplicat iubilans,
Esto, pia, super nos vigilans.

100. Salve, nubes solem obnubilans,
Luce tua stellas obtenebrans,
Bonum omne
semper concomitans,
Mentes nostras
sis saepe stimulans.

Quinquagena III.

101. Gaude, manans
caelestem rivulum
Gratiarumque dulce poculum,
Servum tuum
defende tremulum
Christianum-
que cunctum populum.

102. Gaude, mater,
pultrix peccaminum,
Angelorum
generans dominum,
Nexus solvas
nostrorum criminum
Ac sustolle causas iurgantium.

103. Gaude, de qua natus salutifer,
A quo victus exactor letifer,
Nos illustret summus virtutifer
Protegatque caelestis signifer.

104. Gaude, mundi
princeps et domina,
Sanctitatis totius femina,
Servis tuis relaxa crimina
Et eorum mentes illumina.

105. Gaude, glorificata caelitus,
Impraegnavit quam Dei spiritus,
Rogo finis mis non sit subitus,
Quando meus demetur halitus.

106. Gaude, Christi munita civitas,
Ex qua fulsit caelestis veritas,
Aeternorum nobis hereditas
Per te detur atque felicitas.

107. Gaude, virgo,
caelorum gemmula,
Quae inferni confringis pessula,
Mentis nostrae disrumpe vincula
Atque cuncta dissolve scandala.

108. Gaude, virgo, lumen fidelium,
Salus ad te confugientium,
Linguas comprime
detrahentium
Ac perversum ipsorum odium.

109. Gaude, virgo, virtutum cellula,
Figurarum florescens virgula,
Sacerdotis aeterni gerula,
Interventrix sis nostri sedula.

110. Gaude, virgo, cella vinaria,
Potans caelum,
terram et maria,
Tua, quaeso, dulci memoria
Protegamur ab hostis furia.

111. Gaude, virgo,
quae mundi tenebris
Edidisti lumen de superis,
Miserere mis, quaeso, pauperis,
Ne inferno tradar cum miseris.

112. Gaude, mater mixturae nescia,
Rosa fragrans et stella praevia,
Serpentina lapsos nequitia
Relevare tua potentia.

113. Gaude, virgo Aaron gracilis,
Mire exstans virtutum fertilis,
Te exorat mens mea flebilis,
Uti fiat in fide stabilis.

114. Gaude, consolatrix
maerentium
Ac adiutrix
Christo credentium,
Audi planctus
poenis degentium,
Adiuvamen
tuum quaerentium.

115. Gaude, arbor,
cuius umbraculum
Frigeravit adustum saeculum,
Peccatorum
disrumpe vinculum
Ac defende fidelem populum.

116. Gaude, nata
de regum stemmate,
Obumbrata aeterno pneumate,
Supernorum laudata neumate,
Mentes nostras
reple charismate.

117. Gaude, virgo, porta iustitiae,
Quam circumdant
caeli deliciae,
Menti meae succurre sauciae,
Pondus pellens
ab hac maestitiae.

118. Gaude, mater Christi mirifica,
Quae in caelis regnas magnifica,
Servum tuum reum iustifica
Ac in fine pie laetifica.

119. Gaude, virgo, caelestis viola,
Cuncta frangens
errorum frivola,
Temptamenta maligni subdola
Aufer, caeli fac ut sim incola.

120. Gaude, per quam
caelorum aditus
Reseratur praeclusus primitus,
Per te, quaesumus,
noster exitus
Dirigatur atque introitus.

121. Gaude, mater
splendoris caelici,
Quam collaudant
chori angelici,
Obsecramus te voto supplici,
Dies nostri ut sint pacifici.

122. Gaude, fructus
caelestis hortuli,
Ex quo fluunt virtutum rivuli,
Ad te nostri levantur oculi,
Ne nos turbent superbi populi.

123. Gaude, mater ad te clamantium
Ac solamen tuum quaerentium,
Nos emerge aquis torrentium
Laqueisque
Stygis venantium.

124. Gaude, mater, Christi eximia,
Summi patris dilecta filia,
Nobis praesta tunc patrocinia,
Cum finalis datur sententia.

125. Gaude, lucens caelesti radio,
Gemma fulgens
splendore nimio,
Desolatis sis consolatio
Et temptatis firma defensio.

126. Gaude, mater, cuius fecunditas
Admiranda atque virginitas,
Aeternorum nobis hereditas
Per te detur atque iucunditas.

127. Gaude, virgo, in qua divinitas
Habitavit et omnis bonitas,
Nos timentes ob res illicitas
Consoletur tua benignitas.

128. Gaude, virgo,
splendens miraculis,
Veneranda a cunctis populis,
Consolatrix sis tuis servulis
Atque turris inexpugnabilis.

129. Gaude, virgo,
quae mundum flebilem
Reparasti in mente debilem,
Nobis Deum redde placabilem,
Ne se praestet inexorabilem.

130. Gaude, virgo, pudoris lilium,
Consolatrix et spes humilium,
Tuum nobis post hoc exsilium
Benedictum ostende filium.

131. Gaude, micans lux de caligine,
Rosa orta de David germine,
Omni carens amaritudine,
Mentes nostras reple dulcedine.

132. Gaude, genetrix alimoniae
Angelorum sed et ecclesiae,
Pestem aufer vilis discordiae
Ac reforma foedus concordiae.

133. Gaude, mater Dei et filia,
Benedixit quam caeli curia,
Tibi nostra favent obsequia,
Per te nobis donetur venia.

134. Gaude, quam
virtutes uranicae
Laudant atque
plebes catholicae,
Servos tuos clementer respice
At adversa potenter abice.

135. Gaude, virgo caelesti germine
Feta sine virili semine,
Procelloso duc nos de turbine
Ac illustra superno lumine.

136. Gaude, Christi
mater magnifica,
Cantica quam
laudant organica,
Tu absolve me, mis spes unica,
Servitute de Babylonica.

137. Gaude, virgo, verna alithroni,
Quam collaudant chori altisoni,
Gemitus te petunt luctisoni,
Verbum dones oris dulcisoni.

138. Gaude, germen
et proles Davidis,
Virgo es sed et mater nobilis,
Cuius partus est admirabilis
Atque forma desiderabilis.

139. Gaude, rosa, cuius fraglantia
Deum traxit de caeli curia,
Nos defende ab hostis furia
Ac caelesti da frui gloria.

140. Gaude, virgo spirans aromata
Supernorum atque charismata,
Cuncta frange
perversa dogmata
Ducque nos ad caeli agalmata.

141. Gaude, mater,
nostra redemptio,
Miseris spes et consolatio,
Nos concorda dilecto filio,
Ut sit nobis cum sanctis portio.

142. Gaude, finis legis primariae
Ac initium secundariae,
Mea mens est turbata varie,
Quaeso, ut hanc expurges carie.

143. Gaude, mater Christi fidelium,
Salus ad te confugientium,
Grande instat
contra nos proelium,
Tuum nobis praebe subsidium.

144. Gaude, virtutum
receptaculum,
Castitatis politum speculum,
Tu cum prole
regnans in saeculum,
Caeli nobis impetra titulum.

145. Gaude, germen
stirpis Davidicae
Ac impletrix legis Mosaicae,
Me pupillum benigne respice,
Quam post Deum
collaudo unice.

146. Gaude, proles
David symphonidis,
Collaudata caeli cytharoedis,
Servis tuis occurre timidis,
Hostibus ne turbentur rancidis.

147. Gaude, Sion supernae filia,
Cui nullus par est in gloria,
Nos caelorum frumento satia
Ac conforta corda debilia.

148. Gaude, virgo, lux indeficiens
Tuque luna eclipsin nesciens,
Sol de caelis
terram prospiciens,
Sis peccati nubes demolicns.

149. Gaude, virgo
regens caelestia,
Quam honorans
omnis ecclesia
Tibi sternit pia officia,
Transfer nos ad caeli palatia.

150. Gaude, virgo
promissa caelitus,
Cui mundus
est omnis subditus,
Te collaudat
nunc omnis spiritus,
Caeli per te pateat aditus.

Conclusio.

151. O Maria, regina gloriae,
Peccatorum pincerna veniae,
Supplicamus turbati varie,
Uti nobis succurras hodie.

152. O Maria,
morum spectaculum
Ac aeternae
salutis speculum,
Peccatorum esto piaculum
Atque miserorum
latibulum.

153. O Maria, cuius preconia
Omnis laudans
promit ecclesiae,
Mentis nostrae absterge vitia
Atque caeli confer solacia.

154. O Maria, dulcedo cordium,
Supernorum tenens dominium,
Rege nostrum
clemens arbitrium
Ac defunctis
praebe subsidium.

155. O Maria, caeli amygdalum
Per divinum crescens miraculum,
Consolare turbatum servulum,
Ut te laudet nunc et in saeculum.

Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991. fol. 181 b. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20123. fol. 160 a. B. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. C.

ANHANG.

1. Carmen pulcherrimum de beata Virgine.

I.

1. Ave, gaude, vale, plaude,
Salve, virgo nobilis,
Omni veneranda laude
Carminumque titulis,
Nos ab hostis tuta fraude
Cunctisque periculis.

2. Ave, cuius ad parentes
Missus fuit angelus,
Quos abiecit olim flentes
Hebraeorum populus,
Ait: sitis nunc gaudentes,
Et ne fleat oculus.

3. Ave, cuius mater Anna,
Laeta de oraculo,
Forte cecinit Hosanna
Animae in iubilo,
Nos caelesti ciba manna,
Carnis nati pabulo.

4. Ave, de radice Iesse
Genus ducens inclitum,
Ut per scripta est expresse
Isaiae proditum,
Mundum duc ad bene esse
Per peccata perditum.

5. Ave, virgo de regali
Concepta genimine
Necnon et pontificali
Oriunda germine,
Servos tuos a mortali
Semper serves crimine.

6. Ave, quam originalis
Non foedavit macula,
Nam te virtus divinalis
Sic tutavit sedula,
Ut nec culpae venialis
Te moverent scandala.

7. Ave, virgo, lux solaris
Micans de caligine,
Quando carne generaris
Davidis ex germine,
Tuae nobis largiaris
Gratiae de lumine.

8. Ave, nardus odorosa
Odoris fragramine,
Deitatis o formosa
Tota obumbramine,
Unge corda rancorosa
Caritatis unguine.

9. Ave, virgo, quam perfudit
Larga benedictio,
Qua deletur, quam induxit
Eva maledictio,
Aufer mala, quae iam cudit
Satanae vexatio.

10. Ave, sponsa virginalis,
Post Deum spes unica,
Clemens et imperialis,
Audi, mater, cantica,
Cunctis tuta nos a malis
Impetraque caelica.

II.

11. Gaude, in qua novitatis
Prodeunt miracula,
Priscae quae antiquitatis
Non noverunt saecula,
Quando fis divinitatis
Sempiternae gerula.

12. Gaude, virgo, porta clausa,
Quam nemo apperuit,
Salvatoris nostri pausa,
Qui te solus transiit,
Qui salutis nostrae causa
Est et semper exstitit.

13. Gaude, fons, quo pietatis
Rivus clangens effluit,
Proles quando summi patris
In te carnem induit,
Qua credentes a peccatis
Moriendo abluit.

14. Gaude, mater sine lege
Coniugali pariens,
Modo coram summo rege
Melodias concinens,
Omne vitiosum terge
A bonis impediens.

15. Gaude, virgo singularis,
Ornata virtutibus,
Gloriosa praedicaris
Iuste a fidelibus,
Quia Deum nobis paris
Castis ex visceribus.

16. Gaude, stella gignens solem,
Hominem sic reparas,
Quando Dei patris prolem
Virgo manens generas
Culparum nostrarum molem
Tua prece auferas.

17. Gaude, dulciter adfata
Ore Christi crebrius,
Caritate ordinata
Cunctisque virtutibus,
Eius dextra amplexata
Modo in caelestibus.

18. Gaude, bis sex coronata
Stellis honorifice,
Vero sole circumdata
Gignens hunc mirifice,
Luna pedibus substrata
Tuis exstat mystice.

19. Gaude, virgo, quam rigavit
Ros divinus dulciter,
Et humanas sordes lavit
Qui misericorditer,
Hunc mamilla tua pavit
Caute et sagaciter.

20. Gaude, gemma margaritae
Formam vincens specie,
Nominaris mater rite
Christi regis gloriae,
Fac inscribi libro vitae
Te laudantes hodie.

III.

21. Vale, dulcis et beata,
Spes in te sperantium,
Devotorum ordinata
Salus infirmantium
Et periclis maris data
Remus navigantium.

22. Vale, cuius proloquuntur
Natum vatum carmina
Gloriosaque dicuntur
De te, mundi domina,
Preme, qui nos persequuntur,
Hostium molimina.

23. Vale, virgo, quae sic ornas
Davidis progeniem,
Sicut rosa inter spinas
Illis addit speciem,
Ne in nobis culpae sinas
Crescere congeriem.

24. Vale, virgo gratiosa,
Cunctis te laudantibus
Assis, mater speciosa,
Ad te suspirantibus,
Tela frangens venenosa
Transmissa ab hostibus.

25. Vale, gemma praepolita
Deitatis unguine,
Per quam mundo fluxit vita
Perdito pro crimine,
Servis tuis assis cita
Mortis in discrimine.

26. Vale, moribus praeclara
Mater castimoniae,
In divinitatis ara
Balsamus fragrantiae,
In supernis servis para
Tuis locum gloriae.

27. Vale, mater, virgo casta,
Rutilans in gloria,
Omni cum virtute pasta
Abs peccati scoria,
Cunctis tribulatis asta
Tua pro clementia.

28. Vale, virginum decora,
Splendore munditiae
Rutilans velut aurora,
Exemplis iustitiae,
Corda servorum irrora
Fonte sapientiae.

29. Vale, stella matutina
Refulgens prae omnibus,
Radix David, stirps divina,
Fructum dans credentibus,
Da, ne noceat vulpina
Fraus te venerantibus.

30. Vale, vitis copiosa
Vina dans laetitiae,
Virgo dulcis et formosa,
Norma pudicitiae,
Corda nostra tenebrosa
Lustra dono gratiae.

IV.

31. Plaude, cuius est effusum
Nomen coram gentibus,
Medicamenque contusum
Nobis infirmantibus,
Gradiendi praestans usum
Mente claudicantibus.

32. Plaude, madens Gedeonis
Ros, signum victoriae,
Pondus desolationis
Aufer et miseriae,
Quo premuntur vi praedonis
Filii ecclesiae.

33. Plaude, mundi naufragantis
Portus securissime,
Ad quem vela fluctuantis
Expanduntur animae,
Inimici perturbantis
Nos virtutem reprime.

34. Plaude, virgo, gloriosa
Magna cum laetitia,
Quam incunda laudis prosa
Salutat ecclesia,
Luxit quam victoriosa
Nati dies tertia.

35. Plaude, mater resurgentis
Sua ex potentia,
Cuius morte est serpentis
Delusa versutia,
Tu fermenti corrumpentis
Prece fuga noxia.

36. Plaude, mater ascendentis
Caelos ex vi propria,
Secum [quo]que deducentis
Electorum agmina,
Fac nos Paschae permanentis
Obtinere gaudia.

37. Plaude, virgo, rubens rosa
Et pudoris lilium,
Intrans caeli gaudiosa
Inducta per filium,
In hac valle lacrimosa
Nobis fer auxilium.

38. Plaude, mater regis magni,
Regnantis in superis,
Nunc in regno Dei agni
Residens in dexteris,
Ne nos poenae tradat stagni,
Tu succurre miseris.

39. Plaude, virgo regnans clare
Modo super sidera,
Nos dignare te laudare,
O Christi puerpera,
Ac clementer expiare
Cuncta nostra scelera.

40. Plaude, prudens o Maria
Sidusque mirificum,
Da finita vitae via
Et carnis post lubricum
Speculemur, virgo dia,
Tecum numen caelicum.

V.

41. Salve, surgens o decora
Nobili progenie,
Mane veluti aurora
Rutilans in facie,
Apud filium implora
Nobis donum gratiae.

46. Salve, mater o Maria
Virgoque egregia,
Orta genealogia
Davidis ex regia,
Salva mente fantes pia
Tua privilegia.

42. Salve, mater, salve, clemens,
Salve, plena gratia,
Ad quam sancta corde gemens
Suspirat ecclesia,
Quam conatur hostis fremens
Ducere in invia.

47. Salve, regina decora,
Iustis convertibilis,
Rutilans velut aurora,
Satanae terribilis,
Da, ne laedat mortis hora
Nos ille horribilis.

43. Salve, cuius prae amore
Vox est facta languida,
Caput tuum plenum rore
Distillat aromata.
Corda nostra pro honore
Tuo sana morbida.

48. Salve, virgo, salve, mitis
Mater summi numinis,
Nobis prave irretitis
Culpa turpitudinis
Da videre nunc contritis
Vultum veri luminis.

44. Salve, saltus o vernalis
Floridus virtutibus,
In quo rosa, flos regalis,
Redolet prae omnibus,
Amor tuus maternalis
Iam succurrat tristibus.

49. Salve, bonis plenum cunctis
Domini sacrarium,
Pro peccatis iam compunctis
Caeli dans solarium,
Nostris vivis ac defunctis
Semper sis praesidium.

45. Salve, campus liliatus
Flore pudicitiae
Hortulusque irrigatus
Fonte sapientiae,
Reformatur quo et status
Miser iam ecclesiae.

50. Salve, dulcis o Maria,
Nostra spes et domina,
Quam collaudat mente pia
Trina rerum machina,
Duc nos hac finita via
Caeli ad intermina.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19824. — 3, 1 mater alma.

2. Super Ave maris stella.

1. Ave, maris stellula,
Decor caeli mirus,
Refulgensque gemmula,
Ornans ut saphirus,
Prece pelle sedula
Vitiorum virus
Et quae infert scandala
Hostis furor dirus.

2. Sumens ave inclitum
Gabrielis ore,
Qui tibi paraclitum
Adfuturum fore
Dixit, me sollicitum
Tuo in honore
Irae frenans impetum
Firma in amore.

3. Vincula lasciviae
Vulgi depravati
Solve nos iustitiae
Subdens tui nati
Ferque lumen gratiae
Nostrae caecitati,
Oculo scientiae
Qui sumus orbati.

4. Monstra te causidicam
Matremque reorum
Prolem his deificam
Placans, ut eorum
Precem sumat melicam,
Quam pro peccatorum
Venia dant lubricam
Per vitam factorum.

5. Sempiternis laudibus,
Virgo singularis,
A supernis civibus
Digne veneraris,
Opem fer petentibus,
Mater expers paris,
Mitis quae prae omnibus
Semper praedicaris.

6. Vitam mihi tribue
Puram, fons virtutum,
Sicque sordes ablue,
Quas per carnis lutum
Contraxi assidue
Sequens, heu, versutum,
Vitae nunc occiduae
Iter para tutum.

7. Trinitas te, domina,
Induit decorem
Gratiae dans flumina
Et famae fulgorem,
Haec fantem precamina
Tuum ob honorem
Duc ad caeli culmina
Mundi post laborem.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. — Bei Mone II, 225 ff. findet sich das Lied aus drei Salzburger Hss., deren Signatur veraltet ist.

3. De aeterna sapientia.

1. Salve, iubar saeculi,
Stella matutina,
In conspectu populi
Fulget lux divina,
Quae est cara languidi
Vitae medicina,
Nos in mundo labili
Servans a ruina.

2. Salve, gemma nobilis,
Vera margarita,
Caelicis virtutibus
Perfecte munita,
Non depicta manibus,
Sculpta vel polita,
Hoc scit summus artifex,
Qui te fecit ita.

3. Ille color caelicus,
Qui in te splendescit,
In eodem permanet
Statu nec decrescit,
Diuturno tempore
Minime pallescit,
Fecit te rex gloriae,
Fallere qui nescit.

4. Nesciens putredinem,
Servans incorruptum,
Quod est a christicolis
Coram te deductum,
Tu vertas in gaudium
Gemitum et luctum,
Confer saluberrimum
Te videndi fructum.

5. Salve, decus saeculi,
Speculum sanctorum,
Te videre cupiunt
Spiritus sanctorum,
Nos ab omni macula
Purga vitiorum
Atque nos consortio
Iunge beatorum beatorum.

6. Esto nobis, quaesumus,
Tutum adiuvamen,
Dulce refrigerium
Atque consolamen,
Ut nobis non noceat
Hostile gravamen
Sed fruamur requie
Cum beatis. Amen.

Das Lied, wahrscheinlich nur Bruchstück eines längeren Gedichtes, findet sich in „Praeparationes devotae ad digne celebrandum seu communicandum per Iulium Accoltum primitus collectae“ etc. Tegernsee 1579., fol. 49 a sqq. In diesem Druckwerke finden sich auch die Strophen 1. 2. 3. 5. 7. 20. 21. 23 von Nr. 2 mit angehängter Str. 3 aus Nr. 3 des IV. Bandes dieser Analecta.

4. Ad beatam Mariam V.

1. O Dei genetrix, accede propera,
Velis conatibus hostis resistere,
Quibus a tramite caeli me vertere
Temptat et tartaro pro culpis tradere.

2. Me tuis meritis et consolamine
A mortis, deprecor, serves discrimine,
Nam multipliciter fraus instat Satanae
Me gliscens fidei privare lumine.

3. O plebis gloria ecclesiasticae,
Precantis gemitum clementer aspice,
Insultus patior fraudis Satanicae,
Misericorditer a me quos abice.

Dies Lied, oder richtiger dies Bruchstück eines Liedes, steht bei Mone II, 331 aus einer Salzburger Handschrift. Dasselbe ist aller Wahrscheinlichkeit nach ein Fragment Ulrichs von Wessobrunn.

Appendix II.

Ad Psalterium I.

Clm. Monacen. 20005. fol. 12a.



Ad Psalterium V.

Cod. S. Petri Salisb. b VII 10. fol. 82 b.
Clm. Monacen. 20005. fol. 49 a.



Ad Psalterium XVI.

Proœmium.

Clm. Monacen. 20005. f. 48 a.



Die Melodie zum Psalterium selbst ist dieselbe wie zu No. V.

Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

		Seite
I.	De ss. trinitate psalterium triplex	9
	1. Psalterium primum	11
	2. Psalterium secundum	25
	3. Psalterium tertium	39
II.	De Christo Domino psalterium triplex	53
	4. Psalterium primum	55
	5. Psalterium secundum	70
	6. Psalterium tertium	85
III.	De Christo Domino psalterium triplex	101
	7. Psalterium primum	103
	8. Psalterium secundum	114
	9. Psalterium tertium	125
IV.	De beata Maria psalterium triplex	135
	10. Psalterium primum	137
	11. Psalterium secundum	148
	12. Psalterium tertium	159
V.	De beata Maria psalterium triplex	169
	13. Psalterium „Tituli praeconiorum“	171
	14. Psalterium „Iubilus B.M.V.“	181
	15. Psalterium „Hymnarius B.M.V.“	196
VI.	De beata Maria psalterium duplex	211
	16. Psalterium „Theotoca“	213
	17. Psalterium alterum	228
Anhang		237
	Appendix I	239
	1. Carmen pulcherrimum de beata Virgine	239
	2. Super Ave maris stella	243
	3. De aeterna sapientia	243
	4. Ad beatam Mariam V	244
	Appendix II.	245
Ad Psalterium I. Melodia		245
„ „ V. „		245
„ „ XVI. „		246

II. Verbal-Index.

1. Texte.

Seite

Alma Deus trinitas, quae saecula cuncta gubernas 171
Anno Domini milleno 8
Ave arbor optima optimum dans fructum 196
Ave beatissime Iesu rex iustorum 86
Ave fragrantissime flos virginitatis 70
Ave, gaude, vale, plaude, salve, virgo nobilis 239
Ave, Iesu, rex beatissime 114
Ave, Iesu, qui super flumina 103
Ave, lignum vitae fructiferum 125
Ave, maris stellula, decor caeli mirus 243
Ave, radix gratiae, ex qua crevit fructus 181
Ave, regis nostri pacifici 159
Ave, saluberrime amor devotorum 56
Ave, virgo, arbor fructifera 149
Ave, virgo, cathedra, Deus qua pausavit 213
Ave, virgo, Christi puerpera 137
Ave, virgo, lignum fructiferum 228
Ave, virgo sanctissima 171
Cantu florigero serta nitentia 85
Illibatae matris nate 103
Increata patre nata 114
Indicibile verbum, te colere 70
Infinitae et invictae 125
Mater Christi, quem in imis 196
Matrem altissimi regis in animum 159
Mysticos intro scripturarum campos 55
O Dei genetrix, accede propera 244
O Maria, virgo pia, te devote postulo 228
O Nazareni floris radix inclita 137
O primum principium omnium et causa 39
O virgo felix, o novella gloria 148
Salve, iubar saeculi, stella matutina 243
Salve principium cuncta principians 11
Summum principium omnis principii 25
Tibi, mater deifica 213
Tibi, mater eximia 181

2. Melodien.

Ave fragantissime flos virginitatis 245
Salve principium cuncta principians 245
Tibi, mater deifica 246

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXXIX.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters.

Sechste Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1902.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters

aus

Handschriften und Frühdrucken.

Sechste Folge

herausgegeben

von

Clemens Blume
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1902.

VORWORT.

„**Prosarium Gallicum**“ könnte mit gewissem Rechte diese sechste Folge der „Sequentiae Ineditae“ betitelt werden. Ich habe nämlich im vorliegenden 39. Bändchen unserer Analecta Hymnica ausschliefslich solche Sequenzen vereinigt, die in den alten Diöcesen und Abteien Frankreichs in Brauch waren und offenbar auch französischen Dichtern ihren Ursprung verdanken, abgesehen vielleicht von der Sequenz Ad caeleste convivium (Nr. 54), die in Anbetracht ihrer nachweisbar ältesten Quelle aus England stammen könnte. Der genannte Titel jedoch enthielte zunächst eine kleine Inkonsequenz. Die bereits publicierten Tausende von Sequenzen liefsen sich aus praktischen Gründen unmöglich nach ihrer Provenienz in einzelnen Bändchen vereinigen und traten daher, nach anderen Gesichtspunkten gruppiert, unter dem allgemeinen Titel „Sequentiae Ineditae“ auf. Liefs sich nun zufällig infolge des übergrofsen Materials, welches das liederreiche Frankreich bietet, zugleich mit der sachlichen Gruppierung ein Arrangement nach der Provenienz verbinden, so schien dadurch ein Aufgeben des einmal gewählten Spezialtitels doch zu wenig begründet; auch diese Gallischen Sequenzen sind eine Fortsetzung der „Sequentiae Ineditae“, und als deren sechste Folge participieren sie füglich an deren Titel.

Zwei weitere Erwägungen waren vor allem mafsgebend, den schon geplanten Titel „Prosarium Gallicum“ fallen zu lassen. Er hätte den Gedanken nahe legen können, als enthalte dieses Bändchen die Sequenzen, d. h. den gesamten Sequenzenschatz des alten Frankreich. So hatte ja auch der 7. Band unserer Analecta unter dem Titel „Prosarium Lemovicense“ alle Prosen der ehrwürdigen Abtei St. Martial von Limoges, mochten sie nun ediert oder unediert sein, umschlossen. Der vorliegende Band jedoch enthält nur einen Bruchteil, und zwar einen kleinen, von der Riesensumme jener liturgischen Prosen, die im Mittelalter von Frankreichs Dichtern gesungen und durch Frankreichs Kathedralen und Abteikirchen geklungen

sind. Mehrere Hunderte von diesen sind bereits publiciert und in den Bänden VIII, IX, X, XXXIV und XXXVII zerstreut; weitere Hunderte sind für die noch folgenden Sequenzen-Bände zurückgestellt. Erst wenn am Schlufs unserer Publikationen neben verschiedenen Indices auch ein Verzeichnis der Sequenzen, nach ihrer Provenienz geordnet, vorliegt, wird sich klar herausstellen, wie Frankreich im Reichtum an geistlichen Liedern überhaupt, so auch namentlich in der Sequenzendichtung den ersten Platz einnimmt. Einem kleinen Bruchteile den Titel „Prosarium Gallicum“ zu geben, schien daher unpassend und irreführend.

Ungleich gröfser noch wäre der Irrtum, wollte man die in diesem Bändchen vereinigten französischen Sequenzen als eine Blütenlese aus dem grofsen Liedergarten der alten Kirche Frankreichs ansehen. Die Blüten wären schlecht gelesen. Denn wohl findet sich manch herrliches, lieblich duftendes Blümlein unter den hier gebotenen; aber ein Gutteil ist schlichtes Gewächs, bietet vorwiegend kulturhistorisches Interesse. Aus ihnen die Sequenzendichtung Frankreichs beurteilen wollen, hiefse ein grofses Unrecht begehen. Will man dieselbe in ihrer ganzen Pracht und Schönheit würdigen und verkosten, so mufs man die Sänger Frankreichs im 12. und 13. Jahrhundert vernehmen, mufs vor allem lauschen den herrlichen, einzig dastehenden Sequenzen, welche der grofse Dichter Adam von St. Victor, der christliche Horaz des 12. Jahrhunderts, gesungen, und deren Weisen dann drei Jahrhunderte lang nicht nur in Frankreichs, sondern fast ganz Europas Kathedralen und Kirchen wiederhallten.

Vorliegendes Bändchen hingegen enthält mit seltenen Ausnahmen nur Prosen des 15. und 16. Jahrhunderts. Höher wenigstens gehen die Quellen, welche vorwiegend gedruckte Missalien sind, nicht hinauf. Es ist möglich, dafs ich trotz eifrigen Suchens in einigen Fällen die ältere Quelle nicht entdeckte, oder dafs vielmehr dieselbe verloren ging. Aber auf Grund gewisser Indicien wird im wesentlichen der Satz richtig sein, dafs die hier mitgeteilten Sequenzen bis auf ein oder zwei Dutzend ein Produkt des 15. und 16. Jahrhunderts sind und somit Zeugnis ablegen, wie produktiv die geistliche Muse Frankreichs noch im ausgehenden Mittelalter war. Dies um so mehr, da ich zwei- bis dreihundert französische Sequenzen aus der gleichen Periode für spätere Bände zurückstellen mufste.

Recht lehrreich sind in dieser Hinsicht die Missalien von Bayeux. Ein handschriftliches Exemplar, aus dem 13. Jahrhundert stammend, mit Zusätzen des 14. Jahrhunderts, findet

sich unter den Schätzen der Kapitelsbibliothek zu Bayeux. Es dürfte ein Unicum sein in jeder Hinsicht, denn kein zweites handschriftliches Exemplar, weder aus dieser noch aus einer anderen Periode ist bislang entdeckt worden. Nur verwandt mit ihm ist ein im Jahre 1451 für die Kirche St. Pierre in Caen geschriebenes Missale, das ich in der Collection Mancel im benachbarten Caen vorfand. Jener Codex von Bayeux nun enthält eine einzige Sequenz, die dieser Diöcese spezifisch eigentümlich ist, nämlich jene auf das Fest der hl. Reliquien Dies clausa prodiit (Nr. 291). Auch der Codex Mancel weist diese auf. — Das erste gedruckte Missale von Bayeux aber, datiert vom 15. December 1501, jetzt auf der Bibliothèque de l'Arsenal, hat unter seinen vielen Sequenzen bereits 8, die ausschliefslich der Diöcese Bayeux eigen sind. Datieren dieselben aus der 2. Hälfte des 15. Jahrhunderts? Die Vermutung scheint begründet. Die späteren Mefsbücher von Bayeux aus den Jahren 1504 und 1529 ändern nichts an diesem Sequenzenbestand. Die Ausgabe vom Jahre 1545 aber zeigt eine Bereicherung von nicht weniger als 14 weiteren Sequenzen, welche Localheilige von Bayeux besingen. Alle diese 14 Sequenzen demnach, für die im vorliegenden Bändchen als älteste Quelle das Missale von 1545 verzeichnet steht, dürften in der Zeit von 1529—1545 zu Bayeux gedichtet sein. Kännten wir nur auch schon den Dichter! Vielleicht bringt uns das Akrostichon in der Sequenz auf den hl. Regnobertus „Grataletur urbs insignis“ auf die Spur[1]). —

1) Nach dem Repertorium Hymnologicum Chevaliers müfsten im Missale Baiocense von 1545 noch 2 andere Sequenzen, nämlich auf den hl. Contestus „Ecce dies ter amata“ und auf den hl. Manvoeus „Hac die sit laetitia“, sich vorfinden; sogar die Seite des Missale wird von Chevalier citiert. Ich war nicht so glücklich, diese beiden Inedita in der bezeichneten Ausgabe zu entdecken, und kann versichern, dafs niemand sie dort entdecken wird; dieselben finden sich überhaupt in keinem Mefsbuche von Bayeux, es sei denn in der Ausgabe vom Jahre 1521. Eine solche Edition, der ich nirgends begegnete, citiert nämlich Weale in seinem Missalienverzeichnis, ohne den Fundort namhaft machen zu können; dagegen fehlt die Ausgabe von 1529. Liegt nicht eine Verwechslung vor? Dafs die von Weale ebendort citierte Ausgabe vom Jahre 1543 auf einer Verwechslung mit dem Missale Baionense beruht, wird bereits hinreichend bekannt sein nach den ausführlichen Erörterungen Dubarat's. (Le Bréviaire de Lescar de 1541. Paris 1891, p. LXXXVI sqq.) Wenn schliefslich Weale bemerkt, dafs auf der Bibl. Nationale zu Paris sich ein Missale Baiocense vom Jahre „156*“ vorfinde, so ist dagegen zu erinnern, dafs dieses schadhafte, um Titelblatt und Explicit beraubte Exemplar im übrigen völlig identisch ist mit der Ausgabe vom Jahre 1545, die in Bayeux aufbewahrt wird. Die dortige Kapitelsbibliothek hat deren 2 Exemplare, das eine auf Papier (wie das Pariser Exemplar), das andere in vornehmer Ausstattung auf Pergament.

Die Ausgabe schliefslich vom Jahre 1584 ist noch um eine Sequenz auf den hl. Symphorian bereichert; Alter der Quelle und Sequenz sind somit wohl gleich.

So wahrscheinlich indessen diese Erwägungen klingen, auf Sicherheit haben sie keinen Anspruch. In manchen Missalien Frankreichs nämlich ist der Sequenzenbestand sehr wechselvoll; in einer Ausgabe verschwinden alte Sequenzen, um dann in einer jüngeren wieder aufzutauchen. Einen Beweis bieten unter anderen die Mefsbücher der alten Benediktinerinnen-Abtei von Fontevrault. Vergleicht man die 3 Ausgaben des Missale vom Jahre 1514, 1534 und 1606, so findet man in der jüngsten Ausgabe über 20 Sequenzen, die den älteren Ausgaben fehlen. Sind also diese Sequenzen jüngeren Ursprunges? Die Vermutung läge nahe, wenn nicht schon das Titelblatt jenes Missale von 1606 zur Vorsicht mahnte. Es heifst dort: „Missale ad usum Ordinis Fontisebraldensis, accuratius quam hactenus — repositis, quae ex antiqua observatione desiderabantur — satagenti Reverendissima et Illustrissima Domina Eleonora de Borbonio, ipsius ordinis Antistita ac Christianissimi Regis Henrici IV. amita, editum Parisiis 1606.“ — Bezieht sich die Notiz über Wiederaufnahme des Althergebrachten nicht auch auf die erwähnten 20 Sequenzen? Der Beweis läfst sich in bejahendem Sinne betreffs mehrerer erbringen aus dem wertvollen handschriftlichen Graduale und Tropar von Fontevrault, das in der Stadtbibliothek von Limoges aufbewahrt ist. Viele Sequenzen, die laut dieser Quelle aus dem Anfange des 14. Jahrhunderts einst in Fontevrault gesungen wurden, sind im Missale von 1514 und 1534 unterdrückt, haben aber 1606 ihre alten Rechte und Würden zurückerlangt. Wäre das kostbare Graduale verloren gegangen, nur zu leicht wären jene Sequenzen als junge Produkte betrachtet worden.

An dieser Stelle dürfte es angezeigt erscheinen, eine nähere Beschreibung und Inhaltsangabe jenes Codex Lemovicensis 2 (17) zu bieten. Ich kann mich jedoch dieser Aufgabe für enthoben erachten, da sie von Louis Guibert bereits in sorgfältiger Weise gelöst ist in dem Aufsatze: „Le Graduel de la Bibliothèque de Limoges. Notice et Extraits par M. L. Guibert, Correspondant du Ministère de l'Instruction Publique. Rapport . . . par M. Paul Meyer, Membre de l'Institut. Paris 1888. — Damals freilich hatte der geschätzte Gelehrte die Provenienz jenes Graduale noch nicht festgestellt; er sah richtig seinen Ursprung in einem Benedictinerinnen-Kloster, vermutete aber als

solches Sainte-Croix in der Diöcese Poitiers, während Paul Meyer in seinem Rapport es Saint-Junien in der Diöcese Limoges zuwies. Im Besitz letzterer Kirche war freilich das Graduale einmal gewesen, aber dorthin gewandert aus der Abtei La Couture zu Le Mans, deren Abt Paschalis Hugonotus es im Jahre 1387 an Saint-Junien verschenkte. Dieses bekundet eine handschriftliche Notiz des 14/15. Jahrhunderts auf fol. 1. Wie es scheint, gebührt Ulysse Chevalier das Verdienst, richtig Fontevrault als Ursprungsstätte der wertvollen Handschrift ermittelt zu haben. Auf eine zweite interessante liturgische Handschrift möchte ich hier aufmerksam machen, die ebenfalls Limoges, zwar nicht in der Stadtbibliothek, sondern in seinem Archiv birgt, und welche der Archivist des Departements der Haute-Vienne, Herr Alfred Leroux, in generösester Weise mir zur Verfügung stellte. Sie ist ein liturgisches Receuil des 13. Jahrhunderts und stammt aus dem Priorate Aureil, wie dieses Leroux im Bulletin de la Société Archéologique et Historique du Limousin (tom. XXXIII, p. 115 sqq.) bereits erwiesen hat. Die Ungunst der Zeiten hat dem Codex arg zugesetzt, und speciell vom Sequentiar, welches den Schlufs bildet, sind leider nur einige Blätter erhalten. Alle Inedita hat das Mifsgeschick getroffen, dafs irgend etwas an ihrer Vollständigkeit mangelt. Von einer Marien-Sequenz ist so wenig erhalten geblieben, dafs ich das Bruchstück dem Corpus dieses Bändchens nicht einzugliedern wagte. Es lautet:

1a. Divino balsamo
Mundus inungitur,
Dum sacro thalamo
Sponsus egreditur,
Quod David calamo
Veloci scribitur.

1b. Nectar angelicum
In terris bibitur,
Et manna mysticum
De caelis mittitur,
Gratiae canticum
Ubique canitur.

2a. In nostro vespere
Oriens oritur,
Vera de palmite
Vitis progreditur,
De suo opere
Opifex nascitur.

2b. De patris solio
Verbum emittitur,
In terrae medio
Litat . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Mit dem Worte „litat“ endet fol. 55b, worauf mindestens 2 Blätter fehlen. Das Bruchstück selbst würde ich eher für ein Reimgebet oder eine Cantio halten, stände es nicht mitten im Sequentiar und speciell unter einer Reihe von Mariensequenzen. die auf fol. 56 ihre Fortsetzung findet.

Eine weitere Illustration zum Kommen und Wandern der Sequenzen im Mefsbuche einer und derselben Kirche bietet das

Missale von Limoges. Unser „Prosarium Lemovicense“ hatte den alten Sequenzenbestand längst bekannt gemacht. Mehrere jüngere Missalien hatten wir durchforscht, um zu konstatieren, ob in späterer Zeit neue Sequenzen Aufnahme gefunden hätten; so z. B. das Missale vom Jahre 1500 auf der Nationalbibliothek zu Paris und jenes vom Jahre 154*, welches sich in der kostbaren Bibliothek Sr. k. H. des Herzogs von Parma vorfindet. Ersteres aber enthält überhaupt keine Sequenzen, letzteres bietet 2 Inedita. Daher war es lediglich ein bibliographisches Interesse, welches mich veranlafste, auf der Stadtbibliothek zu Limoges in letzter Stunde noch das seltene Missale Lemovicense, gedruckt im Jahre 1483 zu Paris, kurz zu durchmustern und den Sequenzeninhalt zu registrieren. Zu meinem Erstaunen jedoch enthielt es nicht weniger als 10 Sequenzen, die in keiner anderen Ausgabe wieder erscheinen. Es war mir nicht mehr möglich, dieselben selbst zu kopieren; der liebenswürdige Herr Guibert bot sich grofsmütig an, diese Arbeit zu besorgen, und somit verdanke ich es seiner Güte, dafs ich diese Sequenzen hier vorlegen kann. Der innigste Dank sei hierdurch abermals für diesen grofsen Freundesdienst abgestattet.

Zwei gedruckte Missalien erheischen eine kurze Notiz betreffs Provenienz und Datierung. Das eine ist auf der Nationalbibliothek zu Paris registriert als Missale Redonense und soll aus dem Jahre 1483 stammen; Titelblatt und Explicit fehlen. So richtig die Altersbestimmung erscheint, die Zuweisung nach Rennes ist sehr zweifelhaft. Die Verschiedenheit von den anderen Redonensia, deren ältestes aus dem Jahre 1492 vorliegt, ist zu grofs. Freilich zu sehr darf uns dieses nach den obigen Erörterungen nicht wundern. Auch ist es zweifelhaft, ob die erwähnte Ausgabe von 1492 die älteste ist, da es im Explicit heifst: „In quo . . . officia amplius pleniusque quam in praecedentibus describuntur.“ Danach wäre Platz für ein Redonense aus dem Jahre 1483. Ulysse Chevalier hat sich wegen der obwaltenden Bedenken für Saint-Malo entschieden und das fragliche Missale im Repertorium Hymnologicum (z. B. unter Nr. 17021) einfachhin als Macloviense bezeichnet. Wer es jedoch mit dem Macloviense vom Jahre 1503 vergleicht, wird mindestens ein Fragezeichen beifügen müssen. Sicher stammt unser Missale aus der Bretagne und aus einer Diöcese, wo der hl. Armagilus besondere Verehrung genofs; aber aus welcher Diöcese, bleibt einstweilen noch eine offene Frage. — Anläfslich des Missale von Saint-Malo möge hier beigefügt werden, dafs die Bibliothek von Nantes (unter Nr. 28) ein handschriftliches

Meſsbuch eben dieser Kirche besitzt. Es stammt aus dem 15. Jahrhundert; das Sequentiar findet sich am Schlusse des Codex, hat aber das leider nicht seltene Geschick erfahren, mehr als decimiert zu sein. Eine sonst unbekannte Sequenz auf Mariä Geburt beginnt:

1a. Dies iste celebretur,
Totus orbis veneretur
Virginis sollemnia.

1b. Non est locus hic maeroris,
Ubi mater [salvatoris]
. . . . . .

Alle folgenden Blätter sind herausgeschnitten.

Ein anderes Missale, gleichfalls aus der Bretagne, nämlich aus Saint-Brieuc, ist merkwürdig wegen seiner Datierung. Das in Rede stehende Exemplar, welches im Besitze der Bibl. Mazarine ist, soll nach Weale laut Titelblatt das Druckjahr 1443 angeben. Der nächste Gedanke ist, dafs ein Druckfehler statt 1543 vorliege; aber in letzterem Jahre lebten nachweisbar nicht mehr die beiden Männer, auf deren Kosten das Missale gedruckt wurde, und die das Titelblatt genau bezeichnet. Die Lösung dürfte einfacher sein. Auf dem Titelblatte folgt nämlich nach der Angabe „Missale ad usum insignis ecclesiae Briocensis . . . “ in ganz kleinem Drucke als Motto:

Ad sacerdotem.
Sanctorum qui sancta soles intrare, sacerdos,
Hoc missale novum, si mihi credis, emas;
Invenies illic digestas ordine missas,
Ut celebris templi mos Briocensis habet.
Anno Domini MCCCCXLIII.

Darauf folgt in grofsem Drucke: „Impressum Rothomagi impensis honesti viri Geraldi Angier Cadomi moram tenentis et pro Bertranno Iago moram tenente Moncontour.“ – Sollten demnach die Reklame-Verse nicht etwa einem älteren handschriftlichen Missale aus dem Jahre 1443 entnommen sein? Das fragliche Messbuch selbst wäre dann nicht datiert. Das Datum liefse sich ermitteln aus der Notiz auf fol. 1b, wo es heifst: „Item nota, quod anno Domini MCCCCC numerus aureus fuit XIX et MCCCCCI numerus aureus fuit I et sic de aliis.“ Das läfst auf das Jahr 1502 schliefsen, und demnach glaube ich nicht ohne allen Grund citieren zu sollen: Missale Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]

Für mehrere Sequenzen ist ein handschriftliches Prosar des 15. Jahrhunderts von Clermont benützt, das auf der Stadtbibliothek zu Clermont-Ferrand unter der Nummer 57 aufbewahrt wird. Dieser gleichen Quelle haben sich Misset und Weale (Anal. Liturg. II, p. 316 sqq.) bedient. Wer jedoch den betreffenden

Text in der Sammlung jener Hymnologen mit dem hier gebotenen vergleicht, wird manche Differenzen entdecken, in einer Sequenz deren sogar ein Dutzend. Hierzu sei bemerkt, dafs wir nachträglich jene Handschrift zu einer sorgfältigen Vergleichung herbeigezogen haben, und dafs der Text bezw. das Variantenverzeichnis im vorliegenden Bändchen den genauen Wortlaut jener Handschrift wiedergibt.

Zum Schlusse erübrigt mir die angenehme Pflicht, mehreren Gelehrten und Freunden meinen verbindlichsten Dank auszusprechen für die mannigfache Unterstützung, die sie mir bei Sammlung des Materials so freigebig geboten haben. Aufser den schon erwähnten Herren möchte ich namentlich hervorheben den Hymnologen Rev. Henry Marriott Bannister, den Kanonikus und Kapitelsbibliothekar von Bayeux E. Deslandes und meinen teuren Freund Lucien Thomas. Ganz besonderer Dank gebührt der Verwaltung der Pariser Nationalbibliothek, vor allen den Herren Léopold Delisle und Henri Omont, deren ausgesuchte Liebenswürdigkeit mir die Arbeit in Paris nicht nur leicht, sondern wahrhaft angenehm machte.

Wien, Weihnachten 1901.

Clemens Blume.

I.

DE TEMPORE.

1. In Adventu Domini.

1 a. O quam dulce,
quam salutiferum,
Recordare
sanctorum veterum
Optiones
et desideria!

1 b. Quibus erat
promissus Dominus,
Ut antiquùm
deleret facinus
Et ingratos
impleret gratia.

2 a. O si tecum revoces
Conquestus multiplices
Et tractatus sedulos;

2 b. Si bene discutias
Dulces querimonias
Factas apud singulos!

3 a. Putas, durem,
usquequo veneris,
O salvator
humani generis,
Qui dissolvi
post te desidero?

3 b. Quis hoc addat,
in isto corpore
Quod tam diu
possim superfore,
Donec Deum
in carne videro?

4 a. O si possit fieri,
Quod ad portas inferi
Non descendant animae!

4 b. Spe tamen longanimi
Se debere redimi
Credebant certissime.

5 a. Sed in quorum
secreto mentium
Regnat amor
et desiderium,
Relegari
non possunt penitus.

5 b. Pium murmur,
pia suspicio;
Nam est locus
plenus solacio,
Ubi tantus
est ardor spiritus.

6 a. Et nos ergo, qui gaudemus,
Quod iam venit hic supremus
Hic desiderabilis,

6 b. Sic vivamus in hoc mundo,
Ne venturus huc secundo
Sit nobis terribilis.

Oration. ms. Caelestinorum Parisiensium saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605). — 4 b, 1 longamini. — Steht unter einer Suite von Sequenzen.

2. In Adventu Domini.

Dominica prima.

1 a. Gaude et exsulta,
tellus, es quia

1 b. Christi in adventu
iam benedicta,

2 a. Captivitasque
ab Iacob universa
sic est aversa,

2 b. Iniquitasque
sic tua est abstersa
atque fugata.

3 a. Tecta exstant
modo scelera
tua necnon flagitia;

3 b. Omnis et ira
est avulsa a
te atque iracundia.

4 a. Prope timentes Dei
salutare adest
in eis habitans;

4 b. Veritas, misericordia
sibi iam obvia
ruunt in oscula.

5 a. Nam pax et iustitia
convenerunt [iam] una,

5 b. Infra veritas, supra
orta et iustitia.

6 a. *Dabit Deus;*
benigna dabis fructum
tuum nobis, o terra,

6 b. ~~~~~~~~~~~~~~~
Quia virgo Maria
impraegnatur illibata.

7 a. Omnes tibi
proclamemus,
Deus miserans,
omnes dicamus:

7 b. Nobis tuam
ostende
claram faciem
et salutare

8. Tuum largiri
nobis dignare.

Miss. Atrebatense imp. Parisiis 1491. A. — Miss. Atrebatense imp. s l. 1508. B. — Miss. Atrebatense imp. absque [1518] C. — 3a, 3 tua cuncta necnon et ABC. — 3b, 1 sq. omnis et est ira avulsa ABC. — 4a, 1 sq. salutare Dei ABC. — 4a, 3 iam in ABC. — 7a, 4 dicamus omnes ABC. — Melodie offenbar: Ecce gratulemur (Anal. X, Nr. 1); hier wie dort zeigen sich die gleichen Unebenheiten im Parallelismus, und zwar durchweg an der gleichen Stelle. Die Nichtbeachtung der Melodie resp. des Schemas verleitete Misset-Weale (Anal. Liturg. I, Nr. 184), die 3 Schlufsklauseln 7a sqq. als „une interpolation" zu streichen.

3. In Adventu Domini.

Dominica tertia.

1. Cunctipotens, pie pater,
excita, quaesumus,

2 a. Tuam potentiam
et veni cito,

2 b. Ut nos iam liberes
hoste zabulo.

3 a. Tu pro nobis
qui passus es

3 b. Et pro nobis
occisus es,

4 a. Salva semper
et rege

4 b. Tua sancta
gratia,

5 a. Ne ipse callidus
serpens nos separet

5 b. Et sibi faciat
servire nequiter,

6 a. Nos, qui in tuo nomine
vivimus,

6 b. Quod est sanctum sine fine
permanens.

Miss. Atrebatense imp. Parisiis 1491. B. — Miss. Atrebatense imp. s. l. 1508. B. — Miss. Atrebatense imp. absque [1518]. C. — 2b, 2 ab hoste ABC.

4. In Adventu Domini.

Dominica quarta.

1. Eia, iuxta verae
prophetiae dicta

2 a. Stella micat
valde claras
partes reddens Eoas,

2 b. Quae Balaam
a propheta
olim fuerat dicta.

3 a. Hic vir, Oriens
nomen eius nuncupatum
est ab Israelitica,

3 b. Sceptro subiget
duces alienigenas
terras atque universas.

4 a. Possessio
eius erit terra,
freta ac supera
et inferna;

4 b. Hunc dignitas
angelica pura
voce laudet, simul
et in terra

5. Fateatur
omnis lingua.

Miss. Atrebatense imp. Parisiis 1491. A. — Miss. Atrebatense imp. s. l. 1508. B. — Miss. Atrebatense imp. absque [1518]. C. — 2b, 3 fuerant ABC. — 3a, 2 sanctum nuncupatum ABC. — 4a, 2 in terra AC. — 4a, 3 atque ABC.

5. In Adventu Domini.

Dominica quarta.

1 a. Audi Deus,
nostra modulamina
aure placatissima

1 b. Debitaque
assume non ingrata
pietatis gratia.

2 a. Te concrepant
celsa cuncta
modulata organa,

2 b. Damus cantica
de tuimet
gloria composita,

Voce praecelsa
iungentia sonora
et congrua
simul pneumata.

Collaudantia
sanctorum gloriosa
multimoda
mirabilia,

3a. Ac pro superna
operata patria
[mira cum constantia],

3b. Aegrimonia
mutata in commoda
per eorum merita.

4. Ad patriam
quae nos introducant
optatam,
ubi est vera laetitia
et in fine aeterna
gloria.

Miss. ms. Autissiodorense saec. 14/15. Cod. Parisin. 17316. A. — Miss. Autissiodorense imp. Parisiis s. a. [1484]. B. — 1b, 1 Debita quoque AB. — 2a, 6 simul et AB. — 2b, 2 cuiusmet AB. — 3a, 1 Hac AB. — 3b, 2 incommoda AB. — 4, 2 introducat AB. — 4, 5 a fine A.

6. In Nativitate Domini.

„In aurora".

1a. Splendor patris et figura,
Ne periret creatura,
Potestate non natura
Partum dedit virgini;

1b. Immortalis se mortali,
Sempiternus temporali
Et immensus se locali
Conformavit homini.

2a. Christus puer nobis natus,
Mediator nobis datus,
Non naturae sed reatus
Respuit consortium.

2b. Non amittit puritatem
Stella fundens claritatem,
Nec Maria castitatem
Pariendo filium.

3a. Convenerunt in personae
Singularis unione
Sine permutatione
Verbum, caro, spiritus.

3b. Auctor tanti sacramenti
Nos confirmet in praesenti,
Nos coronet in manenti
Patria paraclitus.

Miss. Bisuntinum imp. Salini 1485. A. — Miss. Bisuntinum imp. Parisiis 1508. B. — 1b, 4 Confirmavit AB. — Melodie wahrscheinlich: Verbum bonum.

7. In Nativitate Domini.

1. Gaude, Christi caterva,
pangens mentis voce tinnula,

2a. Summi regis magna
nunc recolendo gaudia.

2b. Tripudiet cuncta
nec minus et ecclesia,

3a. Lux quia in terra
apparet
hodie nimis fulgida,

3b. Expurgans crimina
et praestans
caelestis vitae munera.

4a. Puerpera Maria,
oramus,
valeas per saecula,

4b. Per te nobis quoniam
patefacta
est poli ianua.

5a. Tuus filius
delevit Evae facinora
Et protoplausti
Adae simul
evacuavit clementer
omnia scelera.

5b. Ad te Gabriel
sede mittitur aetherea
Tibique donat
egregiae
salutis verba dicendo:
„Tu, ave, Maria,

6a. Quae sola
inter cunctas es mulieres
digna semper ac benedicta;

6b. Ex aula
Christus tua egredietur
proles regia Davidica".

7a. Caelesti, virgo,
germine fecundata,
Sancto pneumate
obumbrata
credideras
atque filium es enixa.

7b. Beata tua
ubera lacte plena;
In prole, mater
semper casta,
manent salva
castitatis tuae sigilla.

8a. Te portam invenit clausam
infans tuus, reliquit
quoque sed intactam.

8b. Vagit puer in praesaepe,
qui regit astra, orbem
necnon et maria.

9a. Hodie
angelorum congaudet
caeli militia

9b. Dans verbo
nato hymnidicas
corde et voce odas,

10. Psallens Alleluia.

Miss. ms. Praedicatorum Lugdunensium saec. 14. Cod. Capit. Lugdunen. A 6. A. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1500. B. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1556. C. — Miss. Viennense imp. [Lugduni 1519]. D. — Grad. Viennense imp. Lugduni 1534. E. — 1, 2 plangens DE; voce mentis C; vocis tumula D. — 2b, 1 Tripudient BC. — 3a, 1 sq. apparuit heri C. — 5a, 3 protoplasti C, protoplaustri E. — 6a, 2 es fehlt. BC. — 6b, 2 Christi DE; egreditur BC. — 7b, 5 manens B. — 7b, 6 tua C. — 8a, 1 sq. portam infans tuus invenit clausam ABCDE. — 8a, 3 sed fehlt DE. — 9a, 2 sanctorum angelorum C. — 9a, 3 caeli fehlt DE. — 9b lautet in C: Cum Stephano triumphante et caelos ascendente hodie.

8. In Circumcisione Domini.

1. Nato canunt omnia
Domino pie agmina

3. Voci vita non discordet;
Cum vox vitam non remordet,
Dulcis est melodia.

2. Hac die sacrata,
in qua nova sunt gaudia
in voce angelica.

4. Sicut sidus radium,
Profert virgo filium
Pari forma.

5. Balaam de quo vaticinans:
Exibit ex Iacob rutilans,
Inquit, stella;

6. Sol occasum nesciens,
Stella semper rutilans,
Semper clara.

7. Celsus nuntiat Gabriel
nova gaudia,
aeterni regis
exortum in terra,
matremque eius ita salutat:

8. „Ave, Maria,
gratia plena.“

9. Dicant omnes
et dicant singuli:
Ave, salus
totius populi,
Virgo salutifera.

10. Benedicta tu
in mulieribus,
Quae peperisti
pacem hominibus,
Salutis puerpera.

11. Castitatis in tenorem
Plasma gignit plasmatorem,
Lactat patrem filia.

12. Arto iacet in praesaepi
rex, qui cingit omnia,
carne gloriam
deitatis occulens.

13. Circumciditur
et legali hostia
mundatur ut peccator,
nostra qui venit
relaxare crimina.

14. Cuius ortus salvet omnes
cuncta per saecula.

15. Paradisi porta,
Per quam lux est orta,
Natum tuum ora.

16. Ora patrem,
iube natum,
Ut nos ducat
ad optatum
Plenum pace, gloria.

Miss. Abrincense imp. Rothomagi 1506. A. — Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545. B. — 3, 3 symphonia B. — 7, 5 ex virginis carne incorrupta A. — 8 fehlt A. — 12, 4 oculens AB. — Nach 13 schiebt B ein: Benedictus, qui venit. — 16, 2 ex te natum. B. — 16, 5 pace gaudium B. — Das Ganze ist ein Cento ohne Parallelismus der einzelnen Strophen; dieselben sind entlehnt:

Str. 1 u. 2 aus der Sequenz gleichen Anfanges (Anal. VII, Nr. 31, 1a u. 2a). — Str. 3 u. 9 aus Laudes crucis attollamus (Gautier, Adam de St. Victor³, p. 253; Str. 2 u. 3). — Str. 4 u. 6 aus Laetabundus (Kehrein, Nr. 13, Str. 5 u. 4). — Str. 5 aus Epiphaniam Domino (Anal. VII, Nr. 37, Str. 4a). — Str. 7 aus Aurea virga primae (Anal. VII. Nr. 107, Str. 3b). — Str. 8, 10 u. 16 aus der Sequenz gleichen Anfanges (Kehrein, Nr. 264, Str. 1, 2 u. 8. — Str. 11 u. 16 aus Potestate non natura (Kehrein, Nr. 184, Str. 2 und Schlufs). — Str. 12 aus Caeleste organum (Anal. VII, Nr. 35, Str. 8b). — Für Str. 13 u 14 finde ich nicht die Vorlage; vielleicht sind das die einzigen originellen Bestandteile.

9. „De Cruce Domini Prosa.“

1a. Suasus mulieris
Traduxit in posteris
Mortem morsu vetito;

1b. Sed consensus virginis
Morsu mortis hominis
Solvit nos a debito.

2a. Qui per lignum vicerat,
Per lignum deicitur;
Qui primum deiecerat,
A postremo vincitur.

2b. Per lignum deiectio,
Per lignum victoria;
Iusta compensatio,
Compensans iustitia.

3a. Signum vincens, lignum crucis,
Crux victoris, signum ducis,
Per quod victum liberat;

3b. Triumphale ducis signum,
Vivum et vitale lignum,
Quod omnes regenerat.

4a. Crux est signum triumphale,
Crux vexillum est regale,
Timoris refugium,

4b. Lignum crux medicinale,
Lignum vivum et vitale,
Languoris remedium.

5a. Ad crucem confugimus,
Quam sanguis sacerrimus
Tuus unxit, Dominus.

5b. Nos in tuo nomine
Crucem tuo sanguine
Consecratam colimus.

6a. Nostri salus generis,
Nostri dux itineris,
Qui per crucem militas,

6b. Cruce salutifera
Nos a morte libera,
Via, vita, veritas.

Oration. ms. Caelestinorum Parisiensium saec. 15. Cod. Mazarin. 3897. (605). — 5a, 3 Domine.

10. In Inventione s. Crucis.

1a. Vexilla
Christi refulgent
inclita
die hodierna,

1b. Cum valde
nobis colenda
recursant
crucis sollemnia.

2a. Quae diu latuit,
gemma pretiosissima,

2b. Hac die claruit
signa per apertissima.

3a. Constantini fluctuaret
dum mens anxia,

3b. Quod instabat, belli timens
infortunia,

4a. Multa volvens crucis instar
signum videt factum caelitus,

4b. Et cum signo recitatur
vox talis facta divinitus:

5a. In hoc vinces,
Constantine;

5b. Crux est signum
triumphale.

6a. Vocem fides, nec est mora,
certa subsequitur;

6b. Nam rex vincit, hostis vero
victus dispergitur.

7a. Ubi vero sanctae crucis
virtus tam aperta
dignoscitur,

7b. Regis mater regis iussu
Solymam Helena
ingreditur.

8a. Ex milibus quam plurimis
Iudaeorum Iudas unus
asciscitur,

8b. Ad monstrandum crucis lignum
siti, fame vique multa
compellitur.

9 a. Quo invento cum duobus
dum, quod esset,
rursus ambigitur,
Ecce, clara
crucis indicia:

9 b. Mox defunctus superiecto
Christi ligno
sospes erigitur.
Ergo signa
crucis victricia,

10 a. Cuius sunt in Christi
manibus expansis
expansa cornua,

10 b. Adoret plebs omnis
hodie devota
flectendo genua.

11 a. Adoremus crucem,
in qua Christi
panduntur viscera;

11 b. Collaudemus Christum,
qui per crucis
triumphat schemata.

12 a. O crux, signum
deicale,

12 b. O crux, lignum
typicale!

13 a. Quae per tactum interdictae
poena mortis pullulavit
arboris,

13 b. Arbor digna, vacuasti
mite pondus Christi gestans
corporis.

14 a. Cruciandis
quod ad poenam
fuit olim et crudele
suspendium,

14 b. Est salvandis
ad salutem
iam per Christum et vitale
suffragium.

15 a. Iam nunc igitur crucis
laudabilia

15 b. Iubilemus ovantes
in praeconia;

16 a. Flagitemus
Iesu misericordiam,

16 b. Qui per crucis
nos redemit potentiam.

17 a. Nos conservet,
nos defendat
pius ab hostibus

17 b. Nobis semper
et ubique
insidiantibus.

18 a. Per quam fuit
nobis mortis
incussio,

18 b. Sit per crucem
nobis vitae
protectio.

19 a. Amen iucunda
sonet modulatio,

19 b. Amen dicamus
vocis cum tripudio,

20. Amen, Alleluia.

Grad. et. Trop. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). A. — Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1609. B. — Trop. ms. Catanense saec. 12. Cod. Matriten. Barbieri s. n. (nach Misset-Weale II, 491). C. — 1 b, 3 refulgent AB. — 4 a, 1 instat A. — 5 a, 1 vices A, vince C. — 6 b, 1 vicit AB. — 7 b, 1 sq. mater iussu Hierosolymam AB. — 8 a, 3 absciditur A, assistitur B. — 9 b, 5 Christi victricia C — 11 b, 3 scemata A; stemmata C. — 12 a, 2 Dei quale AB. — 12 b, 1 signum A. — 12 b, 2 Christi quale AB. — 13 a, 1 Ave per A. — 14 b, 1 Et salvandis A. — 14 b, 3 est vitale A. — 15 b, 1 orantes C. — 18 a, 1 sqq. Per quem nobis fuit certa redemptio AB. — 18 b, 2 nobis perpes AB. — 19 a u. 19 b umgestellt AB — 19 b, 2 vocibus AB. — 20 Alleluia fehlt AB.

11. In Exaltatione s. Crucis.

1. Exaltemus regem,
qui gubernat omnia;

2 a. Qui oblatus in te,
crux beata,

2 b. Destruxit mortis vim
vita data

3 a. Quondam poena damnatorum,
Modo salus peccatorum
Et plebis gloria,
quam parit mater ecclesia.

3 b. Membris Christi adornata
In honore es mutata,
Dum regem suscipis,
qui frangit mortis imperia.

4 a. Arbor sancta,
ceteris praefulgida,
salvatoris
purpura ornata.

4 b. Peccatoris
medela, te honorat
creatura
per te reparata.

5 a. Signum salutis,
salus in angustia,
virtutum omnium socia,
scutum fidei,
credentis animae tutela.

5 b. Praesens munimen
invincibile contra
antiqui hostis insidias,
in sacramentis
omnibus comes et praevia.

6 a. Ergo rex omnium,
qui per te redemit
perdita,

6 b. Hos te venerantes
relaxet a poena
debita,

7. Mundet culpas
augeatque bona. Amen.

Pros. et Trop. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). — 2 b, 1 sq. mortis suae vita. — 6 b, 1 Hoste venerantes.

12. De Corona Spinea.

1 a. Nova laudum cantica
Plebs solvat catholica
Regi coronato;

1 b. Corona dominica
Serta praebet caelica
Hoste triumphato.

2 a. Dumque Christus patitur,
Perforatur, pungitur
A spinae punctura,

2 b. Culpae poena tollitur,
Homo reus solvitur
Hostis a pressura.

3 a. Inter spinas lilium
Spina vernans filium
Cingit creatoris;

3 b. Per istud ludibrium
Sic nostri remedium
Confertur maeroris.

4 a. O quam felix punctio,
Nos mundans a vitio!
O quam felix spina,

4 b. De qua fluxit unctio,
Culparum remissio,
Mundi medicina!

5 a. Spinae rubent sanguine,
Mundum lavant crimine
Caelum reserantes.

5 b. O caelorum Domine,
Fac divino lumine
Frui te laudantes.

Missale Claromontense atque S. Flori imp. Lugduni 1541. A. — 1 a, 2 solvant. — 2 a, 1 Denique.

13. In Translatione s. Coronae.

1 a. Christo passo condolemus
Et, quod passus est, gaudemus
Diversis respectibus.

1 b. Gaudent enim Christum pati
Patientes, qui sanati
Sunt eius livoribus.

2 a. Sed non possunt non dolere
De tractato tam severe
Tam et inhumanitus.

2 b. Neque modus est dolori,
Cum videtur ita mori
Tantus et tam inclitus.

3 a. Verum mortis instrumenta,
Per quam salus est obtenta,
Si sunt nobis gaudio,

3 b. Inde tamen et Iudaeis
Nil debemus, cum haec eis
Non esset intentio.

4 a. Sed in cruce gloriamur
Et coronam veneramur,
Clavos et similia,

4 b. Nec in tota passione
Reperitur quid coronae
Maius contumelia.

5 a. Nam cum rex illuditur
De regali habitu,
Magis inde laeditur,
Quam et de interitu.

5 b. Quos ergo conciliat
Ita Christi passio,
Congaudere faciat
Coronae translatio.

Oration. ms. Caelestinorum Parisiensium saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605). — Unter einer Suite von Sequenzen. — 1 b, 1 Gaudeant. — Die Überschrift ist in der Hs. irrtümlich „In translatione s. crucis.“

14. De „Quinque Plagis Christi“.

1 a. Rex Salomon purpuratur,
Vertice diadematur
Christus duris sentibus;

1 b. Dum Isaac immolatur,
Aries dumo litatur
Haerens cornu vepribus,

2 a. Et Ioseph fera voratur,
Polymita cruentatur
Ab aemulis fratribus;

2 b. Ionas fauci piscis datur,
Daniel saevis iactatur
In lacum leonibus.

3 a. Heu flagella, heu columna,
Heu crux, clavi, heu corona,
Heu crudelis lancea.

3 b. Ave, latus sanguifluum
Paradisi dans riguum,
Quo lavantur terrea.

4 a. Salve, plaga dextrae manus,
Per te physon est humanus
Adeptus remedia.

4 b. Vale, vulnus palmae laevae,
Dulcis gyon, quo stirps Evae
Surgit a miseria.

5 a. Euge, fossa pedis dextri,
Tigri ocior equestri
Ex te venit venia.

5 b. O sinistrae livor plantae,
Euphrate frugi rorante
Reis fluit gratia.

6 a. Per fenestras respiciens,
Per cancellos prospiciens
Nostrum post parietem,

6 b. In foraminibus petrae,
In caverna maceriae,
Iesu, praebe quietem.

Miss. Lingonense imp. Trecis 1549. A. — Miss. Lingonense imp. Trecis 1572. B. — 2 a, 2 Polytima AB. — 5 a, 1 penis dextri AB.

15. „De V Plagis Domini."

1 a. Ave, latus lanceatum,
Unde fluxit flumen gratum,
Da caritatis ducatum
Ad aeternae vitae statum.

1 b. Ave, manus dextra Christi,
Perforata plaga tristi,
Fac nos per virtutem spei
Sedere ad dextram Dei.

2 a. Ave, palma Iesu laeva,
Sic confixa manu saeva,
Nos a malis fide leva,
Quae produxit mater Eva.

2 b. Ave, vulnus dextri pedis,
Duc affectum nostri cordis
Per viam humilitatis
Et submissae paupertatis.

3. Ave, plaga laevae plantae,
Qua virtutum crescunt plantae,
Ad te moribus converte
Castos [corpore] et mente.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 3, 1 laeva.

16. „In Veneratione Miraculi sancti Sanguinis Christi."

1 a. Lauda crucem, plebs votiva,
Quae per crucem recidiva
Luce luces primitiva
Repulsa caligine.

1 b. Dum laudandi datur hora,
Laudes promat vox canora,
Lauda simul et adora
Coronam cum sanguine.

2 a. Laus in choro sonet grata
Pro corona nobis data,
Christi tactu sonsecrata,
Rubricata sanguine.

2 b. Christi caput dum foratur,
Spina forans cruentatur
Et beati consecratur
Cruoris aspergine.

3 a. Sepulcri pars honoretur,
Christi sanguis adoretur,
Quo peccati mors deletur
Vita nobis reddita.

3 b. Et laudantes his iuvemur,
Nunquam donis his privemur,
Sed in horum delectemur
Semper laude debita.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — Melodie: Verbum donum.

17. In Transfiguratione Domini.

1 a. Iesus montem Tabor scandit,
Coram suis sui pandit
Secreti magnalia.

1 b. Illic se dum transfigurat,
Tribus solis praefigurat,
Vita quae sit alia.

2 a. Mons est Tabor, lux hinc venit,
Et Moysi lex praevenit,
Heliae prophetia.

2 b. Vultus ut sol resplendescit,
Mens est vultus, quae clarescit
A caelesti gloria.

3 a. Vestis carnis enitescit
Plus quam nix, hanc fullo nescit
Nec ars nec industria.

3 b. O quam bonum nos hic esse!
Sed relabi, heu, necesse,
Premit ac miseria.

4 a. Post, circumdans dum subitur
Nubes, patris vox auditur;
Cadunt vires, mens sopitur
Sapienter ebria.

4 b. Tunc trinitas se revelat
His, quos nubes splendens celat,
Pandens caelos terram velat,
Pater dat imperia.

5 a. Pavent, Christus sed solatur,
Ne timeant, adhortatur;
Surgunt, solus cerni datur
Iesus in praesentia.

5 b. Nam felix cor post hunc raptum
Nil in terris videt aptum,
Solem zelat philocaptum,
Redit amicitia.

6. Ergo sic transfiguremur,
Semper intus renovemur,
Nunc spe, post re sublevemur
Ad caeli palatia,
Ubi paret gloria.

Miss. ms. Metense sacc. 15. Cod. Meten. 13. — 2 a, 1 et Thabor. — 2 b, 1 resplendescat. — 2 b, 2 clarescat. — 5 b, 2 vidi. — Die Abschrift verdanke ich der Güte des P. Ernest Rivière, S. I.

18. In Transfiguratione Domini.

1 a. Glorificandus
laetetur quilibet iustus,
Alleluia;

1 b. Nunc meditetur,
videat gustetque dotis
suae dona.

2 a. Transfiguratus Christus
est coram discipulis
monte ita:

2 b. Resplenduit facies
eius ut sol, vestisque
ut nix alba.

3 a. Moyses et Helias
loquebantur cum eo
voce alta;

3 b. Testes sunt dignissimi
cum discipulis veri
de re ista.

4 a. Petrus dixit tacente
Iohanne et Iacobo
mente laeta:

4 b. Domine, fiant hic tres
domus, duae prophetis,
pro te prima.

5a. Cum haec profert, umbrantur,
et vox patris auditur
discipulis territis
nube clara:

5b. Hic est filius meus
dilectus, hunc audite,
[qui] missus pro omnibus
valle vestra.

6a. Hos Christus confortat
iubens, ne hoc dicant,
donec resurgat
morte victa.

6b. Sic nos hic confortet,
et secum nos locet
finita carnis
nostrae vita.

Oration. ms. Caelestinorum Parisiensium saec. 15. Cod. Mazarin 3897 (605). -- 2a, 1 sq. Transfiguratus est Christus. — 5a, 3 illis territis. — 5b, 2 ipsum audite. — Schema der Sequenz ist offenbar Laetabundus, aber ohne Wahrung des Reimes.

19. In Transfiguratione Domini.

1a. Lux de luce revelatur,
Christus dum transfiguratur,
Mons in monte cernitur.

1b. Petrus, Iohannes stipatur,
Iacobus ad haec vocatur,
Deitas ostenditur.

2a. Solis lumen nube tectum
Nubis sub velamine
Nostrae nubis fert obiectum
Nec obest in lumine;

2b. Nostrum vergit in defectum
Sol ortus in virgine,
In deiectu dans effectum,
Lumen in caligine.

3a. Faciei claritatem
Mirantur discipuli,
Cernentes divinitatem
Caligantur oculi;

3b. Candens vestis puritatem
Praesagebat vituli
Passuri mortalitatem
Pro salute populi.

4a. Hinc Elias Christo gratus
A supernis est delatus,
Moyses ab inferis;

4b. Petrus petit, sed ingratus,
Non advertens incolatus
Protoplausti veteris.

5a. Tunc sonuit vox paterna;
Corda tremunt, dum superna
Panduntur eloquia.

5b. Diriguntur ad aeterna,
Die fantur hodierna
Dei mirabilia.

6a. Tunc noverunt ex scriptura,
Quod latebat sub figura,
Quis ordo, quae ratio,

6b. Quae sunt vincla, quae iunctura,
Quis sub utraque natura;
Solvitur obiectio.

7. Cui laus est sine mensura,
Sit nostra salvatio.

Miss. Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527. — 1b, 1 stirpatur. — 6b, 1 vincula.

20. In Resurrectione Domini.

1. Alte spiritus
fidibus nunc cordium cantant.

2a. Viscera penetrans
Domini gratia

2b. Virginis intravit
casta hospitia,

3a. Dignatus solvere
cuncta criminum
nostrorum piacula,

3b. Quo zabuli victa
cedens caderet
maligni superbia.

4a. Libavit quondam
mortis atrae
crucis tenebras
Christus vulnera,

4b. Ut vetus nostrum
vulnus atque
scelus illius
tergant stigmata.

5a. Haec est ipsa nostra,
quae salus hodie
rutilans
nobis fulget praeclara.

5b. Quocirca nos omnes
laetemur gaudentes
incliti
pro regis victoria.

6a. Ipse triumphans
morte victa surrexit,
et vitae dedit
suis praemia;

6b. Per quem vivamus,
gratias ei semper
solventes, qui tot
praestat munera.

7a. Psallat contio
plebsque cuncta Deo
hymniens
voce consona,

7b. Quo semper nostra
gubernet tempora
protegens
larga dextera.

8. Cuncta laetentur una.

Miss. ms. Praedicatorum Lugdunensium saec. 14. Cod. Capit. Lugdunen. A 6. A. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1500. B. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1510. C. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1530. D. — 2a, 2 Dei D. — 3a, 3 pericula ABCD. — 4a, 1 Cibavit A. — 4b, 4 tergat C. — 6a, 2 vita C.

21. In Resurrectione Domini.

Feria II Paschae.

1a. Audi mirabilia,
Qui sedes in portis:
Leo de prosapia
Iudae, gigas fortis,
Explicat vexilla.

1b. Fel, acetum, spongia,
Clavi dire fortis,
Spinosa flagitia
Solimae cohortis
Dant, quod parit Silla.

2a. Respexit calidius
Nostras egestates
Illatas inferius
Et infirmitates,
Descendens ad infera;

2b. Verbum caro carius
Ad captivitates
Deduxit in melius
Praestans libertates,
Ascendendo supera.

3a. Pontio Pilato
Barrabas dimittitur,
Pro nostro peccato
Vir innocens occiditur,
Quem Longinus aperuit.

3b. Iesu morti dato
Sol eclipsim patitur;
Latere sacrato,
Iohanne, Marco scribitur,
Sanguis et unda profluit.

4a. Si vero Phoenix tertia
Resurrexit die,
Plura sunt testimonia:
Custodes exterriti sunt,

4b. Angelorum consortia
Demonstrant Mariae
Sacras vestes, sudaria;
Discipuli gavisi sunt.

5a. Decantemus Alleluia.
Quid vidisti, dic, in via,
Maria?
Angelos vidi canere:
Nolitis expavescere,
Gallilaeam videbitis,
Surrexit hic, quem quaeritis,
Sophia.

5b. Decantemus Alleluia.
Qui vidisti, dic, in via,
Maria?
Mox resurgentis gloriam
Vidi, sepulcrum etiam,
Dum frangit infernalia
Signo crucis palatia
Maestia.

6. Christum veniens ungere
Dixit: Noli me tangere,
Qui sum Alpha, principium,
Et O, qui finis omnium.
Mente pia
Decantemus Alleluia.

Miss. Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527. — 1b, 4 Solinae. — 2a, 1 caliduus. — 2a, 3 infernis. — 2b, 1 caro carnis. — 2b, 4 Praestas. —

22. In Resurrectione Domini.

1a. Assumpto Deus homine
Naturae gigas geminae
Currendam viam arripit;

1b. Descensurus ad infera
De summa patris dextera
Mirandum cursum incipit,

2a. Quo virginalis uteri
Dignatur hospes fieri.
Sic ad suos ingreditur,

2b. Sic suis est exhibitus,
Sed a suis incognitus
A suis non recipitur.

3a. Quin reputantes impium
Visum sibi contrarium
Morte damnant turpissima,

3b. Per quam seiungi poterat,
Quod natura coniunxerat,
Id est corpus ab anima.

4 a. Sed neutrum liquit deitas,
Quia, quod iungit caritas,
Iugum mortis non opprimit.

4 b. Fortis ut mors dilectio,
Quae mortis ab imperio
Sua potenter eximit.

5 a. Divisa naturalia
Freta Dei potentia
Prosequuntur propositum;

5 b. Pars triumphat de satana,
Pars sua servat organa
Triumphantis ad reditum.

6 a. Utrimque Deo comite
Sunt partes sibi redditae,
Resurgit Christus libere.

6 b. Resumit ultro perditum
Promulgans, ut sit licitum
Nos sibi conresurgere.

7 a. Iesu, nostra redemptio,
Qui sic transcurso stadio
Patris intras in gloriam,

7 b. Trahi post te nos iubeas,
Ubi loces, cum remeas,
Nostrae carnis substantiam.

Oration. ms. Caelestinorum Parisiensium saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605).

23. De Corpore Christi.

1 a. Veneremur sacramentum,
Per quod nobis est donatum
A morte liberari.

1 b. O quam pium, quam devotum,
In hoc vires et cor totum
Ferventes oblectari.

2 a. In hoc quippe sacramento
Totus Christus Deus homo
In carne et sanguine

2 b. Nec est tanto bono dignus,
Qui dubitat, sed indignus
Christiani nomine.

3 a. In hoc enim est meritum,
Quod credimus absconditum
Sub alia specie,

3 b. Si agimus, quod placitum
Deo constat et debitum
Eius tantae gratiae.

4 a. Panis vive, panis sancte,
Panis munde, panis vitae,
Gustu suavissime,

4 b. Sanguis Christi pretiose,
Sanguis iuste, potus pie,
Haustu sapidissime.

5 a. O victima singularis
Hostiaque salutaris,
Nostri nunc miserere
Daque sancte vivere,

5 b. Ut per tui sumptionem
Mereamur sessionem
Cum sanctis in requie
Perpetuae gloriae.

Prosar. ms. Caelestinorum Parisien. anni 1532. Cod. Mazarin. 448 (758) A. — Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianen. 132. B. — Prosar. ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Ravennaten. 360 (139. 5. S) C. — Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1514. D. — Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1534. E. — 1 a, 1—3 a, 2 fehlen A. — 3 b 1 agamus C. — Str. 4 b fehlt C. — 5 a, 3 Nostrique miserere C.

24. De sancto Spiritu.

1 a. Veni, sancte spiritus,
Quibus es paraclitus,
Horum mentes visita,

1 b. Mentes illas robora,
Quarum regis pectora
Tuae legi subdita.

2 a. Tu aspiras omnibus
In orbe mortalibus
Carnis vitam

2 b. Et sanctis spiritibus
Vitam in caelestibus
Infinitam.

3 a. Imple corda fidelia
Virtutis tuae gratia

3 b. Tibi nos absque macula
Dedicans habitacula.

4 a. Qui in linguis igneis
Civibus aethereis
Linguarum innumera
Tribuisti genera,

4 b. A peccatis surgere
Et beate vivere
Da per salutifera
Sanctitatis opera.

5 a. Tu peccati remissio,
Tu cordis expiatio,
Sacratas Deo animas
Acceptas redde victimas.

5 b. Tu dextrae Dei digitus,
Tergens culpas divinitus,
Magdalenae dans intimas
A cordis fundo lacrimas.

6 a. Tu latronem Christo duce,
Dum pendens esset in cruce,
Ab errore convertisti
Et ad veram reduxisti
Lucis viam.

6 b. Tu qui Petrum visitasti
Et compunctum confirmasti,
In pectoribus tuorum
Fac calere servulorum
Flammam piam.

7 a. Qui martyribus beatis
Membris iam divaricatis
Firma fide suae mentis,
Dum certarent in tormentis,
Dedisti constantiam,

7 b. Et virginibus sacratis
Fervorem per caritatis
Hanc infundis pietatem,
Ut servent virginitatem
Et carnis munditiam,

8 a. Assis, nobis, quibus aestus
Carnis obviat infestus,
Virentibus ardentia
Nostra rora incendia,

8 b. Ut per paenitendi viam
Imitemur vel Mariam,
Quam fletus post suspiria
Lavit ab immunditia.

9. Spiritus, creator alme,
Immortalis stolam palmae
Nobis dona
In corona
Sanctorum et gloria.

Miss. Sosmense imp. Parisiis 1547. — 6a, 5 vitam.

25. Die Dominica.

1. Quanta gaudia
piis sint in caelis,

2 a. Hoc praefinivit
totius mundanae
machinae solus regulus
inclitus,

2 b. Cum ex Aegypti
partibus reduci
sanxerat alimoniam
providus.

3 a. Cuius manus dextera
Aethiopum
straverat populum,

3 b. Ut se mirabiliter
mirabilem
celebrent Dominum,

4 a. Qui dum acriter
tribum hanc sibi
vinxerat libere,

4 b. Ipsi contra se
garrulo semper
ore tumuere.

5 a. Ergo nunc pie, Christe,
corda tu regis

5 b. Monstrando illis iter
vitae mandatis.

6 a. Adauge tibi gregem
Israelis populi,

6 b. Quem foves nutriendo
loco cari filii.

7 a. Lapsis more solito
porrige auxilium
manu placida de caelis;

7 b. Hoc te rogat sedule
contio haec animis
in doloribus adflictis,

8 a. Nunc ut in terris
animae
nostrae iucundae
a sordibus mundatae
splendidiores
appareant,

8 b. Atque nil secum
portantes
nigri livoris
ex Aegypti partibus
caelum cum sanctis
possideant.

9 a. Hoc tu, Christe,
cum pio [da] patre
paraclito atque una;

9 b. Praesta nobis
perpetuam pacem
cum quiete possidere.

Trop. ms. Metense saec. 12. in. Cod. Meten. 452. A. — Miss. ms. S. Arnulfi anni 1321. Cod. Meten. 133. B. — 1, 2 sunt A. — 2 a, 3 solus relegus A. — 2 b, 4 providus fehlt AB; die Schlufsklauseln der Strophenpaare haben sonst immer Assonanz, ein Fingerzeig, wo in der Strophe 2 b eine Lücke sein mufs. — 3 a u. 3 b umgestellt A. — 3 b, 1 Et B. — 6 b, 1 foveras AB. — 8 a, 1 Nunc et in B. — 8 b, 4 ex fehlt A. — Die Vernachlässigung der Assonanz in 9 a, 3 u. 9 b, 3 ist verdächtig. — Melodie vermutlich: Magnus Deus in universa (Anal. VII, Nr. 201).

26. De Die Dominica.

1 a. Haec est dies,
quam fecit Dominus;
Dies est laetitiae,

1 b. Qua sol nobis
illuxit comminus,
Christus, sol iustitiae.

2 a. Qua ereptis miseris
de lacu miseriae

2 b. Palmam mundo protulit
insignem victoriae.

3 a. Qua scisso chirographo
Adae culpae veteris

3 b. Ovem pastor perditam
revexit in umeris.

4 a. Haec est dies prima mundi,
tenebras quae dispulit.

4 b. Et iucundae novum lucis
mundo munus intulit.

5 a. Haec est, qua fulsere mundo
Christi natalitia;

5 b. Haec est Christi insignita
resurgentis gloria.

6 a. Celebretur ergo dies
ista cum laetitia;

6 b. Psallat Christo caelum, tellus
et cum eis omnia.

Miss. ms. Baiocense saec. 13. (et 14.) Cod. Capit. Baiocen. 62. A. — Miss. ms. S. Petri Cadomensis anni 1451. Cod. Cadomen. Mancel. s. n. B. — Miss. Baiocense imp. Rothomagi 1501. C. — Miss. Baiocense imp. Rothomagi 1504. D. — Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1529. E. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. F. — Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?] G. — 1 a, 3 haec est A, haec laetitiae FG. — 1 b, 2 comminus fehlt G, dominus F, quominus CDE. — 2 b, 1 pertulit FG. — 3 b, 1 Quem CD, Quam EG. — 4 a, 2 depulit C. — 5 a, 1 fulscere AB. — 6 a fehlt F.

27. De Die Dominica.

1 a. Salve, dies sanctissima,
Dies fulgens et praeclara
Et melior quam milia.

1 b. Hanc trinitas praeelegit,
Dum in ea requievit
Peracta mundi opera.

2 a. Lex hanc digne et prophetae
Iubent, monent custodire
In omni sanctimonia.

2 b. Hanc custodit, qui repellit
Cuncta mala, Dei iussa
Tenet implens mente pia.

3 a. Pro hac manna duplex datur,
Per quod Christus figuratur,
Dulcor cuius replet cuncta.

3 b. Hic reficit sua carne
Sumentibus digne sancte
In futuro praesentia.

4 a. In hac Christus resurrexit
Et hanc diem dedicavit,
Unde dies Dominica.

4 b. Tam sollemnem fecit Deus;
Exsultemus et laetemur
Et laudemus hunc in ea.

5 a. Christe Deus, hoc concede
Et fac dignos tuae mensae,
Assistentes sanctifica.

5 b. Mentes purga, corda munda,
Ut sint digna obsequia,
Et perfice pia vota,

6. Ut finita carnis vita
Cum superis et electis
Gloriemur in gloria.

Grad. et Trop. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). A. — Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. B. — 2 a, 2 custodiri AB. — 5 b, 3 Te perfice A.

28. In Commemoratione Defunctorum.

1 a. De profundis
clamantes gemimus
Et gemendo
preces effundimus:
Exaudi nos, Domine.

1 b. Miserere,
misertus miseris,
Qui salvator
et salus diceris
Competenti munere.

2 a. Sicut cervus
ad fontes properat,
Sic anima
ad te desiderat,
Fons misericordiae.

2 b. Fontis huius
aquis nos abluas
Nec secundum
culpas retribuas,
Deus indulgentiae.

3 a. Nec mensuram
observes scelerum,
Nec culparum
numeres numerum,
Sed da locum veniae.

3 b. Non est opus
reis iudicio,
Sed adflictis
detur remissio
Dono tuae gratiae.

4 a. Tu dixisti:
„Vos, qui laboribus
Pressi estis
atque oneribus,
Ego vos reficiam".

4 b. Ecce, ad te
pressi confugimus,
A te solo
refici petimus
Per tuam clementiam.

5 a. Nec facturam
tuam despicias,
Sed clamantem
pius respicias
Dans reis remedia.

5 b. Qui venturus
es iudex omnium,
Animabus
cunctis fidelium
Des aeterna gaudia.

Miss. Andegavense imp. [Parisiis] 1489 A. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1492. B. — Miss. Cenomanense imp. Parisiis 1494. C. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1533. D. — 1 b, 4 salus decoris AB. — 2 a, 4 considerat ABD. — Am Schlusse: Amen dicant omnia sanctorum agmina C.

29. „Pro peste evitanda."

1 a. Cum propter peccatum regis
Furor Dei caedem gregis
Fecisset quam plurimam,

1 b. Iam angelus proximabat,
Gladium quoque vibrabat
Super Ierosolymam.

2 a. O quam tristis
Fuit pestis
A Dan usque Bersabee!

2 b. Heu, quam gravis,
Licet brevis
Fuit ictus romphaeae!

3 a. Nam de tribus optio
David in arbitrio
Prius data fuerat,

3 b. Qui caedis continuum
Vindictam per triduum
Anxius elegerat.

4 a. Jamque ferox illa dies
Decem milia septies
Prostraverat hominum;

4 b. Sed hanc stragem dum prospexit,
Clemens Deus se reflexit
Irae ponens terminum.

5 a. Erat enim angelus
ipse Dei
Secus aream Ornam
Iebusaei.
O quam praestabilis,
O quam est facilis
Divina gratia!

5 b. Nam misericordiae
recordatus
Dixit illi „Sufficit“
iam placatus.
Non vult peccatoris
Mortem creatoris
Nostri clementia.

6 a. O rex ergo firmamenti,
Recordare testamenti,
Nec caedem continua.

6 b. Dic angelo ferienti
Iam grave percutienti:
„Cesset iam manus tua“.

7 a. O Maria, flos virginum,
Nobis veniam criminum
Impetres apud Dominum.

7 b. O cuncti cives caelici,
Commendate nos iudici
Vestro precatu supplici,

8 a. Iam ut cesset vis furoris
Et gladius percussoris;

8 b. Nobis quoque, tandem cunctis
Det gloriam vita functis.

Miss. Rothomagense imp. Rothomagi 1499.

30. Contra Pestem.

1 a. Summae verae trinitatis,
Indivisae deitatis
Postulemus gratiam,

1 b. In hac valle tempestatis
Intuitu pietatis
Pellat epidemiam.

2 a. Ad te, virgo gloriosa,
Vertimus oraculum,

2 b. Sis pro nobis advocata
Apud tuum filium.

3 a. Scimus nos reos esse,
Sed tu virgula Jesse
Subvenias famulis,

3 b. Nil poterit prodesse,
Si refutes adesse
Nobiscum, o utilis.

4 a. Sancte baptista Iohannes,
Repraesentare nos omnes
In conspectu iudicis.

4 b. Sancte Petre, principatum
Tenens et apostolatum,
Flecte iram vindicis.

5 a. Protomartyr
Stephane, ora pio,

5 b. Ut nos servet
ab ignis incendio.

6 a. Ad te, Adriane,
Confugimus plane,
Ut succurras istis;

6 b. Ac, Sebastiane,
Deprecare sane,
Indulgeas christis.

7 a. O Clemens, pastor Romane,
Quam devote, quam benigne
In te omnes speramus,

7 b. Supplicare cum Wulframo
Atque patre Antonio,
Ut hic non pereamus.

8 a. O virgines gloriosae,
Poscite affectuose
Regem pro nobis supremum,

8 b. Ne nos pro nostris commissis
Sceleribus et omissis
Iudicet in interitum.

9. Sed nos vestris suffragiis
Relictis his miseriis
Iungat in caeli curia;
Amen dicant omnia.

Grad. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisin. 905. A. — Miss. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisin. 17317. B. — Missale Rotomagense imp. Rotomagi 1499. C. — 2a, 2 Vertimur AB. — 4a, 2 Ture praesenta (L.: Tu repraesenta), augenscheinliche Korrektur. Der Infinitiv als Imperativ, wie sonst öfter; vgl. 7b 1. — 6a, 3 succurres AB. — 6b, 3 Miseretur istis A, tristis B. — 9, 2 hic AB. — A bemerkt: „Missa pro curanda mortalitate, quam Dominus papa Clemens VI. constituit et fecit cum dominis Cardinalibus et concessit omnibus audientibus 240 dies de indulgentia. Quilibet audiens missam debet in manu sua tenere candelam unam, donec missa fuerit completa, et per quinque dies continuare dictam missam, et illa mors eis nocere non valebit.‘

II.

DE BEATA.

31. In Conceptione BMV.

1 a. Surge, caterva, psallens
iucunda
nunc tot gaudia,

1 b. Annae iam intuendo
filiam,
quae est Maria,

2 a. Nitida caro,
sine ulla
originis infecta
macula.

2 b. Cantat propheta
quaerens labem
Dei matris: non erit
inventa.

3 a. Canit virgo: necdum erat
culpae malum,
fui concepta.

3 b. In Hester, dixit, non pro te,
sed pro cunctis
lex est posita.

4 a. Verius redempta
a Christo, quam reliqua
sanctorum turba.

4 b. Satis honorata
non esses mater, labe
[si] involuta.

5 a. Bene te reservavit
a partus aerumna,

5 b. Arca Dei futura,
mater praeelecta.

6 a. Sancta Iesu Christi fuit
caro tua;

6 b. Ergo, si mundus, pariter
tuque munda.

7 a. Salve, tota
pulchra Dei amica,

7 b. Iam non surges,
nunquam lapsa domina.

8 a. In te fallit
maledictum,
Adae primi
de prole nascitura.

8 b. Ber decem
hic est mensis
signans dragmam,
quae fuerat perdita;

9 a. Nardus
suavitatis, munda,

9 b. Pura
adinvenit Maria.

10. Suscipe vota
a supplici Dei ecclesia.

Miss. Tolosanum imp. s. l. 1490. A. — Miss. Tolosanum imp. Lugduni 1524. B. — 5 b, 1 Arca filii Dei AB. — 6 b, 1 sq. tuque pariter AB. — 10, 2 supplici de ecclesia AB. — Eigentümlich ist das Akrostichon: Sanccius Basesii Bernardus. Wer will es deuten? — 8 b, 1 Offenbar eine kühne Umstellung statt Decem-ber, in welchen Monat das Fest der Immaculata Conceptio fällt.

32. In Conceptione BMV.

1 a. Exsultet coetus
fidelium

1 b. In puritatis
principium.

2 a. Revelavit condensa
Dominus, rex regum omnium.
Dicant ergo gloriam
omnes per Mariam,
purum templum dominicum,

2 b. Quam non mundavit Deus,
sed praeservavit altissimus.
Virgo virginum, illud
fuit initium
puritatis tuae gaudium,

3 a. Ut Dei patris unicum
pure vestires filium. *
Sicut in caelo
unicus aequalem sibi *
patrem habet filius,

3 b. Sic et in terris
* Dei filius [te] matrem
habet sine macula.
* Cesset ergo iniquitas
ac invidorum pravitas,

4 a. Cum ipsam totam
pulchram ac absque

4 b. Macula sacra
canat pagina.

5 a. O Maria,
sanctorum melodia, *
Da virtutem
te [hic] laudantibus
Contra puritatis *
tuae aemulos.

5 b. Mater puritatis,
* vitam promissam
Apud thronum
divinae maiestatis
* Impreta te
elucidantibus.

Miss. Nivernense imp. Parisiis 1490. — 2b, 1 Dominus. — 2b, 3 O virgo. — 3b, 5 perversitas. — 5b, 1 O mater. — 5b, 2 promissam cum beatis. — Bei 1b u. 4b fehlt in der Quelle die Initiale.

33. In Conceptione BMV.

1 a. Mater Dei
Praesentis luce diei
Est concepta.

1 b. Simul tota
Salvatio lux et nostra
Est incepta.

2 a. Iesse radix inclita,
David aula regia
Praecessere;

2 b. Virgam sine frutice,
Nobilem propagine
Protulere.

3 a. Haec virga de regibus,
Haec de sacerdotibus
Est producta.

3 b. Terra, quae hanc genuit,
A Deo saepe fuit
Benedicta.

4 a. Virgo sancta virga est,
Flos de virga Christus est
Splendens late.

4 b. Plenus carismatibus
Septiformis spiritus
Fulget clare.

5 a. O beata domina,
Misericordissima,
Nostra tot pericula
Intuere.

5 b. O tu clementissima,
Maris stella lucida,
Supplicantes adiuva
Et tuere.

6 a. Tua conceptio
Grandi tripudio
Fuit coetui
angelico;

6 b. Cum quo collegio
Nostra devotio
Deum collaudet
in iubilo.

Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1488 A. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1496. B. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1500 C. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1548. D. — Melodie natürlich: Laetabundus.

34. In Conceptione BMV.

1 a. Initium
salutis oritur,
Dum Maria
virgo concipitur;
Tantae festum
hodie colitur
Laetitiae;

1 b. Anna senex
fecunda redditur,
De supernis
virtus infunditur,
Ierusalem
filia psallitur
Rex gloriae.

2 a. Hoc sollemne
festum prae ceteris,
Nam est primum
et causa posteris,
Per hoc virgo
fit arca foederis
Et honoris.

2 b. Anna, latet
in te mors funeris,
Fructum profers
praecelsi generis,
Quo pascitur
productor temporis,
Fons dulcoris.

3 a. Cibum praebes
Caelesti pabulo,
Quod non debes,
exsolvis populo,
Nam non tibi
paris, sed saeculo,
Anna, natam.

3 b. Paris natam
et paris genitam
Nobis quippe,
non tibi deditam,
Quam fideles
mirantur cognitam
Sic beatam.

4 a. Christo matrem
sed Deo filiam
Alvo claudis
prolemque unicam,
Quae sacravit
aulam virgineam,
In Maria.

4 b. Deponentes
mentis duritiam
Dulcem Deo
demus melodiam
Et caelestem
quaeramus gratiam
Mente pia.

6 a. Hic conceptus
est senis baculus,
Hic est rubi
virens ramusculus,
Ex quo prodit
caelestis flosculus
Non marcescens.

6 b. Consideret,
credat incredulus,
Nullus in hoc
caliget oculus,
Fontem vivum
hic profert rivulus
Non arescens.

7 a. Tu, Maria,
regis es ferculum,
Per te ductus
rex in cubiculum,
Per te sumit
Salomon osculum,
Quod quaesivit.

7 b. Sceptrum tenens,
faciens arculum,
Aequum claudis
vitae triangulum;
Redde illi
nos, qui per saeculum
Saecli vivit.

Miss. Bicterrense imp. Lugduni 1535. — 1 a, 5 Tanto. — 1 b, 6 filiae psallant. — 1 b, 7 Regi. — 4 a, 2 sqq. Es fällt auf, dafs der Reim dieser Strophe, im Gegensatze zu den andern Strophen, sich nur auf eine Silbe erstreckt. — 7 a, 3 duxit. — 7 b, 5 illi fehlt. — 7 b, 7 Saecli fehlt; statt vivit steht misit.

35. In Annuntiatione BMV.

1. Salve, gemma,
paradisi gloria,
rutilans maris stella;

2 a. Gloriosi senis inclita
Abrahae patriarchae
prole genita;

2 b. Atque florigera virgula
sacerdotis Aaron
praefigurata;

3 a. Davidque regis filia,
virgo prudens et decora,
clara caeli porta,
aeternae vitae iustis
pandens praemia;

3 b. Claris meritis ornata,
mundo corde, carne sacra,
catervis aurea
virgineis tribuens
diademata.

4 a. Archangelus ferens ista
Gabriel tibi inquit:
Ave, plena gratia,

4 b. Dei patris, o Maria,
femina inter omnes
benedicta, domina.

5 a. Rex regum, cuncta
regens saecula,
tecum, casta,
gaudens inhabitat, digna
consecrans tui
cordis intima.

5 b. Cuius sacrata
audiens verba
fit turbata
cogitans, quae esset ista
salutatio
tam laudiflua.

6 a. Angelus: Alma,
inquit, Maria,
tu ne timeas,
virgo praecelsa,
nam invenisti gratiam
apud caelorum regem
Deum maximam.

6 b. Ecce, regina
fies caelica,
generans natum
regentem cuncta,
atque post partum integra
permanebis in aevum,
virgo praeclara.

7 a. Ad haec respondens femina
virgo pudica:
In me quali modo tua
fient unica?
Angelus inquit: Alma,
sanctum neuma
descendet in te virtus
atque deica.

7 b. Mox enim inquit credula:
Ecce, ancilla
summi regis residentis
super aethera,
et salvet clemens saecla
universa;
fiat mihi, quod faris,
o caelicola.

8. Ergo, felix Maria,
salve semper, o Maria.

Grad. et Trop. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). — 2a, 1 senisi. — 8a, 2 salvet. — Melodie: Alma cohors (Anal. VII, Nr. 218).

36. In Purificatione BMV.

1 a. Virginis matris gaudia
Recolamus cum gloria;
Cantemus: Gaude, Maria,
Patris parens et filia.

1 b. Gaude, quam dono gratiae
Replet rex caeli curiae;
Solem paris iustitiae,
Stella misericordiae.

2 a. Gaude, munda malitia,
Virtutum nitens copia;

2 b. Gaudens audis mente pia
Angeli verba dulcia.

3 a. Credens caelesti nuntio
Gaudes de caeli filio,

3 b. Gaudens in puerperio
Virginis privilegio.

4 a. Gaudens materna gratia
Lactas pascentem omnia;

4 b. Gaudens involvis fascia
Regnantem caeli regia.

5 a. Gaudens chorus caelestium
Pastoribus fert gaudium;
Festinant ad praesaepium.

5 b. Gaudes, dum vident filium,
Iesum nominas puerum,
Regem, factorem siderum.

6 a. Gaudes, mater, ad octavum
Dum circumcidunt puerum
Tenentes legem veterum.

6 b. Gaudens vides accedere
Magos gavisos sidere,
Aurum, tus, murram tradere.

7 a. Ad templum vehis filium,
Congaudet mens fidelium,
Fert Simeonis brachium
Caeli terraeque gaudium.

7 b. Gaudes hunc mira facere,
Aquam in vinum vertere,
Mutos loqui, respicere
Caecos, defunctos vivere.

8 a. Gaudes, mater, a funere
Iesum victorem surgere;

8 b. Post vides hunc in aethere
Gaudens ad caelum scandere.

9 a. Gaudens suscipis spiritum
Cum fratribus paraclitum,

9 b. Quo concepisti filium,
Huius exstans sacrarium.

10 a. Hinc te transfert caelestia
Gaudentem ad palatia;

10 b. Ad quae nos data venia
Sua ducat clementia.

Miss. Briocense imp. Rothomagi s. a. [1502?]. — 5 b, 1 Gaudent. — 6 a, 3 legem puerum, daneben die spätere Korrektur: veterum. — Nach 6 b, 3 folgt noch: Gaudentes filii dexterae. — Inhalt ist: De Gaudiis BMV.

37. In Purificatione BMV.

1 a. Gaude, Sion, et laetare,
Tuum vide salutare,
Quem hodie praesentare
Virgo novit regia;

1 b. Quam prosapia regalis,
Quam flos ornat virginalis,
Quam fecundat spiritalis
Ros, virtus et pluvia.

2 a. Puerili sub tenore,
Sub antiquae legis more
Iesum offert cum honore
Parentelae copia.

2 b. Legis arca legis iura
Complet a reatu pura,
Miratur videns natura
Matris virginalia.

3 a. Ut lex iubet, paupertatis
Assunt aves, castitatis
Turtur et simplicitatis
Columba sunt hostia.

3 b. Ulnis tentus Simeonis
Humanae salvationis
Et suae promissionis
Declarat mysteria.

4 a. Suum videt iam promissum
Messiam de caelo missum,
Qui scelus Adae commissum
Rectificat gratia.

4 b. Nunc dimittis, Iesu pie,
Fili virginis Mariae,
Servum tuum in hac die
Credentem per omnia.

5 a. Tu lumen gentibus datum
Et Iudaeis revelatum,
Tollens, quem dedit reatum
Hostilis astutia.

5 b. Omnis sexus, omnis aetas
Salvatoris laudet metas
Annam videns et prophetas
Dare testimonia.

6 a. Matris honor virginalis
Hostem fallit, dum legalis
Mons subintrat ut carnalis;
Fallunt et sponsalia.

6 b. Quid, coluber tortuose,
Valent fraudes flexuosae?
Te captivat gloriosae
Matris pudicitia.

7 a. Miles pugnat in agone
Carnis fruens ultione,
Dolens, quod tentatione
Serpens egit talia.

7 b. Pallio carnis amictus,
Flagellatus, [spinis strictus]
Satanae dat mortis ictus
Per crucis supplicia.

8 a. Gens hostilis exsequatur,
Dum per mortem liberatur,
Qui captivus tenebatur
In mortis miseria.

8 b. Reginarum imperatrix,
Nobis esto mediatrix
Clemens et auxiliatrix
Et dux ad caelestia.

9 a. O Maria, fluens vena,
Veniae gratia plena,
Ab hostis trahe sagena
Nos et reconcilia.

9 b. Fac nos digne te laudare,
Fac nos carnem sic domare,
Ut possimus conregnare,
Ubi pax et gloria.

Miss. Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527. — 5 b, 3 vident. — 7 a, 1 pugnas.

38. In Visitatione BMV.

1 a. Congaudemus exsultantes,
Matrem Dei venerantes,
Eius prece postulantes
Filii clementiam.

1 b. Dei genetrix, Maria,
Caecis lumen, dux et via,
Posce nobis pie, pia,
De commissis veniam.

2 a. Mater regis angelorum,
Porta, clavis secretorum,
Per te nobis rex caelorum
Venit in auxilium;

2 b. Quem tu roga pia prece,
Ut nos regat in hac nece
Mundetque mortali faece
Dans nobis remedium.

3 a. Thronus veri Salomonis,
Vellus siccum Gedeonis,
Omnibus repleta bonis,
Nostra spes et gloria;

3 b. Hortus clausus, fons signatus,
Per te nobis sit placatus
Iesus Christus ex te natus,
Qui creavit omnia.

4 a. Arca Noe, David funda,
A peccatis nos emunda,
Mundans caeli pace funda
Reddens tuo filio,

4 b. Ut cum ipso simus laeti,
Exsultantes et quieti,
Sua gratia repleti
Caelorum palatio.

5 a. Audi, mater Dei digna,
Virgo simplex et benigna,
Tuo nato nos assigna
Sursum ad caelestia.

5 b. Ob hoc tibi laudes damus,
Nobis capta, quod rogamus,
Ut de mundo transeamus
Ad aeterna gaudia.

Prosar. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromoten. 57. A. — Miss. Claromontense atque S. Flori imp. Lugduni 1541. B. — 2 a, 3 rex angelorum B.

39. In Visitatione Beatae MV.

1 a. Missus Gabriel de caelis
Sacris disserit loquelis
Cum Maria virgine;

1 b. Hanc salutat in conclave
Et ex Eva format Ave
Evae verso nomine.

2 a. Metum pellit, dat solamen;
Nam per sacrum, inquit, flamen
Virgo gravidaberis.

2 b. Ad hoc facit argumentum,
De cognata documentum
Insperati muneris;

3 a. Quae, cum esset pervetusta
Et multis annis onusta,
Concepit infantulum.

3 b. Adest virgo Deo plena
Et ascendit in montana
Videre miraculum.

3 c. Ut salutat consobrinam,
Exsultantem intra ventrem
Mater sentit parvulum.

4 a. Et iam sibi fructus dantur
Thori, quibus adimuntur
Sterilis opprobria.

4 b. Quae parentes et vicini
Impingebant semper illi,
Cessant improperia.

5 a. Clausa pandit ventre clausus
Gestu plaudens, fit adplausus
Messiae praesentiae.

5 b. Linguae gestus obsequuntur,
Dum pro lingua sic loquuntur,
Serviunt infantiae.

6 a. Alvo Deum virgo claudit,
Clauso clausus hic adplaudit
De ventris angustia.

6 b. Agnum monstrat in aperto
Vox clamantis in deserto,
Vox verbi praenuntia.

7 a. Praecursore nondum nato,
Nondum ortu reserato,
Reserantur mystica;

7 b. Nostro sole tunc exclusus
Verioris est perfusus
Solis luce typica.

8 a. Prius novit diem verum,
Quam nostrorum sit dierum
Usus ministerio.

8 b. Hic renascens nondum natus
Nondum nascens est renatus
Caelesti mysterio.

9 a. Sacrum pneuma, quod implevit
Natum, et matrem replevit
Dei beneficio;

9 b. Clamat parens ad Mariam:
Utquid ad ancillam tuam
Venis in hospitio?

10 a. Tu mater es creatoris,
Ego sui praecursoris,
Tua pauper servula.

10 b. Benedicta super omnes
Vocaberis mulieres,
Mater Dei gerula.

11 a. Benedictus ventris tui
Fructus, qui detur perfrui
In superna patria.

11 b. Beata, quae credidisti,
Nam perficientur tibi
Ad te facta nuntia.

12 a. Mater Dei, te rogamus,
Ne deneges, quod optamus,
Nobis pete gratiam

12 b. Et, qui sumus peccatores,
Ne repellas precatores,
Sed impetra veniam.

Miss. Baiocense imp. Rothomagi 1501. A. — Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1529. B. — Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545. C. — Miss. Abrincense imp. Rothomagi 1505. D. — 2 b, 3 inspirati ABCD. — 4 a, 1 datur D. — 4 b, 2 Impingebat D. — 5 a, 1 ventrem D. — 6 a, 1 Alvum Deo D. — 6 a, 3 ventre C. — 6 b, 1 monstra C. — 7 a, 1 Praecursorem D. — 8 b, 2 et renatus D. — 8 b, 2 et renatus D. — 12 b, 1 Ut ABCD. — Die 8 ersten Strophen sind ein Cento aus den Sequenzen: Missus Gabriel de caelis (Kehrein, Nr. 200), Praecursoris et baptistae (Kehrein, Nr. 360) u. Ad honorem tuum Christe (Kehrein, Nr. 353).

40. Visitatione Beatae MV.

Infra Octavam.

1 a. *Ave, Maria,* virginum
Exemplar, lumen luminum,
Sponsa ecclesiae.

1 b. *Gratia plena* Domini,
Coniuncta sacro numini,
Flos pudicitae.

2 b. *Dominus tecum* omnium,
Inferni specie
Ut nos salvaret, filium
Misit rex gloriae.

2 b. *Benedicta tu,* filia
Dei, fons gratiae,
Tulisti viri nescia
Solem iustitiae.

3 a. *In mulieribus*
Una eligeris,
Quae in caelestibus
Regina diceris
Misericordiae;

3 b. *Et benedictus*
Sit, qui ad inferos
Descendit invictus
Salvans innumeros
Magnae potentiae.

4 a. *Fructus* tis terrae iubilo;
Et pneumatum
Hortum flat auster, aquilo
Liquit flatum;
Odor fluit et gratiae

4 b. *Ventris tui* per viscera,
Quae filium
Dei portarunt; foedera
Et gaudium
Nobis donet cum requie

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 1 a, 3 Sponso. — 3 b. 2 Sit natus qui. — 4 a, 1 Fructus eis terrae.

41 a. De Compassione BMV.

1 a. Salve, virgo singularis,
Salve, parens expers paris,
Cuius mentem salutaris
Pertransivit gladius.

1 b. Rivus fluxit copiose
Caritatis amorosae,
Dum ruberet instar rosae
Cruce pendens filius.

2 a. Turpi morte condemnati
Te coegit amor nati
Tunc dolores multos pati,
Cum paschalis victima

2 b. Pro nobis immolaretur
Probrisque satiaretur
Et a turbis plecteretur
Morte crudelissima.

3 a. Hic ruina reproborum,
Resurrectio iustorum,
Cum mercedem singulorum
Meritis rependeret,

3 b. Iudex unus, non unius,
Pie iustus, iuste pius;
Per te, virgo, mors illius
Nos a morte liberet.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1514. — Melodie wahrscheinlich: Verbum bonum. Die Vorlage für diese Fassung dürfte in der nachfolgenden zu suchen sein:

41b. De Compassione BMV.

1a. Salve, virgo, singularis,
Salve, parens expers paris,
Cuius mentem singularis
Pertransivit gladius.

1b. Et te comparavit rosae,
Dum pro nobis et non pro se
Mortis ignominiosae
Damnaretur filius.

2a. Turpi morte condemnati
Te coegit amor nati
Pro salute nostra pati
Cum paschali victima.

2b. Sed tu magis eo dolens;
Hic est enim passus volens
Et in carne, sed tu nolens
Intus et in anima.

3a. Hic ruina peccatorum,
Resurrectio iustorum,
Cum mercedes singulorum
Meritis componderet,

3b. Iudex unus, non unius,
Pie iustus, iuste pius;
Per te, virgo, mors illius
Nos a morte liberet.

Cod. ms. Londinen. Tit. A XXI. saec. 13. add. saec. 14/15.

42. In Assumptione BMV.

1a. Resonant interna
Domino mela
agmina nivea,

1b. In caeli suprema
iugiter aula
semper boantia.

2a. Quo lux splendet gloriosa,
iugis atque sempiterna,
qua fruuntur in perenni
perpetim laetitia.

2b. Quo praeclara maris stella
virtutibus admiranda
hodie tripudiatim
subiit caelestia.

3a. Ubi regnat collocata
in Domini Iesu dextra,
cernens illa tam profunda
deitatis mysteria.

3b. O beata, praeelecta,
sanctorum choris praelata,
defer nostra Christo vota
imperanti per saecula.

4a. Scelerumque flagitia
pia dele domina,
quo purgati decantemus
nova tibi cantica.

4b. Transitusque tui festa
celebrando inclita
provehamur ad aeterna
paradisi gaudia;

5. Ubi sancti catervatim
resonant semper Alleluia.

Grad. et Trop. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17).

43. In Assumptione BMV.

1a. Salve, decus angelorum
Et cunctorum electorum,
Dei mater nobilis;

1b. Tu es virgo semper pura
Et a cuncta creatura
Penitus laudabilis.

2 a. Tu es arbor, quae portasti,
Tu es mater, quae lactasti
Regem regum, Dominum.

2 b. Benedicta tu fuisti,
Quae per fidem concepisti
Redemptorem hominum.

3 a. Per te datur vitae fructus,
Per te cessat omnis luctus
Vigetque laetitia.

3 b. Sola tenes principatum
Et post Deum dominatum
In caelesti curia.

4 a. Te collaudat angelorum
Chorus et apostolorum
Caterva dominica.

4 b. Te martyres venerantur,
Confessores famulantur
Et turba prophetica.

5 a. Coetus mundi puellarum,
Virginum et viduarum
Agunt tibi choreas,

5 b. Quia per te sunt adeptae
Caeli regnum et receptae
Ad regales nuptias.

6 a. De hoc mundo ascendisti
Super caelos et sumpsisti
De labore praemium.

6 b. Virgo mater, suscepisti
De manibus Iesu Christi
Diadema regium.

7 a. Ergo, pia mediatrix,
Peccatorum miseratrix,
Tuum roga filium,

7 b. Ut post huius vitae cursum
Nos assumat tecum sursum
Ad caeleste gaudium.

Missale Ruthenense imp. Lugduni s. a. [ca. 1540]. A. — Missale Baiocense imp. s. l. [Rotomagi] 1545. B. — Missale Parisiense imp. Parisiis 1585. C. — 1a, 1 decus virginum C. — 1b, 1 Felix virgo B. — 1b, 2 Et ab omni creatura B. — 1b, 3 Potius laudabilis A; Post Deum laudabilis B. — 2a, 1 ardor C. — 2a, 2 Tu mater es B. — 2b, 2 Beata quae credidisti B. — 3a, 2 Et cessavit ille luctus AC. — 3b, 2 Post filium et primatum B. — 4a, 3 deifica B. — 4b, 2 contemplantur B. — 5a, 1 Mundi ceetus B. — 5a, 2 ac C. — 5a, 2 Tibi reddunt gratias B. — 6a, 1 Ex hoc mundo conscendisti B. — 6a, 3 Post laborem B. — 6b, 1 Mater virgo B. — 7a, 1 pia genetrix C. — 7b, 1 Ut post vitae nostrae cursum B.

44. De Beata Maria V.

Infra Octavam Assumptionis.

1 a. Salve, mater salvatoris,
Quae deorum Deum paris,
Salve virgo singularis,
Quae vocaris stella maris.

1 b. Salve, vitae reparatrix,
Salve viae reseratrix,
Salve, sancta legislatrix,
Peccatorum consolatrix.

2 a. Salve, mater Iesu Christi,
Salve, virgo, vita mundi,
Sola digna quae fuisti
Ab angelo salutari.

2 b. Gaude, soror insignita,
Gaude, fides, spes et vita,
Gaude, sacra margarita
In corona regis sita.

3 a. Gaude, fronde fructuosa,
Virgo prole pretiosa,
Regis sponsa generosa,
Gaude, gaude, florens rosa.

3 b. Gaude, virgo, genuisti
Regem regum, Deum caeli,
Quem adorant archangeli,
Quemque reverentur tui.

4 a. O deorum dominatrix,
Angelorum imperatrix,
O maestorum consolatrix,
Esto nobis miseratrix.

4 b. O domina, o regina,
Casta, simplex et columba,
Quae cunctis es medicina,
Ad medendum nos festina.

5 a. O Maria, gemma caeli,
Lux et luna paradisi,
A fluctibus huius mundi
Conserva nos et custodi.

5 b. Tu sanctorum psalmodia,
Tu martyrum melodia,
Tu militum laetitia,
Tu civium concordia.

6 a. Tu virginum virgo pia,
Tu lux vera, dux et via,
Tu mitis es, o Maria,
Tibi laus est, Alleluia.

6 b. Tu domina angelorum,
Tu regina seniorum,
Tu mamilla pupillorum,
. . . . . .

7. Omnes simul te laudamus,
Te supplices exoramus,
Omnes ad te suspiramus,
Te videre valeamus
In saeculorum saecula.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1534. A. — Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. B. — 1 a, 1. Zur Wahrung des Reimes ist die Änderung „mater s a l u t a r i s“ naheliegend, aber wohl abzuweisen, da auch sonst kein reiner Reim, sondern nur Assonanz vorhanden ist. — 1 a, 2 decorum Deum AB. — 2 b, 3 margareta A. — 7, 1 ist in A u. B zur Str. 6 b gezogen.

45. Infra Octavam Assumptionis BMV.

1 a. Ave, virgo, Christi cella,
Iesse virga, maris stella,
Nobile triclinium;

1 b. Favus stillans lac et mella
Moysique tu fiscella,
Lilium convallium.

2 a. Tu thalamus aethereus,
Tu sapor es nectareus,
Egenos reficiens.
Gaude, virgo virginum,
Salve, salus gentium
Gignens Deum hominem.

2 b. Ex te verus sol processit,
Splendor cuius non marcessit,
Est nam indeficiens.
Beata puerpera,
Tua lactant ubera
Miserorum pugilem.

3 a. Flamma rubus uritur,
Neque tamen laeditur
Ignis hic incendio:

3 b. Virgo parens creditur
Nec ipsa corrumpitur
Tali puerperio.

4 a. O regina, tuas totum
Nequit laudes cor devotum
Gratulando canere!

4 b. Gabrielis credidisti
Dictis, Christum concepisti,
Digna res memoriae.

5 a. Contra carnis documentum
Enixa es alimentum
Congruum fidelibus,

5 b. Pascens omnem creaturam
Carnem panis sub figuram
Ministrans credentibus.

6 a. Asta, virgo, circa thronum,
Pro nobis loquaris bonum
Exorando filium,

6 b. Ut nos solvat a peccatis
Collocetque cum beatis
In aeternum gaudium.

Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516. — 3a, 2 Nondum tamen luditur.

46. De Beata Maria V.

Tempore Nativitatis.

1 a. Magnum nobis gaudium,
virgo contulisti,
Dum Dei archangelo
sancta credidisti,

1 b. Quod deberes fieri
mater Iesu Christi,
De facto non dubitans
modum inquisisti.

2 a. Sanctissimum puerum
sancta perperisti
Et pastores gaudii
testes habuisti;

2 b. Dulcissimum filium
pura emisisti
Et erranti populo
lucem edidisti.

3 a. O Maria, gratulari
Stella monet, quam morari
Vides super filio,

3 b. Cum a Magis adorari
Ipsum cernis et ditari
Munere tam vario.

4 a. Stella notat unitatem,
Murra carnis veritatem,
Et tus est oratio;

4 b. Aurum monstrat deitatem,
Tresque regis trinitatem
In tanto negotio.

5 a. O Maria, stella mundi,
A peccato simus mundi
Per te, clemens et pia,

5 b. Et virtutibus fecundi,
Laeti tecum et iucundi,
Nostra salus ac via.

6 a. Dulcissima domina,
mater orphanorum,
Te collaudat curia
omnium thronorum;

6 b. Tu es enim per Christum
regina caelorum.
Post hanc vitam nos iunge
choris angelorum.

Prosar. ms. Caelestinorum Ambianensium (Guilelmi Lovel) anni 1572. Cod. Ambianen. 132. A. — Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1514 B. — Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1534. C. — 1a, 3 archangelum A. — 1b, 1 Quo BC. — 3a, 3 super filium C. —

47. De Beata Maria V.

„In Circumcisione Domini."

1 a. Ad honorem virginis
Solvatur os hominis
Cantans mente pia.

1 b. Sic placebit canticum
Sed et carmen musicum
Atque melodia.

2 a. Nam ut ros in gramine
Et in eius tegmine
Descendit in ipsa,

2 b. Non more femineo
Sed partu virgineo
Christum est enixa.

3 a. Ut a solis radio
Vitro sibi pervio
Nulla fit fractura,

3 b. Sic virgo, cum peperit,
Integram se repperit
Et sine laesura.

4 a. Huius ergo laudibus
Corde, ore, actibus
Omnes insistamus,

4 b. Ut in terris gratiam
Et in caelis gloriam
Semper habeamus.

Grad. Viennense imp. Lugduni 1534.

48. De Beata Maria V.

„Inter Natale et Purificationem."

1 a. Nascitur ex virgine
Sine viri semine
Summi patris filius;

1 b. Non minuto numine
Homo fit pro homine,
Quem seduxit impius.

2 a. Servi formam suscipit,
Esse novus incipit
Non habens principium.

2 b. Virgo verbo concipit
Nec in partu percipit
Dolorem sed gaudium.

3 a. Eva parit cum dolore
Castitatis fracto flore,
Sed haec e contrario

3 b. Virgo parit novo more,
Virginali cum honore;
Totum fecit unctio.

4 a. Nutrit cuncta nutrientem,
Quem, cum videt morientem,
Dolet ut parturiens,

4 b. Licet credat surrecturum
Nec inferna retenturum
Nec quod ultra moriens.

5 a. Supplicemus tantae matri,
Quod pro nobis Deo patri
Supplicet suffragio,

5 b. Ut purgatos a peccatis
Det regnare cum beatis
In perenni gaudio.

Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545.

49. De Beata Maria V.

a crastino Circumcisionis usque ad Purificationem.

1 a. Nova fiant omnia,
Quia mirabilia
Nova fecit Dominus.

1 b. Nova fit laetitia,
Nova pluit gratia
Vetus delens facinus.

2 a. Descendit rex siderum
Pro salute pauperum
In vallem caliginis;

2 b. Hic venturus iterum
Iustus ultor scelerum
Die magni turbinis.

3 a. Profert Iesse virgula
Florem ante saecula
Destinatum saeculo;

3 b. Emittit virguncula
Agnum sine macula
Mactandum pro populo.

4 a. Procedit infantulus,
Deus factus parvulus,
Virginis e gremio;

4 b. Fontem parit rivulus
Et radicem surculus,
Prodit sol de radio.

5 a. Virgo est, quae genuit,
Deus est, qui voluit
Carnem ita sumere,

5 b. Qui sic nasci debuit;
Et puellam decuit,
Tantam prolem parere.

6 a. Lac ministrat filio,
Quae miro mysterio
Mater est et filia;

6 b. Caeli regnans solio
Iacet in praesaepio
Inter animalia.

7 a. Accedamus seduli
Ad praesaepe parvuli,
Amplectamur humilem,

7 b. Ut in fine saeculi
Videamus singuli
Secure terribilem.

Grad. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisin. 905. A. — Miss. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisin. 17317. B. — Missale Rotomagense imp. Rotomagi 1499. C. — Missale Lexoviense imp. s. l. et a. D. — Missale Lexoviense imp. Cadomi 1517. E. — Missale Lexoviense imp. in Ponte Audomari 1547. F.

1 b, 1 sit ACDE. — 2 b, 1 Sic C. — 4 b, 2 circulus B. — 4 b, 3 Prodiit E. — 5 a, 3 Ita carnem DE. — 7 a, 1 singuli D; securi B. — 7 a, 3 Amplectemur A. — 7 b, 1 in fidem E. — 7 b, 3 Securi C.

50. De Beata Maria V.

Tempore paschali.

1 a. Stabat mater regis nostri
Iuxta crucem crucifixi
Filio compatiens;

1 b. Stabat iuxta viam via
Morienti morte pia
Spiritu commoriens.

2 a. Hic est ille gladius,
Quem passuri praescius
Simeon praedixerat.

2 b. Hic cor matris transiit,
Cum saccum, quem genuit,
Conscissum considerat.

3 a. Scissus scissam miseratus,
Desolatam consolatus
Commisit discipulo,

3 b. Ut ad decus commissoris
Ministraret vas pudoris
Puritatis speculo.

4 a. Sputa, clavi, verbera
Transfixerunt viscera
Piae matris Domini;

4 b. Fel, arundo, spongia
Auxerunt suspiria
Sauciati animi.

5 a. Magna fuit in Maria,
Pietatis matre pia,
Maeroris materia;

5 b. Maior plebis de salute
Vitae donum consecutae
Per crucem laetitia.

6 a. Salve, salus, quae nos salvas,
Salve, per quam ad salvandas
Salus venit animas.

6 b. Venit vita, per te, viam,
Sortiamur vitae venam,
Per te vitae ianuas.

Miss. ms. S. Barbarae in Algia saec. 13/14. Cod. Sangenovefian. 96 (BBl. fol. 7). A. — Miss. Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527. B. — 1 b, 1 iuxta vitam A. — 2 b, 2 Cum natum quem B. — 3 a, 2 Desolatam desolatus B. — Die beiden Schlufsstrophen lauten in B:

6 a. O virginale lilium,
Mater, per hoc martyrium
Coronata beatius,

6 b. Ora natum, pia, pium,
(Ut) post huius vitae stadium
Sit nobis propitius.

51. „In festo de Quinque Gaudiis BMV."

1 a. Ante partum et in partu
Et post partum, virgo, par tu
Nulli dici poteris,

1 b. Nec est tibi par inventa;
Deo dedit alimenta
Tui dulcor uberis.

2 a. Stella maris, vitae portus,
Ex te verus sol est ortus
Et nostra redemptio.

2 b. Tu vas sanctae trinitatis,
In te sedes deitatis,
Thronus Dei filio.

3 a. Vas honoris, vas ornatum,
Vas salutis, vas sacratum
Incarnati numinis;

3 b. Fons exivit ex te vivus,
Panis vitae, pacis rivus,
Splendor veri luminis.

4 a. Ex te natus est Messias
Omnes complens prophetias,
Gubernator saeculi;

4 b. Iacob, David, Isaias
Praecinuerunt eius vias
Et prophetae singuli.

5 a. Os tam dulce tu lactasti,
Cuius carne sumus pasti
Et abluti sanguine;

5 b. Qui confregit portas mortis
Suos trahens victor fortis
Ab inferni cardine.

6 a. Qui surrexit victa morte,
Caelo scandens, quo victor te
Amplexatur dextera.

6 b. Te dotavit miro dono,
Nam sub tuo lucent throno
Luna, sol et sidera.

7 a. Certe caelo, terra, mari
Debes, virgo, venerari
Utrobique domina;

7 b. Exaltata supra caelos,
Dulce tibi cantant melos
Angelorum agmina.

8 a. Quam es dulcis et benigna!
Quam sis omni laude digna,
Quam praeclari meriti.

8 b. Cor non postest cogitare,
Neque lingua explicare,
Quot honores debiti.

9 a. O Maria, Christi mater,
Quam elegit Deus pater,
Ave, plena gratia;

9 b. Tuum natum ora Christum,
Ut coronet chorum istum
In perenni gloria.

Miss. Ambianense imp. Parisiis 1487. A. — Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516. B. — Miss. Ambianense imp. Parisiis 1552. C. — 4 b, 2 Praecinerunt C. — 6 b, 2 lucet C. — 8 b, 3 replicare B.

52. De Septem Gaudiis BMV.

1 a. Gaudiose celebremus,
Matris Dei decantemus
Septenam laetitiam.

1 b. Assiste, virgo, devotis,
Qui te laudant voce, votis,
Et propina gratiam.

2 a. Uerbum te laetificavit,
Pie cum te salutavit
Paranymphus caelicus.

2 b. Dei patris genitura
Tua prodit de clausura,
De te natus unicus.

3 a. Inde reges, dum adorant
Tantum, te matrem honorant,
Unde gaudes tertio.

3 b. A surgente visitaris,
Unde quarto gralularis
Suscitato filio.

4 a. Monstrat nobis iter scandens,
Potestatem quinto pandens
Sedet patris dextera.

4 b. Ab excelso missus ignis
Docet lingua, viret signis,
Sexto replet viscera.

5 a. Regina sursum levata,
Super omnes exaltata
Ordines caelestium,

5 b. In nati dextra locatur,
Carne, mente gloriatur
Promotrix fidelium.

6 a. Ergo, mater Dei, qualem
Fecit causa rei talem,
Exoratrix sedula,

6 b. Memorare devotorum,
Quibus dones saeculorum
Vivere per saecula.

Miss. Aeduense imp. Parisiis 1493. A. — Miss. Aeduense imp. Parisiis 1530. B. — Miss. Bisuntinum imp. Parisiis 1551. C. — 1 a, 3 Sempiternam AB. — 2 a, 2 Me cum AB. — 5 a, 3 In ordines AB. — 5 b, 1 dextera A. — 6 a, 1 Virgo mater AB. — 6 b, 2 causam AB. — Akrostichon: Gaudia Mariae.

53. De Beata Maria V. et de Sancta Cruce.

1 a. Ave, virgo, salve, lignum,
Laude digna, laude dignum,
Salutis principia;

1 b. Virgo, porta verae lucis,
Per te perque lignum crucis
Datur reis venia.

2 a. Virgo dedit alimentum
Christo, cui crux tormentum;
Et utrumque posuit,

2 b. Sic per matrem et per crucem
Vicit Christus hostem trucem
Et caelos aperuit.

3 a. Virgo mater Christi pura;
Crux noverca nimis dura,
Matris nescit ubera;

3 b. Christo dedit lac puella,
Crux acetum, fel, flagella;
Tremunt matris viscera.

4 a. Matri fuit crux dolori,
Quando vidit suum mori
Crucis ara filium;

4 b. Tunc impletur prophetia
Simeonis in Maria,
Christi sensit gladium.

5 a. Christo passo virgo quidem
Sola totam servat fidem
Resurgendi conscia.

5 b. Nemo crucem adoravit,
Donec pater suscitavit
Iesum die tertia.

6 a. Nisi virgo peperisset,
Certe tantum crux fuisset
Damnatis supplicium.

6 b. Per te, virgo, crux laudatur,
Honoratur, adoratur,
Habes privilegium.

7 a. Ergo matrem, ergo lignum
Veneremur per benignum
Dei patris filium,

7 b. Ut per matrem et per crucem
Habeamus Christum ducem
Ad aeternum gaudium.

Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516.

54. De Beata Maria V.

1 a. Ad caeleste convivium
Accedamus omnes una,

1 b. Ut conferat remedium
Nos recreans lux divina.

2 a. In deserto sequi Iesum
Nostra nequit debilitas,

2 b. Spiritalem nobis esum
Si non ministret deitas.

3 a. Sed et, quia non fortia

3 b. Sustinemus cibaria,

4 a. Lac quaeramus,
Lac det nobis
Mater redundans gratia;

4 b. Lac quaeramus,
Lac sit nobis
Salvatoris infantia.

5 a. Plures fratres:
Unus frater
Inter omnes amabilis
Ex Maria.

5 b. Plures matres:
Una mater
Super omnes laudabilis
Est Maria.

6 a. Infantulus ex utero,
Puerulus in gremio,
Coaequalis altissimo:
O quam felix puerpera!

6 b. Supinus in praesaepio,
Supernus caeli solio,
Coaeternus patri Deo
Matris sugit ad ubera.

7 a. Portat mater, quo portatur
totius mundi machina;

7 b. Onus dulce dulci matri,
sed plus honor quam sarcina.

8 a. Putas, quid mentis habuit
Felix mater, dum premeret
Genas genis
Et labiis labiola?

8 b. Quid animi matris fuit,
Dulcis puer dum necteret
Collum matris
Iniciens brachiola?

9 a. Sugit Iesus lac de matre,
Qua lactante plus pascitur
Sugens lac,
quam mel de petra.

9 b. O quam felix os Mariae,
Quod ori Dei iungitur,
Dum nato
figit oscula!

10 a. O felices matris manus
et oculi et brachia,

10 b. Quibus tenet, quibus videt,
quibus stringit Dei membra!

11 a. O Mariae felix sinus,
felix venter, felix mamma,

11 b. Quo clauditur, quo nascitur,
qua nutritur talis gemma!

12 a. Patris splendor, patris summi
virtus et sapientia,

12 b. Matris decus, matris suae
sublimitas et gloria.

14 a. Sublimis humilis,
De sublimi
respiciens humilia,

14 b. Humilis sublimis,
Ex humili
nos traxit ad sublimia.

15 a. Ecce, dum lac cupivimus,
Lacte panem infregimus,
Quem dedit eius gratia,

15 b. Qui panis est angelorum;
Qui refectio sanctorum,
Nostra sit laetitia.

16 a. O Maria, dux in via,
O beata nati nata,
O formosa plus quam rosa,
O benigna, laude digna,
Interpella, Dei cella,
Deum caeli
pro nobis sedula.

16 b. Virgo parens, palma florens,
Florens palma, Mater alma,
Mater casta, nobis asta,
Nobis fave per suave
Tuum Ave, nosque fove
Dans sub alis
tuis umbracula.

Grad. et Trop. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). A. — Collectan. ms. incert. orig. saec. 12. add. saec. 13. Cod. Oxonien. 8838 (Bodl. 232). B. — 5a, 1 sq. matres una mater A. — 5a, 4 Est A. — 5b, 1 sq. fratres unus frater A. — 6b, 3 Coaeterno A. — 6b, 4 pendet ab ubera B. — 7b, 1 Huius dulce A. — Str. 9a u. 9b fehlen B. — 9b, 2 Dei iugiter A. — 12a, 1 Matris A. — 13a, 1 Patre prodit A. — 13b fehlt A. — 16a, 1 in via fehlt B; eine Lücke. — Die Collation von B verdanke ich meinem Freunde Bannister.

55. „Alia prosa de beata Maria."

1 a. Ad honorem virginis
Et caelestis numinis
Et salutem hominis
Canticum cantemus;

1 b. Ex virga vi flaminis
Est sine vi seminis
Egressus sol numinis,
Rex, Adam supremus.

2 a. Haec Moysi visio
Rubi incombusti,
Haec est exspectatio
Simeonis iusti,
Criminum ablutio;

2 b. Haec portarum fractio
Samsonis robusti,
Salomonis ratio
Praevida venusti,
Canticorum cantio.

3 a. Noe arca
Conservans mystica,
Haec monarcha
Saecli mundifica,
Ioseph consilium;

3 b. Matris barca,
Haec strips Davidica,
Haec non parca,
Donis mirifica,
Haec dux errantium.

4 a. Haec manna populi
Israeliti[ci],
Haec regis saeculi
Aula magnifici,
Creata ab initio;

4 b. Haec hostis aemuli
Fuga venefici,
Haec luna circuli
Chori angelici,
Prophetarum praevisio.

5 a. Haec est tuba
consona veritati,
Haec est cella
imperans castitati,
Haec est domus
dicata caritati,
Domus constantiae;

5 b. Dedicatum
haec templum trinitati,
Haec regina
concessa pietati,
Haec largita
turris humanitati,
[Turris] ecclesiae.

6 a. O matrum admiratio,
O legis adimpletio,
O gratiae inventio,
Hanc per te consequamur.

6 b. Caeli perenni gaudio
Cum sanctorum consortio
Tuo placato filio
Tua prece fruamur.

Trop. et Seq. ms. Claromontense saec. 15. Cod Claromont. 57. — 2b, 5 Canticorum cantico. — 3a, 1 archam. — 5a, 6 dedicata ritati (!).

56. De beata Maria V.

1 a. Ave, fulgens solis cella,
Caeli splendor, maris stella
Salve, lux egregia;

1 b. Ave, virgo, mater Dei,
Felix causa nostrae spei,
Salve, proles regia.

2 a. Tibi iuges damus laudes,
Quae cum Deo digne gaudes
In perenni gloria.

2 b. Harum audi laudum sonos,
Cui decet laus et honos
Dulcisque melodia.

3 a. Ex te quidem fuit ortus,
O salutis spes et portus,
Rex, qui regit omnia;

3 b. Nobis ergo caeli per te
Mansiones sint apertae
Regnaque perennia.

4 a. Pande nobis portam lucis,
Quos ad vitae spem reducis
Per bonorum studia,

4 b. Ut tuarum ope precum
Adipisci vera tecum
Mereamur gaudia.

Prosar. et Hymn. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacen. 123. A. — Collect. ms. Claravallense saec. 15. Cod. Trecen. 1612. B. — 2b, 1 laudum audi B. — 2b, 2 In quam decet A. — 4a, 1 Porta AB.

57. De Beata Maria V.

1 a. Ave, Maria,
Clemens et pia,
Concors amoris;

1 b. Byssus retorta,
Salutis porta,
Forma decoris.

2 a. Castitatis tu
Sanctitatis tu
Vexillum geris;

2 b. Ducatus vitae
Diceris rite,
Dum misereris.

3 a. Errantium,
Vagantium
Tu recta via;

3 b. Flos virginum,
Lux hominum
Tu, virgo pia.

4 a. Germinans ex te
Caelestis rex te
Matrem elegit,

4 b. Honestatisque
Puritatisque
Seras non fregit.

5 a. Ingens, humilis,
Virgo nobilis,
Virtute praedita;

5 b. Kalendarium
Habens omnium
Sanctorum merita.

6 a. Luce clarior,
Cunctis sanctior
Sola vocaris;

6 b. Micans meritis,
Mundi semitis
Tu stella maris.

7 a. Novitatis
Nubilatis
Tu lucem praebes;

7 b. Orbis ductrix
Atque nutrix
Tu dici debes.

8 a. Patrocinium
Et praesidium
Languentis animae;

8 b. Quaeso, quaesumus,
Quotquot assumus,
Nos malis exime.

9 a. Rosa vernalis,
Tu dici qualis
Nescis vel quanta;

9 b. Sanctitatis es,
Bonitatis es
Radix et planta.

10 a. Tribue virtutem
Et veram salutem
Tuis famulis;

10 b. Uincentium palmam
Dans his, qui te almam
Cantant titulis.

11 a. Christi, tui filii,
Fac, simus nos filii
Et coheredes;

11 b. Yskiros subsidii
Nobis et auxilii
Tutelamque des.

12 a. Zelatis vero,
Qui tibi vero
Serviunt corde,

12 b. Aeternum donum
Summumque bonum
Da purgans sorde.

13 a. Consortiumque
Tuum utrumque
Animae et corporis

13 b. Possideamus
Et habeamus
Post decursum temporis.

Miss. Tornacense imp. Parisiis 1498.

58. De Beata Maria V.

1 a. Ave, plena gratia,
Stirpe nata regia,
Castitatis lilium.

1 b. Ave, mater pauperum,
Medicina vulnerum,
Ave, lumen cordium.

2 a. Ave, virgo virginum,
Consolatrix hominum,
Dulce refrigerium.

2 b. In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solacium.

3 a. Virgo beatissima,
Munda cordis intima
Tuorum fidelium.

3 b. Sine tuo filio
Nulla consolatio,
Nullum est remedium.

4 a. Lava, quod est sordidum,
Riga, quod est aridum,
Sana, quod est saucium.

4 b. Flecte, quod est rigidum,
Fove, quod est frigidum,
Rege, quod est devium.

5 a. Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium;

5 b. Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.

Miss. Sosmense imp. Parisiis 1547. — Melodie natürlich „Veni sancte spiritus“ mit starker Entlehnung im Texte.

59. De Beata Maria V.

1 a. Ave, rosa sine spina,
Nostrae pacis disciplina,
Lux inaestimabilis;

1 b. Ave, stella matutina,
Mundi decus et regina,
Dulcis et amabilis.

2 a. Salve, salus miserorum,
Porta caeli, laus sanctorum,
Regis regum filia;

2 b. Salve, mater orphanorum,
Via vitae, spes lapsorum,
Paradisi gloria.

3 a. Gaude, germen honestatis,
Fundamentum puritatis,
Splendor pudicitiae;

3 b. Gaude, radix sanctitatis,
Templum summae trinitatis,
Sedes sapientiae.

4 a. Ave, melos angelorum,
Lucis lumen et flos florum
Vernans sicut lilium;

4 b. Ave, dux et via morum,
Da veniam delictorum
Et caeleste gaudium.

Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545. A. — Miss. Constanciense imp. Rothomagi 1557. B. — Vielleicht ist 4 a u. 4 b zu lesen: Vale.

60. De Beata Maria V.

1 a. Ave, stella matutina,
Producens solem iustitiae;

1 b. Ave, gloriae regina,
Totius decus ecclesiae.

2 a. Per te fluunt
In terris, o domina,
Gratiarum flumina.

2 b. Per te patet
Caelestis introitus,
Virgo, pura penitus.

3 a. Ave, radix
alma nostrae salutis,
Omnis in te
plenitudo virtutis;
Tu plena Deo,
plena gratia,
Tota plena munditia.

3 b. Sicut ignis
dat illaesus splendorem,
Et flos spirat
incorruptus odorem,
Sic incorrupta
paris puerum
Natum ante luciferum.

4 a. Te terra, pontus, aethera
Colunt, collaudant,
puerpera,

4 b. Quae caelis paris gloriam,
Terris pacem et
laetitiam.

5 a. Ex te prodit infinitus
Tuis clausus visceribus,

5 b. Tuis mammis est nutritus
Et fons vivus uberibus.

6 a. Tu principaris
Sub Deo super omnia;

6 b. Tu gloriaris
Super omnes in patria.

7 a. O Maria, gaude,
Summo gaude gaudio,
Maiore cum laude
Tanto digna filio;
Tu post Deum es optima;
Tu Deo dilectissima.

7 b. Ave, flos honoris,
Laus humani generis,
Facis fax amoris,
Fax ardens prae ceteris,
Corde cunctis humilior,
Dignitate sublimior.

8 a. Tu veniae pincerna,
Flos virginum,
Viae lucerna,
Medela criminum.

8 b. Tu pia mediatrix
Ad Dominum
Et advocatrix
Dulcis es hominum.

9. Virgo, nostrum refugium,
Fac nos post [hoc] exsilium
Concives caeli civium.

Liber ms. Gallicus Miraculorum BMV. saec. 13. add. saec. 13. Cod. Parisin. (Arsen.) 3517. — 4a, 1 De terra. — 4b, 2 Colunt fehlt. — 5b, 1 Tuis pannis est virtutis. — 7a, 3 Maior. — 8b, 3 advocata.

61. De Beata Maria V.

1 a. Ave, virgo, Dei parens,
Nil est tuae formae parens,
Tu es sole clarior;

1 b. Tu es omni labe carens,
Tu es patri tuo parens,
Tu es caelo altior.

2 a. Ave, sponsa summi regis,
Tu caelorum culmen regis,
Mater es et filia.

2 b. Tu es aegis nostrae legis,
Super omnes decus legis
In caelesti curia.

3 a. Tu es rivus sanctitatis
Vasque purae castitatis,
Tu es mundi gaudium;

3 b. Dans solamen desolatis
Liberas tu a peccatis
Animas fidelium.

4 a. Ave, caeli imperatrix,
Mundi huius dominatrix,
Mater veri gaudii;

4 b. Esto nostra gubernatrix
Veniaeque procuratrix
In die iudicii.

5 a. Ave, virgo, maris stella,
Tuum patrem interpella
Pro his tuis famulis;

5 b. Libera nos a peccatis,
Virgo, templum deitatis,
Parce tuis servulis.

6 a. Ave, caeli margarita,
Per quam salus, per quam vita
Venit in hoc saeculum.

6 b. Tu es mater, non amita,
Omni bono redimita,
Hunc defende populum.

7. Angelorum es corona,
Inter sanctos nos corona
In caelorum gloria.

Miss. S. Martini Maioris Monasterii imp. Turonibus 1508.

62. De Beata Maria V.

1 a. Ave, virgo speciosa,
Ave, vitis generosa
Dans vinum laetitiae.

1 b. Ave, venustatis rosa,
Caritate viscerosa,
Mater regis gloriae.

2 a. Ave, gratiae piscina,
Tu munditiae cortina
Sub candoris specie.

2 b. Ave, per quam lex divina
Declaratur et doctrina
Veritatis praeviae.

3 a. Ave, parens expers paris,
Quae per rubum designaris
Non passum incendia.

3 b. Ave, virgo singularis,
His, a quibus salutaris,
Fer precum subsidia.

4 a. Ave, templum trinitatis
Et compagis unitatis
Nobile triclinium.

4 b. Ave, vernae novitatis
Flos et hortus voluptatis
Relevans fastidium.

5 a. Ave, limes aequitatis,
Ad limen aeternitatis
Deviantes dirige.

5 b. Ave, lumen veritatis,
Ave, lima pravitatis,
Lapsos reos erige.

6 a. Ave, sperantis ancora,
Christi gratiam implora
Choro te laudantium.

6 b. Ave, rutilans aurora,
Sentiamus mortis hora
Tuum patrocinium.

Miss. Constanciense imp. Rothomagi 1557. — 2 b, 3 perviae.

63. De Beata Maria V.

1 a. Ave, virgo singularis,
Caeli luminaria,
Dei templum, lux solaris,
Cella pigmentaria;
Tui patris, stella maris,
Mater es et filia.

1 b. Gemmae claritas vocaris,
Nostra tympanistria,
Turris, quae circumvallaris
Ex sanctis in gloria,
Sancto flamine scalaris,
Seraphim constantia.

2 a. Ave, castrum, quod intravit
Verbi sola veritas,
Aula mundi, quam fundavit
Calciata deitas,
Ros, rubus, quem inflammavit
Igne sancta trinitas.

2 b. Super choros elevavit
Te vera divinitas,
Caelestia deauravit
Candida virginitas,
Per te mundum liberavit
A ruina sanctitas.

3 a. Ave, virgo, rubens rosa,
Castitatis lilium,
Vitis munda, generosa,
Fermentatrix omnium,
Via vitae, legis glosa,
Paradisi ostium.

3 b. Florens hortus, lux iocosa,
Domus, vas, sacrarium,
Virga Iesse curiosa,
Thalamus, triclinium,
Sol, aurora radiosa,
Gignens solis radium.

4 a. Ave, caelorum regina,
Consultrix errantium,
Peccatorum medicina,
Victoris stipendium,
Gratiae Dei piscina,
Languoris remedium.

4 b. Aurem tuam huc inclina,
Amoris conubium,
Defende nos a sentina,
Paenitendi spatium
Dona nobis, ut in caelis
Habeamus praemium

5. In caelesti ierarchia;
Trahe nos, virgo Maria,
Ad superna gaudia.

Sequent. ms. Monasterii S. Roberti (Casae Dei) saec. 14. Cod. Parisin. 5247. — 1 a, 4 Stella. — 2 a, 3 Aulam. — 4 b, 5 Auffallend ist das Fehlen des Reimes.

64. De Beata Maria V.

1 a. Chorda cantet in concordi
Chorus, concors chordae, cordi
Concordatis modulis.

1 b. Vox effundat mentem foris,
Ut erumpat melos oris
De cordis ventriculis.

2 a. Laude decet puellari
Vocis, voti plausu pari
Hanc puellam venerari,
Cuius tanta puritas.

2 b. Cui parem puritate
Vis naturae naturatae
Nullam dedit in aetate,
Nec dabit posteritas.

3 a. Haec est orta de spineto
Summi patris ex decreto
Tam sublimi, tam secreto,
Rosa, florum cumulus.

3 b. Haec est stella rubicunda,
Haec est vitae vitis munda,
Quam mundavit vivax unda,
Clausus testa figulus.

4 a. Testa quam felix figmentum,
In quo panis fit fermentum
Mortis levans vi tormentum,
Carnis sumens indumentum,
Salvo iure numinis.

4 b. Panis vivus incarnatus,
Nobis missus, nobis datus,
Homo factus, homo natus,
Nec in partu deturpatus
Almae venter virginis.

5 a. Homo pensat et stupescit,
Viam quaerit, modum nescit,
Intellectus evanescit,
Quem captivat et compescit
Fides sub compendio.

5 b. O Maria, mater Dei,
O secunda scala spei,
Flos immensae speciei,
Ad te suspiramus rei
Multiformi vitio.

6 a. Sementivum,
Succentivum
Lapsus et interitus

6 b. Fomes, mundus
Et immundus
Subministrat spiritus.

7 a. Haurit sensus
Et assensus
In nefas illabitur,

7 b. Attentatur,
Consummatur,
Et nox noctis sequitur.

8 a. O minera pietatis
Et totius claritatis
Fornax et incendium,

8 b. Nostrae parum ratae ratis
Non est tantae tempestatis
Transire naufragium.

9 a. Ergo clemens imperatrix,
Miserorum miseratrix,
Nostri maris stella,

9 b. Luce nobis benigna tu
Et natorum pro reatu
Natum interpella.

10 a. Miser homo, propera,
Luge, plange scelera;

10 b. Mentem, pectus, ubera
Scinde, rumpe, lacera;

11 a. Te totum eviscera
[Atque cito propera]
Ad maternae viscera
Pietatis,

11 b. Ut, cum erit immutatus
Iste tuus non stans status,
Glorieris laureatus
Cum beatis.

Miss. Laudunense imp. Parisiis 1491. A. — Miss. Laudunense imp. Parisiis 1557. B. — 2 b, 1 Cui patrem AB. — 2 b, 3 Nulla AB. — 3 b, 1 stellarum bicunda B. —

65. De Beata Maria V.

1 a. Dulces sonent harmoniae
Cordis, oris in Mariae
Celebri memoria;

1 b. Quam figurant prophetiae,
Illi demus hac in die
Laudes et praeconia.

2 a. Stella maris,
Dux ignaris,
Lux obscuris praevia;

2 b. Salutaris
Nuntiaris,
Plena Dei gratia.

3 a. Fecundaris,
Dum miraris
Gabrielis nuntia;

3 b. Virgo paris,
Fons signaris,
Vellus, proles, pluvia.

4 a. Sed Iudaeis est delirum:
Femina circumdat virum
Praeter viri semina.

4 b. Nil tam novum, nil tam mirum,
Subtus, supra caeli girum
Omnia fert femina.

5 a. Rubens non comburitur,
Sustinens incendia;

5 b. Sic ex ove gignitur
Pastor, pater filia.

6 a. O probanda
vetusta novitas,
O laudanda
ima sublimitas,
O miranda
fecunda castitas,
Quae fit in Maria!

6 b. Qua de terra
fit orta veritas,
Qua fit legis
levis asperitas,
Qua patescit
obscura claritas,
Lex et prophetia.

7 a. Longinqua vicinitas,
Caro est et deitas
Virgine vestita;

7 b. Deus et humanitas,
Diversa haec unitas
Est in hac unita.

8 a. Per hanc videt caecitas,
Ditatur inedia,

8 b. Hostis torpet pravitas,
Fallitur astutia.

9 a. O ministra caritatis,
Esto nauta naufragatis
Precum per remigia,

9 b. Ut ad portum maiestatis
Applicetur nostra ratis
Post mundi naufragia.

Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545. — 4b, 1 Nil tam mirum nil tam novum. —

66. De Beata Maria V.

1 a. Gaude, virgo, mater Dei,
Gaude, nostrum gaudium.

1 b. Gaude, summa nostrae spei,
Gaude, virgo virginum.

2 a. Gaude, cuius redemptorem
Ediderunt viscera.

2 b. Gaude, cuius salvatorem
Lactaverunt ubera.

3 a. Gaude, vitae reparatrix,
Gaude, plena gratia,

3 b. Peccatorum mediatrix,
Gaude, Sion filia.

4 a. Gaude, maris stella, portus
Naufragantis saeculi,

4 b. Nostri consolatrix luctus,
Gaude, salus populi.

5. Tu nos tecum fac gaudere,
Alleluia.

Grad. Viennense imp. Lugduni 1534. — Melodie vielleicht: Sospitati.

67. De Beata Maria V.

1 a. Generosa
Caelorum regina, rosa,
Mater pia,

1 b. Gratiosa
Reorum salutis causa,
Tu, Maria.

2 a. Angelus cum gaudium
Tibi tulit omnium
Voce pura,

2 b. Quod tu, vernans lilium,
Eras Dei filium
Paritura,

3 a. Angeli consilia
Credidisti brevia
Tam laudanda;

3 b. Ex hoc Dei propria
Mater es et filia;
Res miranda!

4 a. Trinitas in filio
Est coniuncta lilio
Valle nostra;

4 b. Haec populo devio
Sacro ex eloquio,
Christe, monstra.

5 a. Isaias cecinit,
Christiana meminit
Gens, credendo desinit
Esse caeca.

5 b. Rubus ardens viruit,
Virgo Deum genuit,
Virginalis renuit
Frangi theca.

6 a. O felix, propera,
Rosae te foedera,
Ne culpa damneris,
gens libera;

6 b. Florem considera,
Quem docet litera,
Iesum genuit
puerpera.

Miss. Baiocense imp. Rotomagi 1501. A. — Missale Macloviense imp. Rotomagi 1503. B. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1504. E. — Manuale Briocense imp. s. l. et a. [1506]. D. — Missale Constanciense imp. Rotomagi 1524. E. — Missale Baiocense imp. s. l. 1529. F. — Missale Carnotense imp. Parisiis 1535. G. — Missale Senonense imp. Senonibus 1556. H.

2b, 2 Dei eras ACEF. — 3a, 2 Reddidisti G. — 4a, 2 Coniuncta est ACEF. — 5a, 1 Esaias G. — 5b, 4 Fregi B. — 6a, 3 damnaris H. — Mel.: Laetabundus.

68. De Beata Maria V.

1 a. Germinavit radix Iesse;
Quicunque vult salvus esse,
Hoc respiret germine.

1 b. Dulce germen, dulcis fructus,
Fructus, nostri finis luctus,
Totus in dulcedine.

2 a. Venit auster, dulce spirat,
Perflat hortum et aspirat
Dulci stillicidio.

2 b. Floret hortus, sed conclusus,
Fructum profert, stupet usus,
Admiratur ratio.

3 a. Usu parit destituto,
Fructum flore non soluto
Parit Iesse virgula.

3 b. Fructu flos non defloresci,
Et aeterni non marcescit
Veris rosa primula.

4 a. Increatum res creata,
Virgo Deum, patrem nata,
Fontem fudit rivulus.

4 b. Sic naturae cancellato
Primo iure de signato
Vase prodit figulus.

5 a. Virgo, thronus Salomonis,
Virgo, vellus Gedeonis,
Virgo, mater gratiae.

5 b. Salve, cuius nubem nescit
Nec in partu dediescit
Dies pudicitiae.

6 a. Mundi salus, stella maris,
Pietate singularis,
Mater plena gratia.

6 b. Nos solare, lux solaris,
Lux, quae mundi lumen paris,
Nobis praebe gaudia

7. Cum sanctis in gloria.

Miss. ms. S. Barbarae in Algia saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Sangenovefian. 96. (BBl. fol. 7).

69. De Beata Maria V.

1 a. Inclinavit caelos Deus,
Ut ascendat homo reus
Liber ad caelestia;

1 b. Caelos rupit et descendit
Et potenter apprehendit
Dirae mortis spolia.

2 a. Corde patris eructatum
Pro nobis est incarnatum
Verbum, per quod omnia.

2 b. Sponsum profert thalamus,
Ut expressit calamus
Scribens vaticinia.

3 a. Caeli novum stillant rorem,
Terra gignit salvatorem,
Patrem parit filia.

3 b. Spirat auster, hortus floret,
Ut per florem evaporet
Ex horto fragrantia.

4 a. Splendor patris, rex decoris,
Homo factus in pudoris
Latet aula regia.

4 b. Templi sacrans vas sincerum
Prodit ille parens rerum
Signata pro hostia.

5 a. O matris privilegia

5 b. Cum virginali gloria!

6 a. Salve, mater puritatis,
Tu maternae pietatis
Salva nos clementia,

6 b. Ut a peccatis mundati
Redonemur sanctitati
Tua per suffragia.

Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545.

70. De Beata Maria V.

1 a. In honore matris Dei
Et eius memoria

1 b. Decantemus omnes ei:
Ave, plena gratia,

2 a. Quae pro salute electa
Humanae propaginis

2 b. Virgo mater es effecta
Dei sic et hominis,

3 a. Super caelosque assumpta
Iuxta Dei dexteram;

3 b. Teque venerantur cuncta
Ut Dei matrem veram.

4 a. Ergo pro nobis, beata,
Nostri tu memineris

4 b. Et virtute tibi data
Nobis auxilieris,

5 a. O clemens, o pia,

5 b. O dulcis Maria.

Miss. Cameracense imp. Parisiis 1495. A. — Miss. Cameracense imp. Parisiis 1507. B. — Melodie wahrscheinlich: Sospitati, mit Verdoppelung der Schlufsklausel.

71. De Beata Maria V.

1 a. Maria, Christi Dei
Genetrix beata,
Maria, viri rei
Dulcis advocata,

1 b. Laudes et praeconia
Tua quis narrare
Possit, per quam propria
Dantur orbi terrae?

2 a. Virgo Christum concipis,
Virgo quoque paris,
A viro nil accipis,
Dum fructificaris;

2 b. Nam mox, ut angelica
Vox te salutavit,
Uterum deifica
Virtus fecundavit.

3 a. In partu non pateris
Poenam vel dolorem;
Non est sic de ceteris
Natis ad languorem.

3 b. Tu es primiceria
In virginitate,
Nota pariter via
In humilitate.

4 a. Non fuit te sanctior
Neque virtuosior
Muliere nata;

4 b. Sola supra sidera
Nati tui dextera
Sedes caronata.

5 a. Hinc te cives caelici,
Clerus atque laici
Semper venerantur,

5 b. Et a te suffragia
Poscunt, qui miseria
Ulla molestantur.

6 a. Nos igitur, maris stella,
Iam defende contra bella
Hostis et carnalia;

6 b. Dona cunctis hominibus
Laude tua gaudentibus
Bona supernalia.

Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545. — 1 b, 2 L. vielleicht efferre, um den sonst gewahrten Reim wieder herzustellen; im übrigen gibt in 1 b, 3 propria (l. gaudia?) wenig Sinn.

72. De Beata Maria V.

1 a. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Relevamen miseriae
Gloriosum.

1 b. Nomen tuum dulce nimis,
Memorandum est inprimis
Magnis, mediis, minimis
Gratiosum.

2 a. Fructuosa fecunditas,
Intemerata castitas
In te sunt et virginitas
Perpetua.

2 b. Nunquam levis, nunquam vana,
Ac si esses inhumana,
Mentes nostras aegras sana
Prece tua.

3 a. Super omnes exaltata,
Iure cunctis es praelata,
Virgo, Dei mater, nata
Stirpe David.

3 b. Deus ineffabiliter
Ex te natus rectum iter
Humanus corporaliter
Demonstravit.

4 a. Tu, quae tot auxiliaris,
Quae cum Deo gloriaris,
Duc nos recte, stella maris,
Exoramus,

4 b. Ut ad perfecta gaudia
Educti de miseria
Te ducente et praevia
Veniamus.

Collect. ms. S. Petri Vivi Senonensis anni 1293. Cod. Parisin. Nouv. acq. 311. — Titel: „Prosa de sancta Maria."

73. De Beata Maria V.

1 a. Salve, lucis verae parens,
Omni labe semper carens,
Quae praeceptis patris parens
Fis mater et filia.

1 b. Salve, mater pietatis,
Fons immensae caritatis,
Summae stella claritatis
Illuminans maria.

2 a. Salve, virgo, virga Iesse,
Per te fuit nostrum esse
Repletum caelesti messe
Destructa miseria.

2 b. Salve, virgo, mater Dei,
Per te consolantur rei,
Fiat laus huius diei
In tui memoria.

3 a. Salve, luminare mundi,
Per te sumus laetabundi,
Per te rei fiunt mundi
Paradisi requie.

3 b. Ad te, mater, confugimus,
Impetra, quod salvi simus,
Ne nos apprehendat limus
Infernalis curiae.

Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1484. A. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1496. B. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1500. C. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1548. D. — 1 a, 4 Sis AC. — Melodie offenbar: Verbum bonum.

74. De Beata Maria V.

1 a. Salve, mater
misericordiae
Spes lapsorum,
quam plenam gratiae
Salutavit Gabriel.

1 b. Salve, mundo
merito celebris,
Per quam lapsis
lumen in tenebris
Effulsit Emanuel.

2 a. Salve, sola
quae matris virginis
Partu polles,
Dei et hominis
Mater es et filia.

2 b. Medicinam
quae confers vulneri,
Quod inflixit
humano generi
Zabuli perfidia.

3 a. Castitatis
et morum formula,
Quam beatam
dicit per saecula
Omnis generatio.

3 b. Nostri tergens
reatum sceleris
Apud Deum
sis pia miseris
Reconciliatio,

4 a. Ut suspiret
ab hoc exsilio
Mentis nostrae
pura devotio
Ad aeterna gaudia;

4 b. Quo nos ducat
eius clementia,
Qui solus est
omnibus omnia
In caelesti patria,

5. Per te, mater
Virgo, Maria.

Grad. et Trop. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). A. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1496. B. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1500 C. — Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545. D. — 1 b, 3 sq. quam lumen lapsis D. — 2 a, 3 Partu proles C. — 2 a, 4 et Dei hominis D. — 2 b, 2 tu confers D. — 2 b, 3 infudit BC. — 3 b, 5 Reconsiliatio BCD. — 4 a, 1 Ne A. — 4 a, 3 Nostrae mentis BCD. — 4 b, 1 ducant A. — Str. 5 fehlt BC. — 5 a, 1 mater inclita D.

75. De Beata Maria V.

1 a. Salve, salus peccatoris,
Salve, mater salvatoris,
Salve, virgo regia.

1 b. Salve, mater pietatis,
Desolatos solans gratis,
Quia plena gratia.

2 a. Salve, domina caelorum,
Imperatrix angelorum,
Dignans tamen miseros.

2 b. Salve mitis, salve digna,
Salve dulcis et benigna,
Trahe nos ad superos.

3 a. Lava sordes, culpas terge,
Limo mersos nos emerge,
Fons misericordiae.

3 b. Stilla stillam puritatis
Nobis diu depuratis
In caeno spurcitiae.

4 a. Salve, virgo sola mater,
In qua, per quam factus frater
Nobis Dei filius.

4 b. Fac, ut fratre tanto duce
Post hanc vitam vera luce
Fruamur superius.

Collectan. ms. S. Sergii Andegavensis (Vitae SS. Sergii etc.) saec. 10. add. saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Andegaven. 813. (730). Mit Melodie.

76. De Beata Maria V.

1 a. Salve, salve, stella maris,
Porta, quae non reseraris,
Via, viris invia.

1 b. Parens partu singularis,
Verbum, vitam, viam paris
Salva pudicitia.

2 a. Ave, lux ecclesiae,
Fons patens clementiae,
Morbi medicina.

2 b. Arca sapientiae,
Norma pudicitiae,
Gratiam propina.

3 a. O Maria, fons hortorum,
Hortus clausus, claustrum morum,
Omni plena gratia.

3 b. Audi preces miserorum,
Solve vincla captivorum,
Reple nos iustitia.

4 a. Ad te rei suspiramus,
Et gementes supplicamus
Tua patrocinia,

4 b. Te patronam habeamus,
Te iuvante gaudeamus
In perenni gloria.

5 a. Christe, fili summi patris,
Servos tuae sanctae matris
Reple bonis.

5 b. Aegros sana, sanos rege
Et in tua stare lege
Confer nobis.

6 a. Aufer iugum, quo gravamur,
In te namque gloriamur
Vere super omnia.

6 b. Te videre mereamur
Dextra tua protegamur
Per aeterna saecula.

Miss. Constanciense imp. Rothomagi 1557. — Melodie wahrscheinlich: In caelesti hierarchia, freilich gekürzt.

77. De Beata Maria V.

1 a. Salve, sancta Christi parens,
Sidus novum, lux apparens,
Iuxta natum semper clarens
Velut sol in aethere.

1 b. Cuncta laus est tibi parens,
Virga florens, flos non arens,
Hortus clausus, pare carens
Deitatis opere.

2 a. Verbum patris genuisti,
Incarnatum peperisti,
Christum quae lacte pavisti
De caelo pleno ubere.

2 b. Salve, mater Iesu Christi,
Quae post partum permansisti
Virgo tunc et nunc fuisti
Iam lucis orto sidere.

3 a. Tu trinitatis atrium,
Unitatis triclinium,
Sanctitatis sacrarium,
Virtutum laus et gloria.

3 b. Salve, caelorum gaudium,
Portus portans suffragium,
Peccatorum refugium,
Spes et misericordia.

4 a. O radians
stella prae ceteris,
Laus et honor
humani generis,
Delens scelus
parentis veteris,
Luce nos irradia.

4 b. Salve, mater
superni foederis,
Mundi salus,
succurre miseris,
Colloca nos
in regnis superis
Seraphim custodia.

Trop. et Seq. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromont. 57. — 4 a, 5 Dolens.

78. In Commemoratione BMV.

1 a. Salve, virga mystica,
Virgo, mater unici,
Inter matres unica,
Felix sorte duplici.

1 b. Mitis et pacifica
Genetrix pacifici,
Pro salute supplica
Nostra pio iudici.

2 a. Sublimis et humilis,
Firma spes humilium,
Hostibus terribilis,
Frange vires hostium.

2 b. Dulcis et amabilis
Tutrix amabilium,
Sis nobis placabilis
Sic, ut places filium.

3 a. En, viventes morimur,
Immo semimortui
Ut aqua dilabimur,
Sed occurre lapsui.

3 b. Via, per quam gradimur,
Finis est ambigui,
Si te duce ducimur,
Meta datur metui.

4 a. Nostri dux itineris
Sis et comes exitus,
Si nobis astiteris,
Tutus erit transitus.

4 b. Misereri miseris
Tibi datur caelitus,
Unde iure flecteris
Ad servorum gemitus.

5 a. Veni, mundi domina,
Veni, mater Domini,
Vitae mors contermina
Venit parcens nemini.

5 b. Cuncta caeli lumina
Tuo cedunt lumini,
Ergo nos illumina,
Ne res desit nomini.

6 a. Preces ne despicias
Ad te suspirantium,
Sed prece subvenias,
Quae tulisti pretium.

6 b. Miseri delicias,
Viles regni solium,
Egeni divitias
Quaerimus; da filium,

7. Hoc uno nos satia,
In quo plenum gaudium.

Sequent. ms. Casae Dei saec. 14. Cod. Parisin. 5247. A. — Missale Uceciense imp. Lugduni 1495. B. — 2 b, 3 Sic nobis B. — 2 b, 4 Sis ut B. — 3 a, 1 Et viventes A. — 4 b, 2 datum est B. — 5 a, 2 Munda mater B. — 5 a, 3 Vitae mones B. — 5 a, 4 Veni B. — 6 b, 4 Quaesumus A. — 7, 1 satias B.

79. De Beata Maria V.

1 a. Salve, virgo, Christi parens,
Virga Iesse spina carens,
Castitatis lilium,

1 b. Lucis porta, vitae portus,
Odor myrtae, florens hortus,
Dei domicilium.

2 a. Flagrans dulcor aromatum,
Cunctorum splendor climatum,
Nubes sine nubilo.

2 b. Tu es reis refugium,
Austri flantis triclinium,
Per te fugit aquilo.

3 a. Paradisus voluptatis,
Fons signatus, deitatis
Rorans stillicidio.

3 b. Gemma lucens, rosa rubens,
Mater nunquam carne nubens,
Felix puerperio.

4 a. Tu es solis epicyclus,
Per te fulsit nobis cyclus,
Pondus sanctuarii.

4 b. Tu es templum, caeli caelum,
Tu es templi textum velum
Opere plumarii.

5 a. Tu sculptura ostreata,
Tu columna liliata,
Tu es basis aurea.

5 b. Altare thymiamatis,
Igne plenum caritatis,
Aromatum area.

6 a. Tu es lampas et lucerna,
Ex qua mundo lux superna
Desuper irradiat.

6 b. Tua clemens virginitas
Et benigna fecunditas
Deo nos conciliat.

7 a. Virgo clemens, virgo pura,
Virgo mater, non natura
Sed divino munere,

7 b. Roga patrem pietatis,
Ut nos purget a peccatis
Et det secum vivere.

Miss. ms. S. Barbarae in Algia saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Sangenovefian. 96 (BBl. fol. 7). — 4 a, 1 episciclus. — 5 a, 1 ystriata. — 7 a, 1 clemens virgo pia.

80. De Beata Maria V.

1. Salve, virgo virginum,
De qua lumen luminum
Processit ecclesiae.

2 a. Digna dignis cultibus,
Extollenda laudibus
Et voce laetitiae;

2 b. Salve, mundi domina,
Per quam nostra crimina
Relaxantur hodie.

3 a. Fecundata spiritu
Tectum carnis habitu,
Solem veri luminis,

3 b. Qui creavit omnia,
Profers sine macula
Ad salutem hominis.

4 a. O beatum uterum,
Qui profudit puerum,
Cuius super umerum
Signum est victoriae.

4 b. Luna solem peperit,
Quo nox nostra deperit
Atque lucem repperit
Homo novae gratiae.

5 a. Haec est stella,
Qua procella
Nostri cordis
Sine sordis
Potest esse scarie.

5 b. Tu es rosa
Speciosa;
Per te, pia
Mater, via
Salutis et veniae.

6 a. O Maria, mater Dei,
Caeli porta, salus rei,
Fac nos semper vivere.

6 b. Si concordes nostrae menti,
Non valebunt maris venti
Nobis portum tollere.

7 a. Tu es stella nocte lucens
Et ad portum nautas ducens,
Turbatos mundi turbine
Pone in vero lumine.

7 b. Tu es portus naufragantum;
Nam, quod paris, virgo, sanctum,
Aegros sanat, salvat reos
Et nos facit esse deos.

8 a. Tu es luna vincens solem,
Namque paris talem prolem,
Quae nostrorum
Peccatorum
Expiet contagia.

8 b. Virum paris praeter morem,
Ex te fundis vitae florem,
Cuius gustus
Est conductus
Ad caeli palatia.

9. Te, Maria, penitus
Laudet omnis spiritus.

Grad. et Trop. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). — 2a, 2 Excolenda. — 4a, 3 O profudit. — 6b, 1 mentis. — 7a, 2 nauta. — 7a, 4 Poni. — 8b, 4 conditus. — Melodie: Mane prima sabbati.

81. „Sequentia de Beata M.V.“

1 a. Stella maris,
O Maria,
Praedicaris,
Vitae via.

1 b. Vitae via
Praedicaris,
O Maria,
Stella maris.

2 a. Complanato nobis callem
Transituris per hanc vallem,

2 b. Ad hoc opus praesignata
Et a Deo nobis data.

3 a. Preme pede praevalenti
Caput anguis virulenti,

3 b. Qui felices nos seduxit,
Et in mare nos eduxit.

4 a. Tu Abrahae iam promissa
Et per Iesse nobis missa,

4 b. Virga florens, produc fructum,
Qui excludat Evae luctum.

5 a. Sicca virga, sine unda
Fis onusta nucibus,

5 b. Corda nostra tu fecunda
Fronde, flore, fructibus.

6 a. Legislator admiratur,
Quia rubus succendatur
Nec succensus aduratur;

6 b. Dum admirans intuetur,
Ab accessu prohibetur,
Nudet pedes, admonetur;

7 a. Solvit iussus nec accedit,
Quia vetus lex recedit,
Postquam nova iam succedit.

7 b. Mater Dei, Deo plena,
Caro quibus est in poena,
Pravos motus his refrena.

8 a. Et legatus hoc praedicit,
Deum esse tuum dicit
Tecum, fructum benedicit.

8 b. Et tu vere benedicta,
Ex inani maledicta,
Quae donatur mater dicta.

9 a. Nos per Evam captivati
Ad poenarum praemia

9 b. Per te sumus revocati
Ad superna gaudia.

Grad. et Trop. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). — 5a, 1 Signo. — 5a, 2 Sis o nupta nuptibus. — 7b, 3 refrenat. — Im Bande XXXVII, Nr. 93 bedauerte ich, von dieser Sequenz nur die 6 ersten Strophen mitteilen zu können. Nach Chevalier's Repertorium war keine Aussicht, dafs ich dieselbe complet im Graduale von Fontevrault finden könnte; denn nach ihm soll dort stehen: Stella maris o Maria | Expers paris parens pia. Die wirklich dort sich vorfindende Sequenz fehlt im Repertorium.

82. De Beata Maria V.

1. Stola virginitatis,
Alleluia,

2 a. Induit gloriae Dominus
Mariae corpus egregium.

2 b. Solito demus frequentius
Virgini laudis praeconium.

3 a. Maria, mater insignis,
Hostiam Deo
cor mundum obtulit,

3 b. Quae velut rubus in ignis
Flammis non laesa
filium protulit.

4 a. Haec afflictis dat solamen,
Haec levamen est in poenis,

4 b. Haec est mentis medicamen
Infectae culpae venenis.

5 a. Ante legem non auditur
Nec post legem invenitur
Virgo tantae gratiae;

5 b. Quae non cessit blandimentis
Carnis servans immarcentis
Florem pudicitiae.

6 a. Luditur hostis profanus,
Dum divina confert manus
Virgini tot gratias;

6 b. Dum ministra caritatis
Fidelibus congregatis
Dat virtutum copias.

7 a. Furit hostis tunc subiectus,
Quando nube carnis tectus
Rex, qui regit aethera,
Prodit de puerpera.

7 b. Prece matris, pastor bone,
Serva servos a dracone,
Ne seducat fraudibus
Tuis pronos laudibus.

8 a. Dona nobis hodie
Dono tuae gratiae,

8 b. Ut demus laudes piae
Tuae matri Mariae.

9 a. Ut hanc ergo per patronam
Consequamur vitam bonam,

9 b. In illius die festo
Hilarato corde maesto

10. Iucundum in ecclesia
Decantemus Alleluia.

Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545. — Melodie der Laurentius-Sequenz gleichen Anfanges, aus der vielfach sogar die Reimworte entlehnt sind.

83. De Beata Maria V.

1 a. Templum sancti spiritus
Virgo parit caelitus
Lucis verae radium.

1 b. Tu thesaurus pauperum,
Apotheca munerum,
Lux iucunda cordium.

2 a. Cuncta cedunt optime,
Cum te iungis animae,
Dulce refrigerium.

2 b. Tu lassatis requies,
Tentatis temperies,
Maestorum solacium.

3 a. Parens beatissima,
Summi regis intima,
Memento fidelium;

3 b. Coram celso numine
Nihil est [in] lumine,
Nihil est innoxium.

4 a. Munda corpus sordidum,
Perfunda cor aridum,
Sana totum saucium;

4 b. Edometur rigidum,
Per te flagret frigidum,
Dirigatur devium.

5 a. Dispone fidelibus
De te confidentibus
Saecli septenarium;

5 b. Ad salutis meritum
Da post huius exitum
Paradisi gaudium.

Miss. Ebredunense imp. Lugduni 1512. — Melodie natürlich: Veni sancte spiritus.

84. De Beata Maria V.

1 a. Verbum manens ab aeterno
Apud patrem ex materno
Carnem sumpsit utero,

1 b. Est ex matre factus Deus,
Erubescat vir Iudaeus
Infelix de cetero.

2 a. Rivus fontem alvo gessit,
Et ex alvo fons processit
Purificans omnia.

2 b. Terra, pontus, astra, mundus
Renovantur et fit mundus
Miser a miseria.

3 a. Arca novi testamenti,
In qua nostri sacramenti
Continetur veritas,

3 b. Vas repletum vino mero,
Cella plena pane vero,
Sub quo latet deitas.

4 a. Quidquid boni potest esse,
Profert virgo, virga Iesse,
Quando parit filium.

4 b. Lacte pascit salvatorem
Virgo, nata genitorem,
Creatorem omnium.

5 a. Miserorum miseratrix
Et lapsorum reparatrix,
Reos reconcilia

5 b. Pia mater, pium natum
Placa nobis, ut paratum
Det regnum in gloria.

Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Parisin. 880. 2. A. — Miss. ms. Senonense saec. 14/15. Cod. Pessulan. 71. B. — Missale Senonense imp. Parisiis 1543. C. — 2b, 3 misera B. — 5a, 1 miseratur B. — 5a, 2 reparatur B. — 5a, 3 reconsilia A; reconsiliat B.

III.

DE SANCTIS.

85. De Omnibus Sanctis.

1 a. Arce siderea
occurrens unicus
Assumpto plasmate
fit gigas mysticus.

1 b. Bonus pro miseris
mala sustinuit,
Qui nasci venerat,
pati non renuit.

2 a. Dum vita moritur,
Exsul reducitur
Eius in obitu.

2 b. Sublata flammea
Disparet framea
Patente aditu.

3 a. Hic angustum
Linquens bustum
Die surgit tertia

3 b. Et confracto
Mortis pacto
Poli subit spatia.

4 a. Inde pneuma mittens sanctum
Subditorum tersit planctum
Consolator inclitus.

4 b. Illuc mire collocati
Trinae laudem maiestati
Dant beati spiritus.

5 a. Suum virgo filium
repraesentat vatibus,

5 b. Olim quem praedixerant
adfuturum gentibus.

6 a. Divo conspectui
Bis seni principes
Assistunt cernui,
Regni participes.

6 b. Fert gens punicea
Serta martyrii
Plebsque virginea
Nitorem lilii.

7 a. Virent in sublimibus
confessores ideo,

7 b. Quia plebem fidei
munierunt clipeo.

8 a. Rex horum medius
Lapsis propitius
Det noxae debitum;

8 b. Quos cruce sociat,
Gehenna nesciat
Post carnis obitum.

Trop. ms. Martialense saec. 12. Cod. Parisin. 3719; bis: fol. 29a A; fol. 61a B. — Collect. ms. Martialense saec. 12. Cod. Parisin. 3549. C. — 1b, 1 Honus C. — 1b, 3 venerat fehlt B; venerit C. — 2a, 1 Cum C. — 2b, 3 Parente C. — 3a, 1 Hinc A; augustum C. — 3b, 1 Sed B, Ut C. — 4a, 1 Unde C. — 4b, 2 Tuae B. — 5a, 1 Tuum C. — 5b, 1 promiserat B, praedixerat C. — 8a, 3 Dat B, Dant C. — 8b, 1 Hos B. — 8b, 2 Gehennae B. — 8b, 3 abitum B.

86. „Prosa de Sanctis Omnibus.“

1 a. Festum crescens et cunctorum,
Explementum ceterorum,
Dat aeterna trinitas.

1 b. In hoc ipsa principatur,
Qua sanctorum coronatur
Felix universitas.

2 a. Semper virgo mater Christi
Toti praerogatur isti;
Tanta trans collegia

2 b. Throno iuncta verbo proli
Secus veram vestem soli
Regnat super omnia.

3 a. Novem gradus angelorum
Ternat graphos distinctorum
Ierarchali titulo,

3 b. Divinumque simplex esse
Venerantur indefesse
Iugi laudum cumulo.

4 a. Patriarchis et prophetis
Ac Baptistae demptis metis
Firma constant gaudia;

4 b. Gemmis cordis luculenti,
Tamquam forent in praesenti,
Prompsere mysteria.

5 a. Cephas habet coetum clarum,
Et tetras theosebarum
Ampla nitet gratia.

5 b. Lauris martyrum sunt rosae,
Confessorum pretiosae
Candent vitae lilia.

6 a. Hic sat mire beatarum
Splendet turba feminarum
Fruens pace socia,

6 b. Bonos calles non linquendo
Et reductae paenitendo
Poli pandunt praemia.

7 a. Quisquis digne promeretur,
Ut ibidem sic locetur,
Dictos greges consequetur
Fausti plausus copia.

7 b. Manet spes his duplae stolae,
Cum de terrae surgent mole,
Nec minus fulgebunt sole
Nova carnis gloria.

8 a. Ecce, domus Israelis,
Phalanx victrix, urbs fidelis,
Fractis mali crebri telis
Triumphans ecclesia,

8 b. Alta Sion, templum latum,
Vitis magna, florens pratum,
Agnum saepe demonstratum
Forma typi varia.

9 a. Vi fervente studeamus,
Dum sub armis militamus,
Ne nos laedat hostis hamus,
Sed ad iustos pertingamus,
Quorum fit memoria.

9 b. Rem tam grandem largiatur
Mons, qui caelos amplexatur,
Humi centrum speculatur,
Sceptri cono moderatur
Ima, summa, media.

Collect. ms. Claraevallense saec. 12. add. saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Trecen. 990. — Melodie wahrscheinlich: Laudes crucis, freilich gekürzt.

87. De Omnibus Sanctis.

1 a. Ad honorem
caelestis curiae
Regem regum,
solem iustitiae,
Collaudantes
psallamus hodie
Mente pura.

1 b. Haec est dies
captandae veniae,
In qua cives
aeternae gloriae
Venerantur,
qui nos ad patriae
Vocant iura.

2 a. Huius festi
Tenens initium
Mundi factor
[et rerum] omnium,
Qui est finis
atque principium,
Deus unus:

2 b. Pater summus,
summum refugium,
Ab aeterno
generans filium,
Quod emittit
flamen, fidelium
Verum munus.

3 a. Hinc exsultat
virgo, flos virginum,
Quae caelorum
regem et Dominum
Tulit, panem
et vitam hominum,
Iesum Christum.

3 b. Haec permansit
per omnem terminum
Virgo consors
celsorum agminum,
Omni purgans
[a] labe criminum
Mundum istum.

4 a. Angelorum
milium milia,
Archangeli
et Dominiantia,
Throni necnon
et Principantia
Gloriantur.

4 b. Potestates
pellentes vitia,
Cherubim et
Seraphim gloria
Et Virtutum
mira prodigia
Gratulantur.

5 a. Gaudet praeco
vatumque contio,
Qui nos suo
docent praesagio,
Quo sit nostra
fixa intentio
Ad aeterna.

5 b. Apostoli
resultant gaudio,
Quorum subest
mundus iudicio,
Nosque solvunt
mortis contagio
In superna.

6 a. Decoratur
martyrum sanguine
Dies ista,
qui mundi turbine
Victo gaudent
in caeli culmine
Laureati.

6 b. Confessorum
fulget et agmine,
Qui et huius
vitae regimine
Sunt aeterna
beatitudine
Munerati.

7 a. Virginalis
floret humilitas,
Continentum
refulget castitas;
Hanc et illam
Christi benignitas
Amplexatur.

7 b. Electorum
laetatur caritas,
Quos mundana
non trahit vanitas,
Sed in ipsis
superna civitas
Iucundatur.

8 a. Horum ergo
nunc patrocinia
Imploremus,
quorum sollemnia
Venerari
laudum fragrantia
Studeamus,

8 b. Ut cum eis
aeterna gaudia
In superna
caelesti patria
Promereri
saecla per omnia
Valeamus.

Miss. Bicterrense imp. Lugduni 1535. — 1 b, 7 Vocavit. — 2 a, 2 tenent. — 2 b, 5 Quos amittit. — 4 b, 3 atque. — 6 a, 3 Dicens. — 7 a, 3 Continentium. — 8 b, 5 sq. Promoveri saecula.

88. De Omnibus Sanctis.

1 a. Omnium sollemnio
Sanctorum cum gaudio,
Christicola contio,
Gratulemur.

1 b. Virgo sedens solio,
Genetrix cum filio,
Felix puerperio:
Veneremur.

2 a. Victor Satan Michael,
„*Chere*“ lator Gabriel,
Ductor Tobiae Raphael
Collaudentur.

2 b. Angelique ceteri,
Chori patris superi
Assistentes lateri,
Commendentur.

3 a. In Iordanis flumine
Lotor nati virgine
Sine viri semine
Iucundetur.

3 b. Petrus cum apostolis
Ceteris christicolis
Falsis pulsis idolis
Nos soletur.

4 a. Chorus innocentium
Latus ad martyrium
Propter Dei filium
Festivetur.

4 b. Stephani praeconium
Martyrumque bravium
Iubilo laetantium
Celebretur.

5 a. Confessorum inclitis,
Monachorum meritis,
Precibus pax semitis
Nostris detur.

5 b. Benedictus, nobilis
Ortu, mente humilis,
Par Robertus dapsilis
Exaltetur.

6 a. Magdalena vitio
Mundata eximio
Christi beneficio
Decoretur.

6 b. Katharinae bravio,
Virginum suffragio
Sanctorum consortio
Plebs locetur.

7 a. Quorum est sollemnium,
Quod per Bonifatium
Quartum post Gregorium
Promovetur.

7 b. Da, aeterna trinitas,
Fove, simplex unitas,
Nobis „*Chere*“ iugitas
Ut praestetur.

Missale Casae Dei imp. Lugduni 1527. — 5 a, 3 par semitis. — 6 b, 1 Katharina.

89. De sancto Achatio.

1 a. Resonet ecclesia
Magna cum laetitia
Festa colens hodie

1 b. Martyrum illustrium,
Qui per crucis taedium
Cum palma victoriae

2 a. Venerunt ad bravium
Supernorum civium,
Ubi pax et gaudium.

2 b. Hi fuerunt decies
Mille, in quos rabies
Saevit infidelium.

3 a. Hos manus tyrannica
Pro fide catholica
Ad columnam laniat.

3 b. Spinis pungit capita
Et perforat latera,
Demum cruce cruciat.

4 a. O quam felix contio,
Quae pari martyrio
Salvatorem sequitur!

4 b. Magno privilegio
In caeli palatio
Apud Deum fungitur.

5 a. Horum prece sedula
Deleat piacula
Praesentis familiae,

5 b. Qui regnat in saecula,
Et post tot pericula
Donet frui requie.

Prosar. ms. Caelestinorum Parisientium anni 1532. Cod. Mazarin. 448. A. — Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. B. — Melodie natürlich: Veni sancte spiritus.

90. De sancto Adiutore.

1 a. Exsultent solitudines,
Militum simul ordines
Patronem laudent suum;

1 b. Est et causa laetitiae
Non parva pueritiae
Atque choro virginum.

2 a. Adiutor inter caelites
Nunc gaudet, inter equites
Olim clarus praestitit.

2 b. Is inter pueros sanctus
Fuit et ad finem castus
Voluptati restitit.

3 a. Nobili stirpe natus
Patre Iohanne satus
Et Rosamunda fuit.

3 b. Lumen adeptus gloriae
Multum suis et patriae
Splendoris promeruit.

4 a. Ducentorum dux militum
Incidit in exercitum
Numerosum hostium;

4 b. Tum fudit in caelum preces
Opem rogans Magdalenes;
Haec tulit auxilium.

5 a. Aer nimbis exhorruit,
Fulmen hostes exterruit
Et coegit fugere.

5 b. Vires collegit Adiutor,
Hostem prostravit et victor
Coepit grates agere.

6 a. Tandem captus a barbaris
Post multos annos carceris
In obscurum datus est.

6 b. Ut a Christo descisceret
Et barbaris adhaereret,
Graviter vexatus est.

7 a. Tormenta constanter tulit,
Nec illum poena perculit
Gratia firmatum Dei.

7 b. Opem divinam repetit,
Novumque levamen quaerit
Propugnator fidei.

8 a. Hinc propitia Magdalis,
Illinc Bernardus Tironis
Solverunt e carcere;

8 b. Liberum noctis spatio
Reddiderunt Vernonio
Vinclis gravi corpore.

9 a. Sacellum Magdalenae
Prope ripam Sequanae
Struxit et incoluit.

9 b. Illi victus perexilis,
Frequens labor manualis;
Miraculis claruit.

10 a. Exitiosum gurgitem
Clausit et fluvium mitem
Fecit navigantibus.

10 b. Eiecit quoque daemonem
Deprecatus Magdalenem
Multis id spectantibus.

11 a. Post mortem ante thronum
Christi sese patronum
Pro patria praebuit.

11 b. Tempori temperiem,
Aegris valetudinem
Diversis restituit.

12 a. Pie in tuos, Adiutor,
Sis quoque nobis protector,
Defende periculis.

12 b. Impetra nobis gratiam,
Qua vitemus malitiam,
Ut vivamus in caelis.

Officium sollemne s. Adiutoris confessoris, nobilium patroni et Vernonensium protectoris, . . . a Ioh. Theroude editum Parisiis 1638. (Neu ediert von Raym. Bordeaux. Rouen, 1864). — 8a, 2 tyronis. — Leider ist die Quelle von Theroude nicht bezeichnet; dieselbe scheint jüngeren Datums zu sein.

91. De sancto Adriano.

1 a. Lactis fidibus clange, lyra,
Instant gaudia nunc plura;

1 b. Psalle martyris insignia
Nisu toto, comedia.

2 a. Qui ad instar captivorum
Cultus sprevit idolorum;

2 b. Miles vinctus ulceratur,
Nervis crudis verberatur.

3 a. Iussu regis trucidatur
Ac funibus flagellatur.

3 b. Mox laetatur Natalia
Visa viri constantia,

4 a. Decernens coniugem suum
Inchoare martyrium.

4 b. Iudex fremit atque spumat
Frangendo iuvenis crura.

5 a. Eius manum amputari
Vult uxor et sibi dari
In eius memoriam.

5 b. Abscissis pedibus
Fractisque cruribus
Deo reddit animam.

6 a. Hinc iubetur,
Ut cremetur
Adriani corpusculum;

6 b. Ignis cedit
Nilque laedit,
Ros extinguit incendium.

7 a. Adriane, martyr Christi,
Laetanter plura tulisti
Pro Christo supplicia;

7 b. Per crucem, quam baiulasti,
Obtinere meruisti
Martyrii praemia.

8 a. Cuius laetus,
Ut salvetur, noster coetus
Sequatur vestigium.

8 b. Adriane,
A morbo epidemiae
Conserva consortium.

9. Pater bone,
In agone
Mortis fer subsidium.

Miss. Rothomagense imp. Parisiis 1527. — 1 a, 1 Laetis fidelibus tange lyra. — 4 b, 1 fremit obscenus spumat. — 4 b, 2 Frangendo sub incude. — 8 a, 2 Noster coetus ut salvetur. — 8 b, 2 Ab epidemiae morbo. — Man vgl. die Sequenz: Laetis tange fidibus (Anal. Hymn. X, Nr. 154).

92. De sancto Aegidio.

1 a. Sanctissimi veneranda
Celebremus sollemnia

1 b. Aegidii, admiranda
Praeminentis potentia.

2 a. Gaude tanti luminis
Illustrata
fulgore, Provincia,

2 b. Magnum tibi patronum
Generavit
et transmisit Graecia.

3 a. Qui cum natus
esset stirpe regia

3 b. Et floreret
omni rerum copia,

4 a. Vana contempsit
mundi gaudia
Et blandimenta noxia,
Et natali
derelicta patria

4 b. Exsul alta
navigavit maria,
Sua dans Christo
patrimonia,
Caelica quaerens praedia.

5 a. Mira sunt, pater Aegidi,
Tuae virtutis insignia:

5 b. Pauper vestitur et aeger
Tua sanatur clementia.

6 a. Dirus anguis tibi cedit,
Sed et ipsa daemonia,

6 b. Loqui mutos et turbata
Parere facis maria.

7 a. Leprosum curas et arva
das fertilia,

7 b. Te cerva pascit in silvis
lactis copia.

8 a. Te, pater, honorat rex Flavius et tota curia,
Te monente fundat
coenobium cum gloria.

8 b. Libertate locum donans
auctoritate regia.
Haec Carolo regi
nuntiantur in Gallia,

9 a. Ad quem evocatus [illi]
occulta pandis vitia,

9 b. Revelante, condonante
sancti spiritus gratia.

10 a. Praematura morte captum
Remanensem
regulum resuscitasti
pia per suffragia.

10 b. Impetras, pro quibus oras,
[quidquid petunt],
et a Deo postulata
tibi dantur omnia.

11. Nunc ergo nostra vitia
Precibus tuis expia
Et regna da caelestia.

Missale Redonense imp. Parisiis 1492 A. — Missale Redonense imp. Parisiis 1533. B. — 2a, 3 fulgore pronuntia A. — 4b, 4 patrocinia AB. — 6a, 1 sibi B. — 6b, 2 Pari facis AB. — 7a, 1 arma AB. — 8a, 3 movente B. — 10a, 2 Remansensem AB. — 11, 3 dat.

93. De sancto Aegidio.

1a. Promat pia vox cantoris
Huius laudem confessoris,

2a. Fide fuit Deo carus,
Mundi quoque stirpe clarus,

3a. Adhuc aevo puerilis
Sensu fuit tam subtilis,

4a. Ardens intus caritate
Foris lucet honestate,

5a. Dum languenti praebet vestem,
Mox languoris fugat pestem,

6a. Quidquid rerum possidebat,
Christo dedit, quem colebat,

7a. Dum egenis hoc impendit,
Christus ei plus rependit,

8a. Quod fateri rex veretur,
Scelus scire promeretur;

9a. Nam altari dum astaret
Dumque missam celebraret.

10a. Hic horrendae rei reum
Regem videns apud Deum

11a. Servo Dei non ingratum
Cerva praebet famulatum.

12a. Plura possunt reperiri
Mira facta sancti viri,

13a. Hic praesentem iuvet chorum,
Ut in regno beatorum

1a. Ipsum laudans praesens chorus
Sit festivus et canorus.

2b. Mundi tamen sprevit fastum
Se conservans Deo castum.

3b. Quod in brevi fit doctorum
Doctor ipse doctiorum.

4b. Intus ardens vis amoris
Per exemplum lucet foris.

5b. Ex divina dans virtute
Vestem simul cum salute.

6b. Fit egenus, ut egeni
Fiant bonis eius pleni.

7b. Dans pro Christo peritura
Promeretur permansura.

8b. Christus ei revelavit
Seclus, quod rex perpetravit.

9b. De supernis carta missa
Regis pandit huic commissa.

10b. Iam pro rege supplex orat,
Cuius culpam non ignorat.

11b. Servit cerva nutu Dei
Quasi grates agens ei.

12b. Quibus clare demonstratur,
Quam praeclarus habeatur.

13b. Regem videns sempiternum
Glorietur in aeternum.

Prosar. ms. Parisiense saec. 13. Cod. Commun. Assisien. 695. A. — Miss. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin. 868. B — Sequent. ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Ravennaten. 360 (139. 5 S). C. — Missale Leonense imp, Parisiis 1526. D. — 1b, 2 Fit festivus B. — 3a, 1 puerili C. — 3a, 2 fuit praesubtili C. — 7b, 1 transiturus C. — 8b, 2 Videns crimen apud A. — 13a, 2 Sic praesentem A. — 13b, 1 vident C. — Vgl. Gautier, Oeuvres Poétiques d'Adam de S. Victor (1. ed.) II, 181 ff.

94. De sancto Aegidio.

1 a. Quando conscientia
Respondet eloquio,
Verbi valet gratia;

1 b. Plebs sic cum laetitia
Laudes dans Aegidio
Celebret sollemnia.

2 a. Sanctus hic Aegidius,
Christi miles regius,
Stirpe natus regia.

2 b. Mundum sprevit penitus,
Soli Deo deditus,
Dei plenus gratia.

3 a. Mundus vixit hic in mundo
Deo vivens corde mundo,
Vitae vitans vitia;

3 b. Sese Deo dans thesaurum
Sprevit opes, sprevit aurum,
Sprevit transitoria.

4 a. Angue morsus est mundatus
Precibus Aegidii,
Saevientis est sedatus
Furor arreptitii.

4 b. Navem paene mersam rexit
Ad portum consilii,
Quae post eum tute vexit
Ad locum exsilii.

5 a. Vir perfectus
Mari vectus
Arelate
Urbe natae
Febres fugat viduae.

5 b. Res vulgatur,
Plebs miratur
Sanctum laedunt,
Quae procedunt,
Gentis voces mutuae.

6 a. Famam nolens
Sed hic dolens
Hinc discedit
Et se dedit
Vitae solitariae.

6 b. Diu latet,
Nulli patet,
Dono Dei
Cerva ei
Lac dat alimoniae.

7 a. Hic se celans non celatur,
Cum defunctus suscitatur,
Adepta carta veniae
Commissi regis Franciae.

7 b. Cartae fides attestatur,
Quamvis crimen condonatur,
Huius vocato nomine
Ultra non acto crimine.

8 a. Hinc, Aegidi, serve Dei,
Supplicamus tibi rei,
Fac, vir mire, nos transire
Huius mundi vitia

8 b. Et fac preces nostras vehi
Ante Deum gratas ei,
Ut venire die spei
Possimus ad gaudia.

9. Haec det Dei gratia.

Missale Andegavense imp. [Parisiis] 1489. A. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523. B. — 5 a, 3 a relathe A. — 5 b, 2 miseratur B. — 6 a, 3 descendit B. — 6 b, 1 Divi latet AB. — 7 b, 2 condonatus B. — 8 b, 2 gratis AB; ei fehlt B. — 8 b, 3 Et venire B. —

95. De sancto Aemiliano.

1 a. Aemiliani extollamus
hodie magnalia,

1 b. Cuius devote colimus
festiva sollemnia.

2 a. Migrat sanctus et portatur
Ad caeli palatia
Et cum sanctis collocatur,
Ubi pax et gloria.

2 b. Adulescens frequentabat
Libenter ieiunia
Et immunem se servabat
Ab omni lascivia.

3 a. Felix confessor
Aemilianus est ortus
Minori Britannia,

3 b. Teste scriptura
mediocrium est ortus
Parentum prosapia.

4 a. Cuius fulgebat
animus nobili
clementia,
Pauperibus impendebat
multa beneficia.

4 b. Necnon imbutus
misericordiae
flagrantia
Ad opera caritatis
promptus erat omnia.

5 a. Cum mutus [quidam]
adduceretur
Ad sanctum Dei
nec aliquid loqueretur,
Reddidit eloquia.

5 b. A muliere,
dum torqueretur
Atque gemino
daemone obsideretur,
Eiecit daemonia.

6 a. Panis in lignum mutatur,
Cumque panis reformatur,
Patent mirabilia.

6 b. Intrat furnum nec crematur,
Sed illaesus conservatur
Divinali gratia.

7 a. Quaedam venit excaecata,
Luce tamen restaurata
Rediit ad propria.

7 b. Fontis parere parata
Lympha, via permutata,
Sancto venit obvia;

8 a. Cursum de valle mutavit
Currens ad contraria,

8 b. Versus montem inundavit
Recta relicta via.

9 a. Aemiliane (pater) beate,
Digna precum ubertate
Nostra dele vitia,

9 b. Nos ab hac captivitate
Supernorum civitate
Perducas ad gaudia.

10. Amen dicant omnia.

Miss. ms. S. Andreae Burdigalensis saec. 15. Cod. Parisien. 871. A. — Miss. Burdigalense imp. Burdigalis 1543. B. — 1 b, 2 festa A. — 7 a, 3 Redit B. — 8 b, 1 nudavit B. — Melodie offenbar jene der Nicolaus-Sequenz „Congaudentes exsultemus“. Dieselbe wurde überhaupt, freilich in etwas ungelenker Weise, als Vorlage benützt, und viele Redewendungen sind derselben wörtlich entlehnt. Für die Strophenabteilung und Textgestaltung ist dieses notwendig zu beachten. — Der ständige Verschlufs auf i a ist der Vorlage gemäfs eingehalten; der Wechsel zwischen gereimten und reimlosen Strophenteilen folgt ebenfalls der Vorlage, nur Str. 2 hat hier gereimte Verse, die der Vorlage fehlen. Es liefse sich freilich auch in 1 b durch colamus st. colimus ein Reim erzielen. Ebenso könnte man durch Umstellungen die Strophe 4 also gestalten:

4 a. Cuius animus fulgebat
Nobili clementia,
Pauperibus impendebat
Multa beneficia,

4 b. Necnon misericordiae
Imbutus flagrantia
Ad opera caritatis
Promptus erat omnia.

Aber es ist mehr als zweifelhaft, ob hiermit das Ursprüngliche getroffen würde, zumal für 4b, 1 u. 3 doch kein Reim erzielt ist. — So habe ich den Text von A ganz unverändert gelassen; Misset-Weale (Anal. Liturg. I, 401) haben für denselben die Censur „Le texte de cette Prose est très corrumpu par endroits.“ Die Beachtung der Melodie und Vorlage hätte anders belehrt. — Erweiterung der Vorlage ist die Schlufsklausel 10. — Das Wort Aemilianus stimmt durchweg schlecht in den Rhythmus; vielleicht war also die Sequenz zunächst auf einen andern Heiligen gemacht.

96. De sancto Affrodisio.

1 a. Pangat plausus huius chori
Laudes Christo salvatori
Celebri tripudio,

1 b. Qui per gustum mortis almae
Immortalis dedit palmae
Munus Affrodisio.

2 a. Hic vocatus ex Aegypto,
Sicut habes in rescripto,
Mare transit typicum,

2 b. Veri consors Israelis
Vir praeclarus, vir fidelis,
Spernit orbem lubricum.

3 a. Nam cum suae larvas urbis
Confregisset coram turbis
Virtus Christi pueri,

3 b. Dux accessit non ut ultor,
Sed ut novus Dei cultor
Festinaret fieri.

4 a. Divae legis exsecutor,
Praeco, verae pacis tutor,
Petri comes et adiutor
Venit Antiochiam.

4 b. Romae post haec ordinatus
Et a Petro delegatus
Vir in cunctis adprobatus
Visitavit Galliam.

5 a. Animarum lucra quaerens
Et morborum pestes terens,
Dei verbum late ferens,
Promotus a Sergio,

5 b. Bicterrense servat solum,
Baptizatis pandit polum,
A dolosis pellit dolum
Verbi beneficio.

6 a. Perseverans in doctrina,
Piae vocis disciplina
Plebem servans a ruina,
Diem clausit ultimum.

6 b. Corpus terrae commendatur
Viri sancti, consecratur
Christo flamen, a quo datur
Omne datum optimum.

7 a. O stupenda nimis ira,
Quam non cavit plebs delira,
Hanc monstrarunt docti mira
Flaminis praenostica.

7 b. Ruunt aedes exsecratae,
Res delentur indilate,
Dilatatur patens late
Praesulis basilica.

8 a. Ecce, lux est reconcessa,
Daemon pulsus ab obsessa
Corpus reddit liberum;

8 b. Caecis datur lux serena,
Ulcerosis salus plena
Tersis venis ulcerum.

9 a. Usu linguae iam recepto
Gaudent famine adepto
Piscatores littore;

9 b. Anus, puer et puella
Liberantur a procella
Mortis sano corpore.

10 a. Ergo, pater et patrone
Affrodisi, pastor bone,
Pontifex egregie.

10 b. Ora Christum redemptorem,
Ut supernum nobis rorem
Det in regno gloriae.

Miss. Bicterense imp. Lugduni 1535. — 3b, 1 cultor. — 8a, 2 pulsis. — 9a, 2 flamine et adepto.

97. De sancto Agapito.

1 a. Purpurata
martyrum sanguine
Gratuletur
in Christi nomine
Ecclesia.

1 b. Veneremur
illum praecipue,
Qui curavit
mortis perpetuae
Contagia.

2 a. Cuius clementia,
Collatrix veniae,
Lapsis a gratia
Contulit gratiae
Salutare donum.

2 b. Oblatus hostia
Salutis ostium
Surrexit, ostia
Confringens hostium,
Deus ultionum.

3 a. Talem secutus praevium
Inspiratur divinitus,
Dum per tormenta praemium
Sibi quaerit Agapitus.

3 b. Puer infra trilustrium,
Mente tamen emeritus,
Sese in sacrificium
Offerre non est veritus.

4 a. Miles mentis intrepidae,
Praesente constans praeside,
Sub praesidis tyrannide
Pugnat viriliter.

4 b. Fidem docet et praedicat,
Sed innocentem iudicat
Et iustum poenis adplicat
Iniustus arbiter.

5 a. Ignis patibulum,
Poenarum genera
Sunt illi pabulum,
Sunt illi munera
Gratiosa.

5 b. Tandem carnificum
Exhaustis studiis
Fremit non modicum
Gens in supliciis
Studiosa.

6 a. Finem accelerant
Ministri scelerum,
Poenas reiterant
Torquentes iterum
Agonistam fortem.

6 b. Iam vitae perpetis
Adpetens praemia
Te, martyr, adpetis
Inter supplicia
Gustaturum mortem.

7 a. Martyr Agapite,
Truncaris capite
Dans Deo spiritum.

7 b. Perenni gloriae
Compensas hodie
Carnis interitum.

8 a. Tibi post mortem vivitur,
In Christo vivis, igitur
Imploramus,

8 b. Ut apud summum iudicem
Te benignum opificem
Sentiamus.

Miss. Bisuntinum imp. Salini 1485. A. — Miss. Bisuntinum imp. Parisiis 1508. B. — 4b, 2 Et AB. — 6b, 3 scheint verderbt. — 6b, 5 Gustaturus B.

98. De sancta Agnete.

1 a. Diem festum celebremus
Et Agnetis recitemus
Virginis martyrium.

1 b. O res nimis admiranda
Atque virtus praedicanda
Populis fidelium.

2 a. Annis tribus atque decem
Non peractis subit necem
Aetate tam tenera.

2 b. Haec praefecti natum sprevit
Nec promissis adquievit
Mundi spernens prospera;

3 a. Sed respondet fide fortis:
„Vade retro, fomes mortis,
Meque noli tangere;

3 b. Coniuncta sum pulchriori
Longeque te meliori
Sempiterno foedere.“

4 a. Qui post dolens lecto datur,
A medicis revelatur,
Quod amore premitur.

4 b. Cuius pater hoc audito
Sisti sibi iubet cito
Agnem, quam adloquitur.

5 a. Primo profert blandimenta,
Post haec promittit tormenta
Sibi dari nimia.

5 b. Sed tormentis non terretur
Nec blandimentis movetur
Virginis constantia.

6 a. Nudam iubet spoliari,
Scortum factam proclamari;
Complent iussa famuli.

6 b. Clamant Agnem sceleratam,
Ad lupanar praeparatam
Sciant omnes populi.

7 a. Christus texit hanc suorum
Densitate capillorum
Melius quam vestibus.

7 b. Leno vadit, locum adit,
Suffocatus statim cadit
Captus a daemonibus.

8 a. Virgo prece patris orat,
Gemit, plorat et implorat
Vitam reddi filio.

8 b. Surgit ille laudans Deum,
Se fatetur esse reum;
Sed Agnes Aspasio

9 a. Crucianda commendatur,
Ignis ingens mox paratur,
In quo virgo ponitur.

9 b. Statim flamma se divisit,
Illibatam hanc dimisit,
Perversa gens uritur.

10 a. Post haec virgo decollatur,
Corpus terrae commendatur,
Caelo reddit spiritum.

10 b. Ubi lucem suis donat
Christus et quemque coronat
Iuxta suum meritem.

11 a. Quo possimus ipso duce
Cum Agnete frui luce
Per eius suffragia,

11 b. Ut cum ipsa super caelos,
Ubi dulce sonat melos,
Cantemus Alleluia.

Miss. Atrebatense imp. Parisiis 1491. A. — Miss. Atrebatense imp. s. l. 1508. B. — Miss. Atrebatense imp. absque [1518]. C. — 3 b, 2 te fehlt C. — 5 b, 1 territur C. — 8 a, 3 reddit C. — 8 b, 3 Agnes a spacio C.

99. De sancta Agnete.

1 a. Ad Agnetis decorem
Exaltemus honorem
Salutaris gratiae,

1 b. Quae contra saecli morem
Despexit mundi florem
Cum foeno miseriae.

2 a. Haec superbi clamorem
Contrivit et amorem
Totius vesaniae.

2 b. Haec veste denudata
Mox est circumvallata
Divina caesarie.

3 a. Hanc nec locus foetoris
Nec filius praetoris
Nec mors terret patriae.

3 b. Tu consors angelorum
Stans in aede polorum,
O decor munditiae.

4 a. O fons virginitatis,
Quae gaudes cum beatis,
Da lumen prudentiae.

4 b. O rosa castitatis,
O decus puritatis,
Da ius temperantiae.

5 a. O datrix probitatis,
Et verae sanctitatis,
O lux patientiae,

5 b. Da spiritus ardorem,
Dona manus vigorem,
O norma iustitiae.

6 a. O aurea castitas,
O immensa bonitas,
O vas opulentiae,

6 b. Tu regi cohabitas
Reddens laudes debitas,
Cantica laetitiae.

7 a. O Agnes dulciflua,
O stella luciflua,
O flos regis gloriae,

7 b. Per tua suffragia
Confer vera gaudia,
Opes pudicitiae.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 1 b, 3 Cum foere. — 5 a, 1 O fehlt. — 7 b, 2 Confert. — 7 b, 3 O res pudicitiae.

100. D. ss. Agricola et Vitale.

1 a. Gaude, plebs Alvernica,
Dona Christi mystica
Claudes in hospitio;

1 b. Agricolae, Vitalis
Morte fis immortalis
Victrici martyrio.

2 a. De terra Bononiae
Traduntur Alverniae;
O felix possessio!

2 b. Omne superans aurum,
O quam clarum thesaurum
Obvians daemonio!

3 a. O victrices milites,
In caelesti divites,
Pellite miseriam;

3 b. Virtute, qua potestis,
Mota sit mala pestis
Regendo ecclesiam.

4 a. In morte et in vita
Virtutibus munita
Careat naufragio,

4 b. Donec finis optatus
Et meritis ornatus
Tradat caeli solio.

5 a. Horum [sit] translatio
Nobis absolutio
Et reatus venia,

5 b. Daemonum artatio,
Mentis iubilatio,
Reditus in patria.

Prosar. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 57. A. — Miss. Claromontense atque S. Flori imp. Lugduni 1541. B. — 1a, 1 Arvernica A. — 1a, 3 Claudens B. — 1b, 1 et Vitalis B. — 1b, 8 fit B. — 2a, 2 Traditur A. — 3b, 2 Amota B. — 4b, 1 Donet B. — 5a, 3 veniat B. — 5b, 1 artio A. — 5b, 3 Redditus A; patriam B. — Melodie jedenfalls: Veni sancte spiritus.

101. De sancto Anatolio Salinensi.

1a. Per te, pater,
salvari petimus,

1b. Cuius laudes
in terra canimus.

2a. Sta pro nobis
in caeli curia,

2b. Qua iam vides
Christum in gloria.

3a. Nostra prorsus
excusa vitia,

3b. Ne contra nos
detur sententia.

4a. Peccatorum vincula
Solve prece sedula
Tibi famulantium;

4b. Hostis contra iacula
Et mundi pericula
Nobis fer auxilium.

5a. Et sic Dei filium
Fac nobis propitium
Per tua suffragia,

5b. Ut post hoc exsilium
Se nobis in praemium
Donet et perennia.

Miss. Bisuntinum imp. in claro Salinensi oppido 1485. — 3a, 2 excusat.

102. De sancto Anatolio Salinensi.

1a. Veni, spes sanitatis
Et forma castitatis,
Praefulgens miraculo.

1b. Veni, clarens meritis,
Salinum virtutibus
Iuvans adminiculo.

2a. Claudo qui donas gressum
Loqui facis et mutum,
Nobis fer auxilium.

2b. Praesulum sanctissime,
Mulieri miserae
Praestans refrigerium.

3a. Anatoli, lux mira,
Qui das per miracula
Salinum clarescere;

3b. Sine quo miseria
Simul et penuria
Adesset plenissime.

4a. Leva, quae sunt subdita,
Repara, quae perdita,
Per tuum praesidium.

4b. Flecte mentes hostium,
Fove praesens oppidum,
Repelle fastidium.

5a. Da cunctis fidelibus
Ad te recurrentibus
Optatum subsidium

5b. Precareque Dominum,
Ut post vitae terminum
Det perenne gaudium.

Miss. Bisuntinum imp. in claro Salinensi oppido 1485. — 1b, 2 Burgundiam virtutibus. — Melodie jedenfalls: Veni sancte spiritus.

103. De ss. Andochio, Thyrso, Felice.

1. Salve, radix Iesse,
quem sol, mare,
tellus et luna

2 a. Sed et caelorum cuncta
simul collaudant agmina;

2 b. Qui es martyrum palma
et sacerdotum gloria,

3 a. Dans in utroque
virtutum praemia,

3 b. Alteri fidem,
alii constantiam.

4 a. Quas cum ceteris tuus
miles adeptus fuerat

4 b. Beatus Andochius,
petra fundatus solida.

5 a. Qui velut claris
oliva pomis uberrima

5 b. In domo tua
fudit pretiosa germina.

6 a. Nam divina
secus hortatum
capiens monita

6 b. Transmarina
deserens loca
venit ad Gallias.

7 a. Ubi talenta
divinitus sibi credita

7 b. Dans ad usuram
multiplicabat negotia.

8 a. Cuius fama
circumquaque [lata]
divulgabatur maxima.

8 b. Sed e contra
in eum valida
hostis torquentur spicula.

9 a. Contigit ergo,
ut Eduorum
petens moenia

9 b. Principis ductus
est cum sociis
in praesentia.

10 a. Qui furore
nimio motus
fremuit in athletas;

10 b. Quos suspendens
distendi iussit
rotis saxeis membra.

11 a. Sed, cum sic superare
sanctos, Christe, tuos
non valerent verbera,

11 b. Fornax eis (prae)paratur
candens, qua proiecti
tibi reddunt gratias.

12 a. Adhuc plus infremuit
Caesaris insania;
eorum colla ferreis
caedi iussit vectibus,
sicque reddunt animas.

12 b. Quorum sacri sanguinis
candidata passio,
per quam tanta diei
huius festa rutilant,
nobis sit propitia,

13. Ut laude fruamur
aeterna.

Miss. ms. Eduense saec. 12. add. saec. 14. Cod. Semin. Eduen. 125. A. — Miss. ms. Eduense (Card. Rolin) saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 114. B. — Miss. ms. Eduense (Card. Rolin) saec. 15. Cod. Semin. Eduen. s. n. C. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Tolosan. 100. D. — Miss. Eduense imp. Parisiis 1493. E. — 1, 2 quam E. — 4a, 2 fuerat fehlt D. — 6a, 2 hortatu E, oratu D, ora tu B. — 6b, 1 Trans maria BD. — 7a, 2 tradita C. — 7b, 1 ad fehlt E. — 7b, 2 multiplicabit E. — 8b, 3 torquetur AC. — 9a, 1 sq. ut ergo C. — 9b, 3 praesentiam ABD. — 10b, 3 saxeis moenibus D. — 12a, 4 nectibus D. — 12b, 3 per quanta D; tanto C.

104. De sancto Andrea.

1a. Praesens dies honoretur,
Et Andreae decantetur
Celebris memoria.

1b. Chorus noster gratuletur,
Viri sancti recordetur
Iugiter insigna.

2a. Sanctus iste sanctus Dei,
Mansuetus, magnae spei
Morum elegantia.

2b. Frater fuit piscatoris.
Mundi patris et rectoris,
Nec impar in gloria.

3a. Hunc Aegeas cruciavit,
Ligno crucis adligavit
Pio parans impia.

3b. Pendens cruce praedicavit
Christi nomen et clamavit
Plebi dans solacia.

4a. Claudis gressu restaurato
Surgit aeger de grabato,
Fugantur daemonia.

4b. Iste noster advocatus
Christum oret, ut reatus
Purget sui gratia.

5a. Ergo, Christe, preces audi,
Servos tuos nunc exaudi
In caelesti patria.

5b. Quo dux noster et patronus
Nos perducat pastor bonus
Impetrata venia.

Miss. ms. S. Andreae Burdigalensis saec. 15. Cod. Parisin. 871. — 1a, 2 decantur. — Melodie: Hodiernae lux diei.

105. De sancto Andrea.

1a. Hodie beatus Andreas
victor caelos penetravit;
Gaudeamus.

1b. Viam nobis ad vitam carnis
suae trabe complanavit,
Ut eamus,

2a. Etsi non martyrio,

2b. Piae vitae studio.

3a. Doctor bonus, mitis, pius,
plenus innocentia
Et gratia,

3b. Diffundebat [in] populis
vitae seminaria
In Achaia.

4a. Haec Andreas;
Sed Aegeas,
Minister diaboli,

4b. Rationes
Et sermones
Non ferens apostoli,

5a. Crucifigi
Crucifixi
Iussit ob ridiculum
Discipulum.

5b. Sed crux Christi
Sicut isti
Vitae auxit titulum
In saeculum.

6 a. Turbae stantes
Ante crucem
Ad viginti milia,

6 b. Lamentantes
Vitae ducem
Sustinere talia,

7 a. Indignantur
Et minantur
Iudicem perimere,

7 b. Ni maturet
Et procuret
De cruce deponere.

8 a. Ille timet et promittit;
Sed deponi non permittit
Dei providentia,

8 b. Qui sic suos gaudet pati,
Ut aeternum sint beati
Vera patientia.

9 a. Ministrorum brachia

9 b. Fiunt immobilia.

10 a. Supervixit biduo
[In cruce] dans sedulo
Verba vitae populo
Crucis de patibulo.

10 b. Tandem die tertia
Lux de lucis curia
Super lucis filium
Lucis fudit radium.

11. Prae lucis magnitudine
Diu visus a nemine
Simul cum ipso lumine
Perrexit ad Dominum
Felici victoria,
Ad gloriam cum gloria.

Miss. Aurelianense imp. Parisiis s. a. [1519]. A. — Miss. Aurelianense imp. Aureliani 1556. B. — 1 b, 2 trabea AB. — 1 b, 3 Et nos AB. — 5 a, 2 Crucifigi A. — 11, 1—4 scheinen eine Gegenstrophe zu erheischen.

106. In Translatione s. Andreae.

1 a. Fontes Elim universi
Per diversa sunt dispersi
Post donorum gratiam.

1 b. Sic Andreas, vir insignis
Fide, fama, factis, signis,
Invadit Achaiam.

2 a. Per hunc credit urbs Nicaena,
A qua Dei vir septena
Eiecit daemonia;

2 b. Ab eisdem suffocatus
Vivit puer suscitatus
Teste Nicomedia.

3 a. Surgunt simul decem quater,
Quorum primus Philopater,
Perpessi naufragia;

3 b. Caelum, terra commovetur,
Purus puer ut purgetur
A matris calumnia.

4 a. Invocata patris dextra
Multos sanat intus, extra
Multis pressos vitiis,

4 b. Luxu carnis involutos,
Caecos, claudos, surdos, mutos,
Obsessos daemoniis.

5 a. Hunc Aegeas carceravit,
Hunc septena flagellavit
Ministrorum ternio.

5 b. Tandem crucem salutavit,
In qua pendens praedicavit
Biduali spatio.

6 a. Luce caeli circumsaeptus
Diu demum est adeptus
Repromissa gaudia,

6 b. Sed Aegeas sic deceptus
Coram cunctis est arreptus
Spirans in miseria.

7 a. O Andrea, qui sanctorum
Mitis es ac pius, chorum
Hunc Christo concilia,

7 b. Ut fruamur omnes una,
Quam psalmista petit, una
In caelesti patria.

Miss. Abrincense imp. Rotomagi 1505. — 1 a, 1 Cfr. Exod. 15, 27: Venerunt autem in Elim filii Israel, ubi erant duodecim fontes; symbolisierende Anspielung auf die 12 Apostel. — 3 a, 3 puerperssi. — 7 b, 2 Cfr. Ps. 26, 4 Unam [Hebraismus statt unum] petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.

107. De sancto Angelo Custode.

1 a. Creasti in principio
Incomprehensum numerum
Angelorum imperio,
Conditor alma siderum.

1 b. Meritis iuste discernis
Et lumen et luciferum,
Bonos et malos secernis,
Tu lumen ante terminum.

2 a. Ex his tibi semper astant
Quidam de dono gratiae,
Alii nobis ministrant,
Summae Deus clementiae.

2 b. Angelorum et hominum
Dispensas miro ordine
Mystica officiorum
A solis ortus cardine.

3 a. Periret omnis anima
Absque horum suffragio,
Sed reparantur omnia,
Laus regi, plena gaudio.

3 b. Ut intendas superius
Ad aeterna palatia,
Viam praeparat angelus,
Beata nobis gaudia.

4. O sancte angele Dei,
Ab eo qui es commissus,
Esto, quaeso, memor mei,
Ne peccato sim submissus.

Miss. Claromontense et S. Flori imp. Lugduni 1541. — 1 b, 3 cecernis. — 2 b, 4 ortu. — 3 a, 3 eorum. — 3 a, 4 pleno. — Dürfte ursprünglich ein Hymnus gewesen sein, wie auch die Schlufsverse jeder Strophe einem Hymnus entlehnt sind. Letzteres trifft in Str. 4 nicht zu; dieser Umstand und die Anwendung der unliturgischen Einzahl, weniger das Fehlen einer Gegenstrophe, lassen in Str. 4 einen späteren Zusatz vermuten.

108. De sancto Aniano.

1 a. Regi regum laudem demus
Nos, qui laudes recensemus
Aniani praesulis.

1 b. Sic concordet lingua cordi,
Quo sit actus par concordi
Vita linguae modulis.

2 a. In hac die summum pie
Regem laudes, et ad laudes
Confessoris sedulum

2 b. Cor ascendens sit attendens,
Quam perfectus sit electus
Praesul per miraculum.

3 a. Non excusans moras aevi
Nondum loquens puer brevi
Sublevato loquitur;

3 b. Attestante parvulo
Anianus populo
Princeps substituitur.

4 a. Cum absolvi reos quaerit,
Agripinum lapis ferit
Hos negantem solvere;

4 b. Qui sanatus liberat,
Quos damnando clauserat
In poenali carcere.

5 a. Ab instanti praesul nece
Reddit aegro sua prece
Sanitatis praemium.

5 b. Caeco reddit usum lucis
Et impresso signo crucis
Sanat cementarium.

6 a. Confessoris prece pia
Morbus fugit et mania
Gileberti militis.

6 b. Sanitatem tres germani
Sibi gaudent Aniani
Restaurari meritis.

7 a. Regem quoque pugnaturum
Fortem reddit et securum
Sanctus venerabilis;

7 b. Paenitentem liberat
Furem, quem constrinxerat
Cippo quidam nobilis.

8 a. Tot et tantis plenus bonis
Curat aegrum, qui phytonis
Vexabatur spiritu.

8 b. Pro devotis impetrat,
Caelos prece penetrat,
Caelos [flectit] gemitu.

9 a. Ore precum curat caecum
Et virtutis dono mutis
Linguae solvit vinculum.

9 b. Hostes fremunt, cives tremunt,
Sed a caede gentis foedae
Praesul salvat populum.

10 a. Super muros praesul vadit,
Sputo delet et abradit
Hostes suos, tanta cadit
Pluviarum densitas,

10 b. Quod submersis prorsus Hunnis,
Quorum casus est communis,
A communi fit immunis
Detrimento civitas.

11 a. Inimici cadunt strati,
Cives gaudent liberati
De praesenti clade fati.
Caelo reddit spiritum

11 b. Praesul vitae post laborem,
Quia Christus confessorem
Suum vocat ad honorem
Tanto viro debitum.

12 a. Aniane, caeli civis,
Qui cum summo patre vivis,
Tuis ora pro captivis,
Ut praestetur salus vivis
Et defunctis venia.

12 b. Universae factor rei,
Iesu Christe, fili Dei,
Miserere coetus rei
Et post mortem confer ei
Sempiterna gaudia.

Miss. Aurelianense imp. Parisiis s. a. [1519]. A. — Miss. Aurelianense imp. Aureliani 1556. B. — 10 b, 1 prorsus huius A, hunis B. — 10 b, 3 communi minimus A. — Melodie jedenfalls: Laudes crucis.

109. De sancta Anna.

1 a. Gratulemur in hac die
Matri virginis Mariae
Laudes dantes debitas.

1 b. Sic laus consona sit corde,
Praesens ut voto concorde
Colitur sollemnitas.

2 a. Ave matri matris Dei,
Per quam salvi fiunt rei,
Stirpe natae regia,

2 b. Dum doleret verecunda,
Quod manebat infecunda,
Nuntiantur talia:

3 a. Esto corde laetabundo,
Filiam paries mundo
Quae portabit Dominum;

3 b. Haec Maria nominata
Semper erit Deo grata
Et expers peccaminum.

4 a. Haec est sancta mater Anna,
Quae supernum clausit manna
Praecelsae dulcedinis;

4 b. Haec est virga ferens florem,
Fructum praebens praetermorem
Alvum replens virginis.

5 a. Ut hanc ergo genetricem
Sentiamus adiutricem
In hac solitudine,

5 b. Supplices hanc deprecemur,
Ut cum ipsa gloriemur
In beatitudine.

Prosar. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 57. A. — Miss. Claromontense atque s. Flori imp. Lugduni 1541. B. — 1a, 2 Matris B. — 1b, 1 sic corde B. — 1b, 2 concordet AB. — 2a, 1 Ave mater B. — 5a, 1 hanc fehlt A. — 5b, 1 deprecamur A. — Aufschrift in A: „Annae matris beatae Mariae“. — Melodie wohl: Hodiernae lux diei.

110. De sancta Anna.

1 a. Ad laudes matris Mariae,
Annae nobilis et piae,
Gaudeat ecclesia.

1 b. In hac virga pullulavit,
Vitae fructum quae portavit,
Quo pascuntur omnia.

2 a. Summe dignum est laudare
Talem matrem, quae lactare
Christi matrem meruit.

2 b. Hanc Ioachim desponsavit,
Cui fidem observavit,
Sicut Deus statuit.

3 a. Ambo vitam innocentem
Deducebant et placentem
Deo et hominibus.

3 b. Partem frugum, quas habebant
Primam templis offerrebant,
Secundam pauperibus.

4 a. Ternam sibi reservabant,
Quam prudenter dispensabant
Suae domus usibus.

4 b. Sic viventes exorabant
Deum semper et laudabant
Cunctis suis actibus.

5 a. Die festo, cum venissent
Ad templum et obtulissent
Consueta munera,

5 b. Praesul eis insultavit
Et eorum reprobavit
Innocentum opera,

6 a. Dicens eis non licere
Coram Deo comparere,
Cum fierent steriles;

6 b. Sed Deus, cunctic reator
Et suorum consolator,
Eos fecit fertiles.

7 a. Et fit Anna paritura
Cuncta labe caritura
Reginam caelestium,

7 b. Matrem Dei gloriosam,
Universis fructuosam
Populis fidelium.

8 a. Et nos tantas genetrices,
Tam potentes, tam felices,
Collaudemus iugiter,

8 b. Ut sint nobis adiutrices
Apud Deum et tutrices
In caelis feliciter.

Miss. Diense imp. Parisiis 1499.

III. De sancta Anna.

1 a. Lux est orta de tenebris,
Cuius ortu fit celebris
Dies plena gaudio;

1 b. Orbis dolet illecebris,
Et doloris malis crebris,
Sicut probat ratio.

2 a. Huius lucis fuit pater
Vir Ioachim, Anna mater,
Uterque mirabilis;

2 b. Utriusque fuit vita
Bonitate redimita,
Valde simplex, humilis.

3 a. Pater dignus. mater digna,
Quibus non est res maligna,
Quisque bono deditus;

3 b. In his patent mira signa,
Obumbravit quos benigna
Virtus sancti spiritus.

4 a. Felix arbor, felix fructus
Frondesque sunt felices,
Arborisque felix truncus,
Summitas et radices.

4 b. Fructu tali cessat luctus,
Gentes gaudent simplices,
Per quem nemo fit seductus;
Ista vera publices.

5 a. Erat enim talis cura
Sancto viro mente pura
Nutriendi pecora,

5 b. Servit Deo cum secura
Mente vitans mala pura
Per saltus, per nemora.

6 a. Erat homo dives satis,
Sed tres partes facultatis
Disponebat facere:

6 b. Dabat plebi paupertatis
Primam partem, post praelatis
Sibique non temere.

7 a. Dum in templo quodam die
Stans offerret vir hostiae
Sacra Deo munera,

7 b. Ruben, scriba templi, ferae
Dedit lapsum iniuriae
Verba dicens aspera.

8 a. Vir recessit sic illusus,
Nullis domus rebus usus,
Sed timore Dei fusus
Sustulit pacifice.

8 b. Mox cucurrit ad montana
Nulla verba dicens vana,
Sed incedit via plana
Laudans Deum publice.

9 a. Anna quidem visitatur,
Ab angelo confortatur,
Consolamen cui datur
Angelico monitu.

9 b. Vir Ioachimcom moratur,
In montanis, sed miratur,
Cur angelus sic loquatur
Pari sibi sonitu.

10a. Dicit ei: revertere,
Audi vocem nobilem,
Habiturum scias vere
Te prolem mirabilem.

10b. Verbis autem patriarcha
Credidit angelicis,
Praeceptorum legis arca
Potum bibit caelicis.

11a. Lucis pater, mater Anna,
Quibus caeli datur manna,
Hymnum cantant incessanter
Angelicum et laetanter.

11b. Nomen lucis est Maria,
Per quam gaudent nunc omnia,
Cuius prece gloriemur
Cum electis et laetemur.

Miss. Bicterrense imp. Lugduni 1535. — 7b, 1 verae. — 10a, 3 sq. te vere prolem. — 10b, 2 Credit.

112. De sancta Anna.

1a. Felix Anna veneretur,
Et devote celebretur
Eius natalitium;

1b. Quae Ioachim coniugata,
Proles datur ei grata
Gignens Dei filium.

2a. Haec per Dei pietatem
Meruit fecunditatem,
Manens diu sterilis;

2b. Quo plurimum desolata
Precibus est inclinita,
Domo clausa flebilis.

3a. Angelus quam corfortavit,
Gemitum qui commutavit
Huius in laetitiam

3b. Promittens, quod conceptura
Foret haec et paritura
Matrem Dei filiam,

4a. Virgo semper quae manebit,
Carne mater confovebit
Redemptorem gentium.

4b. Iamque fertur virga Iesse,
Matrem sui quam vult esse
Rex creator omnium.

5a. Mitis Anna, mitem natam
Placa nobis tibi datam,
Prece nos ut sedula

5b. Salvi tandem iucundemur
Et cum ipsa gloriemur
Per aeterna saecula.

Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Carnoten. 587. — 4a, 3 Redemptionem. — Melodie vermutlich: Hodiernae lux diei.

113. De sancta Anna.

1. Mater matris Domini,
Felix felicissimi
Ioachim consocia,

2a. Singulari studio
Pauperum solacio
Conferens subsidia,

2b. Anna, diu sterilis,
Apud Deum humilis,
Propter virum anxia;

3a. Qui turbatus nimium
Triste per eloquium
Datum ad altaria,

3b. Propter verba praesulis
Iuxta vicem exsulis
Fugit ad ovilia.

4 a. Quem caelestis nuntius,
Pulcher et propitius,
Blanda per eloquia
Solvit a miseria,

4 b. Per exempla veterum
Cor fovens et miserum
Reducens ad gaudia
Veraci prophetia.

5 a. Confortavit
Et monstravit,
Quod Mariam
Egregiam
Gigneret ex te, pia.

5 b. O parentes,
Quam gaudentes,
Quam laudatos,
Quam beatos
Vos facit haec filia!

6 a. Haec est rosa
Gratiosa,
Quae de spinis
Et ruinis
Et truci invidia

6 b. Antiquorum
Iudaeorum
Fuit nata,
Nobis data
Iuxta vaticinia.

7 a. O quam bene genuistis
Et quam mundo profuistis,
Et quam sublimi gloria
Vobis plaudunt caelestia!

7 b. Caeli arcem obtinetis,
Quo iam mortem non timetis,
Sed habetis omnia
Desiderabilia.

8 a. Quo trahatis nos laudantes
Vos et vobis famulantes,
Licet rei
Simus, Dei
Confisos clementia.

8 b. Ut sit nobis coadiutrix
Vestra nata, Dei nutrix,
Quae nos ponat
Et coronet
In caelesti patria,

9. In qua simus coronati
Cum Christo in gloria.

Tropar. ms. S. Carauni Carnotensis saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Angelic. 435 (D V 3). A. — Miss. ms. S. Barbarae in Algia saec. $^{13}/_{14}$. add. saec. 14. Cod. Sangenovefian. 96. B. — Miss. ms. Autissiodorense saec. 14. Cod. Parisin. 17316. C. — Miss. ms. Victorinum saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Parisin. 14448. D. — Grad. ms. Nivernense saec. 12. add. saec. 14. ex. Cod. Parisin. Nouv. acq. 1235. E. — Miss. ms. Carnotense saec. 15. in. Cod. Oxon. Bodl. Misc. Liturg. 344. F. — Miss. ms. Sangenovefianum saec. (13. 14.) 15. in. Cod. Sangenovefian 90. G. — Miss. ms. S. Andreae Burdigalensis saec. 15. Cod. Parisin. 871. H. — Miss. ms. S. Mariae de Olona saec. 15. Cod. Parisin. 873. I. — Miss. ms. Trecense saec. 15. Cod. Parisin. 865. K. — Miss. ms. Montis S. Michaelis saec. 15. Cod. Abrincen. 43. L. — Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Parisin. 864. M. — Miss. Eduense imp. Parisiis 1493. C. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. O. — Miss. Baiocense imp. Rothomagi 1504. P. — Miss. Tullense imp. Parisiis 1507. Q. — Miss. Clmiacense imp. Parisiis 1550. R.

Ferner im Miss. ms. S. Petri Carnotensis saec. 14. Cod. Carnoten. 519. — Grad. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Tolosan. 100. — Miss. Sosmense imp. Parisiis 1547. — Im übrigen enthält fast jedes gedruckte französische Missale diese Sequenz. — In A ist nur der Schlufs (8a sqq.) noch vorhanden.

Str. 1 lautet in R: Plebs parentum virginis | Novo ritu carminis | Decantet sollemnia. — 1, 2 felicissime BDEFGHIMNPQ. — 1, 3 consorcia K. —

2a, 1 Ii vigili R; singularis H; gaudio BP. — 2a, 3 Tulerunt R; suffragia L. — 2b, 3 virium L. — 3a, 1 turbatur DFIL; tristatus P. — 3a, 3 per altaria G. — 3b, 1 verbum DGH. — 3b, 2 Iuxta vocem DGKP. — 3b, 3 Fudit G. — 4b, 2 Cor dolens R. — 4b, 4 Verata K. — 5a, 5 Gigneres Q; in te K; ex se CG; ex socia R; Gigneris stirpe pia M. — 5b, 3 laudantes F. — 5b, 4 Et CH. — 5b, 5 Nos HK; fecit CDKNQ. — 6a, 2 speciosa KOR. — 6a, 3 Nunc P. — 6a, 5 cruci N. — 6b, 3 data L. — 6b, 4 Vobis R; nata LN. — 7a, 1 genuisti HNQ. — 7a, 2 profuisti HNQ; portulistis B. — 7a, 3 Et fehlt B; O quam CDOR; In quem F. — 7a, 4 Nobis HK; pandunt GIKLNO. — 7b, 1 aram N. — 7b, 2 Qua LQ; Quod KN; Per quam D. — 7b, 3 Sed iam habetis D; omnia fehlt K. — 7b, 4 Vobis delectabilia D. — 8a, 1 trahitis AH; vos DR. — 8a, 2 Nos ADEHKLM; Et sedule famulantes R. — 8a, 4 Sumus R. — Str. 8a fehlt F; ist umgedichtet in D von 8a, 3 an: Atque pie supplicantes | Ut sua clementia | Nobis fiat coadiutrix | Pia mater, Dei nutrix etc. — 8b, 1 Sit et nostra sublevatrix R; Et sit K; tot adiutrix I. — 8b, 2 Ista F; Nostra LQ; data L. — 8b, 3 locet D; ponet K (vielleicht die richtige Lesart, um den Reim zu wahren). — 8b, 5 curia AFLO; gloria HIM. — Schlufsklausel fehlt in CE, lautet in HKNR: Amen dicant omnia | Per aeterna saecula; In G nur: Amen dicant omnia. — Melodie: Mane prima sabbati. — Die Collation von A, F u. O besorgte unser Freund H. M. Bannister.

114. De sancta Anna.

1a. Gloriosae
Mariae matrem collaudet
Ecclesia;

1b. Haec cum prole,
Regina caelorum, gaudet
In gloria.

2a. Haec est mater fertilis,
Ex qua fructus nobilis
Procreatur,

2b. Fructus ineffabilis,
Fructus admirabilis
Mundo datur.

3a. Ex hoc fructu prodiit
Fructus, per quem rediit
Mundi vita;

3b. Fructus, per quem periit
Hostis et mors obiit
Morte trita.

4a. Per hunc fructum singuli
Fructus huius saeculi
Recreantur;

4b. Tanti fructus omnia
Mira providentia
Gubernantur.

5a. Huius fructus regia
Genetrix eximia
Supra caeli solia
Sublimatur

5b. In caelesti curia
Christi felix avia
Cum illustri filia
Gloriatur.

6a. Annae praeconia
Laude fulgentia
Post huius mundi
naufragia

6b. Nos ad caelestia
Perducant gaudia
Dei filii
clementia.

Miss. Lemovicense imp. Parisiis 1483. A. — Miss. Lemovicense imp. s. l. [1540?] B. — 6b, 2 Perducat A. — Melodie natürlich: Laetabundus.

115. De sancto Antonino Martyre.

1 a. Antonini divi, signis
Et virtutibus insignis,
Laudes pangat contio.

1 b. Ex civibus Apamiae,
Urbis minoris Asiae,
Fuit ipsi natio.

2 a. Florem tantum Apamia,
Quam amnis secat Marsia,
Tranquillum progenuit.

2 b. Is genere spectabilis
Infans in fide stabilis
Christum sequi voluit.

3 a. Deum summum praedicando
Climata praeteriens,
Fidem semper illustrando
Martyrium sitiens,

3 b. Siti cum aestuans esset,
Virga terram percutit;
„Sit fons", orat, „qui non cesset",
Iuges aquas excutit.

4 a. Salutis clarus signo
Sanctus nutu divino
E pago peregrino
Redire monetur.

4 b. Suam praedixit mortem,
Animum parat fortem,
Intra Christi cohortem
Perfidis tenetur.

5 a. Offert ultro se, caeditur,
Tandem capite plectitur
Secus amnem Marsiam.

5 b. Quem in flumen demerserunt,
Aquae cursu discesserunt
Fideles per gratiam.

6 a. Cum sanguine compererunt
Corpus, quod inde traxerunt,
Ut decore ponerent.

6 b. Devote sepelierunt,
Sed dum caput diu quaerunt,
Hortantur, ne quaererent.

7 a. Quod ab angelis locatur
In navim, ut deducatur
Vallem usque Nobilem.

7 b. In Garonna cum subsistit,
Ab hoc cursu tum desistit
In Tharvem spectabilem.

8 a. Cum ad Festum
venit generosum
Virum caput,
a quo pretiosum
Habitandum
sanctus speciosum
Petierat,
Festus sumptuosum
Templum huic dedicat.

8 b. Carducorum
altare sistitur,
Quod in templum
Stephani vehitur,
A vaccis
indomitis ducitur,
Tandem caput
superimponitur,
Quo locus emicat.

9 a. Collaetentur Apamia,
Baiocensis ecclesia
Et Vallis Nobilis pia
Propter sancti pignora.

9 b. Daemoniaci sapiunt,
Caeci visum recipiunt,
Surdastri demum audiunt;
Quaevis sanat corpora.

10a. Esto salus
hic te colentibus,
Antonine,
cunctis fidelibus,
Te vocantes
devotis mentibus
Exaudito,
reple virtutibus
Et gratia,

10b. Ut te semper
regno, quo frueris,
Venerari
mentibus liberis
Ac animo
saeclis et posteris
Possint regnis
locati superis
In gloria.

Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545. — 2a, 3 Transquillum.

116. De sancto Armagilo.

1a. Recesserunt febris, frigus
eius tacto pallio;

1b. Caecus, claudus sunt curati
illius remedio.

2a. Fons emanat; serpens ingens
mergitur in fluvio;

2b. Exspectantes multos sanat
brevis horae spatio.

3a. Pecus sanat, omnem sexum
eius benedictio.

3b. Exspiravit certa die
Gabriele nuntio.

4a. Collaudemus omnes ipsum
in suo sollemnio.

4b. Nam, quo morbo quis aegrotans,
eius beneficio

5. Sospes recedebat.

Miss. ms. Montis s. Michaelis saec. 15. Cod. Abrincen. 43. A. — Miss. Macloviense(?) imp. absque [ca. 1483]. B. — 1a, 1 febri AB. — 3a, 1 Pectus A. — Offenbar ursprünglich eine Verbeta; Melodie: Sospitati.

117. De sancto Audomaro.

1a. Praeclari viri merita
Laude canamus debita,

1b. Nunc festa cuius inclita
Anni reduxit orbita.

2a. Audomarus, egregiae
Puer adulescentiae,

2b. Monachorum consortia
Petens reliquit propria.

3a. Fama eius iam optima
Replebat loca plurima;

3b. Nam in divinis laudibus
Instabat horis omnibus.

4a. In urbe Tervanensium
Est factus pastor ovium,

4b. Ex qua per fidem symboli
Cultum destruxit idoli.

5a. Per hunc in tota Flandria
Fulsit divina gratia.

5b. Fomes erat egentium,
Aegris salus et gaudium.

6a. Iuvenis inoboediens
Se surripit navigio,

6b. Quem sanctus praesul dormiens
Eduxit de naufragio.

7 a. Quo pausans die iacuit,
Lumen in nocte claruit,

7 b. Et, quo fecit babilicam,
Per lucem novit caelicam.

8 a. In terra figens baculum
Fontis eduxit rivulum;
Baptismo caecos abluit
Quibus visum restituit.

8 b. Grave carnis incendium
Spinis exstinxit veprium;
Missam diebus singulis
Caecis agebat oculis.

9 a. Post virtutum insignia
Caeli petivit gaudia;
Odorem statim nimium
Nares senserunt omnium.

9 b. O felix illa civitas,
Quam rexit patris sanctitas!
Quam felix de praesentia
Est ipsius ecclesia!

10 a. Felix castrum, in populis
Notum per nomen praesulis.

10 b. Nunc in eius praeconio
Tota laetetur regio.

11 a. Ergo laus sit altissimo
Pro praesule sanctissimo,

11 b. Cuius fulti suffragio
Caeli fruamur gaudio.

Miss. ms. Morinense saec. 16. Cod. Audomaren. 215. A. — Miss. Morinense imp. Rothomagi 1516. B. — 3a, 1 iam eius B. — 4a, 2 Factus est A. — 5a, 1 tota patria B. — 6a, 2 contulit B. — 8b, 4 dicebat B. — 9b, 2 felix et A.

118. „De sancto Augustino, patre nostro".

1 a. Ecce dies triumphalis,
Dies, in qua fit natalis
Augustini celebris.

1 b. Digne dies celebratur,
In qua iustus revocatur
Ad lucem de tenebris.

2 a. In melius immutemur,
Ut illius veneremur
Dignanter sollemnia.

2 b. Cum devoto sit canore
Os in corde, cor in ore
Pari consonantia.

3 a. Parum valet cum clamore
Vox clata, si mens rore
Caret sancti spiritus.

3 b. Ad hunc rorem implorandum
Patrem nostrum venerandum
Rogemus medullitus.

4 a. Augustinus ab augendo
Dici potest, dum docendo
Verbo vitae pabulo

4 b. Christo multas auxit gentes,
Ipsi colla submittentes
Sub fidei titulo.

5 a. Primo fuit Manichaeus,
Sed convertit eum Deus
Matris suae precibus.

5 b. In qua prius oberravit,
Christi fidem defensavit
Verbo, scriptis, moribus.

6 a. Satiari non poterat
Considerando gratiam,
Quam nobis Christus fecerat
Nostram sanans miseriam.

6 b. Saepe flebat uberrime
In ecclesiae cantibus
Affectus devotissime
Cantus devotis vocibus.

7 a. Cultu morum adornatus
Hipponensis praesulatus
Apicem promeruit,

7 b. In quo mirae puritatis
Et praeclarae sanctitatis
Exemplum se praebuit.

8 a. Mundi linquens servitutem
De virtute in virtutem
Sategit ascendere;

8 b. Et, quod ore praedicabat,
Effectui mancipabat
Dei fultus munere.

9 a. Morbos sanans spiritales
Et etiam corporales
Dei dante gratia

9 b. Suis devotis precibus
Ab obsessis corporibus
Pellebat daemonia.

10 a. Sancte pater, Augustine,
Visionis fac divinae
Nos esse participes,

10 b. Ut possimus numerari
Tua prece singulari
Inter caeli principes.

11 a. Iesu, sanctorum corona,
Pacem veram nobis dona
Et post mortem nos corona
In caelesti patria,

11 b. Ubi quies, ubi vita,
Ubi cuncta sunt unita,
Ubi laudum infinita
Resonant praeconia.

Miss. S. Victoris Parisiensis imp. Parisiis 1529. — 6b, 4 Cum devotis.

119. De sancto Austremonio.

1 a. Nova cantet cantica
Gaudens plebs catholica
Sancto Austremonio,

1 b. Quem cena Dominica
Sibi apostolica
Sociavit contio.

2 a. Post Christi supplicium
Fulsit Arvernensium
Hoc doctore regio.

2 b. Nactus pontificium
Corda movit gentium
Ab erroris vitio.

3 a. Cui dedit eulogias,
Spernens fraudes, nuptias,
Hic exit a fluvio;

3 b. Baptizatus patrias
Natus per insidias
Perimitur gladio.

4 a. Hinc praesul occiditur,
Fons de terra oritur,
Sanctoque martyrio

4 b. Ut columba vehitur
Ad caelum, et ducitur
Anima cum gaudio.

5 a. A peccati macula
Huius sancti sedula
Nos mundet oratio

5 b. Viventes per saecula
Post mortis patibula
In caeli palatio.

Trop. et Sequent. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 57. A. — Miss. Claromontense atque S. Flori imp. Lugduni 1541. B. — 2a, 2 Arvernentium A; Arverna scio B. — 2b, 1 Natus A. — 3a, 1 Qui B; heulogias A. — 3a, 2 fraudes impias B. — 3b, 2 pe (!) insidias A. — 4b, 3 cum gladio B. — 5b, 2 morti A. — Melodie vermutlich: Veni sancte spiritus.

120. De sancta Barbara.

1 a. Veni, Barbara sponsa,
Veni, amantissima,
Osculum praebe sponso.

1 b. Barbara clarissima,
Post dura certamina
Sume refrigerium.

2 a. Lava, quod est sordidum,
Accipe purissimum
Regni nunc palatium.

2 b. Veni, amantissima,
Digna cape praemia
Victrici cum tropaeo.

3 a. Filia Ierusalem,
Recipe triumphalem
Coronam victoriae.

3 b. Vicisti tyrannidem,
Patris crudelitatem,
Animo fortissimo.

4 a. Furit pater in natam,
Sed petrae servat eam
Foramen tutissimum.

4 b. Monet eam tyrannus
Servire daemonibus
Supplicia nuntians.

5 a. Virgo constantissima:
Unum in substantia,
Personis trinum colo.

5 b. Per tuam, virgo, fidem
Praepara nobis sedem
In caelesti solio.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 4a, 2 servant. — 4b, 1 tyrannidis. — 5b, 1 Perpetuam — Melodie wohl: Veni sancte spiritus.

121. De sancta Barbara.

1 a. Virgo Christum nimio
Dicens desiderio
Cordis esse thalamo
Verus amor.

1 b. Fenestrarum radio
Patri fit cognitio,
Quod est in ore suo
Christi clamor.

2 a. Videns impius natam
Spernere simulacrum,
Colens, cui decet illam
Laus et honor,

2 b. Furiens capit illam,
Ducit ad iudicium,
Ne plus adoret illum,
Qui stat maior.

3 a. Sed haec respondet: Impie,
Dii tui sunt pluviae,
Sed Christus est animae
Medicina.

3 b. Iudex deos spernere
Videns trudit carcere
Et mamillas scindere
In beata.

4 a. Latus suum carcere
Cernens hic apparere,
Vestibus exuere
Cogit illam.

4 b. Nudam facit trahere
Per patriam propere,
Sed Christus sub vellere
Tegit sanctam.

5 a. Post (haec) a patre petita
Decollatur filia;
Dat animam spe bona
Redemptori.

5 b. Nunc precamur, exora
Pro famulis, Barbara,
Ut det vitae vespera
Bene mori.

Miss. Tullense imp. Parisiis 1507. A. — Miss. Tullense imp. Parisiis 1537. B. — Miss. Tullense imp. Tulli 1551. C. — 2a, 3 Colens fehlt C. — 3b, 2 ponit AB. — 3b, 3 mamillas amputat C. — 3b, 4 Barbarae C. — 4b, 3 suo vellere ABC. — Die Schlufszeilen sind durchweg der Sequenz „Mariae praeconio“ entlehnt, die überhaupt als Schema diente. Die Nachbildung freilich ist mehr als schwach, oft unverständlich.

122. De sancta Barbara.

1 a. Mirandum commercium
Virginis, proverbium
Veritatis,

1 b. Barbarae martyrium,
Phalanges fidelium,
Depromatis.

2 a. Pulchra nimis carcere
Parentis pro scelere
Detruditur,

2 b. Sponsum scivit spernere,
Summo regi nubere
Promittitur.

3 a. Unda sacri lucida
In Deum credit
baptismi lota,

3 b. Saecli calcat turgida
Sic et idola
flamine fota.

4 a. Nervis torta taurinis
Donis haec pollet trinis,
Cibis undat divinis.

4 b. Dolor cessat torminis,
Carcer plenus luminis
Refulsit vi numinis.

5 a. O nobilis creatura,
Quae libens spectat passura

5 b. Nec mammae dolet tortura,
Sua mercede secura.

6 a. Ardentum haec ubere
Quolibet in latere
Conteritur

6 b. Lampadum, sed munere
Christi, quo scit vincere,
Praemunitur.

7 a. O verbum nectareum!
Mortis in pyrgo

7 b. Pro cunctis orat Deum
Sacrata virgo.

8 a. Pater videns superari
Nudam iubet spoliari
Filiam, quam despexit,

8 b. Sed angelus stola pari
Ob amorem sponsi cari
Dulciter illam texit.

9 a. Nec erubet propriam,
Iugulare filiam
Plenus rabie.

9 b. Confer, virgo, veniam
Paradisi gloriam
Vi precis piae.

Missale Lexoviense imp. 1504. A. — Missale Lexoviense imp. Cadomi 1517. B. — Missale Constantiense imp. Rotomagi 1524. C. — Missale Rothomagense imp. Parisiis 1527. D. — Missale Baiocense imp. 1545. E. — Missale Lexoviense imp. in Ponte Audomari 1547. F. — Missale Rothomagense imp. 1549. G.

4a, 3 cibi B. — 4b, 2 Carcere BE. — 6a, 1 Ardentium DEG; verbere A—G. — 6a, 2 Quamlibet F; Quaelibet B. — 7a, 2 in pigro BE; in virgo G. — 9b, 1 Confert ABF. — Mel.: Mirandum commercium (Kehrein 209).

123. De sancta Barbara.

1 a. De spinis oriens
Flos, virgo Barbara,
Vota suscipiens
Laudantes praepara
Ad laudum cantica.

1 b. Te lucem peperit
Fera gentilitas,
Per te post aperit
Salutis semitas
Fides vivifica.

2 a. Dum virgo fatua
In mundo glorians,
Dum lampas vacua,
A sponso devians
Fit exsors muneris,

2 b. Tu cum prudentibus
Refulgens lumine,
Tu caeli dapibus,
Tu regni culmine
Cum sponso frueris.

3 a. Ornas palatium
Fenestra triplici
Sacrum praesagium
Dans fide simplici,
Ut docet unctio.

3 b. Donum hanc flaminis
Lavit divinitus,
Post unda fluminis,
Quam fundit caelitus
Dei provisio.

4 a. Exhorrens exsecrat
Carnales nuptias,
Se Christo consecrat
Iesu delicias
Sacras desiderans.

4 b. Hinc toto pectore
Haeret fideliter,
Quidquid in tempore
Blanditur fortiter,
Spernens et superans.

5 a. Hinc pater aestuans
Irae saevitia
Minas assiduas
Infert, supplicia,
Ut dis tus offerat;

5 b. Sed Christum praedicans
Virgo christicola
Fidem fortificans
Deridet idola
Hostesque superat.

6 a. Artatur carcere,
Aptantur aspera,
Mactatur verbere,
Secantur ubera,
Sed stat immobilis.

6 b. Post cessat gladio,
Transscendit aethera;
Cuius oratio
Det nobis munera
Regni durabilis.

Grad. Cenomanense imp. Parisiis 1515. — 2a, 5 exors. — 5a, 5 diis.

124. De sancta Barbara.

1 a. Exsultet mundus hodie,
Dies enim laetitiae,
Qua decet festum colere.

1 b. Barbara, pulchra facie,
Virgo caelestis curiae
Digna, levatur aethere.

2 a. Haec urbe Nicomedia
Stirpe exorta regia
Dioscori propagine,

2 b. Mundana spernens gaudia,
Contemplando caelestia
Sacro lavatur flumine.

3 a. A multis coniunx quaeritur,
Sed a patre includitur
Turris in fortitudine.

3 b. Cum de luce conqueritur,
Tertia fenestra ponitur
In trinitatis nomine.

4 a. Rediens pater dum percipit,
Furens gladium arripit,
Ut virginem interimat.

4 b. Virgo metuens resilit,
Et murus viam aperit,
Inter pastores latitat.

5 a. Ad Marcianum praesidem
Adducta perstat ibidem
Vultu virgo intrepido.

5 b. Religata ad stipitem
Paritorum tyrannidem
Superat corde fervido.

6 a. Sursum ligatis pedibus
Sanguis exit de naribus;
Caput malleis lacerant.

6 b. Retruditur carceribus
Cum angelicis coetibus,
Qui plagas eius solidant.

7 a. Tortores illam rapiunt,
Ante praesidem statuunt,
Diris cruciant ictibus.

7 b. Maxillas ei transfigunt
Et exurendo adfligunt,
Fervet in Christi laudibus.

8 a. Lampadibus crudeliter
Concrematque turpiter
Nuda dolassim circuit.

8 b. Christum invocat fortiter,
Angelus ipsam dulciter
Stola bissina contegit.

9 a. In monte tunc perducitur,
A patre caput scinditur,
Caelos penetrat spiritus,

9 b. Sed dum ille regreditur,
A fulgure percutitur,
Corpus crematur penitus.

10 a. Valentinianus colligit
Sanctumque corpus sepelit
In condecenti loculo.

10 b. Virgo sancta dum percipit
Caelica dona, Deus sit
Benedictus in saeculo.

Miss. B. Stephani Lemovicensis imp. Lemovicis 1537. — 8 a, 3 dolassim offenbar verdruckt; l. Nudata passim? — 8 b, 3 bissima.

125. De sancta Barbara.

1 a. Fons virtutum, o Barbara,
Dulcis, mitis, non barbara
Ancillaque Dei patris,

1 b. Supplex Deum pro me ora
Omni die, omni hora,
Ne cruciar locis atris.

2 a. Revera fateris esse
De virgula sancta Iesse,
Unde Christus et Maria;

2 b. Hoc referunt historiae
Multiplices et variae
De te, virgo tota pia.

3 a. Excellenter multum bene
Docta es ab Origene
In fidei articulis;

3 b. Hoc prudenter demonstrasti,
Dum paganos confudisti
Theologorum regulis.

4 a. Res realis fuit ista,
Quod te Iohannes Baptista
Baptizavit sacra unda.

4 b. Post in turrim ascendisti
Et idola confregisti,
Quae vana sunt et immunda.

5 a. Elevata tunc fuisti
Dum latomo praecepisti:
Fac in turrim tres fenestras.

5 b. Per tres doces trinitatem
Per turremque unitatem
In divinis esse monstras.

6 a. Ista videns pater fremit,
Ensem suum mox exemit
Cupiens te transfodere;

6 b. Sub lapide tam vallata
Per pastorem accusata,
Pastor perit pro scelere.

7 a. Epistolam dum legeres
Origenis et cerneres,
Tibi Christus apparuit,

7 b. Ac si esset nuper natus,
Demum cruci conclavatus,
Sicut pati voluit.

8 a. Haec omnia dum vidisti,
Evidenter cognovisti
Nati pati mysteria;

8 b. Hoc cernendo es armata,
Corde, ore praeparata
Ad omnia supplicia.

9 a. Abnegare Christum nolens,
Marcianus multum dolens
Te posuit in carcere,

9 b. Iubens tuum eculeis
Corpus tundi cum malleis
Atque mammas evellere.

10 a. Nervis, virgis laniata,
Cilicio confricata,
Lacerata pectinibus,

10 b. Super testas tu es versa,
Sale aceto aspersa
Et adusta fragminibus.

11 a. Ducta nuda tu per regnum
Super calles, super caenum,
Atrocius mutilata;

11 b. Mox angelus affert byssum
Divinitus tibi missum,
Unde virgo es ornata.

12 a. Et propter hoc rex tabescit,
Furit, frendet, modum nescit,
Dum te virgo decollavit,

12 b. Et hoc anno ducenteno
Septimoque sexageno;
Virgo caelos evolavit.

13 a. Regi summo in hac vita
Impetrasti, ut sit ita,
Nostrum labes relaxentur,

13 b. Morte mori non subita,
Confessione habita
Viatico recreemur.

14 a. Ultioneque divina
Pater tuus rex maligna
Morte non sic cernitur,

14 b. Nam desuper venit ignis
Corpus urens, sicque cinis
Nullo modo panditur.

15 a. Iesum ora, virgo sacra,
Pro hac urbe tam praeclara,
Ut hanc servet a nocivis,

15 b. Grana, vina atque loca;
Habitantes vero loca
Caelo sursum, ubi vivis.

Missale Andegavense imp. [Parisiis] 1489. A. — Missale Turonense imp. Rotomagi 1492 sq. B. — Missale Aednense imp. Parisiis 1493. C. — Missale Cenomanense imp. Parisiis 1494. D. — Missale Turonense imp. Turonis 1517. E. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523. F. — Missale Aeduense imp. Parisiis 1530. G. — Missale Catalaunense imp. Parisiis 1543. H.

1 a, 2 non amara H. — 2 a, 1 diceris esse G. — 5 a, 2 lathomo ACD, talamo E, thalamo B. — 5 a, 3 turri D. — 5 b, 2 Ac per turrem unitatem G. — 6 b, 1 velata G; tam wohl verdruckt statt iam, tum oder ähnliches. — 6 b, 3 periit A—H. — 8 a, 3 passi G. — 9 b, 2 tondi A—G. — 11 a, 2 scenum BD; femum ACFH. — 11 a, 3 Atrocitus BDH. — 11 b, 2 sibi missum AG. — 12 b, 1 Ex hoc E. — 13 a, 3 relaxantur D. — 13 b, 3 Via viatico ACF. — 14 b, 2 sitque H; lies fitque? — 14 b, 3 modo fehlt BD. — 15 a, 1 sacra virgo DEFH. — 15 a, 3 nocnis A. — 15 b, 2 vero horum BE; die ganze Str. 15 b, lautet in ACFG:

Grana, vina atque loca
Conserva ad nostra vota,
Habitantes vero grata [horum AF]
Trahe sursum, ubi vivis.

Akrostichon: „Frere Iehan de Rui [oder Derui?]."

126. De sancta Barbara.

1 a. Laetabundus
Exsultet fidelis chorus,
Alleluia.

1 b. Sancta virgo
Intacta permansit viro,
Res miranda.

2 a. Stirpe nata nobili,
Magnae pulchritudinis
Sicut stella,

2 b. Castitatem tenuit,
Caritatem habuit,
Semper clara.

3 a. Haec nitet ut lilium
Spernitque gentilium
Legem virgo.

3 b. Nec timens martyrium
Iesum Christum Dominum
Semper orat.

4 a. Laceratur verbere
Damnaturque carcere
Haec Barbara.

4 b. Carcer nitet iubare
Meritoque Barbarae,
Christum orat.

5 a. Magna Dei gratia
Barbarae solacia
Fert et ad iudicia
Redit illa.

5 b. Corpus suum panditur,
Oleo comburitur,
Caput eius tunditur
Cum mamilla.

6 a. Christum per omnia
Dilexit Barbara,
Ascendit ad
caelestia.

6 b. Congaudent martyres,
Maxime virgines
Pro Barbara
clarissima.

Miss. Metense imp. Metis 1545. A. — Miss. Metense imp. Metis 1597. B. — Miss. Virdunense imp. Parisiis 1554. C. — 1 a, 3 Pro sancta Barbara AB. — 2 a, 1 Stirpi AB. — 5 b, 3 tonditur ABC. — 6 a, 1 Ipsum AB. — Melodie natürlich: Laetabundus.

127. De sancta Barbara.

1 a. Melos pangat inclitum,
Omni laude refertum,
Militans ecclesia;

1 b. Barbarae sollemnia
Perdulci symphonia
Omnis colat usia.

2 a. Quam laudat uberius
Exsultans felicius
Tota caeli curia.

2 b. Virgo tulit deica
Pro fide catholica
Tormenta innumera:

3 a. Comae tractus immites
Ac horridos carceres,
Dira quoque verbera.

3 b. A Christo visitari
Meruit et sanari
Taetro clausa carcere.

4 a. Carcere educitur
Forma praestantiore,
Ad praesidem ducitur
Omni sana vulnere.

4 b. Exquisitis iterum
Torquetur suppliciis,
Sed devicit tyrannum
Constantia virginis.

5 a. Suspenditur, caeditur,
Tunditur, discerpitur,
Mamilla praescinditur,
Urit aestus lampadis.

5 b. Nuda circumducitur,
Prece fusa tegitur
Alba stola, sanatur
Sola virgo corpore.

6 a. Truculentus et insanus
Victus tunc iubet tyrannus
Virginem destruere;

6 b. Pater furit et insanit,
Natam rapit et perimit
Amputato capite.

7 a. Ictu percussus fulminis
Poenas luit mox immitis
Tanto dignas scelere.

7 b. O virgo prudentissima,
Virtutum praerogativa
Excellens et gratia,

8 a. O aeterni sponsa regis
Et meriti singularis,
. . . . . .
Barbara sanctissima,

8 b. Cuius summa constantia
Virtuteque eximia
Ecclesiae est praeclara
Quaesita victoria,

9 a. Tuorum preces servorum
Et vota supplicantium
Audi et apud Dominum
Excusa facinora;

9 b. Post huius vitae terminum
Nos ad eius palatium
Perducas nobis criminum
Impetrata venia.

Miss. Cenomanense imp. Parisiis 1546. A. — Miss. Cenomanense imp. Parisiis 1559. B.

128. De sancta Balthilde.

1 a. Benedicta sit beatrix,
Veneretur veneratrix
Electorum, trinitas;

1 b. Abiectorum sublimatrix,
Oppressorum sublevatrix,
Trina Deus unitas.

2 a. Laudes cuius honestate,
Cordis, oris puritate
Digne panxit debitas

2 b. Timorata caritate,
Dulcorata pietate
Balthildis humilitas.

3 a. Haec insignis
gentis Saxonicae
Ortum duxit
et genus apice,
Sed praedata

3 b. In procinctu
fraudis piraticae
Regionis
in partes Gallicae
Est translata.

4 a. Libertatis
abiecto pretio
Servitutis
vili commercio
Venumdata,

4 b. Deservivit
prudenti studio,
Erchenaudi
domus obsequio
Deputata.

5 a. Illi nolens coniugari,
Ex ancilla principari,
Praeelegit amplexari
Castitatis lilium.

5 b. Sed spe prolis Chlodovaeo
Regi nupsit et cum eo
Disponente gessit Deo
Diadema regium.

6 a. Regni rectrix et regina
Feritate columbina,
Pietate leonina
Vires fregit hostium,

6 b. Et quieti desuetis
Tribus regnis inquietis
Foedus pacis et quietis
Reformavit gaudium.

7 a. Grata Deo speciali
Morum praeminentia
Tria fisco sub regali
Ditavit coenobia.

7 b. Iugo dedit se claustrali
Genetrix egregia
Et a grege moniali
Cessit ad caelestia.

8 a. Nunc sublimis ex abiecta,
O Balthildis praeelecta,
Caeli civis es effecta
Iugi fruens gloria.

8 b. A te morum forma datur,
In te virtus reformatur,
Per te nobis conferatur
Salutaris gratia.

Miss. ms. Gemmeticense anni 1485. Cod. Rotomagen. 301. A. — Miss. ms. Gemmeticense anni 1492. Cod. Rotomagen. 302. B. — Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. C. — 4 b, 3 Erchenaldi C. — 7 a, 2 praeeminentia C. — 8 b, 2 informatur C. — Akrostichon: Balthildis regina.

129. De sancta Balthilde.

1. Eia, contio sancta,
vox nostra
sonet Alleluia.

2 a. Laudare
Deum nostrum condecet
et in saecula,

2 b. Qui cuncta
visibilia fecit
et invisibilia.

3 a. Coelum, terram, maria
et quae sunt cuncta in
eis condita,

3 b. Exercetque propria
semper in his pie
gubernacula.

4 a. Intendant nunc cantica
vocum et sensuum
officia.

4 b. Quae nos ad praeconia
canimus Bathildis
magnifica.

5 a. Nunc ergo, sancta Bathildis,
vocis organa
Sanctissima nostra consona
considera,
quae tibi
canimus debita.

5 b. Ut postulat omnis haec plebs
tibi subdita,
Ut Dei misericordia
largissima
per tua
nos salvet merita,

6 a. Tollens omnia
nobis crimina,
peccata simul,
Alleluia;

6 b. Et, quae sunt grata
sibi, faciat
nos operari
per saecula.

7 a. Nec ultra horribilia
temptamenta
nos valeant
ad perversa
daemonia
pertorquere sua
itinera,

7 b. Sed cuncta servent agmina
nos per saecula
angelica
inter ista
multimoda
istius saecli
pericula,

8 a. Ut mereamur
aethera
scandere lucida

8 b. Mox ista vita
finita,
regna felicia.

9 a. In quibus
es tu modo cum
sancta gloria

9 b. Vestita
fulgenti stola
ornataque corona

10. Gemmis perlucida.

Grad. ms. Fossatense saec. 13. Cod. Parisin. 13254 A. — Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. B. — 2a, 1 Laudate A. — 2a, 2 condocet A. — 4a, 1 hunc contica B. — 4a, 2 votum AB. — 5a, 3 consonat AB. — 5b, 2 tibi fehlt A. — 5b, 5 salva A. — 7a, 3 veleat AB. — 7a, 5 dominica A. — 7a, 6 contorquere B. — 7b, 1 Sed sancta B. — 7b, 6 istius saevi AB. — 8a, 2 ad aethera A. — 9a, 2 esto modo A, es modo B.

130. De sancta Balthilde.

1 a. Collaetentur Calenses,
Exultentque virgines
Balthildis praesentia,

1 b. Quae de gente Saxonum
Exorta nobilium
Ornavit natalia.

2 a. A piratis praedata
Herchennaldo vendita
Pro vili pecunia;

2 b. Sed haec virgo inclita
Cunctis bonis praedita
Luxit in palatia.

3 a. Gemmata virtutibus,
Decorata floribus
Redolebat balsama.

3 b. Herchennaldus ista cernens,
Servientes omnes spernens
Huic commisit omnia.

4 a. Princeps domus gratiam
Non amisit aliquam;
Regendo familiam
Se rexit ut famulam:

4 b. Vestes omnes, pannulos
Lavit, tersit sordidos
Praeparando calceos,
Reformavit animos.

5 a. Ut conspexit, quod dilexit
Eam princeps et illexit,
Sprevit eius copulam;

5 b. Et ne forte macularet
Eam thorus et foedaret,
Hanc contempsit gloriam.

6 a. Clodovaeus re comperta,
Patefacta, manifesta,
Regis optat filiam

6 b. Per honestos et refertos,
Fide plenos et perfectos;
Nullam duxit aliam.

7 a. Vix inventa adornatur,
Redimitur, coronatur,
Inaures et murenulas
Recepit et divitias.

7 b. Rex convocat omnes doctos
Prece trahit et excoctos;
In regales nuptias
Magnas expendit copias.

8 a. Morte regis desolata
Gens Francorum et turbata
A Balthilde est sedata
Magna Christi gratia.

8 b. Tria regna sociavit,
Quae vix ante quis prostravit;
His filios sat ditavit
Bona Dei vernula.

9 a. Dat ministra caritatis
Pauperibus et orbatis,
Templis multis instauratis
Dimisit regalia.

9 b. Monialis facta Calae,
Pium dicens suis Vale
Sublevarunt eam alae
Ad polorum gaudia.

10 a. O Balthildis, sponsa Christi,
Nos a lupi fauce tristi
Liberatas iunge forti
Virginum consortio.

10 b. Tu, quae mundi contempsisti
Pompam atque conculcasti,
Fac nos viam, quam trivisti,
Sequi e vestigio.

11 a. Fac nos plenis oleo
Vasis sponsae sisti sponso,

11 b. Ne clauso mox ostio
Sancta nos fallat visio.

12. Christe Iesu, verbum patris,
Nos ad sedem tuae matris
Colloca per saecula.

Collect. ms. liturgicum Corbeiense saec. 13. add. saec. 14. Cod. Ambianen. 195. A. — Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. B. — 2 b, 3 Vixit A. — 3 a, 1 Geminata B. — 4 b, 4 Informavit B. — 7 a, 4 Recepitque A. — 7 b, 1 cunctos doctos B. — 7 b, 2 exactos A. — 8 a, 3 Balthechilde est A. — 8 a, 4 Christi fehlt A. — 8 b, 3 Hic B. — Str. 10 u. 11 fehlen A. — 11 a, 2 sponsi sisti sponsa. AB. — Nach 12, 3 folgt noch: Amen dicant omnia B. — B hat immer die Schreibweise: Bathildis und Erchenaldus.

131. De sancta Balthilde.

„Privatis diebus.“

1 a. Ad honorem Domini,
Cuius sacro nomini
Laus, honor et gloria,

1 b. Gaudeat in Domino
Gaudens sine termino
Gallorum ecclesia,

2 a. Calensis praecipue
Corporali strenuae
Bathildis praesentia,

2 b. Quam genere nobilem,
Sed moribus humilem
Peperit Saxonia.

3 a. Haec aetate parvula
Vernans Dei vernula
Transfretavit maria.

3 b. Erchenaldo vendita
Gallici exhibita
Regis ad conubia.

4 a. Ita Gallis traditam
Margaritam venditam
Signant evangelica.

4 b. Tam praeclara iaspide
Quasi sacro lapide
Decoratur Gallia.

5 a. O regina nobilis,
Monialis humilis,
Omnibus propitia,

5 b. Per te sit propitius
Nobis Dei filius
Sua praebens gaudia.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 4 a, 2 traditam. — Melodie jedenfalls: Veni sancte spiritus

132. „De divo Benedicto."

1. Surgite, famelici,
colligite
fructus divi Benedicti.

2 a. Arbor viret frugifera,
roscidis pomis
adfatim copiosa;

2 b. Secus aquarum decursus
radices egit
sublime petitura.

3 a. In valle decurrunt aquae,
in humilitate fluunt
spiritales undae,
quibus vegetantur
corda sublimia.

3 b. Sistite, dilecti fratres,
sub hac fronde gratissima,
oboedientiae
poma decerpite
fauci suavissima.

4 a. Discite
non ante tempus aliis
seminare velle
verbi semina,

4 b. Sed pium
patrem sequimini prius
sibi seminantem
sancta primordia.

5 a. Is namque tentamina
maligni
didicit superare
benigna confortatus
ac fretus Christi gratia;

5 b. Annis tribus latebras
fovit in
crypta Romano soli
post Deum notus, certans
durissima certamina.

6 a. Sumpto post(hac) peculiari
ex hoste triumpho
non sibi soli
consulere volens
plerisque salutis tulit
opitulamina;

6 b. Qui velut lampas accensa
lumen dedit nullo
ulteriore
aevo restinguendum,
quo perlustrata clarescunt
Deo iuncta pectora.

7 a. Hunc sequuntur agmina
monachorum
corde flammantia
atque puellarum mira
examina, quae contendunt
paterna
sectari vitae
necnon doctrinae vestigia.

7 b. O sancte monachorum
pater, gregis
pastor monastici,
funde preces incessanter
in aula regis caelici,
quo tua
prece felici
(sic) transigamus temporalia,

8. Ut pascua scandamus
caeli semper virentia.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1514. A. — Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1534. B. — 2a, 1 fructifera B. — 3b, 5 tauli(!) B. — 5a, 1 sq. maligni tentamina AB. — 5b, 4 sq. durissima certans AB. — Str. 7b u. 8 fehlen B. — 7b, 1 O fehlt A. — Melodie jedenfalls: Alma cohors una (Anal. Hymn. VII, Nr. 218), der wir bereits bei der Sequenz „Salve gemma“ (oben Nr. 35) begegneten; der Nachahmer hat aber wenig Verständnis gehabt für die Cola der Klauseln, so dafs ich dieselbe nicht abteilen konnte, wie es an sich die Melodie der Vorlage erheischt.

133. De sancto Benigno.

1a. Laus superno
Sempiterno
Regi sit et gloria,

1b. Per quem sumus
Id, quod sumus,
Ex quo constant omnia.

2a. Cui Benignus
Martyr dignus
Ab adulescentia

2b. Sacerdotis
Vice fungens
Factus est et hostia.

3a. Oriundus
Hic vir sanctus
Traditur ex Graecia,

3b. A beato
Polycarpo
Missus est in Gallia.

4a. Divion felix,
tam praeclari decoratum
Martyris praesentia,

4b. Per quem profectus
in virtute tibi datur,
In commissis venia.

5a. Erat in vultu gratia,
In ore facundia,
In signis efficacia,
In poenis constantia,

5b. Fides in Deo unica,
Caritas eximia,
Spes omnis supra caelica,
Mens Christo consocia.

6a. Cum iam multos baptizasset
Et per provinciam
ecclesias fundasset
Ope suffultus divina,

6b. Tunc Caesar Aurelianus,
In Christum saeviens
idolatra profanus,
Audita Benigni fama

7a. Iubet illum flagellatum
Nervis duris colligatum
Retrudi custodia

7b. Et secum bis senos canes,
Feros nimis et immanes,
Consumptos inedia.

8a. Sed fit terror hic in vanum,
Mansuescit ira canum,
Vincla cedunt omnia.

8b. Restauratur corpus sanum,
Vulgus pavens hinc profanum
Renovat supplicia.

9a. Flagellatus mancipatur
Rursus in custodia,

9b. Ubi clausus confortatur
Angeli praesentia.

10a. Post haec vecte conquassatus
Demum fuit penetratus
Militari lancea.

10b. Quo columba prosilisse
Atque caelum penetrasse
Visa fuit nivea.

11 a. Gaudet chorus angelorum,
Stola datur martyri
gloriosa.

11 b. Per te nobis peccatorum,
Martyr, detur venia.
[Alleluia].

Miss. Lingonense imp. Trecis 1520. A. — Miss. Lingonense imp. Trecis 1549. B. — Miss. Lingonense imp. Trecis 1572. C. — 4 b, 1 provectus AB. — 6 b, 2 Christo BC. — 7 b, 1 bis seuos AB. — 11 b, 1 sq. nobis martyr detur peccatorum AB.

134. De sancto Bernardo.

1 a. Laudes tanti praesulis,
Fulgentis miraculis,
Concinat haec contio,

1 b. Ut laus prosit singulis
In hac laude sedulis
Bernardi suffragio.

2 a. Miles primo nobilis
Monachus fit humilis,
Hinc abbas, hinc pontifex.

2 b. Vita, verbis utilis,
Plebi fit spectabilis,
Dei domus artifex.

3 a. Post laboris praemium
Multis dat indicium
De levando corpore;

3 b. Quod cum fit, praeconium
Dant Bernardo nimium
Eo facta tempore:

4 a. Odor, plebs, curatio,
Manus reparatio,
Iuge beneficium,

4 b. Hostium confusio,
Antiqua conscriptio,
Multiplex consilium,

5 a. Sanctitas eximia,
Cuius per haec omnia
Sumunt testimonium.

5 b. Huius ergo gratia
Det Deus in patria
Se nobis in praemium.

Miss. Diense imp. Parisiis 1499. — Melodie jedenfalls: Veni sancte spiritus.

135. De sancta Bertha.

1 a. Ad Berthae praeconium,
Sanctimonialium
Christo militantium
Chorus, plaude.

1 b. Singulare gaudium
Per vocis tripudium
Ducens, Avenayum,
Sibi gaude.

2 a. Bertha stirpe nobilis,
Mente tamen humilis,
Multum fuit utilis
Christi gregi.

2 b. Rebus mundi fertilis,
Pauperibus dapsilis,
Meritis amabilis
Summo regi.

3 a. Bonis plena moribus
Piis vacat actibus,
Refulget virtutibus
Et gratia.

3 b. De suis reditibus
Fundavit virginibus
Deo famulantibus
Loca pia.

4 a. Super suum proprium
Fundat Avenayum
Virginum consortium
Sibi quaerens.

4 b. Terit iter regium
Sequens Dei filium,
Summi boni bravium
Sic promerens.

5 a. Tandem per invidiam
Mortis fert iniuriam
Caeli petens regiam,
Quam rogamus.

5 b. Poscat nobis gratiam
Culparumque veniam,
Dei nos ut usiam
Cognoscamus.

Officium ss. Tresani, Gumberti et sanctae Berthae . . . cura et expensis reverendae ac nobilis Ludovicae de Linange, Aveniaci Monasterii abatissae excusum. Rhemis 1557. — Melodie: Maria praeconio.

136. De sancta Bertilla.

1. Eia, semper

2 a. Gaude, omni digna laude,
o Bertilla,
caeli perfusa
digniter gratia.

2 b. Nam a dextris patris astas
inter sanctas
luce candentes
renitens virgines.

3 a. Tu ore solis
iubar superas;

3 b. Tu vultu orbis
pellis nubila.

4 a. Pelle prece pia,
virgo sacra,
irrita cordis nostri
nubila.

4 b. Omni labe pulsa,
exoramus,
nos in perenni siste
gloria.

5 a. In tuo ortu
chorus hic debita

5 b. Aeterno regi
concinit carmina.

6 a. Tu illi prece
crebra deposce,
benigna,
vitae perpetis munera,

6 b. Et huius per te
sumat caelestis
membrana
ascripta tenens nomina.

7 a. Adesto nobis,
Bertilla sancta,
suscipe carmina

7 b. Et summo Christo
haec tu defer, ut
crimina relevet.

8 a. Impetra cursum gradu
stabili praevium;
Nec nobis ulla
caeli portam
ultra denegent . . .
crimina;

8 b. Sed tecum polorum nos
teneant culmina;
Ibi decantas
assidue
summo Christo doctiloga
neumata,

9. Subiungens organa
sonora, Alleluia.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 3b, 1 orbis vultu. — 5b, 1 regi excellens. — 7a, 3 et suscipe. — 7b, 3 carmina. — 8b, 1 poli.

137. De sancto Bertuino.

1 a. Bertuini nos merita
Pangamus omnes inclita
Regi regum Domino.

1 b. Ortus fuit Normannia
Mundi reprimens vitia
Levita Deo trino.

2 a. Dum esset cum Berlario
Deserviens hospitio,
Coniugem et liberos

2 b. Imbuebat in divinis
Dei zelo, sine minis,
Et mores fructiferos.

3 a. Ad se navis applicabat,
Meduanam quae meabat
Sine ductu hominis.

3 b. Deum trinum voce prona
Adorabat, ut corona
Sibi detur luminis.

4 a. Accusatur Bertuinus
Ut adulter adventinus
In patrem familias

4 b. De livore bacchantibus
Facto, noctis condentibus
Latenter insidias.

5 a. Nequitia famulorum
Morte cadit hic; caelorum
Lacu viso lumine

5 b. Sic matronae revelatur
Visu noctisque, quaeratur,
Angelico famine:

6 a. „Tu iuvencas indomitas
Nullas prosequens semitas
Iungas ad vehiculum;

6 b. Non praecedas, sed sequere;
Quo te ducent itinere
Bigae, fer corpusculum.“

7 a. Dum haec audit
Dulce, plaudit,
Sordes plorat,
Deum orat
Laeta surgens propere;

7 b. Voci paret,
Nam cor aret
Pro te melum
Per angelum
Submissum ab aethere.

8 a. Dum per partes ad transiret
Corpus sanctum, et subiret
Cerva sub vehiculo,

8 b. Venatori restauratur
Praeda Sion, quae fundatur
In martyris titulo.

9 a. Fonte sanus vir morbidus
Fit praepotens et validus,
Raginaldus nomine.

9 b. Aedem prope rivum fecit,
Super aegros aquas iecit
Divino spiramine.

10 a. Caecis lumen confert numen,
Sensum stultis, opem multis,
Solamen daemonicis.

10 b. Famen mutis et veniam
Dat pollutis et etiam
Gressum paraliticis.

11 a. O tu miles summi regis,
Nos, qui sumus tuae gregis,
Te precamur cernui,

11 b. Ut tuis sacris precibus
Possimus cum fidelibus
Regno caeli perfrui.

Legend. ms. Montis S. Michaelis saec. 13. add. saec. 15. Cod. Abrincen. 167. (71). — 7 a, 5 Leto. — 9 a, 1 sans vir. — 10 a, 3 daemoniis.

138. De sancto Blasio.

1 a. Refulgens in medio
Blasius ecclesiae,
Miles certans proelio,
Particeps victoriae
Decoratur.

1 b. Triumphans martyrio
Principis in facie
Superno stipendio
Caelestis militiae
Gratulatur.

2 a. Arx inexpugnabilis
Vallata virtutibus,
Vallis vernans rutilis,
Morum fulgens floribus,
Illustratur.

2 b. Hortus admirabilis
Refragans odoribus,
Mons plantarum gracilis,
Fons manans dogmatibus
Fecundatur.

3 a. Abraham fidelitate,
Moyses regimine,
Ieremias sanctitate,
David fortitudine,
Salomon prudentia;

3 b. Matathias probitate,
Iob constans examine,
Loth egenis caritate,
Tobias solamine,
Seth, Henoch iustitia.

4 a. In spelunca latitans
Orat plasmatorem,
Contemplando flagitans,
Quo sanat languorem
Feris supplicantibus.

4 b. Laci nihil haesitans
Subintrat liquorem,
Quem femina visitans
Suis ob amorem
Cibum dat carceribus.

5 a. O martyr eximie,
Omnium dolorum
Stirpator egregius,
Memorum cunctorum
Tui meritorum

5 b. Exaudi propitius
Vota laudatorum,
Trahe nos sublimibus
Ad regna polorum
Coetibus sanctorum.

Miss. Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527.

139. De sancto Blasio.

1. Digna laudum poscit vota
Digna digni per se nota
Blasii memoria.

2 a. Dignitatem tanti viri
Nunquam sinet sepeliri
Signorum frequentia.

2 b. Iuventutis hic in flore
Mente vigil, parcus ore,
Multa fulsit gratia.

3 a. Praesul factus in Argei
Solus degit cultum Dei
Prosequi sollicitus.

3 b. Quem ignorat mundi favor,
Norunt ferae, deest pavor,
Ubi praeest spiritus.

4 a. Puer matri datur sospes,
Nam os, ori malus hospes,
Exit ab arteria.

4 b. Fidem fatur accersitus,
Nec declinat vitae litus
Inter mundi maria.

5 a. In conclavi latus latet,
Ubi latens late patet
Coruscante merito.

5 b. Creans verbo recreatur
Quoad corpus suis satur
Fideli deposito.

6 a. Septem Christo
per sancti monitus
Septiformis
gratiam spiritus
Sponsas consecrarat,

6 b. Quas legentes
liquorem sanguinis
Resultantes
prae ore pectinis
Pietas declarat.

7 a. Tormentorum
ira nil terruit
Furit pecten,
sanguis lac induit,
Rem decidit ensis.

7 b. Martyr foro
redditus iterum,
Maior astat
ministris scelerum
Quamlibet offensis.

8 a. Sanctum caput
ab aqua praevia
Resignanti
falx ex sententia
Metit chalybina.

8 b. Vitae nubit,
quam nescit oculus,
Prece cuius
illaesus populus
Manet a ruina.

9 a. Huius ergo iugis oratio
Suos suo iungat consortio
Tollens omne naevum.

9 b. Per hunc vires vireant animi,
Quibus Christo sumus contermini
Et nunc et in aevum.

Miss. ms. Senonense sacc. 15. Cod. Parisin. 880. 2. — 3 b, 2 flere. — 5 b, 2 Quo ad. — 6 a, 4 gratia. — 6 b, 3 Resultantem. — 7 a, 1 Tantarum minarum. — 8 a, 2 aqua prima. — 8 a, 3 Residegnanti. — 8 a, 5 calibina.

140. De sancto Bonito.

1 a. Laudum vota
Solvat Bonito praesuli
Plebs devota,

1 b. Cuius festa
Fidelis sonet populi
Vox honesta.

2 a. Bonitus, fons gratiae,
Alumnus Arverniae,
Vitae norma,

2 b. Vir status siderei,
Virtutis et fidei
Fons et forma.

3 a. Nactus sacerdotium
Offert spiritalium
Precum tura;

3 b. Extinguit vim febrium,
Quassata debilium
Sanat crura.

4 a. Infernales spiritus
Defraudat divinitus
Re possessa;

4 b. Corda purgat hominum
Daemonum vel criminum
Vim perpessa.

5 a. Dato rebus ordine
Caecos donat lumine,
Confirmat in homine
Pedum iura;

5 b. Viros aufert flumini,
Psallit servus Domini
Matutinos virgini
Mente pura.

6 a. Praecellens gratia,
Pollens iustitia,
Vitam habens
carnis pro miseria,

6 b. Transit ad gaudia
Ditandus gloria,
Coniungendus
angelis in patria;

7. In qua laeti modulemur
Alleluia.

Pros. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 57. A. — Miss. Claromontense atque S. Flori imp. Lugduni 1541. B. — 1 b, 3 Sonet vox B. — 3 a, 1 Natus A. — 3 b, 3 sqq. bis zum Schlufs fehlen A. — Melodie jedenfalls: Laetabundus, mit angehängter Schlufsklausel.

141. De sancto Briocio.

1 a. Sion psalle, Sion plaude,
Diem laetum duc in laude
Briocii praesulis.

1 b. Cuius ortus, vitae, mortis
Laus humanae laudem sortis
Superat miraculis.

2 a. De supernis nuntiatur,
Infecunda fecundatur
Paritura parvulum.

2 b. Per angelum nomen datur,
Et secundo renovatur
Baptistae miraculum.

3 a. Flos de spinis procreatur,
Educatus commendatur
Germano Parisius.

3 b. Scolas intrat et hunc dignum
Ad columbae novit signum
Magister egregius.

4 a. A Germano eruditus
Litterali fit peritus
Multum in scientia.

4 b. Doctor extra dum magistrat,
Intus spirat et ministrat
Spiritalis gratia.

5 a. Vase dato pauperi
Novum vas pro veteri
Stupent nimis ceteri;
Liberatur pueri
Pes de spina penitus.

5 b. Ordinatur presbyter,
Ignis splendet fortiter
Super caput iugiter,
Quo supernus arbiter
Sacrum sacrat caelitus.

6 a. Iussis angeli dum credit,
Salutato sancto redit
Femur, dextera sanantur
Et parentes baptizantur.
Verbo signis multos quidem
Trahit praesul hic ad fidem
Operante gratia.

6 b. Tandem mortis solvens iura
Mnam reportat cum usura,
Et columbam fert ad caelos
Angelorum dulce melos.
Aegri valent et sunt laeti.
Nos, Brioci, puncto leti
Conduc ad caelestia.

7. Fac, tua familia
Laetetur in gloria.

Collectan. ms. S. Sergii Andegavensis saec. 10. add. saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Andegaven. 813. (730). Mit Melodie. — Aus der gleichen Quelle mitgeteilt von A. de La B. in der Revue de Bretagne et de Vendée. Nouv. période. (St. Brieuc 1887) tom. I, p. 122.

142. De s. Cassiano Eduensi.

1 a. Psalle symphonizando
Christo regi sidereo,
Qui sanctis rutilas
tribuit per saecla coronas,

1 b. Inter quos Cassianum,
confessorem praecipuum,
Ditavit super astra poli
splendore perenni.

2 a. Hic tenebrosi
culmina regni
lumine Christi
tempsit herilis.

2 b. Nam redimitus
schemate sacro
viribus almis
floruit idem.

3 a. Hortensem populum
praesule cassum,

3 b. Poscentem variis
vocibus ipsum,

4 a. Summum quod regeret
pontificatum,

4 b. Rexit celsithroni
iura secundum.

5 a. Postquam sedi
pontificali
inhaereret,
astitit illi
Per visum martyr
Laurentius
orbe colendus,

5 b. Hortans illum,
ut sibi templum
consecraret,
quem praeparata
Iam caeli sanctum
cognoverat
arce locandum.

6 a. Confestim paruit
monitis per cuncta serenis,

6 b. Extorris fieri
demum coepit meditari.

7 a. Hic populari
voce gementi
laetus Egypti
rura reliquit,

7 b. Ad Eduorum
post iter artum
postque laborem
venit ad urbem;

8 a. In qua Simplicio
praesule functo

8 b. Bis denis viguit
inclitus annis.

9 a. Cuius albicolor
petra sepulcri

9 b. Ostendit labari
chroma rubentis.

10 a. Idem sanctus
caespite tectus
Cum Germano
iure beato
Est verbis usus —
mirabile! —
vir memoratus.

10 b. Per quem nobis,
Christe, benignum
Semper cunctis
subsidium fer,
Qui solus regnas,
per saecula
cuncta gubernas.

Miss. ms. Eduense saec. 14. Cod. Semin. Eduen. 121. A. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Tolosan. 100. B. — Miss. ms. Card. Rollin. saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 110. C. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin. saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 114. D. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 115. E. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 117. F. — Missale Eduense imp. Parisiis 1493. G.

Ferner: Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 115. — Sequent. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 131. — Grad. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. s. n. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 123. — Miss. ms. Oliverii, episc. Cabillonen. anni 1400. Cod. Semin. Eduen. 118. — Miss. Eduense saec. 12. Cod. Semin. Eduen. 125. add. saec. 14. — Missale ms. Eduense anni 1476. Cod. Semin. Eduen. 118 bis.

1a, 2 sideres B. — 1a, 3 sancti B. — 2a, 1 Haec tenebrosi B. — 2b, 2 stemate B; stigmate G. — 4b, 2 iura secundum dura BCD. — 5b, 4 quae praeparato B; lies reparata, welches gegen den Sinn verstöfst, während praeparata das Metrum verletzt? — 5b, 4 caeli centum G. — 7b, 1 Lies vielleicht Ac? — 9b, 1 libari B. — 10a, 1 Isdem BCDE. — 10a, 2 tespite BDEG. — 10a, 4 viro beato A—G. — 10a, 6 mirabilis A—G. — Die Sequenz mit Ausnahme von 1a, 1 sq. und 1b, 1 sq. ist nicht rhythmisch, sondern metrisch; Hexameter sind 1, 3 sq., 5, 5 sqq., 6, 1 sq., 10, 5 sqq.; Adonii 2, 1 sqq., 7, 1 sqq.; tetrametri dactylici catalectici in disyllabam: 5, 1—4; 10, 1—4; semiasclepiadei adonio continuati: 3, 1 sq.; 4, 1 sq.; 8, 1 sq.: 9, 1 sq. — Gleiche Melodie haben aufser den Parallelstrophen unter sich auch: 1, 3 sq. mit 6, 1 sq.; Str. 2 mit Str. 7; Str. 3 mit 4, 8 und 9; Str. 5 mit Str. 10. — Nach Fontanini (Antiquitates Hortae, Romae 1708 p. 382), der wie es scheint aus G seinen Text nahm, ist diese Sequenz mit der befremdenden Bezeichnung „Missa Sancti Cassiani“ abgedruckt in den MG, Poetae latini medii aevi IV. [lies I?], 234 sq.

143. De sancto Christophoro.

1a. Fulget dies gloriosa
Atque Deo speciosa
Christophoro cognita.

1b. Tali die triumphavit
Atque Dagnum superavit
Regna petens inclita.

2a. Huius virga floruit,
Ut salvator voluit,
Atque fructus edidit.

2b. Et dum in patibulo
Foret, regis oculo
Statim visum reddidit.

3a. Iste fuit Cananaeus,
Hunc vocavit ad se Deus,
Qui sanctos laetificat.

3b. Dagnus credit data luce
Atque Christophoro duce
Nomen Christi praedicat.

4a. Mulieres crediderunt
Christum, idola fugerunt
Colla dantes gladio.

4b. Milites sunt Christiani,
Qui prius erant pagani,
Dantes se martyrio.

5a. Christophorus non moechatur,
Sed credentes consolatur,
Opprobrium cunctis datur;
Missus in trepalio

5b. Martyr Dei flagellatur,
Sed in igne non crematur,
Caelestibus adunatur
Et regnat cum gaudio.

6a. Christophorus flagellatur
Et cum sanctis gratulatur,
Et tyrannus iam salvatur
Restituto lumine.

6b. Christophore, martyr Christi,
Choro sis patronus isti,
Et qui mortem sustulisti
Salvatoris nomine.

7 a. Esto nobis medicina,
Ut nos ornet lux divina,
Adiuva nos, ne damnati,
Sed simus per te salvati,
Regnemus in gloria.

7 b. Tu sis noster advocatus,
Qui nunc vivis coronatus,
Prece tua sit salvator
Credentibus adiu[va]tor,
Qui regnat per omnia

Miss. Pictaviense imp. Parisiis 1541.

144. De sancto Claudio.

1 a. Iubilemus exsultantes,
Ore, corde personantes
Magna cum laetitia,

1 b. Oscitemus adplaudentes
A puero inchoantes
Claudii miracula.

2 a. Hic in cunis adhuc iacens,
Velut Christo totus nascens,
Fert signa sanctitatis,

2 b. Amplexatur adulescens
Terrigena pertimescens
Semitas aequitatis.

3 a. Nobilibus hic exortus
Pernobiles egit actus
Ex more nobilium,

3 b. Nam literas statim amplexatus
In doctrinis evasit perdoctus
Supra morem gentium.

4 a. Et insuper factus praesul,
Ex quo gaudet omnis consul
Bisuntinae structurae;

4 b. Sed tristatur tunc exsul,
Quod Claudius sic praesul
Floret iusto opere.

5 a. Bonis studet opem dare,
Vitiosos increpare
Cunctis zelans gloriam;

5 b. Evitavit maculare
Vitam sanctam seque dare
Christo vovit hostiam.

6 a. Renuendo haec caduca
Ingressus est sacra loca,
Augendi coenobium.

6 b. Non algescit velut rocca,
Sed flagrascit ut festuca,
Quam rapit incendium.

7 a. Affligitur corpus sacrum
Et redditur castigatum
Duris paenitentiis;

7 b. Recipiunt ob id factum
Fratres cuncti virum sanctum
Abbatem pro meritis.

8 a. Demum acto curriculo
Derelicto corpusculo
Caelum mens ingreditur;

8 b. Conservatur a populo
Corpus clarens miraculo,
Quod integrum cernitur.

9 a. Quis nesciat sacerdotem
Exorantem Christi matrem
Pro perdito lumine

9 b. Audivisse respondentem:
Surge, adi nostrum fratrem
In Iurensi limine?

10 a. Festinavit illuc ire
Non desperans invenire,
Quod sperabat exhaurire,
Salutis obsequium.

10 b. Consequitur illud in re,
Quod praedictum fuit mire,
Unde laudat et de iure
Sanctissimum Claudium.

11 a. Gloriose praesul Claudi,
Assistentes tuae laudi
Et rogantes te nos audi
Impetrando veniam,

11 b. Ne daemonis arte claudi
Adhaerendo suae fraudi,
Quam suggerit vano cordi,
Possimus in gehennam.

12 a. Miles Christi sanctissime,
Te vocantes rectissime
Assequantur amplissime,
Quod postulat aequissime
Largitori munerum.

12 b. Te rogamus, praesul summe,
Ut nos stantes hic infime
Tu subleves in sublime
Sociando caeli turmae
Sanctorum spirituum.

Liber Confraternitatis S. Claudii [Parisiis in ecclesia S. Iacobi de Hospitali] saec. 15. Cod. Parisin 915. A. — Miss. ms. Parisiense anni 1481. Cod. Parisin. 17315. B. — Miss. ms. S. Laurentii Longoreten. saec. 14. Cod. Parisin. 1106. add. saec. 15/16. C. — Sequent. ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S). D. — Missale Parisiense imp. Parisiis 1501. E. — Missale Cameracense imp. Parisiis 1507. F. — Missale Tullense imp. Parisiis 1507. G. — Missale Aurelianense imp. Parisiis s. a. [1519]. H. — Missale Lingonense imp. Trecis 1520. I. — Missale Bituricense imp. Parisiis 1522. K. — Missale Carnotense imp. Parisiis 1535. L. — Missale Tullense imp. Parisiis 1537. M. — Missale Aurelianense imp. Aureliani 1556. N. — Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1606. O.

1 b, 1 Obstitemus A, Obsistemus CDFK; Recitemus L. — 2 a, 2 totus iacens D. — 2 b, 3 Sanctitas aequitatis. GHMO; Sanctitatis aequitatis EK. — 3 a, 1 Nobilibus est exortus DFGHKMNO. — 3 b, 1 statim fehlt O. — 3 b, 2 fit perdoctus O. — 3 b, 2 Super morem DFGHK; Sit per morem M; mortem G. — 4 a und b fehlen D. — 4 a, 1 Et insuper FGHKMO. — 4 b, 1 ex tunc O. — 4 b, 2 Qua Claudius O; fit praesul LO; sit praesul BFGHKMN. — 4 b, 3 Iusto floret B. — 5 a, 1 Bonus O; operam D. — 5 b, 1 Et vitavit B. — 6 a und b fehlen D. — 6 a, 3 Eugendi ABCO. — 6 b, 1 roca AF; rocha BCGHKMN; rosa O. — 6 b, 2 flagrescit AL. — 8 a, 2 De relicto EG. — 8 b, 2 clarans K. — 9 b, 2 audi nostrum DFGHKLMNO. — 9 b, 3 In incensi lumine DFGHKLMNO. — 10 a und b fehlen D. — 10 b, 1 illuc in re HN; illuc ire L; illud ire O. — 10 b, 3 Unde laudant te de iure A. — 11 a, 2 Assistantes D. — 11 a, 3 Te rogamus, nos exaudi A. — 11 b, 3 suggerent A. — 11 b, 4 Ruamus in D; Labamur M; beides Korrekturen, weil der Korrektor 11 b, 1 claudi nicht als Infinitiv, sondern als Adjektiv ansah. — 12 a, 5 munere O. — 12 b, 2 hic in fine ADHN. — 12 b, 3 hinc sublime DFGHKMN. — 12 b, 1 Sociandos A; Sociantes DFGHKMN. — Mel: Lauda Sion (resp. Laudes crucis); Akrostichon: Iohannes Bernard.

145. De sancto Claudio.

1 a. Claudi, nunc gaude, praesul [Christi] venerande,
1 b. Quem Deux extollit, nec mundi gloria mollit.

2 a. Nobilitas generis te primitus alta creavit,
2 b. Nobilitas morum te cordi fixa beavit.

3 a. Litera sancta sacram mentem lactavit et acrem,
3 b. In teneris annis hinc manat mellifer amnis.

4 a. Es nactus sedis regimen, qua sponte decedis,
4 b. Bisontinensis, qua magnus non nocet ensis.

5 a. Ut marces artus, Augendi te locus artus
5 b. Suscipit et auxit, orbem tua fama replevit.

6 a. Voceque cunctorum te facto patre tuorum
6 b. Mitibus es mitis, compescens iurgia litis.

7 a. Non corpus functum vita corrumpitur unctum,
7 b. Nec fuit aut sacra cara mortua funditus atra.

8 a. Nulla potest fari vox, sed nec cor meditari,
8 b. Quot fiat divina tuis precibus medicina.

9 a. Praebes extinctis vitam, sic vincula vinctis
9 b. Magna vi tollis, reddis sensum quoque follis.

10 a. Te loquitur mutus, surdusque fit ore solutus,
10 b. Et febres duras dulci medicamine curas.

11 a. Sic maestis risum praebes, caecis quoque visum,
11 b. Das gressum claudis, nulli pia viscera claudis.

12 a. Nunc, pater, exora pro nobis, dum manet hora,
12 b. Suppliciter Christum, mundum temnamus ut istum.

13 a. Tecum laetari mereamur et usque beari,
13 b. Semoto tristi detur promissio Christi.

Miss. Pictaviense imp. Parisiis 1541. — 9 b Magna ut tu tollis; quoque menti. Der Binnenreim verlangt „follis“ (zu follus = le fou cfr. Du Cange).

146. De ss. Cosma et Damiano.

1 a. Sion sancta gratuletur,
Et materno glorietur
Pia mater nomine,

1 b. Pia mater et beata,
Triumphali venustata
Filiorum sanguine.

2 a. Tantae matris ad decorem
Fusum Christus ob cruorem
Cosmam caelis invehit;

2 b. Venustatis ad augmentum
Mortis aeque per tormentum
Damianum provehit.

3 a. Indiscreta laus amborum,
Quos univit animorum
Carnisque cognatio.

3 b. Ortu simul uno nati,
Uno fratres animati
Certarunt martyrio.

4 a. Arte clari medicinae,
Clari simul et doctrinae
Verbo vel miraculis

4 b. Sanant membra, sanant mentes;
Stupent gentes, et credentes
Reddunt ex incredulis.

5 a. Hinc Lysias excandescit,
Torquet fratres, quibus crescit
Virtus ex supplicio.

5 b. Vincunt mare, dum merguntur,
Nam ab undis extrahuntur
Caelesti suffragio.

6 a. Res miranda: sanctis rorant
Et sanctorum hostes vorant
Flammarum incendia;

6 b. Suspenduntur et torquentur,
Sed fruuntur et foventur
Angeli praesentia.

7 a. Crucifixos tam saxorum
Furens imber quam telorum
Adpetit crudelitas;

7 b. Sed retorquent in tortores
Suos ictus, et lictores
Prosternit divinitas.

8 a. Signa videns declarari
Seque signis superari
Tandem praeses consummari
Iubet ambos gladio.

8 b. Sic dum terris adimuntur,
Caelo fratres potiuntur
Roseoque conscribuntur
Martyrum collegio.

9 a. Quorum prece salutari
Nos a culpis emundari
Det superna gratia,

9 b. Ut cum ipsis, quos laudamus,
Sion vitae capiamus
In supernis gaudia.

Miss. ms. Autissiodorense saec. 14. Cod. Parisin. 17316. A. — Miss. Autissiodorense imp. Parisiis s. a. [1484]. B. — 2a, 1 Tantae nostris B; ad decoram A. — 2a, 2 ob decorum A. — Str. 2b fehlt A. — 3b, 1 simul innovati B. — 4b, 1 Sanat A. —

147. De ss. Cosma et Damiano.

1 a. Adest dies veneranda,
Dies votis amplexanda,
Dies digna laudibus;

1 b. Diem Deus hanc sacravit,
Qua praesentes adgregavit
Martyres martyribus.

2 a. Isti fratres sunt natura,
Fide, arte, sepultura,
Signis et potentia;

2 b. Quos gemellos mater fudit,
Hos coaequat et concludit
Meritum et gloria.

3 a. Ars istorum medicina,
Quorum erat disciplina
Pretium respuere,

3 b. Gratis datum gratis dabant
Et sic manus conservabant
Immunes a munere.

4 a. Vim medendi, qua pollebant,
Ex caelesti contrahebant
Dono, non ex homine;

4 b. Ars humana. vis herbarum
Cito fallit, prodest parum
Sine sacro flamine.

5 a. Qui salutem dat aegroto
Sed in parte, non ex toto,
Non est partis optimae;

5 b. Ars, quam docet sacrum flamen,
Confert aegris medicamen
Corporis et animae.

6 a. Claudus, surdus, mutus, caecus
Sanabatur, quin et pecus
Horum beneficio;

6 b. His cesserunt cuncta rite,
Daemon, tortor, crux, sagittae,
Lapis, mons, perditio.

7 a. Consummatos morte pari
Iussit simul tumulari
Vox cameli nuntia;

7 b. Sic in terris praedicatur,
Sic in caelis coronatur
Martyrum victoria.

8 a. Pater, pastor, rex cunctorum,
Nutu serva, rege chorum,
Ut sequamur vitam, quorum
Fruimur praesentia.

8 b. Vobis, Cosma, Damiane,
Grex a somno surgens mane
Vera vite, vero pane
Vivat vestri gratia.

Miss. Parisiense imp. Parisiis 1585. — 8b, 2 a summo.

148. De sancto Desiderio Ep. et M.

1 a. Ad honorem sancti Dei
Referamus laudes ei
Devoto dictamine,

1 b. Quia noster est patronus,
Lingonensis pastor bonus,
Desiderius nomine.

2 a. Vir simplex, mitis et castus
Sprevit mundiales fastus
Statum tenens medium.

2 b. Genuis accepit ortum
Iuxta quendam maris portum
De genere civium.

3 a. Sede Lingonis vacante
Fit praelatus Deo dante
Divino miraculo.

3 b. Ait enim vox de caelo:
Desiderium revelo
Utilem pro populo.

4 a. Gens Wandalorum iam pridem
Surrexerunt contra fidem
Devastantes Galliam;

4 b. Multas urbes destruxerunt,
Ad Lingonas perrexerunt
Comburentes patriam.

5 a. Rex Crostus cum suis turbis
Vi subintrans fores urbis,
Nulli parcens sexui,

5 b. Telis sagittis invadit,
Christum confitentes tradit
Mortifero nexui.

6 a. Gloriosus episcopus
Sane praecipiens opus
Regem monet precibus;

6 b. Multo magis versa vice
Obtulit nuda cervice
Se mori pro civibus.

7 a. Demum praesul decollatur,
Ferens caput detestatur
Longe palam omnibus.

7 b. Saeviensque necat lictor,
Sic fit Dei martyr victor,
Ut liquet operibus.

8 a. Fugit acies et fremit,
Et pastor oves redemit,
Mox cessat occisio;

8 b. Probant vitam gesta digna,
Sanctitatem mira signa,
Quorum est confusio.

9 a. Subvenit surdis et mutis,
Aegris fit via salutis
Per sua suffragia.

9 b. Fac nos, Dei martyr, sanos
Nostros actus munda vanos
Ducens ad caelestia.

Sequent. ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Ravennaten. 360 (139. 5. S). A. — Miss. Nivernense imp. Parisiis 1490. B. — 1a, 2 Dei B. — 2a, 2 modernales B. — 5a, 1 Croscus A. — 5a, 2 subintrant A. — Str. 7b fehlt B.

149. De sancto Dominico.

1 a. O sancte Dominice,
Confessor mirifice,
Christi praedicator,

1 b. Fidei catholicae
Pugil et haereticae
Pestis expugnator.

2 a. Legis evangelicae
Simul et propheticae
Fervens aemulator.

2 b. Tu pie nos respice,
Coram summo iudice
Noster mediator.

3 a. Tu decus Hispaniae,
Tu iubar Bononiae,
Tu flos castitatis;

3 b. Tu cultor iustitiae,
Tu stella mundiciae,
Tu vas pietatis.

4 a. Columna constantiae,
Basis patientiae,
Turris firmitatis.

4 b. Apotheca gratiae,
Nobis dona gloriae
Praesta cum beatis.

5 a. Eia, pater, propera,
Clementer accelera,
Iuva te rogantes.

5 b. Inter huius aspera
Saeculi que prospera
Rege fluctuantes.

6 a. Quae nos gravant onera,
Tua dele dextera,
Ut te collaudantes

6 b. In hac valle misera
Ad te super aethera
Subleves laetantes.

7 a. Tui fratres Ordinis
Sub tui regiminis
Protege tutela.

7 b. Illos ne molliminis,
Daemonis et hominis,
Laedat corruptela;

8 a. Sed vi sancti flaminis
Cum tui iuvaminis
Conservet medela,

8 b. Ut (in) die examinis
Extermi peccaminis
Sint sine querela.

9 a. Pro benefactoribus,
Pro familiaribus,
Pro [morbo gravatis],

9 b. Pro iti[neran]tibus
Et pro paenitentibus
Sive desperatis

10 a. Te profusis precibus
Petimus, ut omnibus
Veniam peccatis

10 b. Impetres et sedibus
Coniungas caelestibus,
Pater pietatis.

Collectan. ms. Praedicatorum saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Audomaren. 137. — 5 b, 1 Intus. — 5 b, 2 propera. — 8 b, 2 l. Extremi? — Die Abschrift verdanke ich der Liebenswürdigkeit meines Freundes Dr. Alfred Holder.

150. De sancto Euchario.

1 a. Alpha et O, rex gloriae,
Sanctum martyrem hodie
Coronavit Eucharium;

1 b. Causa deest tristitiae
Choris huius ecclesiae
Propter eius sollemnium.

2 a. Hic urbi Grandi praefuit,
Ubi vita resplenduit
Ac veritatis radio.

2 b. Iuliano non paruit,
Sed eum spernens torruit
Victor occisus gladio.

3 a. Post insigne martyrium
Pontifex caput proprium
Per sanctam vallem detulit;

3 b. Auxit autem prodigium,
Dum in lapidis gremium
Se compositum intulit.

4 a. Quem Tullum nequit tollere,
Liberduni quiescere
Elegit per miraculum.

4 b. Nos verum lumen cernere
Possimus et convivere
Per eundem in saeculum.

Miss. Tullense imp. Tulli 1551.

151. De sancto Eutropio.

1 a. Victima Christi victoris,
Sanctus Eutropius,

1 b. Herodis ut stetit oris
Puer hic egregius,

2 a. Iesu vita dilecta
Per famam intellecta
Accedens
Fit credens
Et conversus.

2 b. Patrem petens precatur,
Hunc amet, hunc sequatur
Mox Deum;
Ad eum
Est reversus.

3 a. Dic, nosti qualia,
Eutropi, prodigia?
„Hosanna Christo cantantes,
Flores ac ramos
vidi portantes.

3 b. Et restant alia
Plura mirabilia:
De gemellis vidi piscibus
Atque de quinque
pastos panibus.

4 a. Credens et Christum secutus,
Tot signis adiutus,
Bonis Xantonis
passus sum vere".

4 b. Scimus, Christe, sic fuisse;
Nobis, quos promissae
Res dant gaudere,
rex, miserere.

Miss. ms. S. Petri Cadomensis anni 1451. Cod. Mancel. s. n. A. — Miss. Andegavense imp. [Parisiis] 1489. B. — Miss. Andegavense imp. Rothomagi 1523. C. — Miss. Xantonense imp. Parisiis 1491. D. — Miss. Tornacense imp. Parisiis 1498. E. — Miss. Tornacense imp. s. l. 1540. F. — Miss. Macloviense imp. Rothomagi 1503. G. — Miss. Bituricense imp. Parisiis 1522. H. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1533. J. — 1 a, 2 Factus BCDGHJ. — 2 a, 4 Ut credens AEF. — 2 b, 1 Patrem petit et precatur G. — 2 b, 3 Deum mox; so alle Quellen, aber gegen den Reim. — 3 a, 3 canentes BCDHJ. — 4 a, 3 Xantionis BCH. — 4 b, 1 Christum BCGHJ. — 4 a, 2 quo J; praemissae DGH. — Melodie natürlich: Victimae paschali.

152. De sancto Evurtio.

1 a. Evurtii confessoris
Festa colens annua
Psallat ore, psallat corde
Celebris ecclesia.

1 b. Imitetur grex pastoris
Mores, vitam, studia,
Ut coheres sit doctoris
In caelesti curia.

2 a. Hic ab urbe Roma natus
Ad nos venit vir beatus,
Nobis Deo dante datus.
Per columbam est electus
Et renitens vir perfectus
Ad supremam est provectus
Praesulatus gloriam.

2 b. Sic et Christus baptizatus
Per columbam est signatus,
De quo pater est testatus:
„Hic est meus praeelectus;"
Christus, carnis nube tectus,
Ad docendam nos directus
Agnus innocentiam.

3 a. Ex tunc quantis fulsit signis
Sacerdotis sanctitas,

3 b. Declaravit Dei manus
Et aegrorum sanitas.

4 a. Ignis urbem occuparat
Iamque multa devastarat, *
Plebs desperans fugam parat, * *
Currunt ad ecclesiam; *
Praesul orat, orans sedat * *
Ignis inclementiam. * *

Dum in urbe flamma saevit,
Orat praesul, et quievit;

4 b. Et extincto prorsus igne
*Grates Deo dantur digne.

Gens erepta baptizatur,
Domus Dei maioratur,
Cuius modus dum paratur,
Summo cras diluculo
Nix de caelo monstrat opus
Crucis in signaculo.

5 a. Admirantes signum nivis
Gaudet clerus, gaudet civis,
Gaudet et Evurtius.

5 b. Et in modum crucis sanctae
Deo donum operante
Consummatur ocius.

6 a. Postquam templum consummatur,
Gens vicina convocatur,

6 b. Pontifices commoventur,
Per quos arae consecrentur.

7 a. Quo dum missam servus Dei
Celebrat Evurtius,
Supervenit Dei manus
Et caelestis radius;

7 b. Et dum Deo praesul panem
Porrigit et calicem,
Ter oblata benedixit
Deus et pontificem.

8 a. Ergo tanti patris laudes
Attolamus filii
Et sequamur sanctos mores
Praesulis Evurtii;

8 b. Qui pro sua sit orator
Sedulus familia,
Ne nos error saecularis
Separet a gloria,

9. Sed cum sanctis concinamus
angelis Alleluia.

Miss. Aurelianense imp. Parisiis s. a. (1519) A. — Miss. Aurelianense imp. Aureliani 1556. B. — 1b, 1 Innitetur A. — 2a, 6 supremum A. — 2b, 6 ducendum AB. — 3a, 1 tantis A. — 3b, 1 Declaruit A. — 6b, 2 consecrantur AB. — 8b, 1 Quo A.

153. De sancto Exsuperio.

1 a. Mittit in Neustriam
Per Exsuperium
Legis notitiam
Egressus atrium
Amator hominis.

1 b. Antiqui reprimit
Hostis dominium,
Verbi dum eximit
Divini gladium,
Vi fretus numinis.

2 a. Hunc Romae finibus
Legat in Galliam
Clemens cum pluribus,
Ut idolatriam
Tollat de medio.

2 b. Cui digna ceteri
Dant sorte Neustriam,
Legis ut uberi
Diffundat gratiam
Oris eloquio.

3 a. Urbis aggrediens
Baiae confinia,
Fana demoliens,
Solo daemonia
Fugat imperio.

3 b. Corpus ieiuniis
Multis afficiens
Instat vigiliis,
Subtus operiens
Membra cilicio.

4 a. Baiocum ocius
Illustrem comitem
Regnobertum pius
Ad legis tramitem
Traxit tyrunculus;

4 b. Multorum fabricae
Templorum opifex
Primus basilicae
Maioris pontifex
Fit Christi famulus.

5 a. Audit et suscipit
Fidei nuntium,
Credit et percipit
Baptismi praemium
Devota regio.

5 b. Tandem miraculis
Clarescit veritas,
Aegris dum singulis
Largitur sospitas
Caecisque visio.

6 a. Iam cursus finiens
Felicis stadium,
Caeleste moriens
Accepit bravium
Immunis scelerum.

6 b. Nobis obtineat
Peccati veniam,
Virtutis augeat
Impetrans gloriam
In arce siderum.

Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545. — 1 a, 4 Regressus. — Melodie: Mittit ad virginem.

154. De sancto Exsuperio.

1 a. Laudes Deo creatori,
Deo nostro redemptori,
Praesens canat contio.

1 b. Sit laus eius confessori,
Fideli dispensatori,
Sancto Exuperio.

2 a. Iste sanctus, fide sana
Loricatus christiana,
Mundus mundum respuens,

2 b. Simulacra delens vana
Exstirpavit horum fana,
Templa Deo construens.

3 a. In Francorum regionem
In Deum non credentium
Sanctus Clemens legionem
Transmisit fidelium.

3 b. Huius sacrae contionis
Fuit Exsuperius
Baiocensis regionis
Apostolus proprius,

4 a. Primus sanctae Mariae
Fundator ecclesiae,
Baiocensis patriae
Praesul et patronus.

4 b. Delens idolatriam
Convertit hanc patriam
Per baptismi gratiam
Praedicator bonus.

5 a. Contemplator spiritalem
Vitam ducens non carnalem
Armatur cilicio.

5 b. Orans vigil super gregem
Lege mentis carnis legem
Vincit et ieiunio.

6 a. Infideles ab errore
Et infirmos a languore
Curat Dei gratia.

6 b. Cunctis lege caritatis
Praestat opem tribulatis
Et grata remedia.

7 a. Regnobertum generosum,
Confessorem gloriosum,
Sacro lavit flumine;

7 b. Perquem credens caecus natus
Clare vidit illustratus
Utriusque lumine.

8 a. Septem viri
pleni daemonibus,
Ab eorum
ducti parentibus,
Sancti patris
purgantur precibus,
Confitentes
Christum cum pluribus
Baptizantur.

8 b. Iste sanctus
dignus memoria,
Cuius fide
fulget ecclesia,
Virtus eius
fugat daemonia,
Per hunc aegris
membra langaentia
Reformantur.

9 a. Senex febre fatigatus
Angelos est contemplatus,
A quibus est invitatus
Ad caeleste bravium.

9 b. Pascens gregem fide bona
Vocatur ad caeli dona;
Chorus illi cum corona
Occurrit caelestium.

10 a. Clerus loco
montis ecclesias
Lamentando
complens exsequias
Sepelivit
sancti reliquias,
Qui per multas
meruit gratias
Honorari.

10 b. Exuperi,
flos caeli curiae,
Gemma cleri,
decus ecclesiae,
Tuae, pater,
memor familiae
Fac nos tecum
corona gloriae
Coronari.

Miss. Baiocense imp. Rothomagi 1501. A. — Miss. Baiocense imp. Rothomagi 1504. B. — Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1529. C. — Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545. D. — 1 a, 1 Deo fehlt BC. — 2 b, 2 horum plana AC. — 5 b, 3 Vicit AD. — 6 b, 1 legem BC. — 9 a, 2 Angelis ABCD. — Schema ist das gleiche wie bei der Ravennus-Sequenz: L u x i u c u n d a.

155. De sancto Ferreolo.

1 a. Via, vita, veritas,
Quae in tuis habitas,
Patris sapientia,

1 b. Sub lictore discolo
Vincis in Ferreolo;
Talis est victoria:

2 a. Pio parat impius,
Quidquid potest gladius,
Mortem post ludibria;

2 b. Verbis tamen subdolis,
Si tus cremet idolis,
Offert ei praemia.

3 a. Palam leo saeviens
Clam est draco blandiens
Daemonis astutia;

3 b. Modo terret asperis
Per ministrum sceleris,
Modo profert lenia.

4 a. Caeditur a barbaris
Sui dator hilaris,
Pacem pacis hostia
Sumit ab iniuria.

4 b. Agni formam induit,
Qui os non aperuit,
Qui pius ad propria
Siluit opprobria.

5 a. Christi miles,
Et tu siles,
Ut gentiles
Pueriles
Vincas patientia.

5 b. Tu adflictus
Vincis ictus,
Maledictus
Praeses ictus
Aestuat insania.

6 a. O immanis,
Cur insanis
Vacans vanis
Et profanis
In hac idolatria?

6 b. In caducis
Te seducis;
Servum crucis
Verae lucis
Vera manent gaudia.

7 a. Te rogamus, martyr Dei,
Duo magna, licet rei,
Fac rata, fac utilia,
Quae postulat ecclesia;

7 b. Qui favoris ope sui
Te victorem fecit tui,
Det tuis tui gratia
Recipere duplicia.

8 a. Audax miles Gedeonis,
Te non terret lex agonis,
Tuba clangis,
Testam frangis,
Micat lux eximia.

8 b. Ante Iesu Christi thronum
Sentiamus te patronum,
Summum bonum
Dans et donum
Nobis sit in patria.

9. Amen dicant omnia.

Miss. Sosmense imp. [Parisiis 1547]. — Melodie: Mane prima.

156. „In Octava divi Ferreoli Mart."

1 a. Lux praesens laudes exigit,
Quae mentes nostras erigit
Sollemni laetitia,

1 b. Qua mundus reddit hospitem,
Qua Christus transfert militem
Ad quietis praemia.

2 a. Infelix error gentium,
Quas de libro viventium
Delet ignorantia!

2 b. Felix iustorum meritum,
Qui vitae dulcis aditum
Merentur iustitia!

3 a. Turrem firmam Ferreolum
Nullus terror, nil subdolum
Traxit post daemonia;

3 b. Qui novit per apostolum,
Quod nihil esset idolum,
Quod mors idolatria.

4 a. Hic mundi miles habitu,
Sed caeli miles spiritu,
Miles non malitia.

4 b. Regi caelesti subditus
Regem contempsit penitus,
Leges et stipendia.

5 a. Hic venatoris laqueum
Praecavit in semita,
Nec peccatoris oleum
Mens recepit inclita.

5 b. Pro verbis iustis teritur
Verberum iniuria,
Sed victrix nunquam vincitur
Fides a perfidia.

6 a. Armatus ense fidei
Caelestis ope clipei
Dura vincit verbera.

6 b. Carceratur imperio
Nec fit supplex supplicio
Ferens ferri pondera.

7 a. Ferro, custode, tenebris
Oppressum Christi celebris
Visitat clementia.

7 b. Ipsa ligatum religat,
Somno custodes adligat
Et recludit ostia.

8 a. Cum votis martyr sedulis
Exit exutus vinculis
Ad fluenta proxima.

8 b. Fido se credens fluvio
Transfertur Iesu praevio
Unda benignissima.

9 a. Sic Dei lepus fugiens
Ad petrae refugia
Tandem mactatur patiens
Mortem dignam gloria.

9 b. Sic fracto carnis vasculo
Transiit ad gaudia;
Cuius a mortis vinculo
Nos solvant suffragia.

Miss. Sosmense impr. absque [Parisiis 1547]. — 7 b, 1 relegat.

157. De sancta Fide VM.

1 a. Felix memoria
Fidis est virginis,
Felix victoria,
Felix certaminis
Cursus et bravium.

1 b. Haec est, versutias
Quae vicit zabuli,
Carnis delicias
Et pompam saeculi
Et omne noxium.

2 a. Nullis blanditiis,
Nullis muneribus,
Nullis suppliciis,
Nullis terroribus
Moveri potuit.

2 b. In Christo stabilis
Pro Christo patitur;
Quam sit laudabilis
Virtus ostenditur,
Qua virgo nituit.

3 a. Ardens craticula
Vim rapit ignium,
In hac iuvencula
Perfert incendium,
Flammis exuritur.

3 b. Plaga siderea
Missa divinitus
Columba nivea
Fert opem caelitus,
Qua virgo fruitur.

4 a. Pennis rorantibus
Ardorem reprimit,
Gemmis stellantibus
Coronam imprimit
Signum victoriae.

4 b. Ornatus regius
Reginam praedicat,
Videt Caprasius
Et Deo supplicat,
Datori gratiae.

5 a. Securis impia
Pium martyrium
Complet, dum noxia
Caput innoxium
Abscindit virginis.

5 b. De nova caelite
Caelo fit gaudium,
Tam breve meritae
Rependit praemium
Christus certaminis.

6 a. Claris miraculis
Exornans saecula
Salutem populis
Poscat et vincula
Solvat peccaminum.

Miss. Meldense imp. Parisiis 1518.

158. De sancta Florentia.

1 a. Constantii imperio
Doctor sacer, egregius
Exsulansque Hilarius
In Phrygiae exsilio

1 b. Accersitur ad synodum
Contra Pseudo-Arrianos,
Saevientes haereticos,
Ad fidem Christi sustinendum.

2 a. Hospes igitur oppido
Dominica applicuit
Verbum Deique spargendo
In populis, ut decuit;

2 b. Hic adesse Florentia
Virum sanctum publicavit,
Quam cum patre et familia
In promptu baptizavit.

3 a. Moxque sequens vestigia
Sui patris spiritalis,
A quo est regenerata,
Usque graditur Pictavum.

3 b. Tamquam filiam instruxit
Ad supernae vitae amorem
Ipsiusque cor accendit
In caelestis sponsi ardorem.

4 a. Prospera mundi respuens
Terrenaque despiciens
Sui doctoris praecepta
Complectitur et exempla.

4 b. Pontifex vero beatus,
Combraico quam inclusit,
Conspexit vitam et actus;
Illic degens vitam fini(vi)t

5 a. Qui corpusculum virginis
Eo in loco sepulturae
Decembris dedit Kalendis
Sanctissimae Florentiae.

5 b. Post annorum curricula
Isambertus episcopus
Transtulit in ecclesia
Pictavensi eius corpus.

6 a. Aëris serenitatem
Senserunt Pictavienses
A Deo depostulantes
Imbrium undationem;

6 b. Florentiae auxilia
Terra vero arescente
Nimio solis ardore
Implorarunt pro pluvia.

7 a. Gaude ergo, Pictavia,
Gaudeque gaudio magno
Super sancta Florentia,
Quam possides pro thesauro;

7 b. Cuius virginis precibus
Ad gaudia caelestia
Pervenire valeamus
Altisoni clementia.

Miss. Pictaviense imp. Parisiis 1541. — 6 a, 3 u. 4 umgestellt.

159. De s. Florentio episcopo Cadurcensi.

1 a. Ave, consors angelorum,
Ave, civis supernorum,
Ave, sidus gratiae.

1 b. Ave, florens flos, Florenti,
Ave, nitor ornamenti,
Summae sapientiae.

2 a. Ave, cuius
Gregis huius
Festum est laetitia,

2 b. Cuius gesta
Laude festa
Personat ecclesia.

3 a. Ave, cuius studium
Ad nostrum auxilium
Speratur propitium.

3 b. Ave, patrocinium
Et nostrum refugium
Et pium consilium.

4 a. Ave mitis, quem fatemur
Patrem nostrum si meremur
Esse tui filii.

4 b. Ave, nostra spes post Deum
Et tutela propter eum
Contra legem vitii.

5 a. Ave, patris
et pastoris sponsio,

5 b. Ave nostra
apud Deum portio!

6 a. O boni speculum,
Splendens in saeculum,
O mundi lilium!

6 b. O palma florida,
O cedrus gravida
Bonis caelestium!

7 a. O quam magna fide Petri
Et fulsisti verbo Pauli
Et Moysi gladio,

7 b. Mortis victor, vitae dator
Et aegrorum reparator
Prece et imperio!

8 a. O civis summae patriae,
Tuae memor familiae
Funde preces clementiae,

8 b. Implorans nobis veniam
Et ingressus ad regiam
Post hanc nostram militiam!

9 a. Et interim, dum speramus
Et sperantes exspectamus,

9 b. Te clamantem rege gregem,
Intra sanctam serves legem.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 1 a, 1 apostolorum. — 2 a, 3 laetitiae. — 5 b, 2 Deum petitio. — 7 a, 1 fides. — 9 a, 1 Ut interim.

160. De sancto Gatiano.

1 a. Frangatur mens vitiosa,
Ut sit Deo gratiosa
Ad promenda gloriosa
Gatiani merita;

1 b. Terrena qui non cupivit,
Sed mox, ut Christum audivit,
Loquente cum eo ivit
Servans eius monita.

2 a. Stetit dominicae cenae
Cum ceteris duodenae
Turbae ministrando poenae
Officia debita,

2 b. Pharisaeorum errorem
Vitavitque uvae florem
Discipulorumque morem
Sequens recta semita.

3 a. Nusquam territus cessavit
A verbo, quod praedicavit,
Turonicis nuntiavit
Primus legis credita.

3 b. Ventum mundi nec gloriam
Quaesivit per memoriam
Se ad caeli theoriam
Vertens mente abdita.

4 a. Tristes iuvabat precibus
Et mutos loqui vocibus
Ac corpora daemonibus
Liberavit subdita.

4 b. Fecit Deus miraculo,
Quod Martino e tumulo
Iste oranti sedulo
Verba reddat placita.

5 a. Ista probata narrantur,
Quod, [quae] ei commendatur,
Ignota recuperantur,
Si fuerint perdita.

5 b. Grates referendo ei
Postulemus omnes rei,
Ut et nos in aula Dei
Collocet gratuita.

Miss. Andegavense imp. [Parisiis] 1489. A. — Miss. Andegavense imp. Rothomagi 1523. B. — 2a, 3 pene A. — 4a, 2 Et multos AB. — 4b, 4 perplacita AB. — Zur Strophe 4b bemerken Misset-Weale (I, S. 74): „Mot à mot impossible“. Folgende Construction ist doch sehr verständlich: Fecit Deus miraculo, quod iste (sc. Gatianus) Martino sedulo oranti verba reddat e tumulo. Statt dessen ändern Misset-Weale: Quod Martinus e tumulo | Isti oranti etc.; also der hl. Gatianus soll am Grabe seines Nachfolgers gebetet haben!

161. De s. Gaucherio Aureliensi.

1 a. Benedictus Dominus
Excelsus in maiestate,

1 b. Qui delevit facinus
In carnis humanitate.

2 a. Hunc laudemus regem bonum,
Qui dedit nobis patronum
Hunc sanctum Gaucherium;

2 b. Quem tot signis illustravit,
Illustratum sublimavit
Ad aeternum solium.

3 a. Iste sanctus
humanis oculis
Radiavit
multis miraculis,

3 b. Quae p[roferre]
cuncta non possumus,
Pauca tamen
narrare volumus.

4 a. Splendidum signum
videt in puero,
Cum hunc habet
mater in utero;

4 b. Cimbali restem
in manu tenuit,
Quem in signis
audire meruit.

5 a. Altera item patuit
Visio perspicua;
Manibus namque tenuit
Duo lunae cornua.

5 b. Talibus ista femina
Cognovit indiciis
In nondum nato lumina
Fulgere mysteriis.

6. Cum puer esset adultus
Divino numine fultus,
Parentes . . . .

Collect. ms. liturgicum Aureliense saec. 13. in. Cod. Archiv. Lemovicen. D. 1221. — 2 a, 3 sanctum fehlt. — 4 b, 1 Cibali. — Leider ist die Sequenz unvollständig; die folgenden Blätter der wertvollen Handschrift fehlen.

162. De sancto Gaugerico Cameracensi.

1 a. Gaude, fidelis contio,
Gaugerici devotio
Te monet ad laetitiam.

1 b. Ad Christum omnes currere
Curemus et hunc colere;
Nam per suam clementiam

2 a. Ueritatis amatorem,
Virum pium que doctorem
Gaugericum exaltavit

2 b. Gloriose in hac vita
Atque post hanc vitam ita
Hunc sanctum mirificavit

3 a. Eum levans a pulvere,
Iubens animam gerere
Ab angelis in patriam,

3 b. Regnum dans, quod promiserat.
Hoc fidelis crediderat
Nullam timens fallaciam.

4 a. Illius elevatio
Nostra est exsultatio;
Et haec sacra memoria

4 b. Corde, voce et opere
Celebretur, sic psallere
Debemus cum laetitia.

5 a. Ueras, Deus, laetitias
Et aeternas delicias
Patroni nostri precibus

5 b. Sacris post vitae terminum
Per Christum, nostrum Dominum,
Concedas nobis omnibus.

Miss. Cameracense imp. Parisiis 1495. A. — Miss. Cameracense imp. Parisiis 1507. B. — 1 a, 3 monet ecclesia B. — 2 a, 2 Verum (Correctur) A. — 2 b, 2 Et qui AB. — 4 a, 2 sit (Correctur) A. — Akrostichon: Gaugericus.

163. De sancta Genovefa.

1 a. Gaude, virgo florida,
Genovefa, valida
Spes periclitantium.

1 b. Gaude, luna lucida,
Gaude, rosa roscida,
Salve, fragrans lilium.

2 a. Egrorum refugium
Maestorum solacium,
Compeditos liberans.

2 a. Esto nostrum gaudium
Ligatorum cordium
Ligamenta lacerans.

3 a. Nux oleum generans,
Apis favos operans,
Cor dulcora felleum;

3 b. Deo fac obtemperans
Et peccata superans
Pectus nostrum ferreum.

4 a. O caelum empireum,
Solium eburneum,
In quo sedet Dominus,

4 b. Frange cor lapideum,
Nobis dans cor carneum
Carnem spernens protinus.

5 a. Veni, virgo, comminus
Egenis paulominus
Condescende mitior.

5 b. Hostem pellas eminus,
Per te detur terminus
Vitae nostrae sanctior.

6 a. Electro fulgentior,
Gemmis pretiosior,
Electa divinitus,

6 b. Per te sit devotior
Noster et ferventior
Animalis spiritus.

7 a. Fons emanans caelitus,
Post Mariam penitus
Medela miseriae.

7 b. Morbos cura funditus
Exstirpans radicitus
Fermentum malitiae.

8 a. Ave, decus Franciae,
Ave, flos laetitiae,
Nequitiae purgamen.

8 b. Apud regem gloriae
Memento familiae
Tuae iugiter. Amen.

9 a. Amen, sancta Maria
Genovefaque pia,
Cum caelorum civibus

9 b. A Deo caelestia
Obtinete gaudia
Christicolis omnibus.

10 a. Amen, caeli contio,
Iusto desiderio
Esto Deum flagitans,

10 b. Quatenus collegio
Adunetur regio
Triumphanti militans.

Collectan. ms. Mysteriorum Sangenovefianum saec. 15. Cod. Sangenovefian. 1131 (Y f. fol. 10). Bis Strophe 9 giebt das Schlufswort des 3. Verses den Reim ab für die nächste Strophe; demnach scheint Str. 9 u. 10 ein späterer Zusatz zu sein. Ebenso geht das Akrostichon „Genovefa“ bis Strophe 9.

164. „In festo miraculorum beatae Genovefae“.

1 a. Gaude prole, Francia,
Gratulare, Gallia,
Laetare, mens hominis.

1 b. Gaudeas, ecclesia,
Colens mirabilia
Genovefae virginis.

2 a. Sed tu gaude potius,
O felix Parisius,
De sui praesentia,

2 b. Qui sentis frequentius,
Ceteris uberius
Eius patrocinia.

3 a. Iuxta sponsum posita,
Virgo clemens, inclita
Laudari promeruit,

3 b. Quae Deum sinceriter,
Ferventer et iugiter
Toto corde coluit.

4 a. Haec est illa domina,
In cuius natalibus
Modulata carmina
Sunt a caeli civibns.

4 b. Haec Deo propitio
Transiens Lutetiam
Monte Locuticio
Sedem tenet propriam.

5 a. Hic est eius tumulus
Et capsa cum corpore,
Huc accedit populus
Multus omni tempore.

5 b. Ad eius suffragia
Hic sanantur rabidi,
Reis datur venia
Et curantur morbidi.

6 a. Rex strenuus Clodoveus
Hic statuit, immo Deus,
Civitatem regiam.

6 b. Hanc fundavit et dotavit,
Quam regina consummavit,
Regalem ecclesiam.

7 a. Dictum regem baptizavit,
Dictum locum dedicavit
Pontifex Remigius.

7 b. Ibi fuit inhumata
Genovefa, virgo data
Pupulo Parisius.

8 a. Civitatem hanc elegit,
Hanc conservat hancque regit,
Hanc liberat ab hostibus
Et periculis omnibus.

8 b. Aquas sedat insolentes,
Morbos curat saevientes
In humanis corporibus
Peccatis exigentibus.

9 a. Quondam membra peccatorum
Flagellavit rex caelorum
Igne sacro, qui membrorum
Peccata consumeret.

9 b. Ars non valet medicorum,
Turba crevit aegrotorum
Deum rogans, ut sanctorum
Prece plebi parceret.

10 a. Plebs iniusta reprobatur,
Corpus sanctae postulatur,
Quo concesso ordinatur
Sollemnis processio.

10 b. Aegrotantes numerantur,
Quorum centum mox sanantur,
Nec hi tantum leviantur
Sed et tota regio.

11 a. Genovefa supplicante,
Matre Dei mediante,
Cessat morbus Deo dante
Teste Innocentio,

11 b. Dicta mira comprobante,
Inde festum consecrante
Idque Deo confirmante
Lapso capisterio.

12. Virginis oratio
Sit nobis solacio.

Miss. ms. Sangenovefianum saec. (13. 14.) 15. Cod. Sangenovefian. 90. A. — Miss. ms. Sangenovefianum saec. 15. in. Cod. Sangenovefian. 91. B. — Sequent ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S). C. — Miss. ms. S. Acheoli Ambianensis saec. 15. Cod. Ambianen. 160. D. — 1 b, 1 Gaudeat C. — 2 b, 1 Quae D. — 4 a, 2 In quibus. — 6 b, 1 Hic BD. — 8 a, 2 Conservat hanc quoque C. — 8 b, 2 sedat AC, in C darüber die Correctur: curat. — 10 a, 3 commisso C. — 10 b, 2 vix C. — 11 b, 4 capicerio A; capiterio BC; capiserio D. — In C Aufschrift: „De miraculis ardentium S. Genovefae."

165. De sancto Georgio.

1 a. Mundo corde, pura mente,
Alacriter et attente
Laetetur ecclesia

1 b. Recolens Georgii,
Martyris eximii,
Hac die supplicia,

2 a. Quae pro fide christiana
Passus est sub Daciana
Crudeli malitia,

2 b. Tamen miles praeelectus
Christi galea protectus
Tulit patientia.

3 a. In quem fremens velut leo
Dacianus eculeo
Suspendit immaniter;

3 b. Huiusque membra singula
Dilaniavit ungula
Illius totaliter.

4 a. Post applicatis ignibus
Huius sancti lateribus
Tyranni saevitia

4 b. Sacrata patent viscera,
Sale fricantur vulnera;
O quanta duritia!

5 a. Productus ante iudicem
Constanter bibit calicem,
Quem magus incantaverat;

5 b. Martyr Dei efficitur,
Dacianus confunditur,
Qui magum advocaverat.

6 a. In rota miles ponitur,
Rota inde destruitur
Divina iussione;

6 b. Sartago plumbo fit plena,
Illi facta est amoena
Et absque laesione.

7 a. Iussus tandem capitalem
Subire sententiam;
Sic adivit, quam cupivit,
Beatorum patriam.

7 b. Ad quam Christus nos perducat
Per suam clementiam
Huius prece et adducat
Per suam potentiam.

Miss. Claromontense atque S. Flori imp. Lugduni 1541. — 1 b, 1 Recolentes. — 1 b, 2 eximia. — 2 a, 2 Daciani. — 3 a, 1 frement, — 3 b, 1 Hicque. — 5 b, 3 adoraverat. — 6 b, 1 fuit. — Manches entlehnt aus „Clara voce“ (Nr. 168).

166. De sancto Georgio.

1 a. Sanctum Dei militem,
Capadocum comitem,
Laudemus Georgium;

1 b. Qui resistens perfidis
Daciani praesidis
Currit ad praetorium.

2 a. Intuens incredulum
Congregari populum
Satan ad praestigia

2 b. Christum palam astruit,
Exsecratur, conspuit
Gentium daemonia.

3 a. Frendens praeses dentibus
Tradit hunc tortoribus;
Flagra dira tolerat;

3 b. Lampadas, eculeum,
Cauma, rogum plumbeum
Illaesus exsuperat.

4 a. Magus credens meritis
Sancti Dei militis
Migrat per martyrium.

4 b. Templa cum ariolis
Et nefandis idolis
Ruunt per Georgium.

5 a. Hinc ense percutitur,
Sic victor ingreditur
Caelorum palatia.

5 b. Per quem nobis veniam,
Gratiam et gloriam
Det Christi clementia.

Miss. Baiocense imp. [Rothomagi] 1545. — Melodie wohl: Veni sancte spiritus.

167. De sancto Georgio.

1 a. Laetabundus
Fiat chorus et iucundus
Fidelium;

1 b. Regem caeli
Laudet et corde fideli
Georgium.

2 a. Angelus consilii
Virtus est Georgii
Patientis,

2 b. Sol huic iustitiae
Donum patientiae
In tormentis.

3 a. Sicut cervus fluvium,
Sic miles martyrium
Sitiebat,

3 b. Neque fastus apicem
Sed sanctorum calicem
Appetebat.

4 a. Cedrus alta militum
Non timet exercitum
Daciani;

4 b. Verbum ens altissimi
Dux est invictissimi
Christiani.

5 a. Isaias alius
Capitur, quem impius
Iudex iubet acrius
Flagellari,

5 b. Si non suis frivolis
Sacrificet idolis
Et velit cum discolis
Sociari.

6 a. Infelix rabie
Captus militiae
Florem hodie
Decollavit,

6 b. Quem pro virtutibus
Rex regum Dominus
Caeli sedibus
Sociavit.

Miss. ms. Ebroicense (Radulphi du Fou) saec. 15. Cod. Ebroicen. 99. A. — Miss. Ebroicense imp. Rothomagi 1497. B. — Miss. Ebroicense imp. Parisiis 1527. C. — 1 a. 2 Fiat et iucundus chorus ABC. — 6 b, 3 Caelorum ABC. — Melodie natürlich: Laetabundus.

168. De sancto Georgio.

1 a. Clara voce,
pura conscientia,

1 b. Laetabunda
iubilet ecclesia,

2 a. Recolens celebria
Martyris Georgii
hac die festalia,

2 b. Qui pro Christo varia
Miles invictissimus
pertulit supplicia.

3 a. Fuit ergo Georgius,
Ortus de Cappadocia,

3 b. Dignitate conspicuus
Et morum excellentia,

4 a. Affabilis, amabilis,
Ut testatur historia,

4 b. Quae passionem martyris
Dignam tradit memoria.

5 a. Nam Daciano
Quondam profano
Ad libamina
Compellente impia

5 b. Fide protectus
Miles, erectus
Inter agmina
Exclamavit media,

6 a. Egenis et pauperibus
erogata pecunia:

6 b. „Deus noster caelos fecit;
di gentium daemonia".

7 a. Malesanus
Dacianus
Martyrem continuo

7 b. Comprehendi
Et suspendi
Iubet in eculeo.

8 a. Illius membra singula
Acri rimantur ungula,

8 b. Et lampades cum ignibus
Adponuntur lateribus.

9 a. Sic deponi iubet sanctum
tyranni saevitia

9 b. Atque plagis cruentari
urbis extra moenia.

10 a. Interiora patent viscera,
Sale fricantur vulnera,

10 b. Sed miles fretus Dei gratia
Illaesus stat per omnia.

11 a. Ardet insania
Mens Daciania,

11 b. Iubet in carcerem
Recludi martyrem.

12 a. Adductus ante iudicem
Constanter bibit calicem,
Quem magus incantaverat.

12 b. Magus martyr efficitur,
Dacianus confunditur,
Qui magum advocaverat.

13 a. Rota paratur aenea
Cum bis acutis gladiis,

13 b. Quae laniare valeat
Membra beati martyris.

14 a. Rotae martyr imponitur,
Et rota cito volvitur;

14 b. Rota tota conteritur,
Et martyr nihil laeditur.

15 a. Sartago plumbo
Ferventi plena

15 b. Facta est sancto
Quies amoena.

16 a. Ubi nihil fit tormentis,
Tentat eum blandimentis
Dacianus;

16 b. Sed non magis blandimentis
Superatur, quam tormentis
Christianus.

17 a. Hoc orante christicola
Aras, templum et idola

17 b. Et sacerdotes insuper
Ignis consumpsit desuper.

18 a. Furit ergo Dacianus,
Torquet ora, rodit manus;

18 b. Agonista iucundatur
Et in Christo gloriatur.

19 a. Iussus tandem
Capitalem
Subire sententiam

19 b. Sic adivit,
Quod cupivit,
Beatorum patriam

20 a. Angelis gaudentibus
Et benedicentibus
Christum, regem gloriae,

20 b. Qui sibi Georgium,
Martyrem egregium,
Sociavit hodie.

21 a. O Georgi,
miles eximie,
Audi preces
tuae familiae
Die ista;

21 b. Ne nos mergat
lacus miseriae,
Posce patrem
misericordiae
Die ista,

21 c. Sed laetemur
solem iustitiae
Contemplantes
tecum in requie
Sempiterna.

Miss. ms. Redonense saec. 15. Cod. Parisin. 1098. A. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1533. B. — Miss. Andegavense imp. [Parisiis] 1489. C. — Miss. Andegavense imp. Rothomagi 1504. D. — Miss. Andegavense imp. Rothomagi 1523. E. — 3b, 2 Ex E. — 4a, 1 amalis D. — 5a, 4 Compellente mira BCDE. — 7a, 1 Male sanus ACD. — 8a, 2 Acris A. — 11a, 2 Dacianica BCDE. — 15b, 2 Qui es C; qui est E. — 17a, 1 Hoc coram te E. — 21a, 2 egregie A.

169. De s. Germano Autisiodorensi.

1 a. Felix germen, o Germane,
Nomen geris non inane,
Nam virtutis salvificae
Germen profers magnifice.

1 b. Antisiodori natus,
Parentibus procreatus
Fuisti nobilissimis
Cultuque praeclarissimis.

2 a. Tu primitus oberrasti,
Cum iuventam inclinasti
Ad caduca et mundana
Illa sequens mente vana.

2 b. E vestigio adultos,
Omni scibili suffultus,
Suscepisti gubernandam
Burgundiam ac ducandam.

3 a. Regis interim maxime
Autritum quam tenerrime
Prae ceteris diligebas
Et praesentia ditabas.

3 b. Sanctus huic erat Amator
Praesul fidei zelator,
Qui te sibi successurum
Dixit et pie victurum.

4 a. Inde ad Deum conversus
Et a mundanis reversus
Presbyter ab eo factus
Viam es perfectam nactus.

4 b. Mirum in modum uxorem
Commutasti in sororem;
Bona spargis in pauperes,
Deo ut dives fieres.

5 a. O quis quibit recensere
Et quae carta continere
Assiduas vigilias
Et tuas abstinentias?

5 b. Nullum unquam condimentum,
Non vinum, non salsamentum
Sumpsisti neque legumen
Non vel corporis tegumen.

6 a. Brevi somno indulgebas,
Sed tunc mente vigilabas
Superiacens cilicio
Et stratu cinericio.

6 b. En, saepius in lacrimas
Resolvebaris maximas
Crucifixum corde ferens,
Reliquias collo gerens.

7 a. Referre virtutes quaero,
Quas maior effectus clero
Episcopus perfecisti,
Imitator factus Christi.

7 b. Transis nempe in Angliam
Ad pessimam Pelagiam
Haerisin perabolendam
Et fidem doces tenendam.

8 a. Hospitium Parisius
Habens, semper mente pius,
Genovefam sanctam nosti,
Virginem Christo sacrasti.

8 b. Infirmatus hospitio
Ignis flagrat colluvio,
Domus per tua merita,
Qua stabas, est custodita.

9 a. Et ecce, cum transfretasti,
Pictos Anglia fugasti
Et Saxones ut signifer
Crucis quoque vexillifer.

9 b. Repente iubes clamare
Christianos et cantare;
Sic hostes sine sanguine
Vincuntur mersi flumine.

10 a. Ortum item pestiferum
Dogma inibi haeresum
Denuo illuc profectus
Omnes corrigis defectus.

10 b. Regis Christi te famulum
Monstras vocans discipulum,
Tumulo cum te adfatur,
Esse bene se testatur.

11 a. Dum ad Anglos praedicares
Ad bonumque provocares,
Regis vafri duritiam
Concrepas et ignaviam.

11 b. Illum deicis e throno,
Subulcum nutu divino
Pro illo regem statuis,
Qui te pavit de pascuis.

12 a. Nam vitulum saginatum
Pro te neci destinatum
Prece fusa destinasti,
Matri suae redonasti.

12 b. Illud quoque quam mirandum,
Quam magnum, quam praedicandum
Recolens quis non stupescat
Et mente sua dulcescat?

13 a. Sanctum vocas Cassianum
De tumulo Eduanum;
Dicit se fruens quiete
Cum Christo Iesu perpete.

13 b. Placida, regina pia,
Te vocavit e Galia,
Delectata sanctitate
Tua atque pietate.

14 a. Rusticum profectus portas,
Cum fasce collo transportas,
Torrentem dum pertransires,
Caritatem ne nescires.

14 b. Exspectatum Ravenates
Te suscipere magnates
Cum regina et populo
Obviant Dei famulo.

15 a. Delatum tibi mortuum
Asinum resuscitasti,
Oblatum equum optimum
Pauper Christi refutasti.

15 b. Instante vitae termino
Finem tuum cognovisti
Et revelante Domino
Caelum exsultans petisti.

16 a. Cunctis mortem horribilem
Obis, sed venerabilem,
Nam ad Deum recte pergis,
Dum vitia sub te mergis.

16 b. Ad dicendum non sufficit
Tempus, quinimo deficit,
Tua facta recitare,
Quae nullus quiret narrare.

17 a. Tres mortuos suscitasti
Vivens adhuc in corpore,
Aegros claudos relevasti
Omni depulso torpore.

17 b. O quam magnum te praedicat
Basilica consecrata,
Et beatum notificat
Gleba tui reportata!

18 a. Repulsiones daemonum
Referre si decernerem
Sanitatesque hominum,
Sub onere deficerem.

18 b. Unum te precor, Germane,
Qui pie invocantibus
Te subvenis tam humane,
Meis adesto precibus.

Miss. Andegavense imp. [Parisiis] 1489. A. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1523. B. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1533. C. — 15 b, 4 Obviavit AB. — 18 a, 2 u. 3 umgestellt ABC. — Beachtenswert ist das Akrostichon: F[r]ater Simon Berthier ordinis Predicatoru[m]. Aufser dem Namen des Verfassers verrät dasselbe zugleich, dafs 2 Strophen (die zweite und die Schlufsstrophe) fehlen. Ursprünglich war dies Gedicht offenbar ein Reimgebet. Die Überschrift in A lautet: „Prosa extraordinaria".

170. De sancto Albano.

1 a. Catholica
laetetur contio,
Festinemus
omnes cum gaudio;
Cor mundum ab odio
Sit et omni vitio.

1 b. De iustorum
sacro martyrio
Et eorum
digno sollemnio
Fit nobis protectio
Et summis laudatio.

2 a. Praesens nobis
est dies inclita,
In qua sancti
Albani merita
Voce decet
et laude debita
Collaudare.

2 b. Britannorum
hunc profert patria;
Paganorum
ortus prosapia,
Non est passus
horum perfidia
Diu stare

3 a. Acceptatus
ab ipso clericus;
Cuius verbo
statim domesticus
Ac doctrina
verus catholicus
Est effectus.

3 b. A tyranno
clericus quaeritur;
Mox Albanus
cappa induitur,
Pro clerico
principis ducitur
Ad aspectus.

4 a. Dum ad mortem
vadit ardentius,
Cedens illi
siccatur fluvius,
Quem secabant
murus eximius
Et arena.

4 b. Haec carnifex
videns tunc impius
Ponit ensem,
conversus citius
Deum orans,
ut sancto socius
Sit in poena.

5 a. Fons est ortus
montis cacumine
Voto sancti
atque precamine,
Repetita
prima origine
Post non apparuit.

5 b. Passus ibi
pro Christi nomine
Est Albanus
in agni sanguine
Dealbatus,
martyrum agmine
Ut rosa floruit.

6 a. Caput sancti,
res est miraculi
Referenda
in aures populi,
Ferientis
simul et oculi
Cecidere.

6 b. Laude simus
Albani seduli,
Ut possimus
per ipsum singuli
Laetitiam
futuri saeculi
Obtinere.

Miss. Bicterrense imp. Lugduni 1535. — 1 b, 1 iustarum. — 4 b, 5 Deum derans; vielleicht Desiderans? — 2 b, 4 ortus offenbar ein Nomin. absol. — Melodie vielleicht: Nativitas Mariae virginis.

171. De sancto Geroboldo.

1 a. Celebri sollemnio
Laeta cleri contio
Gratuletur;
Gereboldum nimio
Resultans tripudio
Veneretur.

1 b. Hic tener in Scythiam
Pergens ob prudentiam
Est susceptus
Intra regis curiam,
Patriae custodiam
Mox adeptus.

2 a. Quem decorum stimulans
Tentat petulans
Hera Venere;

2 b. Sed ipsi non paruit,
Immo renuit
Rem committere.

3 a. Regem statim adiens,
Oppressam se mentiens
Sanctum notat crimine.

3 b. Carcere reconditus
Caelesti divinitus
Illustratur lumine.

4 a. Immunis tandem scelere
Regis vinctus imperio

4 b. Immani mola pondere
Freto iactatur medio.

5 a. Natans saxum fluctibus
Northmanniae finibus
Applicuit.

5 b. Vernat hiems floribus,
Salus aegris pluribus
Tunc adfuit.

6 a. Hinc Baioca praesule
Plebs dum orbatur,

6 b. Voce diva consule
Pastor creatur.

7 a. Romam cum proficiscitur,
Annulus amne iacitur,
Ruit clade populus;

7 b. Hunc quaerere qui properat,
Emptum piscem exenterat,
Quo latebat annulus.

8 a. Plebem sanat rediens,
Caelum tandem moriens
Scandit securus;

8 b. Cuius prece gaudia
Nobis det caelestia
Iudex venturus.

Miss. Baiocense imp. s. l. [Rothomagi] 1545. A. — Miss. Baiocense imp. Parisiis 1584. B.

172. De ss. Gervasio et Protasio.

1 a. Fulget dies pretiosa,
Dies felix et formosa,
Dies digna gaudio;

1 b. Qua meruit coronari
Gervasius et laudari
Cum fratre Protasio.

2 a. Nam Vitalis horum pater,
Valeria fuit mater,
Deo favorabiles.

2 b. Ortu, fide, sanctitate,
Sensu, verbo, dignitate
Clari sunt et nobiles.

3 a. Quibus una die natis
Unoque fonte renatis
Deus unus adfuit.

3 b. Christum solum puro corde
Vitiorum pulsa sorde
Unusquisque coluit.

4 a. Hi pro posse fugientes
Mundum, Deo cohaerentes,
Mortuis parentibus

4 b. Familiae disponentes,
Agros, praedia vendentes
Dederunt pauperibus.

5 a. Inde sancti refutantes
Idolatras et vitantes
Convictus gentilium

5 b. Cenaculo se clauserunt;
Hic occulte coluerunt
Summi patris filium.

6 a. Decem annis hic morantes
Visitavit hos orantes
Beatus Nazarius.

6 b. Hos in fide confirmavit,
Per hunc suos confortavit
Christus Dei filius.

7 a. Dumque sanctis praedicaret
Et scripturis informaret,
In anno undecimo

7 b. Sunt Neroni revelati
Atque Romae praesentati
Principi nequissimo.

8 a. Mox ad aram perducuntur
Et a rege compelluntur
Adorare idola;

8 b. Sed a sanctis contemnuntur
Atque regis respuuntur
Dicta quasi frivola.

9 a. Contra sanctos iudex saevit,
Atque fervor irae crevit,
Vim facit malitia.

9 b. Inde pugnis flagellantur
Sancti, post incarcerantur
Praesidis invidia.

10 a. Sic pro posse flagellavit
Nec pro voto degravavit,
Quia suos visitavit
Christi providentia.

10 b. Post tres dies hos eduxit
Et ad templum Iovis duxit,
Hic diis immolare iussit
Vel ferre supplicia.

11 a. Ad honores hos invitat
Et promissis sanctos ditat;
Nihil est, quod non promittat,
Ut adorent idola.

11 b. Ad hoc sancti responderunt:
Nunquam nobis ista erunt;
Tua vox, rex, clamaverunt,
Est fallax et subdola.

12 a. Non nos census et uxores,
Praefecturas nec honores
Latriae praeferimus;

12 b. Non hic vita nobis datur,
Sed, ut Paulus attestatur,
Futuram inquirimus.

13a. Deos falsos refutamus,
Deum verum adoramus,
Qui vivit per omnia.

13b. Post haec in sanctos profani
Bilem cordis et vesani
Commovit superbia.

14a. Putans sic rex vindicari
Iubet sanctis praeparari
Tormentum non meritum.

14b. Iubet sanctos verberari
Tamque diu fustigari,
Quod exhalent spiritum.

15a. Tandem vita temporali
Poena plexi capitali
Migrarunt ad filium.

15b. Qui cum magna dignitate
Sunt sepulti civitate
Mediolanensium.

16a. Ubi caecis lux praestatur,
Ubi claudis gressus datur,
Et sanantur vulnera;

16b. Ubi febres relaxantur
Vi sanctorum et curantur
Cuncta morbi genera.

17a. O Gervasi, nos dignare,
Tuque, o Protasi care,
Clementer respicere;

17b. Gravi carne resolutos
Nos velitis labe tutos
Ad Christum perducere.

Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1488. A. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1496. B. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1500. C. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1548. D. — 1a, 1 magna C. — 14b, 2 Atque diu BCD. — 15a, 2 Plena plexi D. — 16a, 1 celis lux D. — 16b, 2 Vis C.

173. De ss. Gervasio et Protasio.

1. Fratrum praesens contio
Summo cum tripudio
Celebret ecclesia.

2a. Hodie Gervasius
Simul et Protasius
Coronantur gloria.

2b. Istos simul genuit,
Vide, quantum profuit,
Vitali Valeria.

3a. Nati de martyribus
Propriis sanguinibus
Meruere praemia.

3b. Hosque per supplicia
Citavit ad praemia
Neronis malitia.

4a. Istis causa gaudii
Doctrina Nazarii,
Cuius magisterii
Sunt experti gratiam.

4b. Sanctis eius monitis,
Praeclaris et inclitis,
Rebus cunctis venditis
Mundi calcant gloriam.

5a. Non franguntur
Vel vincuntur,
Nec tormentis
Ulla mentis
Celant impotentia.

5b. Non sacrorum
Aut deorum
Colunt fana,
Sed ut vana
Detestantur omnia.

6a. Nero videns se contemni,
Simulacra nauci pendi,
Quid agat, nescit anxius,
Saevit et fremit impius.

6b. Iubet illos decollari,
Fratres ita mente pari
Vitam caducam deserunt,
Qui simul hanc intraverunt.

7a. Furtim iusti
Iura busti,
Qui venerunt,
Impenderunt
Martyrum corporibus.

7b. Hic sanantur,
Hic curantur,
Aut obsessi,
Vel oppressi
Variis languoribus.

8a. Ergo, fratres, vos precamur,
Apud Christum consequamur
Vestra prece
Nos de faece
Mundi mundos fieri,

8b. Ut post huius vitae cursum
Nos ad aulam poli sursum
Christus vocet
Et collocet
Suo dextro lateri.

9. Amen dicant singuli.

Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1488. A. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1496. B. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1500 C. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1548. D. — 2a, 3 Coronatur C. — 2b, 2 cantum C. — 2b, 3 Vita C. — 3a, 1 Natie die C. — 5b, 4 Sed et vana ABCD. — 8a, 2 Apud ipsum C. — 9 fehlt BC. — Melodie jedenfalls: Mane prima sabbati.

174. De ss. Gervasio et Protasio.

1a. Beati Gervasii
Fratrisque Protasii
Merita martyrii
Recolantur.

1b. Martyres egregii,
Qui martyrum filii
Iam gloriae socii
Collaetantur.

2a. Dato patrimonio
De Christi consilio
Reclusi decennio
Stant orantes.

2b. Quorum reclusorio
Carent vaticinio
A suo daemonio
Immolantes.

3a. Dicto ad Astasium
Mox iubet Gervasium
Simulque Protasium
Ad se duci.

3b. Stantes ad praetorium
Terret per supplicium,
Diisque sacrificium
Negant duci.

4a. Primus plumba sternitur,
Alter fuste caeditur,
Cui caput abscinditur
Post tormenta.

4b. His corona redditur,
Quorum vita scribitur,
Tumulo reconditur
Post inventa.

5 a. Longo saecli spatio
Apparent Ambrosio,
Quos transfert cum gaudio
Et honore.

5 b. Caelesti palatio
Rosa fulgent, lilio,
Placent nos iudicio
Cum victore.

Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1500. A. — Miss. Sagiense imp. Rothomagi 1548. B. — 4 a, 1 Lies plumbo? — In den beiden älteren Ausgaben des Missale von Seez fehlt diese Sequenz; wohl ein Fingerzeig für ihr Alter. — Melodie: Mariae praeconio.

175. De sancto Godone.

1 a. Veni, de caelestibus,
Sancte Godo, sedibus,
Veni, ne tardaveris.

1 b. Qui vides in invio,
Veni, cordi devio
Dans lumen de superis,

2 a. Lumen sapientiae
Caelestis et gratiae,
Lumen sancti flaminis,

2 b. Lumen cor illuminans
Et in eo seminans
Semen sanctitudinis.

3 a. Rore sancti spiritus
Riga nostri caelitus
Cordis penetralia.

3 b. Qui es nostrum gaudium
Nostrumque subsidium,
Nostra spes et gloria.

4 a. Qui iam per artam viam
Meruisti gloriam
Promissam a Domino,

4 b. Veni, de miseria
Trahe nos ad gaudia,
Quae sunt sine termino.

5 a. In praesenti stadio
Currentes pro bravio
Fac eos sic currere,

5 b. Ut perenne bravium
Post hoc transitorium
Possint comprehendere.

Miss. Lingonense imp. Trecis 1520. A. — Miss. Lingonense imp. Trecis 1549. B. — Miss. Lingonense imp. Trecis 1572. C. — Melodie jedenfalls: Veni sancte spiritus.

176. De sancto Golvino.

1 a. Gratulemur, Leonia,
De Golvini historia
Et eius miraculis.

1 b. Praesul sanctus, egregius,
Gloriosus, eximius
In Odena nascitur.

2 a. Fontis vena aperitur,
Unde puer renascitur,
Et purgantur infirmi.

2 b. Domuncula construitur,
Frigus intus non sentitur
Nec venti concussio.

3 a. Caseos tres mire mutat
In lapides tres, refutat
Mulier erogare.

3 b. Terram mutat hic in aurum
Cumulans Dei thesaurum:
Cruces, clochas, calices.

4 a. Leoniam
praedarunt Forenses,
Victoriam
tenuit per enses
Eveni exercitus.

4 b. Per Golvinum
noxios percellit,
Bona rapta
reddere compellit,
Exstirpantur pagani.

5 a. Quantum potest circuire
Uno die ac finire
Evenus, contulerit;

5 b. Muri terrae eriguntur,
Ubi pedes gradiuntur,
Exstat apparentia.

6 a. Christianus confitetur
Se peccasse, obmeretur
Ferre paenitentiam

6 b. Golvino sic: Retardavi,
Mors hunc cepit, defraudavi
Socium velle suo.

7 a. Ait sanctus: Corpus porta
Trahens humo, id in sporta
Romam vere baiulans;

7 b. Leve pondus invenies,
Cum occisis sepelies.
Fama Romae notuit.

8 a. Paralysis naturalis
Pellitur universalis
A pedibus filiae;

8 b. Mulierem fracto crure
Liberare fuit curae
De profundo marino.

9 a. Ter scinditur die festi
Pannus disponendus vesti
Golvini, remittitur;

9 b. Forfex haeret huic manui,
Dissolvi nequit; cultui
Intendit, liberatur.

10 a. Vir in foro equum emit;
Deviavit equus, fremit,
Vovit ipsum praesuli;

10 b. Domum venit, qua non fuit,
Sancti virtus edomuit,
Quod prius perierat.

11 a. Sed bulliens corrumpere
Cartam aqua nec delere
Literas nec infringere
Signa cerae potuit.

11 b. Aquam fontis vult bullire
Igne tenso, homo mire
Cor temperat mentis dirae,
Quod nequit, sed tepuit.

12 a. Equus potans mox sanatur,
Omnis languens hinc curatur,
Cum mens sancto conformatur
Fundens preces Domino.

12 b. Quaedam domus comburitur,
Puer intus non laeditur,
Ipse salvus invenitur
Golvino conservante.

13 a. Vir iumentum nequam rapit,
Caecitatem fine capit,
In asyli malum sapit,
Iram sancti mox obcapit,
Patitur ultionem.

13 b. Iesu, nostri miserere,
Pastor bone, nos tuere
Et pacem nobis insere,
Cum angelis fac gaudere
Golvini suffragiis.

Miss. Leonense imp. Parisiis 1526. — 6 b, 2 More. — 8 b, 2 Liberate. — 11 a, 2 Quartam. — Text bleibt vielfach dunkel. — Melodie offenbar: Lauda Sion.

177. In Ordinatione s. Gregorii.

1 a. Sancti papae Gregorii,
Pii, pudicii, sobrii,
Veneremur sollemnia;

1 b. Cuius doctrinis et vita
Instituta, erudita
Gloriatur ecclesia.

2 a. Hic genere spectabilis
In omni fuit docilis
Literarum peritia;

2 b. Qui iuxta sui nominis
Omen sollicitudinis
Vigilavit instantia.

3 a. Hic exposuit obscuras
Ezechielis scripturas
Dictante Dei gratia

3 b. Et super evangelia
Quadraginta eulogia
Fecit et Iob Moralia.

4 a. Sex struxit in Sicilia
Vir pius monasteria,
Septimum in urbe Roma.

4 b. Virginum tria milia
Pavit multaque alia,
Hinc redolens ut aroma.

5 a. Hic ad preces invitavit
Populum, quem sic sanavit
A peste inguinaria.

5 b. Angelo scyphum tradidit
Argenteum, quem credidit
Esse passum naufragia.

6 a. His et multis virtutibus
Insignitus ab omnibus
In papam fuit electus;

6 b. Quem apicem recusavit
Et, ut ipse procuravit,
Extra urbem est devectus.

7 a. Sed per triduum quaesitus
Fulgore misso caelitus
Repertus est et reductus.

7 b. Qui plurimum reluctatus
In sedem est sublimatus,
Hoc signo tandem inductus.

8 a. Ordinatus pastoralem
Librum fecit, in quo, qualem
Praesulem esse deceat,

8 b. Apertis scriptis docuit
Innuens, ut sic latuit,
Et idem cunctis liceat.

9 a. Igitur, sancte Gregori,
Te mente devotiori
Suppliciter exoramus,

9 b. Ut nos nostro redemptori
Commendes et salvatori,
Ut in aeternum vivamus.

Miss. Redonense imp. Parisiis 1492. A. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1553. B. — 2 b, 2 Omne B. — 6 b, 1 Quam B. — 7 a, 3 deductus A. — 7 b, 3 indutus B.

178. De s. Guillelmo Pictaviensi.

1 a. Salve, decus honestatis,
O Guillelme sanctissime,

1 b. Pictavensis civitatis
Pontifex lucidissime.

2 a. Pauca narrare de multis
Dignum duxi, quae gessisti,

2 b. Dum oris esses in istis,
Per quae caelos ascendisti.

3 a. Carnem tuam domuisti
Insistendo vigiliis,

3 b. Ieiuniis affecisti
Frigoribusque nimiis.

4 a. Iustus castusque fuisti,
Pius, humilis, pudicus,

4 b. Christi normam tenuisti
In omnibus veridicus.

5 a. Confessionum fuisti
Auditor benignissimus

5 b. Maestorumque exstitisti
[Consolator] piissimus.

6 a. Pauperibus et egenis
Dapsiliter tribuisti,

6 b. Viduis atque egenis
Benigniter subvenisti.

7 a. Gregem tuum monuisti
Iuste pieque vivere

7 b. Et, quod verbo docuisti,
Adimplevisti opere.

8 a. Breviterque sic vixisti,
Alme pastor, quod talentum

8 b. Geminatum retulisti
Domino tibi traditum.

9 a. Miracula nunc testantur,
Quantus sis in caelestibus,

9 b. Mirifice liberantur
Obsessi a daemonibus.

10 a. Resurgunt quoque mortui,
Mutis loquela redditur,

10 b. Illuminanturque caeci,
Claudis gressus conceditur,

11 a. Surdi audiunt, leprosi
Mundantur tuis precibus,

11 b. Absolvunturque captivi
A vinculis et hostibus.

12 a. Ignis flagrans exstinguitur,
Curvus rectus erigitur,

12 b. Omnisque morbus pellitur,
Quisque sospes regreditur.

13 a. Egregie praesul, ora
Prolem in aethra regnantis,

13 b. Ut in nostrae mortis hora
Ducem pellat Acherontis

14 a. Supernisque cum civibus
Nos locet in caelestibus,

14 b. Quis laetemur in aeternum
Post huius vitae terminum.

15 a. Theos praestet ingenitus,
Genitus ac paraclitus,

15 b. Qui est summa deitas,
In unitate trinitas.

Miss. Pictaviense imp. Pictavis 1479. — 5 a, 2 Auditoribus. — 14 a, 1 concivibus.

179. De sancto Guillermo.

1 a. Gaude prole, Gallia,
Laetare, Bituria,
Guillermi praesidio,

1 b. Cuius natalitia
Venerans ecclesia
Celebret cum gaudio.

2 a. Gaudeat haec contio,
Crescatque devotio
Praesulis praesentia,

2 b. Cuius intercessio
Et iugis oratio
Nobis necessaria.

3 a. Insistamus titulis
Gloriosi praesulis,
Qui dignus memoria.

3 b. Coruscat miraculis
Et largitur populis
Multa beneficia.

4 a. Laudent patrem filii:
Salus aegris reddita
Patris tam eximii
Manifestat merita.

4 b. Ad Guillermi tumulum
Languidi conveniunt
Et per Christi famulum
Se sanari sentiunt.

5 a. Deferuntur parvuli
Et sugentes ubera
Commendari praesuli,
Cuius fulgent opera.

5 b. Hic robur debilitas
Sancti viri munere
Atque visum caecitas
Meretur accipere.

6 a. Sentit opem confessoris
Quibuscumque poscens horis,
Sed cum cordis gemitu.

6 b. Omnis languor effugatur,
Liberatur, qui vexatur,
Ab immundo spiritu.

7 a. Desolatos consolatur,
Cuius semper augmentatur
Virtus indeficiens.

7 b. Supra pedes stat erectus,
Qui rependo supra pectus
Nuper erat gradiens.

8 a. Solvit vinclis compeditos
Et in morte iam sopitos
Resuscitare meruit,
Claudis gressum restituit.

8 b. Sospitatem aegris praestat,
Sic se signis manifestat,
Dum curantur hydropici
Caelestis ope medici.

9 a. Surdus, audit, mutus fatur
Et ab omni liberatur
Clade, quisquis veneratur
Hunc sanctum pontificem.

9 b. Cuius opem imploramus,
Protectorem sentiamus,
Cum nil boni perferamus
Ante tantum iudicem.

10 a. O Guillerme glosiose,
O sacerdos pretiose,
Fiant tibi gratiosae
Preces tui populi,

10 b. Ut possimus intueri
Per te iubar solis veri;
Per te velit misereri
Nobis auctor saeculi,

11. Per te sit propitius
Nobis Dei filius.

Miss. Lemovicense imp. Parisiis 1483. — 4 a, 1 patris. — 8 a, 4 Clam gressum. — Mel. Gaude prole Graecia, welche wieder aus Mane prima Sabbati gebildet ist.

180. De sancto Hieronymo.

1 a. Ave, sacrum lumen clarum,
Lucidator scripturarum,
Ieronyme inclite;

1 b. Ianitor catholicorum,
Vitam tenes perfectorum,
O doctor eximie.

2 a. Lingua Graeca et Hebraea
Tu fulcisti et Chaldaea
Ceteraque studia,

2 b. Quidquid in canone scitur
Et sic omne, quod hauritur,
Corda irrigantia,

3a. Tu fuisti qui dedisti,
Lucidasti et fregisti
Divino munere.

3b. Augustinus de te fatur,
Quidquid latens dubitatur,
Posse per te solvere.

4a. Tu es alter vir baptista,
Virgo, doctor, eremita,
Martyr sine sanguine;

4b. Tu leonem sauciatum
Qui sanasti humanatum,
Sana nos a crimine.

5a. Tu purgator vitiorum,
Malleus haereticorum
Tu fuisti optime.

5b. Procul pelle omne malum
Dando nobis iubar clarum
In nostro pectore.

6a. Iesus Christus, totus laetus,
Ab angelis circumsaeptus,
Tibi pergit obviam.

6b. Nunc ergo tuos devotos
Recommenda Iesu, laetos
Duc eos ad patriam.

7a. Cessent pestes, vadant irae,
Cedant fames, et largire
Dona sanctimoniae.

7b. Pacem intus, pacem extra,
Unitatem nobis praesta
Nunc et omni tempore.

Missale Ebredunense imp. Lugduni 1512. A. — Missale Aquense imp. Lugduni 1527. B. — Missale Massiliense imp. Lugduni 1530. C. — 2a, 1 Konstruiere: Linguâ (durch die Sprache, Sprachkenntnis) fulcisti studia Graeca etc. — 3a, 3 Lies: Ex divino munere? doch vergl. 5b, 3. — 5a, 2 Malleatorque haereticorum ABC. — 6a, 2 circumspectus ABC. — 7a, 1 vadans A. — 7a, 3 Nobis dona A.

181. De sancto Hieronymo.

1a. Laudum melos resonemus,
Nos qui patris recensemus
Ieronymi merita,

1b. Doctoris ecclesiae
Virtutis eximiae,
Gesta semper inclita.

2a. Lux iucunda, lux insignis,
Iubar fulgens in doctrinis
Virtutum Ieronymus,

2b. Praeclarorum virorum studiis
Hic edoctus fuit primitiis
Literarum optimus.

3a. Quaerens flores Ciceronis
Usu favet lectionis
Scripturis gentilium,

3b. Vanis tempus expendebat
Nec divinis impendebat
Doctrinis ingenium.

4a. Sed correptus visione
Iam contempto Cicerone
Fide data resipit;

4b. Tribus linguis hic perfectus,
Verbo, vita, scriptis rectus,
Haereticos corripit.

5a. Doctor factus veritatis
Formam docet puritatis,
Formam innocentiae;
Consecutus
Romanum cardinem
Vita caelebs
hunc zelat ordinem
Zelo castimoniae.

5b. Culpam culpans clericorum
Doctor sanctus, decus morum,
Non subiectus vitio,
Fit delusus
veste feminea,
Falsi zeli
corrosos tinea
Fugit pede sobrio.

6 a. Antra petit salvatoris,
Palaestinae gratus oris
Bethlehem se recipit,

6 b. Ubi ducens vitam monasticam
Theoricam docet et practicam,
Fratrum curam suscipit.

7 a. Doctor pius cum sederet,
Scripta sacra recenseret
Verbo docens socios,

7 b. Leo pede vulneratus
Blandus intrat et curatus
Labores fert varios.

8 a. Novae legis
doctor et veteris,
Interpretes
cunctos trausgrederis
Veritate literae,

8 b. Tu rogatu
papae Gelasii
Formam praebes
laudum officii
Sacris locis ubere.

9 a. Vere mirus in doctrina,
Cuius vita laude digna
Christo regi militat;

9 b. Paula novit hoc et Eustochium,
Provocatae per sancti studium,
Quibus saepe scriptitat.

10 a. Doctor dulcis, doctor bonus,
Monachorum tu patronus
Et auxiliarius,

10 b. Qui deserta penetrasti,
Diros hostes expugnasti,
Carne, mente sobrius.

11 a. Morte cadis,
sed vivis melius,
Mortem vincens
regnas superius
Coruscans miraculis;

11 b. Contemplaris
Christum limpidius,
Fructus gestans
labore dulcius
In aeternis saeculis.

12 a. Ergo, pater,
signis mirificus,
Quem tremiscit
daemon terrificus
Pulsus in inferis,

12 b. Te precamur,
nos iuva precibus,
Quos oppressos
cernis criminibus
Reddendo superis.

Missale Aurelianense im. Parisiis s. a. [1519]. A. — Missale Aurelianense imp. Aurelianis 1556. B. — 2 b, 1 Praelatorum virorum A. — 2 b, 2 edoctus cui primitiis A; edoctus in primitiis B. — 4 b, 3 Haereseos corripit A. — 5 b, 4 Sic delusus AB. — 6 b, 2 Thertistem docens A; Theoricen B. — 8 a, 2 doctior A. — 8 a, 4 transgreditur AB. — 8 a, 5 De veritate AB. — 8 b, 1 Tu rogasti AB. — 8 b, 2 papae Damasi B. — 9 b, 2 Provocat A.

182. De sancto Hilario.

1 a. Hilarius, via morum,
Fuit praesul Pictavorum,

1 b. Hilarius flos doctorum
Est ecclesiasticorum.

2 a. Hilarii scientia
Reformatur ecclesia,

2 b. Hilarii sensu vana
Secta cadit Ariana.

3 a. Hilarius, vir beatus,
Erat tamen uxoratus,

3 b. Hilarius solam natam
Habuit Abram beatam.

4 a. Hilario terra cedit
Elevans se, quando sedit.

4 b. Hilario, quando fuit
Minatus, papa crepuit.

5 a. Hilarius per odium
Mittitur in exsilium.

5 b. Hilarius hilariter
Exsilii capit iter.

6 a. Hilarium haeretici
Dolent non posse subici.

6 b. Hilarium damnantia
Non complent desideria.

7 a. Hilarius miracula
Multa fecit in insula,
Quae non possunt per singula
Dici vel scribi cartula.

7 b. Hilarius, vir inclitus,
Ut serpentes intuitus
Est, serpentum exercitus
Fugit multum perterritus.

8 a. Hilari, praesul beate,
O Hilari relegate,
De insula fuit a te
Missa carta tuae natae.

8 b. Hilari, procuravisti,
Quod filia sponsa Christi
Tua foret, et hoc isti
Tuis scriptis mandavisti.

9 a. Hilarius ad propria
Redit Domini gratia;

9 b. Hilarius revertitur,
Sic pastor gregi redditur.

10 a. Hilario supplicante
Revixit mortuus ante.

10 b. Hilario sunt infirmi
Debilesque facti firmi.

11 a. Hilarius aegrotantes
Sibi sanat supplicantes.

11 b. Hilarius advocatus
Noster sit, praesul beatus.

Missale Xanctonense imp. Parisiis 1491. A. — Missale Pictaviense imp. Parisiis 1498. B. — Missale Pictaviense imp. Parisiis 1541. C. — Missale Parisiense imp. Parisiis 1585. D. — 1 a, 2 Praesul fuit A. — 3 b, 1 gnatam BC. — 5 b, 2 cepit BCD. — 6 b lautet in BCD gegen den sonst beobachteten zweisilbigen Reim:

Hilarium Arii damnant
Desideria non complent.

7 a, 4 Dici nec scribi A. — 7 b, 2 Ut fehlt BCD. — 7 b, 3 Et serpentum BCD. — 8 a, 2 Et Hilari C. — 8 a, 4 gnatae B. — 8 b, 1 procurasti C. — 8 b, 3 Tua fehlt BCD. — 9 a, 2 Rediit BC. — 11 a, 2 Sanat sibi A. — Die Kollation von D besorgte gütigst H. M. Bannister. — Bemerkenswert ist, dafs im Anfange jeder Strophe die Casus des Wortes „Hilarius“ sich folgen; dazwischen wird immer der Nominativ wiederholt.

183. De sancto Hildeverto.

1. Glorietur sedule
Hildeverto praesule
Civitas Meldensium,

2 a. Sed maiori copia
In eius sollemnia
Exsultet Gournayum.

2 b. Clerus vacet laudibus,
Cesset ab operibus
Plebs et agat gaudium.

3 a. Hic enim egregiae
Quiescunt reliquiae
Venerandi praesulis.

3 b. Istud non ambigitur,
Nam crebris cognoscitur
Veritas miraculis.

4 a. Hic confessor inclitus
Est sub annis teneris
A parente traditus
Imbuendus literis.

4 b. Aldebertus genitor
Tanti fuit filii,
Sanctus Faro monitor
Viri tam egregii.

5 a. Oris nemo tam diserti,
Quod virtutes Hildeverti
Valeat exprimere.

5 b. Fuit castus, expers fastus,
Malum nolens, Deum colens
Pio semper opere.

6 a. Simplex, rectus, circumspectus,
Pius, prudens, semper studens
Divinis eloquiis,

6 b. Nulli gravis, verbo suavis,
Timoratus et ornatus
Sacris exercitiis.

7 a. Egregius hic confessor,
Sancti Faronis successor,
Ab ipso sacerdotio
Indutus est cilicio.

7 b. O miraculum mirandum,
Cum ad gantos sustentandum
Binis horis et amplius
Solis paratur radius.

8 a. En, aliud miraculum,
Nam pueri corpusculum,
Leto datum nec renatum
Baptismi respergine,

8 b. Hildevertus suscitavit,
Suscitatum baptizavit,
Baptizatum appellavit
Patris sui nomine.

9 a. Cum tam potens sit igitur
Hildevertus, ut legitur,
Invocetur et oretur
Illius auxilium,

9 b. Ut hanc servet ecclesiam
Nobis suam dans gratiam
Atque praestet, ne molestet
Villam hanc incendium.

10. Quod concedas intime,
Christe, rex pissime.

Missale Meldense imp. Parisiis 1518. A. — Missale Meldense imp. Lutetiae 1556. B. — 2 a, 2 sollemniis B. — 2 b, 1 Clarus A. — 5 a, 2 Quo B. — 5 b, 1 expers factus B. — 8 a, 4 aspergine B. — Mel. natürlich: Mane prima sabbati.

Auch bei Corblet, Hagiographie du diocèse d'Amiens III, 32, mit der Bemerkung: „Mr. l'abbé Denis, chanoine de l'église de Meaux, nous communique la prose suivante, qu'on chantait à Vignely de temps immémorial et qui a été supprimée par l'introduction du rite romain". Abweichungen vom vorstehenden Texte: 2 a, 3 Vignelium. — 5 a, 2 Qui virtutes. — 7 b, 2 Cum ad chirothecas sustendandum. — 7 b, 3 Solis parcetur. — 8 a, 4 respergimine. — Es folgt bei Corblet (S. 33) noch eine weitere Sequenz, die indes nichts anderes ist als eine spätere (gallikanische) Überarbeitung der mitgetheilten. Sie beginnt:

Civitas Meldensium
Celebret praeconium
Hildeverti praesulis,
Sed Veracum splendidis
Illius sollemniis
Potissimum resonet.

Clerus vacet laudibus,
Cesset ab operibus
Plebs repleta gaudiis.
Hic nam salutiferae
Conduntur reliquiae
Colendi pontificis, etc.

184. De s. Iacobo Maiore.

1 a. Ut Leonis
testatur litera,
Postquam Christus
transcendit aethera,
Victor patris
sedens in dextera
In eadem
carne, non altera,

1 b. Qua passus est
ob nostra scelera
Opprobria,
sputa et verbera,
Mortem crucis,
quae sic est aspera,
Ut transscendat
tormenta cetera.

2 a. Apostolus
Christi egregius,
Zebedaei
Iacobus filius
Et Iohannis
frater et socius,
Fortis pugil
et veri nuntius,

2 b. Ierusalem
atque exterius,
Obsequium
quod putat gratius,
Impugnabat
rebelles acrius,
Quanto Christo
haerebat artius.

3 a. Iudaica
nefanda natio,
Quam non Christi
convertit passio,
Id Herodis
Herodi filio
Intimavit
prece et pretio,

3 b. Ut Iacobum
occidat gladio,
Ne de Christo
et evangelio
Praedicantis
eius officio
Impleretur
eius successio.

4 a. Sanctitatis
illius aemuli,
Duo eius
fideles famuli,
Ab Herodis
posse et populi
Ioppem trahunt
corpus discipuli.

4 b. Navem intrant
sanctus et baiuli,
Quae secura
omnis periculi
Transit alta
aequoris Siculi;
Id divini
est adminiculi.

5 a. In extremis
magnae Hispaniae
Iuxta portum
veteris Iriae
Tangunt terram
sanctae reliquiae.
Per quattuor
leucas Galiciae

5 b. Locus distat
ab hac planitie;
Illuc sine
mora et requie
Fert haec turba
sanctum, et aliae
Ibi ponunt,
ubi est hodie.

6 a. Voluntatis
Dei indicia
Instrumenta
hic caementaria
Inventa sunt
sine custodia,
Quibus super
pignora dulcia

6 b. Componuntur
cum festinantia
Prius arcus
et post ecclesia,
Ad quam mittunt
orandi gratia
Peregrinos
climata omnia.

7 a. Antiquorum
usus et veterum
Dixit locum
hunc donum liberum;
Hic idolum
stabat horriferum,
Sed Iacobo
cessit in posterum

7 b. Servientes
unus post alterum
Dormientes
ordine funerum,
Quod non est fas
regum nec procerum,
Loca tenent
duorum laterum.

8 a. Hic redditur
infirmis sanitas,
Maerentibus
redit hilaritas,
Visus redit,
et fugit caecitas,
Lepra linquit
facies obsitas.

8 b. Non est dolor,
non est adversitas,
Quem non pellat
Iacobi sanctitas,
Ut credimus
et ut est veritas;
Nos perducat
ad caeli semitas.

Miss. ms. S. Albini Andegavensis saec. 15. Cod. Andegaven. 94 (86). A. — Miss. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin. 868. B. — Missale Andegavense imp. Parisiis 1489. C. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1504. D. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523 E.

1 a, 3 sq. Et rediit Christus ad aethera AB. — Nach 1 a, 8 schieben CD ein:

Postquam misit spiritus munera
Discipulis, linguarum genera
Qui docuit et pati aspera.

3 a, 3 sq. Abiathar qui cepit praevio A. — 3 a, 5 sq. Herodi Herodis BCD. — 3 b, 7 Impuletur CD. — 4 a, 3 Eius duo B. — 4 a, 5 sq. A conspectu regis et CDE. — 4 a, 7 Inopem C. — 4 b, 5 arta A. — 4 b, 6 syculi B; seculi CDE. — 5 a, 8 lengas gratiae AB. — 5 b, 4 et reliquie B. — 5 b, 4 sistunt CDE. — 5 b, 8 ibi est A. — 6 a, 2 iudicia ACDE. — 6 a, 4 sementarie CD. — 6 b, 1 construitur ACDE. — 6 b, 3 artus B. — 7 a, 8 imposterum C. — 7 b, 4 fuerunt E. — 7 b, 5 fassit CDE. — 7 b, 7 Locum B. — 8 a, 5 reddit CD. — 8 a, 7 sq. Lepra partes relinquit obsitas CDE. — Die Verteilung der Initalien ist in den Quellen so verschieden, namentlich am Anfang und Schlufs der Sequenz, dafs die Abteilung nach dem Metrum zu machen war. 1 a, 1 spielt an auf die bekannte sog. Epistola Leonis III; vgl. Florez, España Sagrada III, append. n° 9.

185. De s. Iacobo Maiore.

1 a. Christo laudes decantemus
Et devote celebremus
Iacobi sollemnia ;

1 b. Sic concordans mens sit ori,
Ut serviat creatori
Dulci consonantia.

2 a. Hic Iacobus supplantator
Dici potest vel lucrator,
Dum supplantat vitia.

2 b. Christi verus imitator
Paupertatis fit amator
Spreta mundi gloria.

3 a. Patrem habens Zebedaeum,
Viso Christo statim eum
Dimisit et retia.

3 b. Hic talentum erogavit,
Quod a Christo comparavit
Sanctitatis gratia.

4 a. Fide Christi roboratus
Non timebat principatus
Nec regum imperia.

4 b. Christum sequi passione
Volens stabat in agone
Iugi vigilantia.

5 a. Tam gentiles quam Iudaei
Subdiderunt se fidei
Iacobi sollertia.

5 b. Hic Hispanis praedicavit,
Unum tantum revocavit
A daemonum latria.

6 a. Ierusalem inde venit,
Quosdam fratres hic invenit
Captos arte magica

6 b. Hermogenis et Phileti,
Per quos erant dissueti
A fide catholica.

7 a. Qui fuerant sic seducti,
Eius cura sunt reducti
Ad statum iustitiae.

7 b. Post convertit ipsos magos
Et ascripsit prius vagos
Invictorum serie.

8 a. Ad Herodem hunc Iosia
Protrahente stans in via
Sanat paralyticum;

8 b. Quod Iosias ut percepit,
Christum credens mox accepit
Baptisma vivificum.

9 a. Post cum ipso decollatur
Et a Christo coronatur
Corona martyrii.

9 b. Cum his Christus nos coronet
Et praemium nobis donet
Sempiterni gaudii.

Miss. Macloviense[?] imp. s. l. et a. [ca. 1483]. — 1 b, 1 mentes ori.

186. De s. Iacobo Maiore.

1 a. Inter primos commensales
Christi sedet supernales
Iacobus, qui mundiales
Facultates ambiit.

1 b. Escas sumit aeternales,
Quas edunt collaterales
In amore sociales,
Quibus vita placuit.

2 a. Iudaeam cum Samaria
Miraculis illuminans,
Tandem transiens maria
Fidem gentibus nuntians
Discurrit per Hispaniam.

2 b. Hinc novem de perfidia
Trahens, secum associans,
Dissuasit inania
Verbum salutis seminans
Et conduxit ad patriam.

3 a. Dum contemnit
Deum incredula
Gens fuscata
labe interius,
Primae sorti
ministrat pocula
Sempiternae
pacis uberius
In Iudaea;

3 b. Hermogenes
sancta spectacula
Reprobare
sancti crudelius,
Cum Phileto
credens oracula,
Pharisaeos
mittit celerius
Spernens ea.

4 a. Sed operante spiritu
Miraculis in famulum
Convertit ab interitu
Vanitatis discipulum
Iungens ad Dei populum.

4 b. Post Hermogenes strepitu
Relicto fugit saeculum,
Fidelitatis habitu
Suscepto per apostolum
Fert sanitatis titulum.

5 a. Tunc plebs saevit impia
Dire concitata,
Sanctum ad supplicia
Trahens destinata
Contemnit prodigia
Per hunc operata.

5 b. Herodis sententia
Martyrii lata
Transit cum victoria
Ad regna beata
Et aeterna gaudia
Sibi praeparata.

6 a. Gaudeat ecclesia
Nunc Compostellana
Totaque Gallicia,
Dum cottidiana
Percipit suffragia.

6 b. Huius beneficia
Laudans mens humana
Contempta miseria
Surgat mente sana,
Spectans caeli praemia.

Missale Claromotense et S. Flori imp. Lugduni 1541. — 1 a, 2 sedes. — 1 a, 4 ambiunt. — 3 a, 4 labem. — 3 b, 3 sq. und 7 sq. umgestellt. — 5 b, 1 Herodes.

Misset-Weale (II, 326) censurieren diese Sequenz: „Pièce fort obscure". Das trifft freilich bei dem von ihnen vorgelegten Texte ziemlich zu. Der Satz z. B. „Herodes transit ad regna beata et aeterna gaudia sibi praeparata" ist sogar mehr als dunkel.

187. De s. Iacobo Maiore.

1 a. Iubilemus omnes una
Concordi melodia

1 b. Persolventes hodierna
Iacobi sollemnia,

2 a. Qui cum patre Zebedaeo
maris tenens retia

2 b. Appellatus est secutus
Domini vestigia.

3 a. O quam felix divisio
inter haec mysteria!

3 b. Lucrum sprevit temporale
spirans ad caelestia.

4 a. Natus ex ea,
qua lux mundo iam praefulsit,
Regali prosapia

4 b. Apostolicae
dignitatis scandit summa
Sublimis fastigia.

5 a. In conspectu regum Christi
tulit testimonia,

5 b. Minas horum parvipendens
et dira supplicia.

6 a. Victus iacet Hermogenes
et sua fallacia;

6 b. Falsos artis suae libros
alta tenent maria.

7 a. Fraude vela baptizantur
plurima
populi circumstantis
dignissimo
sancti dogmate milia;

7 b. Honor Christo ampliatur
et omnes
consona collaudantes
testantur
voce Dei magnalia.

8 a. Lysias et Theocritus
Sanctum Dei cruciantur
Commoti pecunia,

8 b. Vinctum tenent atque regi
Iubent eum praesentari
Sub magna custodia.

9 a. Laetus iter est aggressus,
Christum laudans est ingressus
Herodis palatia.

9 b. Spreta regis iniuria
Capitalis est edita
Cum poenis sententia.

10 a. Angelorum sunt agmina
huic obviantia,

10 b. Facta comes gratulatur
caelorum militia.

11 a. Exoramus, o benigne,
Tibi famulantes digne,
Iacobe, suffragia,

11 b. Cum occurres iudicare
Mundum et cum Christo dare
Fidelibus praemia.

12 a. A peccatis nos excusa
Indistincte iudicantes
Praesentia,

12 b. Ut vocati cum electis
Paradiso decantemus
Alleluia.

13 a. Christe Iesu, nos exaudi
Iacobi prece pia

13 b. Et nos tecum collocare
digneris in gloria.

Miss. ms. Ebroicense [Radulphi du Fou] saec. 15. Cod. Ebroicen. 99 A. — Missale Ebroicense imp. Rotomagi 1497. B. — Missale Ebroicense imp. Parisiis 1527. C. — 8 a, 2 cruciant C. Rhythmus und Endassonanz fordern die falsche Form cruciantur. — 13 a, 2 Iacobi praeconia. ABC.

188. In Festo Innocentium.

1. Laus tibi, Christe,

2 a. Quem Magi deferentes
sua munera iam
natum clamant.

2 b. Turbatus mox Herodes
turbas puerorum
neci mandat:

3 a. Ite citi in Bethlehem,
occidite
omnes a bimatu et infra.

3 b. Miles abit dicto parens,
conqueritur
ad sententiam matrum turba.

4. Quid agis, Herodes
impie? iugulas
innocentum turbas,
et Christus, quem quaeris,
latet fuga.

5 a. Adorare simulas,
pro quo stragem tantam
innocentum comparabas.

5 b. Sanguis horum indicat,
quid de illo frustra
te facturum disponebas.

6 a. Cui invidebas,
perdite, Iudaeam
totam possessurus
mundi et machinam
et pueros, quos straveras,
fideliter iam ascripserat
ad aeterna.

6 b. Puer requirebat
parvulus parvulos,
qui post electurus
erat apostolos,
non comparans pecunia
sed sanguine suo agmina
candidata.

7 a. Ipsa sunt, quae, quocunque
agnus ierit, sunt
secutura

7 b. Et sola carmen novum
agni indefesse
cantatura.

8. Praesta, Christe, agmina
horum semper pedissequa
nostra fiant.

Trop. ms. Cameracense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Cameracen. 79 (78). A. — Trop. ms. Cameracense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Cameracen. 61 (60). B. — Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracen. 180 (185). C — Missale Cameracense imp. Parisiis 1495. D. — Missale Cameracense imp. Parisiis 1507. E. — Missale Cameracense imp. Parisiis 1542. F.

2 a, 2 munera sua AF. — 3 a, 1 cito F. — 3 b, 1 abiit F. — Str. 4 ist ohne Parallelstrophe. — 6 a, 4 est B. — 6 a, 6 feliciter B; ascripseras DE.

189. In Natali ss. Innocentium.

1 a. Ad honorem puerorum
Pro Christo interemptorum
Gaudeat ecclesia.

1 b. Prior in eorum laudes,
Cui non dominantur fraudes,
Prorumpat infantia;

2 a. Nam infantium ex ore
Puritatis pro decore
Grata sunt praeconia.

2 b. Quod futura forent ista,
Cecinerat hoc psalmista
Praenoscens haec gaudia.

3 a. Ergo, pueri, laudate
Dominum et exsultate
De nece infantium;

3 b. Nam mors felix fuit talis,
Pro qua datur aeternalis
Vita et solacium.

4 a. Horum mortis munus magnum,
Quod semper sequuntur agnum,
Quocumque perrexerit.

4 b. Ob hoc, Rachel, consolare,
Iam non plores, sed laetare,
Cum proles revixerit.

5 a. Sed tu potes flere magis,
Qui delusus es a magis,
Herodes, et nihil agis
De tuo proposito.

5 b. Nam rex vivit expers stragis,
Quem peremptum tuis plagis
Putabas, Aegypti plagis
Ductus Dei digito.

6 a. Hunc necare voluisti
Et mactare morte tristi,
Qui dat cunctis vivere.

6 b. Fleas ergo, nos laetemur,
Fidem Christi qui fatemur
Ore, corde, opere.

7 a. Ut hic vitam nobis donet
Aeternam, laus eius sonet
Nostris semper vicibus;

7 b. Qua frui nos beatorum
Valeamus puerorum
Meritis et precibus.

Miss. Bicterrense imp. Lugduni 1535. — 2 a, 3 Grata fuit.

190. De s. Iohanne Baptista.

1 a. Populis fidelibus
Sit gaudium omnibus,
Christo supra omnia
Sit gloria,

1 b. Qui Iohannem Baptistam
Rexit in viam istam,
Ut haberet praemia
Caelestia.

2 a. Hic baptista beatus,
Cunctis bonis vallatus,
Iohannes est vocatus,
Gratiosus.

2 b. De caelo nuntiatus,
Digne sanctificatus,
Genere sancto natus,
Gloriosus.

3 a. Non est flos levitatis,
Sed est mons firmitatis,
Nulla palpat vitia
Nec crimina.

3 b. Scribas frangit, doctores,
Vocans hos transgressores
Et serpentis viperae
Genimina.

4 a. Patriarchis altior,
Prophetis est clarior,
Heremitis sanctior
Sanctitate.

4 b. Angelis amabilis
Nobisque laudabilis,
Nullus maior nobilis
Dignitate.

5 a. Ad laudem tuam, Christe,
Praecursoris Baptistae
Colimus sollemnia
Felicia.

5 b. Nos ab hac mortis valle
Duc sursum recto calle
Per eius suffragia
Nobilia.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 3 b, 1 et doctores. — 3 b, 3 sollte einen Reim auf ia aufweisen. — Mel. jedenfalls: Mariae praeconio.

191. De s. Iohanne Baptista.

1 a. Laetabundus
Iohanni decantet chorus
Alleluia,

1 b. Praecursorem
Sterilis profudit thorus,
Res miranda.

2a. Angelus apparuit,
Zacharias stupuit,
Mutus lingua,

2b. Iohannes concipitur,
Muto verbum redditur
Orta stella.

3a. Sicut stella radium,
Emisit eloquium
Vox praecona,

3b. Stella claret clarius,
Dum cedit in melius
Vox praesaga.

4a. Cedrus alta Libani
Ventre prodit hysopi
Valle nostra.

4b. An sit Christus, quaeritur;
Negat, sic assequitur
Regum serta.

5a. Isaias cecinit,
Vox clamantis meminit,
Nec Iudaea desinit
Esse caeca.

5b. Hic ex suis vatibus
Mariae sermonibus
Novis gaudet plausibus
Ventris theca.

6a. Iudaea, propera,
Crede vel vetera,
Cur damnaberis
gens misera?

6b. Vatem considera,
Quem docet litera,
Ipsum peperit
senexpera.

Missale Carnotense imp. Carnoti 1482. A. — Missale Constanciense imp. Rotomagi 1499. B. — Missale Carnotense imp. Parisiis 1511. C. — Missale Constanciense imp. Rothomagi 1524 D. — Missale Carnotense imp. Parisiis 1535. E.

1b, 2 Sterilis flore pudorem ABCD; Sterilis profert florem E. — 3a, 1 stelle B. — 3a, 3 praeconia BD. — 4a, 2 prodiit A. — 4b, 3 Regum certa. C. — 6b, 1 und 2 umgestellt BD. — 6b, 3 genuit DE. —6b, 4 puerpera CE. — Mel.: Laetabundus.

192. De s. Iohanne Baptista.

In Octava.

1a. Qui conceptus alvo matris
Gabriele nuntio

1b. Ad adventum Christi matris
exsultat in gaudio,

2a. Nascitur de patre sene
sterili ex utero;

2b. Muto confert prophetiam
utroque de puero.

3a. In desertis agit vitam,
abstinet a licito;

3b. Praeconatur voce Christum
ostendit et digito.

4a. Praedicat baptismum Christi
baptizans in fluvio;

4b. Agnum lavat, quo lavamur
nos omnes a vitio.

5a. Detestatur regis nefas
notum omni populo;

5b. Decollatur ab eodem
clausus in ergastulo.

6 a. Sic tandem effectus martyr
vitam sine termino

6 b. Sumpsit; ad quam nos deducat
per viam, quam Domino

7. Praeparavit.

Miss. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Berolinen. Ham. 422. A. — Missale Lemovicense imp. Parisiis 1483. B. — 1 b, 1 Adventu Christi mater A. — 4 a und b fehlen A. — Die Kollation von A verdanke ich Rev. H. M. Bannister. — Mel.: Sospitati dedit aegros.

193. De s. Iohanne Baptista.

1 a. Gaude, tu baptista Christi,
Qui de sterili existi
Gabriele nuntio.

1 b. Gaude, quod Deum sensisti,
Dum non natus exstitisti
Clausus matris gremio.

2 a. Gaude, quod tu reddidisti
Patri verbum, dum fuisti
Natus hoc exsilio.

2 b. Gaude, quod tu praedixisti
Venturum et ostendisti
Agnum sine vitio.

3 a. Gaude, quod reprehendisti
Herodem, dum suscepisti
Mortem in martyrio.

3 b. Fac nos per hoc, quod tulisti
Mortem, quam non meruisti,
Frui caeli gaudio.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracen. 180 (185). — Miss. Cameracense imp. Parisiis 1495 B. — Miss. Cameracense imp. Parisiis 1517 C. — Ursprünglich wohl Reimgebet und nur als Sequenz verwendet. Cfr. Anal. XXIX, 106.

194. De s. Iohanne Baptista.

1 a. Inter natos mulierum,
Ut testatur verbum verum,
Maior nemo prodiit

1 b. Salvatoris praecursore,
Cuius ortus miro more
Miris signis claruit.

2 a. Pater senex, mater anus,
Quos fecundat Dei manus,
Gaudent puerperio.

2 b. Prohibebat partum aetas,
Iuventutis ultra metas
Laborabant senio.

3 a. Tura litans regi caeli,
Dum non cedit Gabrieli,
Pater mutus tacuit.

3 b. Ut parentes infecundi
Genuere iubar mundi,
Vox ad patrem rediit.

4 a. Mater matrem salutavit
Et Iohannes exsultavit
Matris clausus utero,

4 b. Praeconatur praeco regem,
Et naturae vincit legem
Sensus hic in puero.

5 a. Nondum natus nondum natum
Sensit vates vatem vatum
Nasciturum spiritu,

5 b. Cuius virtus sanctitatis
Mundat illum a peccatis
Ventris sub accubitu.

6 a. Vox clamantis in deserto
Monet omnes in aperto,
Viam parent Domino,

6 b. Solem praeibat lucerna,
Cuius luce lux superna
Lucet sine termino.

7 a. Verbum praeit vox nascendo,
Praedicando, moriendo,
Baptizando populos;

7 b. Sic venturo viam parat,
Sic serenti sulcos arat,
Convertit incredulos.

8 a. Hic baptismo Iesum mersit,
Qui peccati sordes tersit
Sanguinis antidoto;

8 a. Speciale datum ei
Singulare donum Dei
Demonstrare digito.

9 a. Cerne magnum eremitam
Praesentem sprevisse vitam,
Contempsisse prospera

9 b. Mel silvestre, cibus vilis,
Et cameli texta pilis
Vestis probat aspera.

10 a. Hic dum Dei legem zelat,
Crimen Herodis revelat
Arguendo publice;

10 b. Levitate puellari
Mox est iussus decollari
Vitae vir angelicae.

11 a. Rex devictus hoc procinctu
Herodiadis instinctu
Foedavit convivium.

11 b. Martyr Christi passus mortem
Est assumptus intra sortem
Supernorum civium.

12. Quo nos suos laudatores
Post pressuras et labores
Assumat ad bravium.

Prosar. ms. Parisiense saec. 13. Cod. Commun. Assisien. 695. A. — Miss. ms. Olomucense saec. 14. in. Cod. Capit. Olomucen. 131. B. — Grad. ms. Sedlicense saec. 15. Cod. Pragen. XIII A 5 c. C. — Missale Uceciense imp. Lugduni 1495. D. — Missale Bicterrense imp. Lugduni 1535. E. — Breviarium Carcassonense imp. 1538 F. — Missale Cracoviense imp. Cracoviae 1545. G.

Ferner: Miss. ms. Cremsense saec. 15. Cod. Pragen. XII B 13. — Miss. ms. Vissegradense saec. 15. Cod. Capit. Vissegraden. VCζ. — Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. Olomucen. I I 6. — Missale ms. Olomucense saec. 15. Cod. Capit Olomucen. 45. — Miss. ms. S. Iacobi Brunen. anni 1490. Cod. S. Iacobi Brunen. 17. — Miss. ms. S. Iacobi Brunen. saec. 15. Cod. S. Iacobi Brunen. 9. — Sequent ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S). — Missale Olomucense imp. Bambergae 1488. — Missale Pragense imp. Nurembergae 1503.

1 a, 2 vere F. — 1 a, 3 nemo maior F; nullus maior BC. — 1 b, 2 ortu sine more D. — 2 a und 2 b umgestellt F. — 4 a, 1 Pater D. — 4 b, 2 natum vicit D. — 5 a, 2 regem vatum D. — 5 a, 3 Nascituri E; spiritus D. — 5 b, 1 Huius CE. — 6 a und 6 b umgestellt DG. — 6 a, 2 Movet DF. — 6 a, 3 parat F. — do G. — 7 b, 2 subcus G. — 8 a, 1 Hic baptizando G. — 8 b, 2 Singulare donum Dei C. — 9 a, 1 Certe magnum BCDFG. — 9 a, 3 Vestis probat aspera C. — 9 b, 3 probat altera E; Mundi sprevit prospera C. — 10 a, 1 legem Dei G. — 10 b, 2 est missus G. — 11 a, 1 hoc fehlt G; praecinctu EG. — Die Kollation von F danke ich Rev. H. M. Bannister. — Im Grad. ms. Praedicatorum saec. 14/15. Cod. Semin. Colonien. 12 a steht diese Sequenz von gleichzeitiger Hand nachgetragen mit der Note: „Hanc sequentiam composuit Philippus cancellarius Parisiensis.“

195. De s. Iohanne Baptista.

1 a. Is, qui solus est ens per se,
Rei factor universae
Iuxta suum libitum,

1 b. Sola cuius voluntate
Rerum vices sunt mutatae
Tempusque dispositum,

2 a. Senescente mundi die
Finem dedit prophetiae
Nato senum filio.

2 b. Plus Iohannes quam propheta,
Prophetiae datur meta,
Legi limitatio.

3 a. Gabriele nuntiante
Discit pater eius, quantae
Sit futurus gratiae.

3 b. Audienti nati vitam
Nec credenti rem auditam
Ligantur arteriae.

4 a. Ventre clausus ventre clausum
Sentit Christum et adplausum
Facit puer puero.

4 b. Venientem veneratur,
Qui, cum mater salutatur,
Exsultat in utero.

5 a. Eo nato sunt laetati
Tam vicini quam cognati,
Sicut dixit nuntius;

5 b. Eo nato sunt soluti
Nodi vocis patris muti,
Quia vox est filius,

6 a. Vox clamantis per desertum,
Praeco, cuius os disertum
Ad Christi praeconium,

6 b. Cuius odor famae bonae
Christum in opinione
Facit eum plurium.

7 a. Sed se Christum negat esse
Christum monstrans et expresse
Denotans ad digitum,

7 b. Quem baptizans in Iordane
Super ipsum videt plane
Descendentem spiritum.

8 a. Ob uxorem tentus malam
Detestatur tamen palam
Regis adulterium,

8 b. Quem idcirco rex decollat,
Ut in disco caput tollat
Saltatrix in praemium.

9 a. O nefanda religio,
Pro vitando periurio
Perpetrat homicidium,

9 b. Immo propter adulteram
Scienter iurat perperam,
Ne desit maleficium!

10 a. O quanta, Deus, tolerat,
Quo maior non surrexerat
Inter natos mulierum!

10 b. Meretrici addicitur,
Sic omne ius subvertitur,
Sic totum fit praeposterum.

11 a. Nos per Iohannis merita,
Deus, ex alto visita
Pacis in viam dirigens,

11 b. Ut cum iudex adveneris,
Assignes nos in dexteris
In vasa tua colligens.

Missale Atrebatense imp. Parisiis 1491. A. — Missale Atrebatense imp. s. l. 1508 B. — Missale Atrebatense imp. s. l. et a [1518]. C. — 1 a, 1 His B. — 4 a, 3 puerpero C. — 5 a, 3 dicit BC. — 9 b, 3 desiit BC.

196. In Decollatione s. Iohannis B.

1 a. Praecursoris et baptistae
Iohannis diem istum
Chorus iste veneretur
Cantico laetitiae.

1 b. Qui pudoris praeco vere
Damnans adulterium
In Herode et vitium
Arguit luxuriae. etc.

Missale Aeduense imp. Parisiis 1493. — Diese Sequenz ist identisch mit der Prose Cum Iohannis sanctitatem, Anal. VIII, 154 u. f. Str. 1 ist unterdrückt, Str. 2 ist umgearbeitet, richtiger verderbt, wie vorstehend, der Rest ist gleichlautend bis auf folgende Abweichungen: 3b (2b) lautet:

Quam saeva res agitur,
Cum pro tanto scelere
Tantus vir occiditur
Traditus adulterae!

3a, 2 profectum! 3b, 2 profectus! — 5a, 4 Sed sanguis. — 6b, 1 postulatur. — 7b, 2 Quo sitivit.

197. In Decollatione s. Iohannis Baptistae.

1a. Sancti Iohannis Baptistae
sacra decollatio

1b. Celebrari iure debet
sollemni tripudio.

2a. Fulget eius ista die
capitis decollatio,

2b. Cuius fuit ad inferos
hac die descensio.

3a. Praestolantes redemptorem
implevit laetitia

3b. Vox clamantis in infernum
redemptori nuntia.

4a. Detestando contradicens
incestus conubia

4b. Ab Herode coarctatur
carceris angustia.

5a. Herodes natalis sui
festum diem celebrat,

5b. Saltatricis gestus placens
eius mente quaerebat.

6a. Iurat ille se daturum,
quidquid illa peteret,

6b. Suum vellet mediari
regnum, non renueret.

7a. Illa petit, ille cedit,
Iohannes occiditur,

7b. Mox in disco saltatrici
sacrum caput traditur.

8a. Sic oportet, o beate
praecursor, te minui,

8b. Sic oportet agni Dei
amore te perfrui.

9a. Iam laetaris laureatus
martyrii gloria,

9b. Sponsi voce gaudes, dignus
eius amicitia.

10a. Sol in die, luna nocte
non te uret amplius,

10b. Neque luctus neque dolor
continget ulterius.

11a. O baptista, praeco, martyr,
te rogat haec contio,

11b. Tua tuo prece frui
mereatur gaudio.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 7a, 1 Illa parit. — Mel. offenbar = Psallat chorus laetabundus Anal. VIII, 149.

198. De s. Iohanne Evangelista.

1a. Praecelsa
laude Iesu caro psallat
ecclesia
Iohanni cantica,

1b. Qui summa
pro meritis in supremo
perfruitur
caelesti gloria.

2 a. Hic namque patrem
liquit et retia,
piscandi
mutans officia.

2 b. In verbo vitae
conferens omnia
credidit
fore praesidia.

3 a. Laudis ergo
voce clangat
plebs catholica,
eius inclita
verbi potentia
sublimiter regnans
per saecula.

3 b. Inter sacra
morituri
mox convivia
Iesu pectoris
excipitur aula,
quo dogmatum haurit
almiflua.

4 a. De cruce sibi pendentis
commendatur
mater virgini
virgo Maria;

4 b. Ecce, inquiens, mulier,
proles tibi
pie dedita!
En, cara tua!

5 a. Hic ferventis
olei dolium
exsuperat,
virgo sine macula,
doloris expers,
iussa praeteriens
Domitiana.

5 b. Dein Pathmos
subit exsilia,
quo superna
percepit charismata
videndo cuncta
saecli praeterita
necne fuctura.

6 a. Defuncta quoque
vitae corpora
reddidit atque
Dianae sacrata
verbo comminuit
templi solida.

6 b. Serpentum calcans
fide capita
pro Christi laude
sumendo venena
cogentem pertrahit
ad caelestia.

7 a. Atque tandem
ob merita
coniunctus est
innumera
dicenti sibi Christo
in haec verba:

7 b. Mi dilecte,
iam propera
intrans vitae
convivia
olim tibi, care,
praeparata.

8 a. Cuius sepulcrum
manna dat,
virtute patrantur
mirabilia,
et continua
fit languentum medicina.

8 b. Eius doctrinae
mystica
spirituum auferunt
incommoda,
per quem Asia
fidei subdidit colla.

9 a. Ergo die ista
orbis decantet
dicens una:
Salve, o Iohannes,
nosque salva.

9 b. Deprecantum vota
transfer ad alta
caeli claustra
coram maiestate
adoranda,

10. Quo beate laeta
perfruamur vita
sempiterna.

Grad. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). A. — Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1514. B. — Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1534. C. — Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1606. D. — 1 b, 1 Cui A. — 1 b, 3 fruitur D. — 2 a, 1 Hic nempe BCD. — 3 b, 6 quod dogmatum auxit A. — 4 b, 2 tibi prole A. — 5 b, 7 nec non D. — 6 b, 5 cogente CD. — 7 a, 3 coniuncta est A. — 7 b, 1 dilecta ABCD. — 8 a, 2 magna dat A. — 8 a, 5 continuo BCD. — 8 b, 3 afferunt A. — 9 a, 4 sq. dreimal BCD. — 9 b, 1 Te precantum BCD.

199. De s. Iohanne Evangelista.

1. Scribam evangelii,
Custodem triclinii,
Collaudemus hodie,

2 a. Qui dum pullos eligit
Et obtutum dirigit
In solem iustitiae,

2 b. Visus non reflectitur;
Propter hoc depingitur
Aquilina facie.

3 a. Eum Dei filius
Amans specialius
Quibuscumque ceteris

3 b. Traxit a proposito,
Licet non illicito,
Ducendae mulieris.

4 a. Castitate placuit
Et, qui thoros respuit,
In cena recubuit
Supra pectus Domini.

4 b. Cuius in armario
Legit eius visio,
Quorum se locutio
Non indulget homini.

5 a. Quae vel erunt
Vel fuerunt,
Eius menti
In praesenti
Sunt oblata speculo

5 b. Et primarum
Vis causarum,
Et quis in his
Debet finis
Evenire saeculo.

6 a. Hic Mariae
Pius piae
Candor floris,
Flos candoris,
Virgo, summae virginis

6 b. Fit tutela
De cautela
Morientis
In tormentis
Divinae propaginis.

7 a. Tres veneno toxicati
Surgunt in occursum fati,
Quos suscitat mirifice
Solo contactu tunicae.

7 b. Gemmas facit ex arena,
Vinum illi sunt venena,
Et fervor praebet olei
Suavitatem balnei.

8 a. Tumbam petit quasi stratum,
Manna supplet viri statum,
Sive corpus sit ablatum,
Sive sit in gloria.

8 b. O Iohannes Deo grate,
Fac, ne separemur a te,
Sed te duce, te primate
Vivamus in patria,

9. Ubi pax et gloria.
Amen dicant omnia.

Miss. Abrincense imp. Rotomagi 1505. — 1, 1 Scriba. — Mel.: Mane prima sabbati.

200. De s. Iohanne Evangelista.

1 a. N . . . . . .
. . . servitium
Duodenum milium
Agnum collaudantium
Iucunda laudatio.

1 b. Gaudet ad martyrium,
Fervens intrat dolium
Nec sentit incendium,
Sentiens remedium
Virtutis remedio.

2 a. Eius inclinatio
Supra pectus regium
Ipso fontis fluvio
Regis evangelio
Potat evangelium.

2 b. Lucifer officio
Praestans beneficium
Toto fulget radio;
Crede lucis nuntio
Nam lux mittit nuntium.

3 a. Impiis ludibrium,
Agitur dum passio,
Sentit mater gladium,
Zebedaei filium
Concipit pro filio.

3 b. Serviens sacrarium
Servat cum obsequio,
Unde centenarium
Complens vitae spatium
Hoc contentus spatio.

4 a. Tribus in eloquio
Donans testimonium,
Maior ministerio
Regis in cellario
Dispensat cellarium,

4 b. Astans in solario
Lilium convallium
Servulos cum gaudis
Regnans in palatio
Trahat ad palatium.

Collect. ms. liturgic. Aureliense saec. 13. in. Cod. Archivii Lemovicen. D 1221. — 2 a, 1 Cuius, gegen das Akrostichon, welches Evangelista oder Iohannes Evangelista lauten wird. Somit fehlen im Anfange 3 oder 11 Strophen.

201. De s. Iohanne Evangelista.

1 a. Congaudentes
Cantemus tibi, rex Christe,
Alleluia,

1 b. Recolentes
Iohannis Evangelistae
Magnalia.

2 a. Hunc Christus discipulum,
Praeelectum famulum,
Praeamavit;

2 b. Huic de cruce virginem,
Ex qua sumpsit hominem,
Commendavit.

3 a. Hic concentus caelicos
Et choros angelicos
Contemplatur

3 b. Divinique generis
Seriem prae ceteris
Indagatur.

4 a. Aurum fit de frondibus,
Gemmae de silicibus
Huius prece;

4 b. Quae effertur mortua,
Surgens abit vidua
Spreta nece.

5 a. Cratonis discipuli
Pro favore populi
In contemptu saeculi
Gemmas cedunt;

5 b. Sed in Christi nomine
Crucis medicamine
Solidato fragmine
Cuncti credunt.

6 a. Hic fervorem balnei
Bullientis olei
Medicina fidei
Temperavit.

6 b. Hic exsul ludibria
Et tormenta varia
Dei plenus gratia
Superavit.

7 a. Ad cenam gloriae
Vocatus hodie
De lacu nostrae
miseriae,

7 b. Fruitur requie
Plena laetitiae
Iohannes, lumen
ecclesiae,

8 a. Cuius ob meritum
Dimittens debitum
Praesens, futurum,
praeteritum,

8 b. Christus post obitum
Nobis immeritum
Caeli concedat
introitum.

Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicen. 99. A. — Miss. ms. Ebroicense saec. 14. Cod. Rotomagen. 304. B. — Miss. Ebroicense imp. Rothomagi 1497. C. — Miss. Lexoviense imp. Cadomi 1504. D. — Miss. Lexoviense imp. s. l. et a. E. — Miss. Ebroicense imp. Parisiis 1527. F.

3a, 3 Admiratur E. — 3b, 3 Contemplatur E. — 5a, 2 Ob favorem E. — 5a, 3 In contemptum E. — 6b, 3 Plenus Dei E. — 7b, 2 Caelestis curiae E. — 8b, 1 Christum C; Deus E. — Mel.: Laetabundus mit Wiederholung der Schlufsklauseln.

202. In s. Iohannis ante Portam Latinam.

1 a. Ad superna revolare
Gaude, plebs fidelium,
Quo Iohanni fabricare
Decet domicilium.

1 b. Vir excelsus indagare
Meruit mysterium
Trinitatis aquilare
Transscendens vestigium.

2 a. Virgo nubens est electus
Et a Deo plus dilectus,
Puritatis titulus,

2 b. Supra cuius dormit pectus,
Elevatur intellectus;
Nec leo nec vitulus,

3 a. Sed nec homo; sed quid? avis
Reserans caelestia,
Secretorum Christi clavis,
Abundans scientia,

3 b. Norma vitae, sensu gravis,
Ornatus modestia,
Placans aequor mundi, navis
Redundans iustitia.

4 a. Cui Christus pendens in cruce
Matrem maestam fletibus
Commendavit, lux de luce
Radiat in montibus.

4 b. Sicut nucleus in nuce
Servatur, sic artubus
Incombustus Christo duce
Triumphat ab hostibus.

5 a. Drusianam suscitavit,
Reparator corporum,
Tristem magum superavit,
Nec nocet mortiferum.

5 b. Virgas in aurum mutavit
[Ex]stirpator scelerum,
Muris altis coruscavit
Firmamentum siderum.

6 a. Vitae cursu terminato
Postque Pathmos insulam
Grege suo commendato
Sanus intrat foveam.

6 b. Hinc ad caelos cursu grato
Trahitur per nebulam;
Sic nos trahat ex grabbato,
Poscimus, ad gloriam.

Miss. Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527. — 2a, 3 titulis, gegen den sonst gewahrten Reim.

203. In s. Ismidonis, Ep. Diensis.

1 a. Dia psalle, Dia plaude,
Diem laetum duc in laude,
Celebrare digna gaude
Festa digni praesulis.

1 b. Diem iacta tuum, Dia,
Est Ismido cum Maria,
Sanctum sanctus, Rachel Lia
Recitent miraculis.

2 a. Praedecessor successori,
Senex cedit iuniori,
Sponso nubit meliori
Diensis ecclesia.

2 b. Natus copula legali
Sanctitate speciali
Et doctrina litterali
Dei fulget gratia.

3 a. Doctor factus docet fidem,
Tres personas unum idem;
Verbo vita factus pridem
Pontifex fit sanctior.

3 b. Contemplatur, orat, legit,
Sed et gregem vigil regit
Et se spernens Deo degit
Homine sublimior.

4 a. Hierusalem bis profectus
Sudat, psallit vir perfectus,
Et, cum redit, sponsae pectus
Decorat reliquiis.

4 b. Ornamenta defert ei,
Quae sunt signa sacrae rei,
Sponsam zelans zelo Dei
Dotat sponsaliciis.

5 a. Verbo lupus effugatur,
A quo puer devoratur,
Super fure vindicatur,
Sed plangit interitum.

5 b. Mundum reputans ut faecem
Sedet annis octo decem,
Post tres menses subit necem
Deo reddens spiritum.

6 a. Caeci vident, mutus fatur,
Paralyticus sanatur,
Surdo vinea servatur
Reseratis auribus.

6 b. Vincti rumpunt vinclum forte,
Quin Augustae patent portae,
Duo surgunt et a morte
Sudariis testibus.

7 a. Longum esset numerare,
Qui sanantur, quot et qua re;
Sic vult Deus revelare
Sanctum mirabilibus.

7 b. Nos et, Iesu, qui haec facis,
Fac, non fallat ars fallacis,
Trahe nos ad regna pacis
Ismidonis precibus.

Missale Diense imp. Parisiis 1499. — 4a, 3 reddit. — 7a, 3 Si vult.

204. De sancto Iterio.

1. Iterii sacra gesta,
Sion, pangens manifesta
Cum dulci melodia.

2 a. Huic pupillo mors pusillo
Tam paterna quam materna
Abstulit auxilia.

2 b. Quem assumpsit Deus pater,
A quo datur ei mater
Frugi philosophia.

3 a. Hunc studens haec erudire
Facit quaeque eum scire
Sciri possibilia.

3 b. Licet artem sciat quamque,
Plus ethicam physicamque
Habet in memoria.

4 a. Mores docet ethica,
Morbos sanat physica,
Quae sunt necessaria.

4 b. Plus istarum artium
Placet exercitium
Ad plebis suffragia.

5 a. Mores serit, morbos sanat,
Ab eodem duplex manat
Opis affluentia.

5 b. Fama volans laudes edit,
Ruunt aegri, sospes redit
Quilibet ad propria.

6 a. Laude timens mentem quati,
In eremo latens pati
Multa ducit anxia.

6 b. Ibi tandem reperitur
Et a multis hic aditur,
Cunctis dat remedia.

7 a. Fama scitur circumquaque,
Huc aperte fluit quaque
Plebis abundantia.

7 b. Via fit latissima,
Quae fuit strictissima
Vixque feris pervia.

8 a. Vult cedendo laudis guerrae
Ad Ligures se transferre
Discedens a Gallia.

8 b. Mandat Deus, ne discedat,
Sed mittendis viris credat
A Romana curia.

9 a. Duo viri sensus miri
Sunt electi et directi
Per papam in Franciam.

9 b. Dum mandata sibi data
Exsequuntur, perducuntur
Ad sancti notitiam.

10 a. Eius fama sanctitatis,
Scientiae, potestatis
Tandem nota fit legatis
Per experientiam.

10 b. Ab his papae praesentatur,
Inde papa gratulatur,
Romae multa plebs sanatur
Propter sancti gratiam.

11 a. Misso scripto de supernis
Episcopus fit Nivernis,
Solaciis urbs paternis
Orans currit obviam.

11 b. Fit contractus per hunc sanus,
Et post terga vinctus manus
Adeptus est vir insanus
Sanitatis copiam.

12 a. Cathedratur pastor bonus,
Non decus sumens sed onus,
Gregem docet, fovet, servat,
Carni suae coacervat
Summa paenitentia.

12 b. Cum sic diu plebem rexit,
Hunc ad caelos Christus vexit,
Cuius prece sic in caelis
Nobis, Christe, dare velis
Sempiternam gloriam.

Miss. Nivernense imp. Parisiis 1490. — 2 a, 1 papillo. — 3 a, 1 Hanc. — 11 b, 1 per tunc. — 11 b, 2 victus. — 12 a, 4 coaservat. — Mel.: Laudes crucis.

205. De s. Iuliano Brivatensi.

1 a. In hac die triumphavit
Iulianus et migravit
Ad caeli fastigia,

1 b. Triumphavit die ista
Verus Christi agonista
Miranda victoria.

2 a. De Vienna cum fugisset,
Et Brivatum hunc duxisset
Divina clementia,

2 b. Venit hostis cum furore
Ipsum quaerens lupi more
Propter iussa regia.

3 a. Iulianus palmam dari
Gaudet sibi et parari
Gloriosa proelia.

3 b. Ad lictorem properavit
Ei libens se monstravit
Dei fretus gratia:

4 a. Ecce, assum miles Christi,
Ecce, caput, quod quaesisti,
Ecce, prompta hostia!

4 b. Tamquam agnus mansuetus
Inclinavit caput laetus
Passurus supplicia.

5 a. Caput lictor amputavit
Et sic Christo immolavit
Bestiali furia.

5 b. Iuliane, sic vicisti,
Iuliane, sic venisti
Ad Christi vestigia.

6 a. Usque fontem sanguis manat,
Unda fontis aegros sanat,
Ut monstrant prodigia;

6 b. Curam habent pietatis
Duo senes et aetatis
Novae sumunt praemia.

7 a. Quem cum vellent sepelire,
Meruerunt mox audire
Angeli consilia,

7 b. Ubi corpus poneretur,
Plebs fidelis mereretur
Martyris suffragia.

8 a. O quam digna, quam beata,
Quam excellens est Brivata!
Gaudeat ecclesia,

8 b. In qua iacet martyr Christi;
Pastor bone, gregi isti
Praesta patrocinia.

9 a. Clerum tuum in hoc mari
Non permittas naufragari,
Sed Christo concilia,

9 b. Ut possimus tibi digne
Resonare, o benigne,
Laudes et praeconia.

10 a. Tu solamen miserorum,
Tu patronus peccatorum,
Tu nostra fiducia,

10 b. Fac nos tibi adhaerere
Et cum sanctis congaudere
In caelesti curia.

Trop. ms. Floriacense saec. 11. Cod. Parisin. Nouv. acq. 1177 add. saec. 14. A. — Missale Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527. B. — 7 a, 1 Qui B.

206. De s. Iuliano Cenomanensi.

1 a. Laetetur ecclesia
Devotione pia,
Celebrans sollemnia
Cum gaudio

1 b. Iuliani praesulis,
Fulgentis miraculis,
Psallat novis modulis
Haec contio.

2 a. Hunc morum nobilitas,
Bonae vitae sanctitas
Ornant atque claritas
Suae gentis,

2 b. Defensor et civitas,
Fontis clari novitas
Et puellae sanitas
Resurgentis.

3 a. Iuliani precibus
Dat Deus ardentibus
Ceterisque omnibus
Remedium.

3 b. Ad te suspirantibus,
Festum celebrantibus
Devotis visceribus
Da gaudium.

4 a. Vas misericordiae
Et doctor egregie,
Preces nostras hodie
Fer in caelis.

4 b. Da ut frui gratia,
Pace et concordia
Valeat ecclesia,
Praesul felix.

5 a. Bone pastor ovium,
Saluti fidelium
Subvenias omnium
Ante Deum.

5 b. Sancte praesul nobilis,
Nobis invisibilis
Custos, amicabilis
Sis in aevum.

Miss. ms. S. Trinitatis Vindocinensis anni 1457. Cod. Vindocinen. 16. A. — Miss. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin. 868. B. — 3 b, 1 supplicantibus B. — In B geht der Prose das Alleluia Plaudat urbs Cenomannica voraus. Cfr. Anal. X, 214. — Mel.: Mariae praeconio.

207. De s. Iuliano Cenomanensi.

1. Iuliani sacri laudes
concinant christiani.

2 a. Hic primo Cenomanenses,
paganos errantes,
reconciliavit
peccatores.

2 b. Caeco lumen redditur,
statim rex baptizatur
credensque Christo
regnat vivus.

3 a. Dic nobis, puella,
quid vidisti in via?
Rivum fontis decurrentis
prece facta protinus
surgentis.

3 b. Hic baptizat testes
tunc deponentes vestes.
Puer assistit ad cenam,
pergit post Christum
Gallilaeam.

4 a. Igne curantur accensi,
sanantur obsessi,
qui vexantur
daemone fallaci.

4 b. Scimus illum suscitasse
tres mortuos vere;
tu nobis, Christe
rex, miserere.

Missale Cenomanense imp. Parisiis 1494. A. — Missale Cenomanense imp. Parisiis 1517. B. — Missale Cenomanense imp. Parisiis 1559. C. — 2 b, 3 Christus B. — Mel. natürlich: Victimae paschali laudes.

208. De sancto Iusto.

1. Resonet fidelium
ecclesia,

2 a. Claris vocibus
inclita

2 b. Celebrans Iusti
merita.

3 a. Qui novennis, clara

3 b. Natus prosapia,

4 a. Floruit ut lilia

4 b. Fide atque iustitia.

5 a. Quos tam felici nato
Christi ditavit gratia,

5 b. Felix uterque parens,
Iustinus et Felicia,

6 a. Martyrii gloria. * * * * * * Iustus namque, * * mitis hostia * *

6 b. Futurus, mox
ab infantia
Contempsit mortalia,

7 a. Studens divinis;
sic ambiebat
caelestia,

7 b. Christo devotus
ut adhaereret
per omnia.

8 a. Plura virtutum
inter insignia
mentis meruit praesagia,

8 b. Per quae provectus,
dum cum patre una
divina fisus clementia

9 a. Fratrem captivum
urbe ab remota
reduxit per superna
nactum indicia,

9 b. Insequens lictor
parvi caedit colla,
sic martyr caeli clara
intrat palatia.

10 a. Ubi nunc rosea
triumphans nitet laurea,

10 b. Inter collegia
innocentum pia

11. Niveum sequens
agnum sine macula,
cui sit laus praeclara.

Missale Belvacense imp. Rotomagi 1414. A. — Missale Belvaecense imp. Parisiis 1538. B. — 3b, 1 Factus prosapia A. — 4b hat eine Silbe mehr als 4a, nach Analogie der Stammsequenz. — Mel.: Concinat orbis cunctus.

209. De sancto Ivone.

1. Victorem hostis vesani
collaudant Christiani.

2a. Novum sidus occidens,
Orientem praevidens,
Exemplo convertit
peccatores.

2b. Licet sit in duello
Mundi, hostis flagello
Et mundo mortuus,
caelo vivus.

3a. Quem innuit Maria
adaequandum de via,
Ivo, Britannae gentis,
Lucem videt
resurgentis.

3b. Dum sustulit pestes,
Angeli sunt testes;
Comtempsit Ivo lutea,
Quem sumpsit Iesus de
Gallilaea.

4a. Nam credidit magis soli
sophiae veraci,
Quam mundanorum
dolo fallaci.

4b. Scimus istum erexisse
multos de funere;
Tu nobis, victor
rex, miserere.

Miss. ms. Venetense saec. 15. Cod. Rotomagen. 307. — 3b, 4 Zwei Silben zu viel. — Mel.: Victimae paschali.

210. De sancto Ivone.

1a. Adest dies laetitiae,
Qua propulsor miseriae
Et impetrator veniae,
Beatus Ivo colitur.

1b. Ergo panganus hodie
Laudes suae memoriae
Et eximiae gloriae,
Qua in caelo perfruitur.

2a. Ubi ab ipso cernitur
Rex in serena facie
Et celsus thronus Mariae,
Qui regis throno iungitur.

2b. Mortuis vita redditur,
Aegris salus refunditur,
Caecis lux restituitur,
Claudis gressus revertitur.

3a. Mutorum lingua solvitur,
Vinctorum funis rumpitur,

3b. Aqua fluens dividitur,
Postis longus efficitur.

4a. Incendium extinguitur,
Maris tumor reprimitur,

4b. Hydropisis consumitur
Et paralisis demitur.

5 a. Equus praesulis capitur,
Sed per sanctum eripitur,

5 b. Et sic captor confunditur,
Nec inde damnum sequitur.

6 a. Pauper sordens suscipitur,
Secum silens convescitur,

6 b. Et, dum reproficiscitur,
Splendens et fulgens cernitur.

7 a. Vir a rota substruitur,
Aqua praefluens sistitur,
Vir a subtus extrahitur
Et nihil mali patitur.

7 b. Barbara gens ambigitur,
Postea credens redditur,
Ecclesia eripitur,
Quam qui superat, punitur.

8 a. Abbas captus traicitur,
Navis luto subfigitur,
Liber perditus redditur,
Praedo pavore traditur.

8 b. Abbas abire sinitur,
Daemonium eicitur,
Aeris pestis pellitur,
Stragis clades compescitur.

9 a. Plane, quod pie poscitur,
Ab Ivone tribuitur

9 b. Et completur propitie
Ex ubertate gratiae,

10 a. Qua ad aulam introitur
Regis summae potentiae,
Cuius regnum non finitur.

10 b. Ipse, qui cuncta largitur,
Nos coascribat curiae,
Quae curae non inscribitur.

Miss. ms. S. Petri Cadomensis anni 1451. Cod. Mancel. s. n. — 8 a, 4 tacitur. — Nach 8 b, 3 folgt nach Hostis furor refellitur. — 7 a und b bilden in der Hs. nur eine Clausel, wohl aus Versehen. Ist Umdichtung von Nr. 211.

211. De sancto Ivone.

1 a. Decus ac decor Galliae,
Lux et splendor Britanniae,
Laus et honor Trecoriae,
Beatus Ivo colitur.

1 b. Ergo laudes eximiae
Suae dentur memoriae
Ac praeimmensae gloriae,
Qua in caelo perfruitur.

2 a. Ubi ab ipso cernitur
Rex in serena facie
Et celsus thronus Mariae,
Qui regis throno iungitur.

2 b. Illic sibi conceditur
Subvenire propitie
Humanae indigentiae,
Ut per orbem dignoscitur.

3 a. Mortuis vita redditur,
Aegris salus refunditur,

3 b. Caecis lux restituitur,
Claudis gressus revertitur.

4 a. Mutorum lingua solvitur,
Vinctorum funis rumpitur,

4 b. Aqua currens dividitur,
Postis longus efficitur.

5 a. Incendium extinguitur,
Maris tumor reprimitur,

5 b. Hydropisis consumitur,
Et paralysis tollitur.

6 a. Dum hostia sustollitur,
Fulgor circum prospicitur;

6 b. Fetus in matre moritur,
Sed incolumis oritur.

7 a. Pauper sordens suscipitur,
Secum simul convescitur
Et, cum inde regreditur,
Valde splendens conspicitur.

7 b. Vir a rota substernitur,
Et aqua fluens sistitur,
Vir a subtus extrahitur
Et nihil mali patitur.

8a. Archipraesul affligitur
Febre morique creditur,
Pro quo Ivo deposcitur,
Et vita sanus potitur.

8b. Daemonium eicitur,
Aeris pestis pellitur,
Hostis furor refellitur,
Stragis clades compescitur.

9a. Plane, quod pie petitur,
Ab Ivone tribuitur

9b. Et completur plenarie
Ex ubertate gratiae,

10a. Qua ad aulam introitur
Regis summae potentiae,
Cuius regnum non finitur.

10b. Ipse, qui cuncta largitur,
Nos coascribat curiae,
Quae curis non committitur.

Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Sangenovefian. 97. A. — Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisin. 831. B. — Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisin. 857. C. — Miss. ms. Venetense saec. 15. Cod. Rotomagen. 307 (A 434) D. — Sequent. ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Ravennaten. 360 (139. 5. S). E. — Missale Redonense imp. Parisiis 1492. F. — Missale Andegavense imp. [Parisiis] 1489. G. — Missale Constanciense imp. Rotomagi 1499. H. — Missale Macloviense imp. Rotomagi 1503. I. — Missale Lexoviense imp. Cadomi 1504. K. — Missale Lexoviense imp. Cadomi 1517. L. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523. M. — Missale Constanciense imp. Rotomagi 1524. N. — Missale Leonense imp. Parisiis 1526. O. — Missale Lugdunense imp. Lugduni [1530] P. — Missale Redonense imp. Parisiis 1533. Q. — Missale Bicterrense imp. Lugduni 1535. R. — Missale Briocense imp. Rotomagi 1543. S. — Missale Lexoviense imp. s. l. et a. T. — Missale Lexoviense imp. in Ponte Audomari 1547. U.

1a, 1 et decor LMQU; decor gloriae R; Zeilenstellung 3124 EGMO. — 1a, 3 Tricoriae D; Trecorice I; Trecoriae fehlt Q; et fehlt EO. — 1b, 2 dantur R; dentur suae EGMQ. — 1b, 3 perimmensae T, immensae M. — 2a, 3 Excelsus R. — 2b, 2 propitie fehlt M. — 2b, 4 Et per E. — 3a und 3b umgestellt EGMQ. — 3a, 1 und 2 umgestellt EGMQ. — 3a, 2 effunditur AGMQR. — 3b, 1 und 2 umgestellt EGMQ. — 3b, 1 Lux caecis GMQ. — 4b, 2 Posti N; Pestis longe R; Hostis longe D. — 5b, 2 paraclisis R. — 6a und b fehlen E. — 6b, 1 in mare N. — 6b, 2 in columnis R. — 7a, 1 suspicitur N. — 7a, 3 dum E; egreditur EMQ. — 7b, 1 Dira rota N; roto T. — 7b, 3 extrahatur G. — 7b, 3 u. f. fehlen E. — 7b, 4 mali trahitur R. — 8a, 3 quo fehlt E; desposcitur D. — 8a, 4 bis 9a, 1 fehlen E. — 8a, 4 fruitur B. — 8b, 3 repellitur T. — 10a, 1 Qui R. — 10b, 1 Ille EGMQ. — 10b, 2 Nos ascribat huic curiae P; Conscribat nos curiae E. — 10b, 3 curis non innititur. R. —

212. De sancto Ivone.

1. Ave, decus Britanniae,
Ivo, cultor iustitiae,
In mundo qui positus

2a. Vigilabas et orabas
Ac studio pernoctabas
Brevi somno deditus.

2b. Carnem domans cilicio
Et frequenti ieiunio
More doctus mistico.

3a. Duas partes diversorum
Ieiunabat hic annorum
Solo pane rustico,

3b. Grosso, nigro, quem sumebat
Semel, et aquam bibebat
Per modicum spatium.

4 a. Trina parte
restante temporis
Bis sumebat
conditis ferculis
Solum pulmentarium.

4 b. Talem vitam
gessit septennio,
Salvo quod in
paschali gaudio
Addebat ovadium.

5 a. De bonorum residuo
Reficiebat mutuo
Iesu Christi pauperes,

5 b. Quorum causas dirimebat
Sive gratis sustinebat
Contra duros proceres.

6 a. Tanta sponte sustinebat,
Qui curatus exsistebat
Abundans divitiis,

6 b. Quas dabat cum peculio
Et suo patrimonio
Manibus cum propriis.

7 a. Quaterdecim suscitavit
Mortuos atque sanavit
Caecos et balbutientes,
Mutos et furientes.

7 b. A maris et tempestatis
Hominibus suffocatis
Et domibus concrematis
Subvenit periculis.

8 a. Atque tribus puerperis
Subvenit et partubus,
Ter suspenso, de superis
Cadenti cum artubus.

8 b. Aqua mersum, rota raptum
Ad omnia dedit aptum
Et mamillae lac sterili
Perditum restituit.

9 a. Eius mira quis noverat
Infinita, quae fecerat,
Nisi stellas qui numerat
Contribuens praemia?

9 b. O confessor sanctissime,
Ivo, pater piissime,
Insidiantes reprime,
Propelle cuncta noxia.

10 a. Tibi, Christe, supplicamus,
Nos qui semper deliramus,
Ut securi transeamus
Mundana naufragia;

10 b. Et a culpis nos emunda,
Ne labamur ad profunda,
Sed cum ipso mente munda
Regnemus in gloria.

Missale Baiocense imp. Rotomagi 1501. A. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1504. B. — Missale Baiocense imp. s. l. 1529. C. — Missale Baiocense imp. [Rotomagi] 1545. D. — 2 b, 3 docti ABCD. — 4 b, 3 ova duo ABC, gegen den Reim. — 6 a, 1 Tanti B. —

213. De sancto Ivone.

1 a. Caelum sacrum ecclesiae
Emisit novum radium,
Ivonem, eius filium,
Fontem lucis Britanniae.

1 b. Hic speculum scientiae
Sacrum dilexit studium,
Quo venit ad fastigium
Divinae sapientiae.

2 a. Viam latam lasciviae,
Mundanum iter devium,
Despexit et ad bravium
Pervenit castimoniae.

2 b. Apicem paenitentiae,
Praecipue ieiunium,
Servavit et sic proelium
Vicit carnis discordiae.

3 a. Compatiens miseriae
Pauperum, mendicantium,
Nil volens transitorium,
Succurrit indigentiae.

3 b. Hic amator concordiae
Iunxit corda discordium,
Agens rectum iudicium
Reformator iustitiae.

4 a. Vis divinae potentiae
Miraculorum omnium
Dedit illi praeconium
Praegrandis efficaciae.

4 b. Sibi aves et bestiae,
Mors, morbi, fluctus marium
Oboediunt, insignium
Possidens innocentiae.

5 a. Signo crucis eximiae
Hic bis divisit fluvium
Et extinxit incendium
Efficacis saevitiae.

5 b. Caelestis pastu gratiae
Nullum sumens edulium
Septem dierum spatium
Transit gustator gloriae.

6 a. Morbum curat dementiae
Et expellit daemonium
Et coetui viventium
Iunxit defunctos varie.

6 b. Fons fuit patientiae
Et exemplar humilium,
Contemnens vituperium
Tetragonus constantiae.

7 a. Pauperum amicitiae
Intentus patrocinium
Dat eis et consilium
Gratis spretor pecuniae.

7 b. Sincerae conscientiae
Sitit salutem plebium,
Ut per sacrum eloquium
Det viam indulgentiae.

8 a. Hic sacrae eucharistiae
Salutis sacrificium,
Cibum sanctorum mentium,
Offerebat cottidie.

8 b. Virginalis munditiae
Cordis et carnis lilium
Deferebat cilicium
Asperitatis nimiae.

9 a. Spreta vestis mollitie
Tunicam, epitogium
Induit et caputium
De panno grosso patriae.

9 b. Gentibus regis Franciae
Praesulis equum, iurium
Zelator spiritalium,
Hic abstulit egregie.

10 a. Hic in anno laetitiae
Caeli possedit solium;
Tale Christi imperium
Rosae tenent clementiae.

10 b. Cuius caelestis curiae,
Sancto Ivo, solacium,
Divinum stillicidium
Nobis procurà gratiae.

Miss. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin. 868. A. — Miss. Andegavense imp. [Parisiis] 1489. B. — Miss. Andegavense imp. Rothomagi 1523. C. — Miss. Andegavense imp. Rotomagi 1504. D. — 1 b, 2 Sacro CD. — 1 b, 4 Divitiae B. — 2 a, 2 Mundanam BCD. — 4 b, 4 Das Partizip vertritt, wie so oft, das Verbum finitum. — 5 a, 3 exstinguit BCD. — 7 b, 3 Et per BCD. — 7 b, 4 Dat BCD; vitam C. — 9 a, 4 De panno rudi BCD. — 10 a, 3 Tali ACD.

214. De sancta Katharina.

1 a. Ad honorem Katherinae,
Virginis atque reginae,
Fiant haec sollemnia.

1 b. Tempus habens iuvenile,
Verbum promens cor senile
Dura frangit vitia.

2 a. Docta Christum demonstravit,
Quod nunquam rex immolavit
Deo sed daemoniis.

2 b. Donis eam rex curavit
Depravare, sed firmavit
Se Dei obsequiis.

3 a. Trusit eam carcere,
Sed angelo propere
Virgo consolatur;

3 b. Lustrat eam spiritus,
Bonus rei exitus
Fore demonstratur.

4 a. Sapientes Christo iunxit,
Quos ab errore disiunxit
Plaudentes martyrio.

4 b. Porphyrium et reginam
Caeli mittit ad coronam,
Quo fruuntur gaudio.

5 a. Multos doctos palam vicit
Katherina, quos conduxit
In Dei servitio.

5 b. Per concessam vim divinam
Rota fracta fert ruinam
Gentili consortio.

6 a. Stridebat rex dentibus
Contra fidos invidus,
Qui baptizabantur.

6 b. Addebat supplicia,
Sed pro Christo talia
Pati plebs laetatur.

7 a. Stupor est in novitate
Fusa lactis ubertate,
Guttur dum exciditur;

7 b. Angelorum potestate
Monte Sina collocatae
Merces caeli redditur.

8 a. Dono trino coronatur,
Dum ab ea degustatur
Manna lactens gloriae.

8 b. Virginibus sociatur,
Martyrio gloriatur
Praedicatrix gratiae.

9 a. Sicut liquor tumbae gentes
Sanat, nostras ita mentes
Mundet a criminibus;

9 b. Post informet hic viventes,
Ut cum sanctis consedentes
Fruamur caelestibus.

Missale Diense imp. Parisiis 1499. — 1 b, 3 Dure frangunt.

215. De sancta Katharina.

1 a. Triumphalis o regina,
Flos regalis, Katherina,
Specialis medicina
Sis aegrorum omnium.

1 b. Quae tyrannum confudisti,
Quae confusi convertisti
Nuptam, quae pro fide Christi
Pertulit martyrium.

2 a. Quinquagenos oratores
Et convincis et errores
Horum solvens contemptores
Idolorum efficis.

2 b. Tu rotarum, virgo fidens,
Erectarum monstra videns,
Robur harum at allidens
Diruis et deicis.

3 a. Pro devotis vota fundis,
Pro cruore lac effundis,
Te in Sina de profundis
Manus fert angelica.

3 b. Membris manans liquor datur,
Aeger unctus quo salvatur;
Per te nobis largiatur
Unctio pneumatica.

Miss. Abrincense imp. Rotomagi 1505. Mel. Verbum bonum.

216. De sancta Katharina.

1 a. Katharinam gloriosam,
Dignam, venerabilem,
Stirpe quidem generosam,
Parvam tamen, humilem,
Sorte, sexu fragilem,
Fecisti victoriosam
Tibi, Iesu, pugilem.

1 b. Fulta fide non expavit
Tyrannum Maxentium,
Argumentis improbavit
Errorem gentilium,
Et doctores artium
Quadraginta confutavit
Virginis eloquium.

2 a. Disputando confutati
Fiunt mox christicolae,
Baptizantur aspernati
Sectae viam dyscolae,
Sectae pravae, frivolae,
Rogo dati nec cremati
Caeli fiunt incolae.

2 b. Hinc perversus rex molitur
Virginem pervertere,
Primum promissis blanditur
Contemptoque munere
Coepit minas addere;
His immota lacessitur
Nec terretur verbere.

3 a. Scorpionum post flagella
Iussu regis efferi
Carne lacera tenella
Virgo datur carceri,
Sed medentis vulneri
Sponsi maturam puella
Sentit opem superi.

3 b. Uxor regis baptizatur
Duce cum Porphyrio,
Tyrannus exasperatur,
Nec mora, martyrio
Felici cum socio
Iuncta Christo coronatur
Caeli sita solio.

4 a. Post haec rotae praeparantur
Mirandi moliminis,
Membra quibus confringantur
Gloriosae virginis,
Sed virtute numinis
Vehementi dissipantur
Ictu lapsi fulminis.

4 b. Tandem virgo decollata,
Quae liquore lacteo
Madet, est in Sina lata
A coetu sidereo;
Cuius a mausoleo
Fuso sanitate data
Languor cedit oleo.

Sequent ms. Sedunense saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Capit. Sedunen. s. n. A. — Sequent. ms. Sedanense saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Capit. Sedunen. s. n. B. — Missale Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527. C. — 1a, 2 Digne C. — 2a, 3 aspernatim C. — 3a, 1 Scorpium C. — 3a, 3 Carnem lacerat C. — 3a, 5 medenti AB. — 4a, 7 lapsu A.

217. De sancta Katharina.

1 a. Glorientur virgines
de virginis conflictu,
Quae pretio nec prece
nec mina vult nec ictu
Ad idola deflecti,
Sed fit magistra recti
Sponsi memor electi.

1 b. Gratulentur homines
exemplum sibi dari
In sexu tam fragili,
quod velint imitari;
Nam fragilis luctatur,
Et fortis superatur,
Sic Deus operatur.

2 a. Sapientes accersiti
Instant, virgo nomen Christi
Praedicat et gloriam,

2 b. Dumque probat, quod proponit,
Vincit prorsus et deponit
Eorum superbiam.

3 a. Victi cedunt,
Christum credunt
Sacro pleni dogmate,

3 b. Post cremantur
Et beantur
In superno climate.

4 a. Tyrannus non flectitur,
Carcere recluditur
Katharina;

4 b. Horror omnis pellitur,
Nam intus refunditur
Lux divina.

5 a. Porphyrio regina duce
Intrat, pavet visa luce
Recessura.

5 b. Illam virgo consolatur:
Veni, Christus te dignatur,
Sis secura;

6 a. Deos sperne viliores,
Christum credas et adores
Mente pura.

6 b. Credit, redit imperatrix,
Dei vivi praedicatrix
Iam futura.

7 a. Audit, furit nequam ille,
Iubet illae ut mamillae
Divellantur.

7 b. Illam tamen hoc non movet,
Se potius Deo vovet,
Quod mirantur.

8 a. Coronatur martyrio,
Post modicum Porphyrio
Comitata.

8 b. Ad fidem multa trahitur
Turba, quae primos sequitur
Morti data.

9 a. Additur scelus sceleri,
Traditur novo generi
Virgo poenae.

9 b. Advolans fulmen caelitas
Machinam vertit funditus
Coram sene.

10 a. Iam plebs Christo fit devota,
Ensi colla dat immota;

10 b. Sic legio perit tota,
Regna petens sanctis nota.

11 a. Lictor ense iam armatur,
Virgo gaudens immolatur,
Pro cruore lac liquatur.

11 b. Obmutescit ovis tonsa,
Caeli penetrat absconsa
Et iungitur sponso sponsa.

12 a. Mons Sinai, nunc laetare,
Corpus habes puellare
Ab angelis structo lare
Manu cita.

12 b. Ergo, sponsa, martyr Christi,
Plebi clemens assis isti,
Fac, succedat vitae tristi
Vera vita,

13. Ubi salus inaudita,
Ubi pax est infinita.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 7b, 1 Illa. — 8a, 3 Commutata. — 9a, 1 scelus flesceri.

218. De sancta Katharina.

1 a. Adest dies Katherinae
Nobis praesens, sine fine
Quam decorat gloria.

1 b. Recolenda recolatur
Dies, in qua collocatur
Sidus inter sidera.

2 a. Costi regis proles clara
Huius vitae per amara
Cursus capit bravium,

2 b. In agone Christus ei
Subministrat requiei
Caeleste solacium.

3 a. Certat virgo, confortatur
In agone, superatur
Hostis, rex Maxentius.

3 b. Martyr pugnat. saevus stridet,
Cum minatur, virgo ridet
Exorans propensius.

4 a. Virginalis gaudet chorus,
Triumphanti consonorus
Triumpho victoriae,

4 b. Inter hostes triumphantem
Unum trinumque laudantem
Clamant Sion filiae.

5 a. De se prius praesumentes
Convincuntur sapientes
Virginis prudentia,

5 b. Ex iniustis fiunt iusti,
Suffocantur incombusti
Fidei constantia.

6 a. Rex convictus per doctrinam
Caedi iubet Katherinam
Et recludi carcere;

6 b. Visitatur a regina,
Lux illustrat quam divina
Ex superno munere.

7 a. Praesentantur tres coronae
Katherinae, ex sermone
Fortatur angelico.

7 b. Vincla spernit et tortorem.
Famem, sitim et laborem,
Deum laudat cantico.

8 a. Tortor saevit, cruciatur
Imperator, nec mutatur
Virginis facundia.

8 b. Parans iter sibi tutum
Reputavit velut lutum
Quaeque transitoria.

9 a. Tandem morte mors finitur,
Mors in vita sepelitur
Capitis sententia.

9 b. Terra manat lactis unda,
Nitens volat ut columba
Spiritus ad aethera.

10 a. Fovet Sina mons humatum
Corpus eius, iam translatum
Caelesti consortio.

10 b. De sepulcro semper manat,
Quae linitos aegros sanat,
Olei perfusio.

11 a. Nunc pro nobis, martyr, ora,
Ut coronet nos corona
Coaeterna Dominus,

11 b. Et perducat nos ad vitam
Tua prece requisitam,
Quam non claudit terminus.

Missale Cluniacense imp. in Cluniaco (Michael Wenseler) 1493. A. — Missale Cluniacense imp. Parisiis 1510. B. — Missale Cluniacense imp. Parisiis 1550. C. — 7 a, 3 Profertur.

219. De sancta Katharina.

1. Gaude, chorus, hac in die,
Dulcis melos symphoniae
Voce dando mutua.

2 a. Voci vita conformetur,
Sicque dies celebretur
Digna laude congrua,

2 b. Per quam nobis renovatur,
Quae condigne celebratur,
Festivitas annua.

3 a. Adest dies, qua divina
Luce virgo Katharina,
Costi regis filia,

3 b. Illustratur cum stola duplici,
Nacta sibi poena multiplici
Paradisi gaudia.

4 a. Haec in annis iuventutis
Sanctae iugum servitutis
Indefessa sustinens

4 b. Mundi sprevit gloriam,
Solam Christi praesentiam
Puro corde retinens.

5 a. Iubet Caesar tura dari,
Diis greges immolari,
Vana coli numina.

5 b. Audet virgo repugnare,
Vanos deos blasphemare
Detestans libamina.

6 a. Stupefactus rex decore
Singulari mox amore
Inflammatur noxio.

6 b. Prece tentat immutare,
Tormentorum superare
Quam nequit ludibrio.

7 a. Oratores advocantur,
Advocati superantur
Virginis facundia.

7 b. Gaudet grex fidelium,
Dum transit incendium
Ignis caro nescia.

8 a. Fornax regis Chaldaeorum
Sanam servat puerorum
Vitam cum corporibus.

8 b. Hic vita deponitur,
Sed caro non tangitur
Igneis stridoribus.

9 a. Uxor regis Christo credens
Et tortores antecedens
Cum duce Porphyrio

9 b. Post tormenta decollatur,
Quam non pauca comitatur
Militonum contio.

10 a. Hinc poenarum diversarum
Cruciatu non vincitur,
Sed insuper afficitur
Inaudito verbere.

10 b. Nox fugatur, illustratur
Luce clara virgo sancta,
Katharina retruditur
In horrendo carcere.

11 a. Rota rotae coaptatur,
Tota ferro constipatur,
Lacerando sublevatur
Martyr in eculeo.

11 b. Quae dum mori sic putatur,
Moles ingens dissipatur,
Plebs immensa morti datur
Ictu strata flammeo.

12 a. Ense tandem iugulatur,
Sanguis lacte commutatur,
Terra novi dealbatur
Cruoris aspergine.

12 b. Cuius corpus monte Sina
Non mortali sed divina
Vi translatum medicina
Olei vertigine.

13 a. Ave, virgo veneranda,
Virgo digne collaudanda,
Virgo totis exoranda
Viribus, ut ad optanda
Transferamur gaudia.

13 b. Nostrae mentis prece, munda,
Terge sordes atque munda,
Stola fulges quae secunda
Post reginam in iucunda
Beatorum patria.

Miss. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisin. 17317. A. — Miss. ms. Rotomagense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Portus Gratiae 325. B. — Miss. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Parisin 865. C. — Missale Rotomagense imp. Rotomagi 1491. D. — Missale Rotomagense imp. Rotomagi 1499. E. —

2a, 1 Voce C. — 4b, 1 sprevit haec D. — 4b, 3 Corde puro BDE. — 5a, 2 deis DE, dei B. — 7a, 1 adducuntur ACDE. — 8a, 1 Saldeorum B. — 8b, 2 Qua B. — 8b, 3 Militorum B. — 9a, 3 affligitur B. — 12a, 3 exornanda C. — 12b, 3 Stella B. — 12b, 4 quae iucunda C. — Mel.: Laudes crucis.

220. De sancta Katharina.

1 a. Ave, virgo generosa,
Katharina, rubens rosa,
Candorisque lilium.

1 b. Ave, gemma pretiosa,
Ave, virga fructuosa
Hortulani cordium.

2 a. Plantatoris in hac planta,
Salvatoris in hac sancta
Collaudetur bonitas;

2 b. Istam decet venerari,
Istam debet honorare
Humana fragilitas.

3 a. In fervore spiritus
Sibi dato caelitus
Irruit in regem;

3 b. Nec stupet nec metuit,
Sic errantem arguit
Christi servans legem.

4 a. Haec est legis aemulatrix,
Haec errorum confutatrix
Tollens idolatriam,

4 b. Haec rectorum superatrix,
Veritatis praedicatrix
Pandensque vitae viam.

5 a. Clausa fame cruciatur,
Sed a cibo sustentatur
Iussa Dei munere;

5 b. Caeli luce confortatur
Et a Christo visitatur
Existens in carcere.

6 a. Quam felix Katharina,
Ope fulta divina,
Quam potens eulogio!

6 b. Eius namque doctrina
Quam plures cum regina
Credunt et Porphyrio.

7 a. Rotas idem rex crudelis
Addit, sed virtus de caelis
Frangit opus impii.

7 b. Celsa demum martyr alma
Mortem subit, sic cum palma
Decedit martyrii.

8. O quam probat carnis florem
Corpus eius dans liquorem
Cum cruore lacteum.

Missale B. Martini Turonensis imp. Parisiis 1529. — 3 a, 1 In furore. — 6 a, 1 O quam felix. — 7 b, 3 Docebit.

221. De sancta Katharina.

1 a. De concordi lyra cordis,
Virtutum chordata chordis,
Laus vocalis prodeat,

1 b. Ut sic concordia pari
A nobis virgo laudari
Katharina valeat.

2 a. Cuius si fidem explores,
Prudentiam, genus, mores,
Formam et scientiam,

2 b. Inter chorum virginalem
Nullam invenies talem
Neque tam egregiam.

3 a. In primis igitur vide
De virginis tantae fide,
Quae pro Christi nomine

3 b. Poenas specus carceralis
Non expavit nec rotalis
Supplicium machinae.

4 a. Tanta prudens et instructa,
Nunquam, in nullo seducta
Per suam prudentiam,

4 b. Oleum in vase ferens,
Venientem sponsum quaerens
Sponsa venit obviam.

5 a. Decore nitens carnali,
Orta de stirpe regali,
Coepit ab infantia

5 b. Philosophiam scrutari
Et in caelis profundari
Causas et principia.

6 a. Quae coram imperatore
Nullo concussa timore,
Sed fortis constantia

6 b. Sapientes et astutos
Quinquaginta sua mutos
Reddidit industria.

7 a. Cuius sermone convicti
Crediderunt, sed edicti
Prolata sententia

7 b. Iussi sunt igne cremari,
Finientes fine pari
Pro fide martyria.

8 a. Quos ipsa post est secuta
Caput ense subdens tuta,
Sed post carnis exitum

8 b. Angeli, corpus humantes,
Eius Deo decantantes
Obtulere spiritum.

9 a. Signum autem est, quod ei.
Dum vixit, gratia Dei
Multa data fuerit,

9 b. Quod, ex quo sepulta fuit,
Olei de ipsa fluit
Liquor, qui non deperit.

10 a. Hanc ergo tam gratiosam,
Tam claram, tam pretiosam,
Tam insignem virginem

10 b. Toto corde requiramus,
Ut per ipsam veniamus
Ad beatitudinem.

Miss. Claromontense et S. Flori imp. Lugduni 1541. A. — 1 b, 2 virgo fehlt. — 3 b, 2 inveniens. — 3 b, 1 pecus carcerales. — 3 b, 2 rotales. — 4 b, 3 sponsae. — 8 a, 1 Quod. — 8 a, 2 ense.

222. De s. Katharina Senensi.

1 a. Christo regi iubilemus,
Sponsam eius collaudemus,
Katharinam virginem;

1 b. Ex civitate Senarum,
Cuius nomen est praeclarum,
Duxit haec originem.

2 a. Hanc Christus ab infantia
Repletam mira gratia
A mundo segregavit,

2 b. Virginitatis perennis
Virgo, dum esset septennis,
Votum Christo firmavit.

3 a. Ordinem paenitentiae
Intrat custos munditiae
In adulescentia,

3 b. Hinc integro silentio
Se retulit triennio
Contemplans caelestia.

4 a. Illata daemonum bella
Superavit haec puella
Diurno certamine,

4 b. Pugnat orationibus
Et flagellationibus
Multo fuso sanguine.

5 a. Pia succurrens miseris
Christum in forma pauperis
Vestivit celeriter,

5 b. Patienter dura ferens,
Aegris piam curam gerens
Servivit alacriter.

6 a. Cilicio virgo pura
Ferrique catena dura
Corpus mortificavit,

6 b. Animarum pro salute
Ter in die caesa rite
Sese disciplinavit.

7 a. Nullum cibum corporalem
Ad suam vitam mortalem
Annis multis edebat,

7 b. Sed sacram communionem
Per magnam devotionem
Cottidie sumebat.

8 a. Semper horis fere tribus
Rapiebatur sensibus
Sumpta communione

8 b. Saepeque corporaliter
Levabatur totaliter
Mira devotione.

9 a. O Dei providentia,
Qui summa sapientia
Grata quoque facundia
Virginem decoravit.

9 b. Nam magistros doctissimos
Et doctores clarissimos
Atque elegantissimos
Doctrina superavit.

10 a. Graves inimicitias
Et veteres discordias
Remissasque iniurias
Pacifice sedavit.

10 b. A Romanis furoribus
Urbanum sextum precibus
Et susceptis verberibus
Katharina salvavit.

11 a. Katharina, quae miseros
Peccatores innumeros,
Ne caderent ad inferos,
Salvasti salubriter,

11 b. Assis nobis propitia
Cunctaque pelle vitia
Et ad regna caelestia
Perducas finaliter.

Prosar. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Andegaven. 90. A. — Missale Redonense imp. Parisiis 1492. B. — Missale Redonense imp. Parisiis 1523. C. — Missale Redonense imp. Parisiis 1533. D. — 1a, 2 Eius sponsam BCD. — 1b, 1 Sena BCD. — 4a, 1 Allata A. — 7a, 1 Ut nullum BCD. — Str. 9b steht vor 8b BCD. — 9b, 2 doctores gravissimos BCD. — 10a, 3 Christus remissasque BCD. — 11a, 4 Servasti BCD.

223. De sancto Laudo.

1 a. Grato psallens
laudum praeconio
Laudo laudes
solvat haec contio,
Et resultet
sollemni gaudio
Plebs devota.

1 b. Laudus laudes
habere meruit,
Hic est enim,
qui vere tenuit
Vitae vias,
quem nulla polluit
Noxae nota.

2a. Vitae cuius
quae sint insignia,
Plane monstrat
in pueritia,
Duodennis
divina gratia
Praeelectus.

2b. Notum quidem
non est a saeculo,
Quod regendo
sic puer populo
Solo Dei
nutu praeambulo
Sit praefectus.

3a. Hic est puer,
quem Iesus medium
Statuendo
sibi vicarium
Praeelegit
delegans ovium
Praefecturam.

3b. Qui pastorem
secutus praevium
Et exemplar
factus humilium
Confessoris
gessit officium
Atque curam.

4a. Hic pastoris
adeptus apicem,
Salutaris
praegustans calicem,
Sibi hausit
et suis invicem
Propinavit.

4b. Hic pastoris
agens excubias
Mundi fastus,
carnis blanditias
Daemonumque
graves iniurias
Triumphavit.

5a. Ad hoc triplex
gementes proelium
Imploremus
huius auxilium
Sono vocis,
affectu cordium
Postulantes,

5b. Ut sacra nos
eius oratio
Pravitatis
emuncto vitio
Consoletur
in hoc exsilio
Laborantes.

Missale Constanciense imp. Rotomagi 1499. A. — Missale Constanciense imp. Rotomagi 1524. B. — 2a, 2 quaesivit insignia B. — 4a, 6 et suis lucem B. —

224. De sancto Laudo.

1a. Sancte Laude,
miles egregie,
Sis praesentis
memor familiae;

1b. Summi regis
astans praesentiae
Nos praesenta
caelesti curiae.

2a. Iam transacto
felici proelio,
Miles sancte,
gaudes de praemio;

2b. Nos in tuo
promptos obsequio
Prosequatur
tua protectio.

3 a. Nos in huius
vitae naufragio
Tua regat
iugis oratio,

3 b. Ut ad portum
caelestis patriae
Dirigatur
cursus ecclesiae.

4 a. Nos in tua
promptos praeconia
Regi regum
Christo concilia,

4 b. Nos ab huius
lacu miseriae
Duc ad portum
caelestis patriae.

5. Ubi tecum, miles egregie,
Perfruamur palma victoriae,
Quod det nobis Christus, rex gloriae.

Missale Constanciense imp. Rotomagi 1499. A. — Missale Constanciense imp. Rotomagi 1524. B.

225. De sancto Laurentio.

1. Ad te refertur, Christe,
martyrum, bone, palma,

2 a. Qua decorasti
martyres, redemptor
factus, Iesu pie,

2 b. Sanguinem tuum
fundens et reserans
hoc sanctis caelica.

3 a. Tanta bonitas
sanctis reboat
per cuncta,

3 b. Ardua cogens
illos scandere
gaudia.

4 a. Ascensus iste
panditur,
Laurenti, tibi,
dum temnis saeva

4 b. Zabuli tela,
triumphans
Christum praesentem
vides, athleta.

5 a. Pararat Iesus coronam,
tu certabas sustinendo
ignem spe bona.

5 b. Magister Sixtus dixerat:
tu, levita, gloriosum
triumphum feres

6 a. Lactea corona,
tirunculus fortis,
miles indomabilis.

6 b. Milia poenarum,
carcerem, cratem tu
sustinuisti, martyr.

7 a. Nam ecclesiae
thesauros, sancte,
christicolis dans
vincebas
poenarum incendia.

7 b. Patris radius
inflammabat te,
sanctum pneumaque
replerat
te, sancte deicola.

8 a. Saeptus angelorum
coetibus
et devicto
hoste nefando
spiritum

8 b. Emittis, vinctus
coronis
tu aureis
regna subintras
polosa.

9 a. Seraphim
tibi statim
obviant ignea,

9 b. Alarum
plausibus te
ferunt ad Dominum

10 a. Cantantia
doxologia.
Accepta ergo,
victor, munia;

10 b. Percipito
nostram in Christo
querelam, ibi
iungamur; fiat.

Missale Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527. — 2a, 1 Qua steht in der Quelle am Schlusse von 2a, 3. — 2b, 2 sq. et hoc reseras. — 4a, 4 tempus leva. — 8a, 2 civibus. — 8a, 5 sic spiritus. — 8b lautet in der Quelle: Immergis vincis coicis tu omicis stellia intrant polosa. — 10a, 3 Accepto. — 10a, 4 o victor.

226. In Revelatione s. Lazari.

1 a. Gaude, felix Aedua,
Dies adest ardua,
Omni plena gratia.

1 b. Iucundare, civitas,
Lazari dum recitas
Patroni festalia.

2 a. Laetare, Burgundia,
Tua per hunc gloria
Crescit et potentia.

2 b. Eius revelatio
Tua est protectio
Ab omni miseria.

3 a. Per hunc salus redditur
Cunctis, si exposcitur
Pura conscientia.

3 b. Sospitati traditur,
Quisquis hunc aggreditur
Fideli constantia.

4 a. Collaetetur igitur,
Aedua, quae fruitur
Corporis praesentia.

4 b. Aures reddat patulas,
Ad credendum sedulas
Cum digna memoria.

5 a. Ludovicus, rex Francorum,
Dux quoque Aquitanorum,
Sub quo vigent posterorum
Regum diademata,

5 b. Honestate pollens morum
Sollerti cura suorum,
Postquam a regno Gallorum
Expulerat schismata,

6 a. Gentem Saracenorum
Proponit invadere
Et terram perfidorum
Christi iugo subdere.

6 b. Ut eius dominio
Valeat subigere,
Quos cernit servitio
Daemonis subsistere.

7 a. Mox thesauri ecclesiae,
Ut sibi et militae
Valeant prosperari,

7 b. In patulum proferuntur
Et Christo laudes solvuntur
Pro statu militari.

8 a. Sic lucerna sempiterna
Aede quiescens externa
Iubetur reserari,

8 b. Ut, quae diu latuerat
Et lumine caruerat,
Posset manifestari.

9 a. Ad hoc dies praefigitur,
Quo sacrum corpus aditur
Martyris revelandum.

9 b. Praeses praeit, plebs sequitur,
A sepulcro educitur
Corpus hoc reverendum.

10 a. Sic ossa sacra Lazari
Praeses et multi praeclari
Cum laude et laetitia
Aede collocant propria.

10 b. Ad quam omnes concurrentes,
Morborum curam poscentes
Martyris per suffragia
Voti sumunt remedia.

11 a. O Lazare, martyr Christi,
Qui te nobis contulisti
Pastorem et patronum,

11 b. Plebi tuae, quam tu pascis,
Munus sacrum confer pacis,
Salutis quoque donum.

12 a. Quo cum Christo iam frueris
Nec plus mortem tu vereris,
Sed possides omnia
Tibi complacentia.

12 b. Ad hoc trahe te laudantes,
Tuo festo adgaudentes
Et perduc te venerantes
Ad caeli fastigia,

13. Ubi pax et gloria.

Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 119. A. — Miss. ms. Eduense saec. 15. ex. Cod. Semin. Eduen. 124. B. — Grad. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. s. n. C. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 115. D. — Miss. Eduense imp. Parisiis 1493. E. — 5 a, 2 Acquitanorum E. — 6 a, 1 Sarracenorum. — 10 b, 1 confluentes E. — 11 b, 1 Plebis E. — 12 b, 2 ad gaudentes ABCDE. — 13 pax est et E. — Mel.: Mane prima sabbati. — Vgl. Pellechet. Notes sur les livres liturgiques des diocèses d'Autun etc. S. 262 u. f.

227. In Translatione s. Lazari.

1 a. Psalle, plebs christicola,
Iesu clara praeconia,

1 b. Auge salutifera
commissi talenti lucra.

2 a. Anni orbita
nunc Lazari sollemnia
reducit placida,

2 b. Herilis cuncta
quem insignem per saecula
decorat gratia.

3 a. Istius a Bethania,
Ierosolymis proxima,

3 b. Exstitit soror Maria
sanctissima atque Martha.

4 a. Cuius quondam membra
languida
reliquit vitalis aura,

4 b. Et luce carebant
bis bina
intra monumenti saepta.

5 a. Pro quo petunt
germanae
Christi vestigia.

5 b. Non est inquit
haec sother
mors, sed Dei doxa.

6 a. Irrigans nunc ora
lacrimis pia:

6 b. Perge, infit, extra
morte fugata.

7 a. Spoliantur saeva
tartari regna;

7 b. Ornatur pristina
Lazarus zoa.

8 a. Per huius, Christe, merita
labem purga,
a morte nos libera,

8 b. Ut tecum vita fruamur
perpetua
Alleluia.

Miss. ms. Eduense saec. 14. Cod. Semin. Eduen. 121. A. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin. saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 114. B. — Miss. ms. Oliverii de Martolio, epi. Cabillonen. anni 1440. Cod. Semin. Eduen. 118. C. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 123. D. — Missale Eduense imp. Parisiis 1493. E. — Missale Metense imp. Metis 1545. F.

Ferner: Miss. ms. Eduense saec. 12. Cod. Semin. Eduen. 125. add. saec. 14. — Miss. ms. Eduense anni 1476. Cod. Semin. Eduen. 118 bis. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin. saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 110. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 120. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 115. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 117. — Sequent. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 131.

5 a, 1 petivit F. — 5 b, 3 sed Christi clara F. — 6 a, 2 lacrimis plena F. — 7 b, 1 Ornatur B. — 7 b, 2 zona F. — 8 a, 2 labe BF. — 8 a, 3 nos fehlt F. — Vgl. Pellechet l. c. 272.

228. De sancto Leobino.

1 a. Mnas appendit talentorum
Leobinus, dum sanctorum
Floruit ecclesia;

1 b. Esse dedit Pictavorum
Et solium Carnotorum
Caelestis ierarchia.

2 a. Ex pascuis evocatur,
Elisaeus concitatur
Ex arante vomere;

2 b. Vita fulget coenobica
Et rutilat prophetica
Et sanctorum opere.

3 a. Ut panderet, adgravatur
Et Dalila molestatur
Ad rerum excennium;

3 b. Hinc fustibus astringitur,
Illic blandis emollitur
Ad vitae exitium.

4 a. Edax ignis sic oboedit,
Pharaonem quod momordit
Pestis, grando penitus;

4 b. Nam Moysi cunctum cedit,
Leobinus mite reddit
Prece fultus caelitus.

5 a. Dum vi pressus daemonii
Saul spumat flagitii,
Precis lyra pellitur,

5 b. Neque morbus convicii
Quam Iesu, Dei filii,
Penitus confringitur.

6 a. Leo iam felix binus
Frangens nunc hostis pignus,
Unde exaltatur,

6 b. Vulpes vastat Samsonis
Postesque abrupit donis,
Per quod advocatur.

7 a. Praesul pastor praemonstratus
Visu, voce adclamatus
Ordinatus figitur;

7 b. Emprepia decoratus,
Super nivem dealbatus
Virtute concingitur.

8 a. O quam probat caecis visum,
Febrem, claudis quoque gressum
Virtutum frequentiam;

8 b. Hydropisisque curatur,
Sanguis, daemon effugatur
Ob precum instantiam.

9 a. Lechytus non minuitur
Olei nec dirimitur
Lampadis suspendio;

9 b. Nulla crucis fit fractura,
Nec olei stat iactura
In ictus excidio.

10 a. Laudes ergo Leobino
Resonemus cultu digno
Laxis fibris;

10 b. Promens petat motu pleno
Plebs Carnoti frui trino
Binis stolis.

11 a. Et tu, pater Leobine,
Pastor gregis et patrone,
Prece semper sedula

11 b. Potiri fac tuos pace,
Ut in poli vera luce
Conregnent per saecula.

Miss. ms. Fontanellense saec. 14/15. Cod. Portus Gratiae 327 (A 30) add. saec. 15. ex. A. — Missale Carnotense imp. Carnoti 1482. B. — Missale Carnotense imp. Parisiis 1500. C. — Missale Carnotense imp. Parisiis 1511. D.

1 b, 1 Assem dedit A. — 2 b, 1 Vota fulget coenobita A. — 2 b, 3 Ex sanctorum AB. — 3 a, 2 Dalida ABCD. — 3 b, 2 Illis A. — 5 a, 3 Lira, plectris A. — 5 b, 2 Quem Iesu filii Dei A. — 7 b, 1 Lies Euprepia. — 7 b, 3 confingitur BCD. — 8 a, 3 frequentia ABCD. — 8 b, 1 Idropisimque ABCD. — 8 b, 3 Os precum instantia AC; Eius precum instantia BD. — Str. 10 a und b sind in A, vermutlich um aus 10 b, 2 Plebs Carnoti zu entfernen, unter augenscheinlicher Beeinträchtigung der Mel. verändert in:

10 a. Laudes ergo [Leobino]
Resonemus cultu digno,
Laxis fibris congaudentes
Sub melos harmonia.

10 b. Promens chorne[sic]noster coetus
Gratulatur sollemnia,
Tanto patre hilaratur
Nunc pangens praeconia.

11 a, 1 Ave, pater A. — 11 a, 3 Tua prece sedula A. — Mel. augenscheinlich In caelesti hierarchia.

229. De sancto Leone Baionensi.

1 a. Iam lucis sidus oritur
Cunctis mirandum saeculis,

1 b. Rosa rubens colligitur
Decorem praestans populis.

2 a. Infans aetate tenera
Lac certis horis abdicat,

2 b. Sacra convertens foedera
Christo fidelis dedicat.

3 a. Loco sacri martyrii
Corpus cadens erigitur,

3 b. Palmam reportat proelii,
Dum caput inde tollitur.

4 a. Baiona felix rutilat
Sacrum corpus custodiens

4 b. Et mente tota iubilat
Fidelis Deo serviens.

5 a. Olim obscura tenebris,
Baiona, nunc te veritas

5 b. Tenet, nec scit illecebris
Verti tua fidelitas.

Miss. Baionense imp. Parisiis 1543.

230. De sancto Leonhardo.

1 a. Laudes praestat, omnia,
Leonhardi gloria,
Virtutibus claruit.

1 b. Hunc produxit Francia,
Lemovica patria
In patronum habuit.

2 a. Clarus fuit genere
Ille missus aethere
Galliae prosapia.

2 b. Vinclis tortos misere
Solvit Christi munere
Speciali gratia.

3 a. Data mortis anxiis
Pariens suppliciis
Coniunx regis Franciae

3 b. Salva fit auxiliis
Tunc cum partu gaudiis;
Christo dantur gratiae.

4 a. Morbosis remedia
Eius in ecclesia
Feruntur clementia.

4 b. Multos cruciantia
Tolluntur daemonia,
Vincla vinctis impia.

5 a. O confessor opere,
Summo regnans aethere,
Caeli confer gaudia.

5 b. Adgravatos scelere
Orci taetro carcere
Nos erue gratia.

Officia ms. Corporis Christi et S. Leonhardi saec. 15. Cod. Sangenovefian. 122. (BBl. Fol. 32). A. — Sequent ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S). B. — 1a, 2 praestant B. — 2a, 2 Illi A. — Str. 3b fehlt B. — 4a, 3 Fruitur B. — 4b, 1 Multa trepidantia B. — 4b, 3 vincis impia B. — 5a, 2 regnas B. — 5a, 3 confers B. — 5b, 2 Archi A, Orchi B. — 5b, 3 eruere B. — Mel.: Veni sancte spiritus.

231. De sancto Leonhardo.

1 a. Gratulare nunc, Francia,
Magno repleta gaudio.
Leonhardi praeconia
Offerendo corde pio.

1 b. Hunc abluit Remigius,
Remis residens pontifex,
Hunc docuit pastor pius
Ut salutaris artifex.

2 a. Regis amicus Franciae,
Quos catena ligaverat,
Solvebat hic cottidie
Favore, quem acceperat.

2 b. Ab aula post haec regia
Recedens amore Dei
Recto calle recta via
Locum quaerit placens ei.

3 a. Adflatus almo flamine
Verbum vitae dat populis,
Omni vitato crimine
Resplenduit miraculis.

3 b. Cum per silvam incederet,
Subvenit regi Franciae
Ac, ut regina pareret,
Deo supplicavit pie.

4 a. Hic constructo coenobio
Cum potestate regia
Ardore Dei nimio
Vixit in abstinentia.

4 b. Tunc adunatis fratribus
Ibi prope Lemovicas
Factis orationibus
Escas dabat salvificas.

5 a. Doctrina fulget nimia
Exemploque mirifico,
Divina plenus gratia
Fuit in corde caelico.

5 b. Clarus itaque titulis
Dierum plenus obiit
Magnisque cum miraculis
Caeleste regnum petiit.

6 a. Leonharde sanctissime,
Te rogamus attentius
Nostrae sis memor animae
Sisque semper propitius.

6 b. Ut altam caeli ianuam
Attingamus velocius,
Pacem dones perpetuam,
Te rogamus attentius.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606.

232. De sancto Leontio.

1 a. Laudes almi Leontii,
Confessoris egregii,
Mater clangat ecclesia;

1 b. Quem sanctae vitae radii,
Mores et actus sobrii
Fama replent et gloria.

2 a. Nam miro novoque more
Minor fuit se maiore,
Dum assumptus in doctore
Vixit ut discipulus.

2 b. Agnus latens in pastore
Et subiectus in rectore,
Ultimus in se priore
Et in magno parvulus.

3 a. Hic triumphis assiduus,
Hic Gallorum praecipuus
Et fons fuit irriguus
Et axis Aquitaniae.

3 b. Morum luce conspicuus,
Arce virtutum arduus,
Placidi nupsit strenuus
Imperatoris filiae.

4 a. Quam ut non habens habuit
Seque castrans continuit
Et caelibatum coluit
Voto cum illa pari.

4 b. Tandem, ut hostes domuit
Terraque tuta siluit,
Qui tantis ante praefuit,
Elegit famulari.

5 a. Contra flumen, contra ventum
Firmum iecit fundamentum,
Quod nec imbris incrementum
Nec vis venti sustulit.

5 b. Ecce, refert terra centum,
Servus duplicat talentum,
Qui colatus ut argentum
Iesum mundo praetulit.

6 a. Hunc introducunt nuptiae,
Hunc coronant vigiliae,
Hic Domini familiae
Cibum dedit in tempore.

6 b. Vere pastor et proprie
Oves suae custodiae
Contra lupum perfidiae
Toto protexit pectore.

7 a. Contra carnem se praecinxit,
Motus noxios extinxit,
In se vitam dum depinxit,
Qua nos docet vivere.

7 b. Se mactavit, se distinxit,
Se cum ligno vitae vinxit
Et a mundo se disvinxit
Corde, lingua, opere.

8 a. Iustus a prima
fuit infantia,
Ortus Romanus
clarus prosapia,
Primum armata
fulsit militia,
Mox inspiratus
divina gratia
Nudus secutus est
Christi vestigia.

8 b. Tanto sub patre
felix et patria
Burdegalumque,
civitas regia,
In qua pastoris
sumpsit insignia,
Felix et omnis
tellus est, talia
Quae sancti praesulis
agit sollemnia.

9 a. Hunc ad sanctum confluentes
Fides solvit paenitentes,
Corda lustrat, mundat mentes,
Solvit a periculis.

9 b. Convalescunt hic languentes,
Resipiscunt et dementes,
Gaudent, sancti stupent gentes
Pro tantis miraculis.

10 a. Vir fidelis non transgressor,
Dator rerum non possessor,
Cultor, sator atque messor
Incolatus regii,

10 b. Archipraesul et confessor,
Christo Deo stans assessor,
Esto noster intercessor
In die iudicii,

11 a. Cum venient innoxii
Et peribunt impii,

11 b. Hi severi supplicii,
Illi vitae filii.

Miss. Bicterrense imp. Lugduni 1535. — 1 b, 3 replet. — 2 a, 4 Et fehlt. — 3 b, 1 Horum (falsche Initiale). — 3 b, 3 Placidi ne vir strenuus. — 4 a, 1 ut fehlt. — 7 a, 3 dum fehlt. — 8 a, 1 Iustus a datria. — 9 a, 4 Solvat. — 11 b, 1 Hi servi servi. — 11 b, 2 Illi in te filii.

233. De sancto Licinio.

1. Zona castitatis
in signum privilegii

2 a. Praecinxit
Christus egregii
Praesulis
lumbos Licinii.

2 b. Pastoris
ad laudem, socii,
Sit chorus
expers silentii.

3 a. Quem probat sanguis regius
Ortum de stirpe
maiorum Galliae,

3 b. Quem scholis rex Clotarius
Aufert ut consul
sit Andegaviae.

4 a. Contra votum uxorari
Cogitur spe prolis comes,

4 b. Sed, quam lepra negat dari,
Spernitur ducenda comes.

5 a. Hinc caelestis spe coronae
Subit cum professione
Clericales habitus.

5 b. Opes fugit temporales,
Ut thesauros aeternales
Thesaurizet caelitus.

6 a. Esse mundo sic abiectus
Vir elegit, sed electus
Ad honorem trahitur;

6 b. Fit pastor Andegavensis,
Cuius spiritalis ensis
Christi ius exsequitur.

7 a. Sancte confessor Licini,
Fac, ut splendoris divini
Nos accendat radius,
Veri solis nuntius.

7 b. Per te contra ius naturae
Divino favente iure
Non habenti lumina
Sunt creata gemina.

8 a. Per te caret infula
Vetustatis macula,

8 b. Indumenta singula
Testantur miracula.

9 a. Ut exemplo tanti ducis
Induamur arma lucis,

9 b. Dele nubem caecitatis,
Ut fruamur cum beatis

10. Lucis perennis gloria,
In qua Deus est omnia.

Miss. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin. 868. A. — Missale Andegavense imp. Parisiis 1489. B. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1504. C. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523. D.

2 b, 1 pastoris zu 2 a gezogen BC. — 3 a, 3 maior Galye A. — 3 b, 2 consulis ABC. — 5 a, 1 spes BCD. — 5 a, 2 Subiit BCD; processione C. — 5 b, 2 Sed thesauros BCD. — 5 b, 3 Thesaurizat BCD. — 7 b, 4 curata A. — 8 a, 1 Ohne Initiale B; Pro te A. — 8 b, 1 Ohne Initiale B. — 9 b, 1 Ohne Initiale B; Dele lumen BCD. — 10, 1 perhenne A. — Mel.: Stola iucunditatis.

234. De sancta Lucia.

1 a. Recolamus gratulando
Huius festi gaudia,

1 b. Qua Lucia triumphando
Subiit caelestia.

2 a. Plectro chordam castitatis
Tangat harmonia,

2 b. Et resultet hac in laude
Dulcis symphonia.

3 a. Psallat chorus alternando,
Mensque pura consonando
Tympano et cithara

3 b. Grates regi Christo solvat
Et in laudem se revolvat
Omni in melodia.

4 a. Martyr pia matris fluxum
Precum sanat hostia,

4 b. Dum carnalem tempsit luxum
Vitae dans solacia.

5 a. Hanc gentilis adamabat
Quidam spe nefaria,

5 b. Huius mentem captivabat
Stulta vehementia.

6 a. Colit illum, in quem credit,
Cuius mentem nunquam laedit
Carnis petulantia.

6 b. Mundum spernit, quem transire
Contemplatur ac perire,
Venduntur et praedia.

7 a. Ad haec sponsus invitatur,
Spe delusus animatur
Sub voce nutricia.

7 b. Credit stultus et intendit
Foro totus, dum perpendit
Divina mysteria.

8 a. Impulsatur ad amorem,
Se reducens in dolorem
Commutat sponsalia.

8 b. Mox amore flagellatur,
Nec marcescit, ut vincatur,
Eius pudicitia.

9 a. Perstat virgo fixa solo
Nec movetur haerens polo,
Plebs stupet innumera.

9 b. Flectunt funes et impellunt
Ad lupanar, nec evellunt
Luciae vestigia.

10 a. Velut mons immobilis
Manet inflexibilis
Spiritus sancti gratia,

10 b. Agonizans, donec lictor
Ensem vibrat, nec fit victor,
Virginis in viscera.

11 a. Sic persistit, donec corpus
Sibi datur, per quod morbus
Pellitur et crimina.

11 b. O praecelsae res virtutis!
O lux clarae iuventutis!
Vincitur a femina

12 a. Dux, tormenta dum infligit,
Dum grassatur, dum affligit,
Sorte ruit misera.

12 b. Cultrix ergo pietatis,
Nos ad summae veritatis
Transfer hinc palatia.

Miss. Redonense imp. Parisiis 1492. A. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1533. B. — 7 b, 1 Credit subtus A. — 9 a, 1 Stat AB. — 9 b, 3 fastigia AB.

235. De sancta Lucia.

1 a. Cantus dulcis melodiae
Sonet in festo Luciae,
Virginis clarissimae,

1 b. Quam caelesti ierarchiae
Sociatam in hac die
Credimus certissime.

2 a. Huius fide mater sana,
Civitas Syracusana
Celebris efficitur,

2 b. In qua passa triumphavit,
Quam portentis illustravit,
In qua nunc praeficitur.

3 a. Non mota, quamvis trahatur,
Nec prius, quam vult, necatur,
Sua dans pauperibus.

3 b. Pax ab ea prophetatur,
Post haec victrix coronatur
Pro tantis operibus.

4 a. O Lucia, luce plena,
Corda nostra fac serena
A peccati scoria,

4 b. Quae in caelum ascendisti,
Mox ut Christum recepisti,
Decorata gloria.

Miss. Ruthenense imp. Lugduni s. a. [1540] A. — Miss. Parisiense imp. Parisiis 1585. B.

236. De sancta Lucia.

1 a. Benedictus sit caelorum
Rex [et] sator gratiae,

1 b. Qui Luciam angelorum
Choris iunxit hodie.

2 a. Virgo beata,
Poenis artata
Tormenta fert immania;

2 b. Flammis cremata,
Eviscerata
Ferro consummat omnia.

3 a. Sic transit virgo decora
Caeli scandens altiora,
Caeli quaerens patriam.

3 b. Nunc, virgo, Christum exora,
Ut nobis det sine mora
Peccatorum veniam.

4. In caelesti curia.

Miss. Noviomense imp. Rothomagi 1506. — 1 b, 2 sociavit hodie. — 2 b, 2 Post eviscerata. — 2 b, 3 sic consummavit. — 3 a, 3 Caelestem quaereus.

237. De sancto Luciano.

1. Lux in laude iucundetur,
Et in laude Dei detur
Iucundum Alleluia.

2 a. Laudum laudes Christo dona;
Christus caput et corona
Martyrum et gloria,

2 b. Qui a Christo praeelecti
Et victores sunt effecti
Ab eius victoria.

3 a. Laudemus in Lucianum
Christum, qui hunc sibi granum
Elegit a palea;

3 b. Laus et honor huic diei,
Quae electum granum Dei
Perduxit ad horrea.

4 a. Romae Petro praedicante,
Vitae verbo coruscante,
Lucianus credidit;

4 b. Urbe Roma vir egressus
Ad Belvacos tendit gressus,
Quibus fidem tradidit.

5 a. Fidem Dei non deorum
Et errorem idolorum
Doctor stravit strenuus,

5 b. Fide firmus et sermone
Praefacundus, actione
Virtutum conspicuus.

6 a. Verbis, factis vir beatus
Aeque docet, debriatus
Septiformi gratia;

6 b. Per hunc daemon debellatur,
Dei nomen praedicatur,
Plantatur ecclesia.

7 a. Ad montem miles Romanus,
Quo docebat Lucianus,
Citis volat gressibus;

7 b. Statim duo dant consortes
Pretiosas Deo mortes
Abscissis capitibus.

8 a. Tandem praesul decollatur,
Luce locus perlustratur,
Vox de caelo veniens

8 b. Clamat: veni, Luciane,
Gaude mecum, gaude plane,
Vive pro me moriens.

9 a. Martyr sancte, martyr bone,
Verax pater et patrone
Noster nove Belvacensis,
Tu sis nobis falx et ensis
Ad secanda vitia.

9 b. Nos hic seca, nos hic ure,
Ut nos tecum ducas pure,
Et cum puris et cum mundis
Iam mundati ab immundis
Vivamus in gloria.

Missale Belvacense imp. Rotomagi 1514. A. — Missale Belvacense imp. Parisiis 1538. B. — 2 a, 2 Christi B. — 2 b, 1 Quia Christo A. — 3 b, 2 granum electum AB unter Verletzung der Cäsur.

238. In Translatione s. Luciani.

1 a. Hodiernae lux diei
Martyris in sancti Dei
Agitur memoria.

1 b. Decantemus in hac die
Luciani victoriae
Laudes et praeconia.

2 a. Ortu clarus in Romanis,
Fide constans nec inanis
In signorum gratia.

2 b. Hic est missus a Clemente
Clarus actis, clarus mente,
Purgaturus arca.

3 a. Ad feroces Belvacorum
Venit plebes, idolorum
Imbutas spurcitia,

3 b. Sed athleta Dei fortis
Nulla prorsus dirae mortis
Formidat supplicia.

4 a. Saevit lictor in victore,
Surgit victor a lictore
Gradiens ut antea;

4 b. Truncum caput truncus gerit
Et in laudes Dei ferit
Lingua necis nescia.

5 a. Te precamur, martyr Christi,
Quos in fide genuisti,
Restaures in patria.

5 b. Tu tuorum miserere,
Ut cum Christo tecum vere
Cantemus in gloria.

Miss. Belvacense imp. Rothomagi 1514. A. — Miss. Belvacense imp. Parisiis 1538. B. — 2a, 1 Ortus A. — 2a, 2 constans et immanis A. — 2b, 3 Pugnaturus B. — 4b, 3 Lingua nescit nescia A. — Misset-Weale (I, 311) geben einfach den schlechten Text von A und bemerken blofs zu 4b, 3 „vers incompréhensible"; die Unverständlichkeit wäre doch leicht zu beheben gewesen. In Paris allein gab es mehr als ein Miss. Belvacense. — Die Melodie bezeichnet 1a, 1.

239. De s. Ludovico Rege.

1 a. Superni regis gaudia
Repraesentet ecclesia,

1 b. Qui beatum Ludovicum,
Christi regni catholicum,

2 a. Perduxit ad caelestia
Confessoris sollemnia.

2 b. Hic est de quo catholici
Possunt dicere Gallici:

3 a. Nostra spes est et gaudium,
Amor et desiderium;

3 b. Rex est nostra medicina,
Fidei vera doctrina;

4 a. Fons est verae pietatis,
Via viae veritatis.

4 b. De nobili progenie
Fuit natus rex Franciae.

5 a. Aegros sanat et sanavit,
Pauperes, orphanos pavit.

5 b. Rex succurrit inopibus,
Miris fulgens virtutibus.

6 a. Iustus iustitiarius,
In epulis egregius;

6 b. Religiosis in vita
Loca fundavit inclita.

7 a. Rex parens subditus fuit
Et ecclesiam coluit;

7 b. Praelatis et baronibus
Amatus fuit omnibus.

8 a. Vias fecit custodiri,
In omnibus reperiri
Possunt sua facta bona;
Gaude, Franciae corona,

8 b. Quae per sanctum Ludovicum,
Confessorem et amicum
Dei, regnas in gloria,
Pro quo gaudet ecclesia.

9 a. Fulgent sua miracula
Per saeculorum saecula,
De plus in plus haec resplendent,
Se ostendunt et ostendent.

9 b. Tamquam veri confessoris
Facta, plena Dei roris,
Sunt a Romana curia
Firma per privilegia

10 a. Papae et cardinalium
Rata sunt per consilium,

10 b. Octavi Bonifacii,
Papae Romae patris pii.

11 a. Hic sanctus, cuius hodie
Celebramus solemnia,

11 b. Iam revelata facie
Regem cernit in gloria.

12 a. Succursum det sanctae terrae,
Qua discessit in oguerre,
Ubi Dei potentia

12 b. Decessit rex Ludovicus,
Cuius fidei amicus
Modo regnat in gloria.

Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisin. 831. A. — Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisin. 835. B. — Miss. ms. Parisiense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Parisin. 12062. C. — Miss. ms. Nationis Franciae saec. 14. Cod. Mazarin. 413 (227). D. — Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Cenomanen. 78. E.

1 b, 1 In beatum A. — 2 a, 1 Duxit ABD. — 2 b, 1 quo fehlt E. — Str. 9 b, 10 a und 10 b fehlen E. — 11 b, 2 Regem fuit in A. — 12 a, 2 oguere A, ognerre B; cfr. ogara = Ruderschiff. — 12 a, 3 Cuius Dei A—E. — 12 b, 2 amictus A. — Str. 12 a und b sind in allen Quellen in drei Halbstrophen von je 2 Zeilen eingeteilt.

240. De s. Ludovico Rege.

1 a. Gaude prole, Francia,
Gaudeat ecclesia
Sancta corde, cantibus;

1 b. Rex tuus pro nimia
Sanctitate praevia
Regnat in caelestibus.

2 a. Speciali gaudio
Gaude, felix contio,
Regali praesentia,

2 b. Cuius patrocinio
Tota gaudet regio,
Regni stat potentia.

3 a. Iuxta patrem positus
Ludovicus, inclitus
Rex Francorum, rutilat,

3 b. Propter quod praecipue
Locus hic assidue
Christo laetus iubilat.

4 a. Rex adhuc infantulus
Christi cultor sedulus,
Verbis eius credulus,
Ut monstravit opere.

4 b. Sanctitatis aemulus,
Caecis fuit oculus,
Claudis pes et baculus
In orbis itinere.

5 a. Mundum sprevit, in hoc crevit
Semper virtus et quievit
Eius sub regimine.

5 b. Vulgo clarus, malis ferus,
Bonis dulcis, non austerus,
Regnans sine crimine.

6 a. Omne genus paupertatis
Rex immensae caritatis
Suis fovit opibus.

6 b. Leprosis defiguratis
Cibos dabat pietatis
Affluens visceribus.

7 a. Sancte prolem educavit
Et, quod ore praedicavit,
Semper adimplens opere,
Ne posset illud spernere.

7 b. Regnum, sponsam abiciens
Cum natis mare transiens
Ibi pro Christo moritur,
Pro quo nunc ipso fruitur.

8 a. Regem serva, regnum rege,
Tu, qui cum caelorum rege
Regnas, per quem per saecula
Tot fiunt miracula.

8 b. Caecis visum reddidisti,
Curvos sursum erexisti,
Furiosis praestitisti
Sensum prece sedula.

9 a. Rex tam dulcis, tam praeclare,
Quos hic vides laborare,
Sic digneris adiuvare
Tuis sanctis precibus,

9 b. Ut amarum mundi mare
Sic possimus transmeare
Et ad portum adplicare,
Ne mergamur fluctibus.

10. Haec cunctis fidelibus
Des tibi supplicibus.

Miss. ms. Sandionysianum saec. 14. Cod. Parisin. 1107. A. — Sequent. ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S.) B. — Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1534. C. — Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1606. D.

1 a, 3 Corde, voce BCD. — 2 a, 2 Gaude tota regio BCD. — 2 a, 3 Ac praesens collegium BCD. — Str. 2 b lautet in BCD:

Maius omni pretio
Cum honore nimio
Corpus habens proprium.

3 a, 3 Virtutibus rutilat B. — 4 a, 3 Eius verbis B. — 4 b, 3 Claudis spes D. — 5 b, 1 Vulgus clerus AB. — 5 b, 3 Expers omni crimine BCD. — 6 a, 2 claritatis CD. — 7 b, 2 Cum nautis CD. — 7 b, 4 Quod nunc ipso fruitur C; Qui nunc ipso perfruitur D. — 8 a, 3 quem et saecula B. — 8 b, 1 visus B. — 8 b, 2 Carnes sursum A. — 10 a, 2 Deest tibi B. — Mel.: Gaude prole Graecia (cfr. Mane prima sabbati).

241. De s. Lupo Baiocensi.

1 a. Gaudeamus venerantes
Sanctum Lupum et cantantes
Cum summa laetitia;

1 b. Nam, hunc qui nunc honorabit,
Ipsum Christus coronabit
In sanctorum patria.

2 a. Iste, gemma sacerdotum,
Discipulus minus doctum
Magistrum edocuit.

2 b. Tribus Deo revelante
Et populo conclamante
Pontifex factus fuit.

3 a. Sic a Deo sublimatus
Et a clero honoratus
Se gessit humilius.

3 b. Plebem Dei docens legem
Christianum format gregem,
Ut vivat felicius.

4 a. In nemore latitabat
Quidam lupus, qui vastabat
Populum feraliter.

4 b. Gens armata hunc invadit,
Sed fugiens hanc evadit
Saeviens rapaciter.

5 a. Post haec a sancto capitur
Et ut agnus deducitur
Salvatoris gratia;

5 b. Non resistit deducenti
Sed oboedit demittenti
Hunc in aqua nimia.

6 a. Dum celebrat ad altare,
Caeci nati vident clare
Eius prece praevia.

6 b. Morbos omnes et languores
Sanat Deus, mutat mores
Per eius suffragia.

7 a. Scribi nequit a scriptore,
Quae pro tanto confessore
Fiunt mirabilia.

7 b. Roga, pastor, pro ovibus,
Ut cum supernis civibus
Tecum sint in gloria.

8. Amen dicant omnia.

Miss. Baiocense imp. Rotomagi 1501. A. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1504. B. — Missale Baiocense imp. s. l. 1529. C. — Missale Baiocense imp. 1545. D. — 2 a, 2 Discipulis A—D. — 3 a, 2 a choro B. — 5 b, 2 dimittenti D. — 7 b, 1 pro omnibus C. — 8 fehlt B.

242. De s. Lupo Baiocensi.

1 a. Sospitati dedit aegros
iugis intercessio;

1 b. Urbs Baioca decoratur
eius natalitio.

2 a. Trino praesul consecratur
caelitus indicio.

2 b. Binos ornat caecos natos
visus beneficio;

3 a. Vas electum feram trucem
alto mersit fluvio.

3 b. O quam probat sanctum Dei
prophetica notio!

4 a. Ergo laudes sancto Lupo
concinat haec regio;

4 b. Nam qui corde poscunt illum,
mundi carent vitio.

Procession. Baiocense imp. Cadomi 1623. — Die Melodie bezeichnet 1 a, 1.

243. De s. Lupo Senonensi.

1. Hic exsulta, plebs fidelis,
Iam exsultat Lupo caelis
Caelestium curia.

2 a. Ori mente praecurrente
Illi gaude, quia laude
Dignus est et gloria;

2 b. Os in vanum ne laboret,
Quod os canit, hoc mens oret
Concordi laetitia.

3 a. Quis futurus esset iste,
Hoc ostendit nobis, Christe,
Eius pueritia.

3 b. O quam felix, quantus ex merito
Est, cui nondum in mundum edito
Datur Dei gratia.

4 a. Fide clarus et exutus
Mundo Deum est secutus
Ab adulescentia;

4 b. Quod quaesivit opere,
Invenit in munere
In caelesti patria.

5 a. Iure caelum illi datur,
Vita cuius adprobatur
Signorum frequentia,

5 b. Quia vita signis digna,
Probant eius vitam signa
Innumerabilia.

6 a. Quadam nocte dum oraret,
Obserataque vetaret
Aditum ecclesia,

6 b. Dum subintrant aures Dei
Eius vota, patent ei
Clausa prius ostia.

7 a. Meloduni prece facta
Igne quasi non attacta
Manent promptuaria;

7 b. Cessat ignis penitus,
Quasi sit divinitus
Supermissa pluvia.

8 a. Facto signo, fusa prece
Liberatur plebs a nece
Per eius suffragia.

8 b. Moysi officio
Debellat oratio
Bellatorum milia.

9 a. Licet huic haereret mundus,
Fit a mundo semper mundus
Mundi vitans vitia;

9 b. Etsi mundus huic arrisit,
Illi tamen non irrisit
Vana mundi gloria.

10 a. Caelo semper mens intendit,
Quia caelebs; hoc ostendit
Splendor gemmae, quae descendit
Inter sacrificia.

10 b. Huic de caelo gemma datur,
Qui per gemmam designatur
Atque gemmae comparatur
Ratione varia.

11 a. Gemmae talis est natura:
Gemma fulget et est dura
Et virtutis in se plura
Gerit beneficia.

11 b. Splendor signat sanctitatem,
Dat signorum potestatem
Virtus, mentis firmitatem
Figurat duritia.

12 a. Ergo, gemma sacerdotum,
Famulorum audi votum,
Ut qui tibi famulantur,
Stola sua, qua privantur
Inoboedientia,

12 b. Prece tua coadiuti
Sint a Deo reinduti,
Ut cum angelorum choris
Mortis absoluti loris
Decantent Alleluia.

Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Parisin. 880. 2. A. — Miss. ms. Senonense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Pessulan. 71. B. — Sequent. ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Ravennaten. 360 (139. 5. S.) C. — Missale Senonense imp. Parisiis 1543. D. — Missale Senonense imp. Senonibus 1556 E. — Missale Senonense imp. Senonibus 1575. F.

1, 1 Hic exsultet C: Sic exsulta A. — 1, 2 exulat E. — 2a, 1 Ore ABCDE; procurrente C. — 2a, 3 Dignatus A. — 2b, 1 Ob in E. — 3a, 2 ostendit tibi C. — 3b, 2 Est fehlt B; cui mundum B; Est cui mundum C; Est cui mundo F; immundum B. — 5a, 2 eius AB. — 6a, 2 Obsecrataque AB. — 6b, 1 Cum CDE. — 6b, 2 patientiae CE. — 7a, 1 Meledunum AC; Melodunum BDEF. — 7a, 3 Manet DE. — 7b, 2 Tamquam sit ACDE. — Str. 9a fehlt C. — 9b, 2 arrisit D. — Str. 10a fehlt C. — 10b, 1 Hinc ADE. — 10b, 3 gemma B. — Str. 11a fehlt C. — 11a, 2 A gemma BE. — Mel.: Laudes crucis.

244. De s. Lupo Trecensi.

1. Laudes Lupo concinamus
Nos, qui festum celebramus
Speciali gloria.

2 a. Dulce melos pulset caelos,
Hunc benignum dulci dignum
Credimus melodia.

2 b. Mens a voce non discordet,
Quia, cum mens non remordet,
Dulcis est laetitia.

3 a. Ergo Lupum omnes laudent,
Qui per Lupum sibi gaudent
Vitae dari munera.

3 b. Dicant omnes et dicant singuli:
Ave, salus Trecensis populi,
Gemma salutifera.

4 a. O quam felix, quam praeclara
Fides Lupi, Deo cara,
Quam novit Britannia.

4 b. Nam vi sancti flaminis
Sui labe criminis
Expurgatur patria.

5 a. Plebs maligna sibi cessit,
Corda Britonum repressit
Primum contumacia.

5 b. Sordes lavit peccatorum
Damnans facta malignorum
Virtutum praestantia.

6 a. Ad tollendam laesionem
Susceperunt unctionem
Chrismatis et olei.

6 b. Sic baptismo plebs redempta
Reservavit documenta
Christianae fidei.

7 a. Hoc baptismi sacramentum
Rursus dedit munimentum
In eadem patria;

7 b. Nam Pictones superavit
Saxonesque debellavit
Praesulis prudentia.

8 a. Postquam fides est suscepta,
Spem salutis est adepta
Quaedam muliercula.

8 b. Suis genibus prostrata
Flens et gemens est sanata
Per eius miracula.

9 a. Hunnos quidem congregatos,
Sancta prece morti datos
Attila cum impio,

9 b. Vir benignus condemnavit,
Trecas urbem conservavit
Ab eius incendio.

10 a. Multa scripta sunt relicta,
Quae nos latent, quantum patent
Eius beneficia.

10 b. Suos munit, hostes punit,
Omnes ditat, quos invitat
Ad sua servitia.

11 a. Huius prece fortiores
Christus facit et victores,
Morbos sanat et languores,
Reprimit daemonia.

11 b. Morte pressa venenosa
Proles Germani famosa
Et puella generosa
Novit haec suffragia.

12 a. O vir Dei venerande,
Sancte pater exorande,
Nobis vitae lumen pande
Expurgatis crimine.

12 b. Cuncta repelle profana,
Salva sanos, aegros sana,
Quod non valet vis humana
Fit in tuo nomine.

13 a. Assistentes tuae laudi,
Iesu bone, nos exaudi
Atque servos nostri ducis
Post hanc vitam veracis lucis
Transfer ad palatia.

13 b. Et quos tibi vis servire,
Fac tormenta non sentire,
Sed cum dies erit irae,
Nobis confer et largire
Sempiterna gaudia.

Missale Trecense imp. Parisiis 1500. A. — Missale Trecense imp. Trecis 1580. B. — 3 b, 1 Discant omnes et discant B. — 7 b, 2 que fehlt B. — 8 b, 2 et fehlt B. — 12 b, 4 Sit in tuo B. — Mel.: Laudes crucis.

245. De sancto Maclovio.

1 a. Omnis sexus, omnis aetas
Dent Machuto laudes lactas,
Britonum signifero,

1 b. Per quem primo sunt conversi
Infideles et perversi
Verbo salutifero.

2 a. Quanta fulsit sanctitate,
Quanta fluxit pietate,
Signa probant varia.

2 b. Hunc parentes non exiles
Genuere iam seniles
Dei providentia.

3 a. Tres vehuntur, puer almus,
Cespes terrae, David psalmus,
Illaesi per maria.

3 b. Incombustum vestimentum,
Lumen ardens est inventum
Extinctum invidia.

4 a. Guini castri factus praesul
Ad Britannos it ut exsul
Cum pauco navigio,

4 b. Cui portum praesignavit,
Quove tendat, indicavit
Angelorum contio.

5 a. Est insigne signum trinum:
Nam de lympha fecit vinum,
Vas vitri de lapide,

5 b. Vitae datum quo potavit;
Ad quod signum baptizavit
Gentes urbis perfidae.

6 a. Novis signis, nova lege,
Novo templo, novo grege,
Urbs nova fit praesule,

6 b. Et de cappa signum mite
Et de suae, quam dat, vitae
Praesul custos regulae.

7 a. Lupo iubet, et oboedit,
Ut aselli, quem comedit,
Assumat officium.

7 b. A serpente vulneratam
Curans solvit catenatam
Expellens daemonium.

8 a. Idem caecae reddens lucem
Britannorum caecum ducem
Sacro sanat oleo.

8 b. Qui gigantem suscitavit,
Hic ad vitam revocavit
Exstinctum in puteo.

9 a. Maledictam in egressu
Terram solvit in regressu
A pressuris omnibus.

9 b. Die certa febre tactus
Exspiravit sursum tractus
Angelis cantantibus.

10 a. Supplicamus nos immundi,
Ut calcato luxu mundi
Per te, munde, simus mundi
Caelesti munditia.

10 b. Ora, pater, regum regem,
Ut rex per te partum gregem
Non transgressum datam legem
Dignum reddat gloria.

Missale Redonense imp. Parisiis 1492. A. — Missale Macloviense imp. Rotomagi 1503. B. — Missale Briocense imp. Parisiis [1503]. C. — Missale Redonense imp. Parisiis 1533. D.

2 b, 2 Genere C. — 4 a, 1 Guinnicastri B. — 7 a, 2 quam D. — 8 a, 1 caeco D. — 8 a, 3 Sacco A; Sano CD. — 10 a, 3 mundi A. — Die Kollation von B besorgte Rev. H. M. Bannister.

246. De sancto Magnobodo.

1. Ecce, dies celebris
Magnobodi praesulis
Renovat sollemnia.

2 a. Multiformi gaudio
Laudes reddat filio
Mater Andegavia,

2 b. Quae pastorem genuit,
A quo regi meruit
Ut a patre filia.

3 a. Hic est, quem divinitus
Dogma sancti spiritus
Fovit ab infantia;

3 b. Non est onus iuveni
Ferre iugum Domini
Virili constantia.

4 a. Pulsat famam sanctitas,
Notum est, quod civitas
Supra montem posita
Vix erit abscondita.

4 a. O grata legatio,
Quae sancto Licinio
De Romana curia
Adfert sanctuaria.

5 a. A lectore novo more,
Christo duce, sine luce,
Consummatur lectio.

5 b. Tandem clerus: hic est verus
Pastor, clamat, sed reclamat
Duorum praesumptio.

6 a. Vir probatus est duobus
Reprobatus, sed ambobus
Nocuit invidia:

6 b. Dextro lumine privatos
Ut pro crimine damnatos
Notavit infamia.

7 a. Qualem pastor se gerebat
Inter oves, quas pascebat,
Vitae probat memoria
Per virtutum indicia.

7 b. Irrisores Elisaei
Dum derident virum Dei,
Unum de turba misera
Turbo rapit per aera.

8 a. Cadens totus laceratur,
Qui dum sancto praesentatur,
Iussu solo
Mox a solo
Surgit cum laetitia.

8 b. Praesul iuris, pater aequi,
Fac nos in hac vita sequi
Ius et aequum,
Ut sic tecum
Vivamus in gloria,

9. Ubi lux continua,
Ubi dantur pascua
Ovibus perpetua.

Miss. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin 868. A. — Missale Andegavense imp. [Parisiis] 1489. B. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523. C. — 2a, 2 reddit BC. — 7a, 3 memoriam B. — 7b, 4 rapiat B. — 8a, 1 laceratus BC. — 8a, 2 praesentatus BC. — 8b, 3 Ius ut aequum BC. — 9, 2 Nobis dantur BC. — Mel.: Mane prima sabbati.

247. De s. Marcello Diensi.

1a. Diam dies illustravit,
Qui diei eructavit
Verbum diligentius;

1b. Diae fulsit lux diei,
Supra petram servus Dei
Dum staret Petronius,

2a. Lux doctrinae, vitae forma,
Cleri, plebis dux et norma,
Bonitatis speculum,

2b. Pastor, praesul et confessor;
Cui Marcellus fit successor
Propter vitae titulum.

3a. Flos Marcellus immarcescens,
Flos virtutum, flos fragrescens
More pigmentario,

3b. Lege carnis in se trita
Frater carne, frater vita
Successit Petronio.

4a. Mel, quod locus mellis celat,
Supra rupem mox revelat
Dei beneplacitum.

4b. Quisquis contra renitatur,
Per columbam indicatur
Viri sancti meritum.

5a. Iam electus consecratur,
Tali patre gratulatur
Civitas Diensium.

5b. Aequi iuris inimicus
Saevit in hunc Theoricus
Instructus per Arrium.

6a. Specu clausus a ruina
Sanus exit in divina
Marcellus cum civibus.

6b. Stupet facti novitate
Et adplaudit Arelate
Quasi resurgentibus.

7a. Ut Tolosae regis natus
Per Marcellum est curatus,
Redit cum licentia.

7b. Urbs reversis plaudit pie
Et post noctem datur Diae
Diei laetitia.

8a. Lux latere diu nescit,
Ut sinapis ramus crescit
Grani de seminio.

8b. Daemoniaci sanantur,
Deformati reformantur
Membrorum officio.

9a. En, puellae salus uni
Sancti sputo fit Lugduni
De reginae manibus,

9b. Functiones denegatas
Per hoc factum impetratas
Donat rex Diensibus.

10a. Ergo fratrum nos tantorum
Diae patrum et pastorum
Pangamus magnalia,

10b. Ut eorum Deus prece
Nos a mundi mundus faece
Collocet in gloria.

Miss. Diense imp. Parisiis (Ioannes de Prato) 1499. — 2a, 2 plebi. — 7b, 1 plaudat.

248. De sancta Margareta.

1. Virginis invictae laudes
concinant christiani.

2 a. Pascens nutricis oves
Christo precibus suis
reconciliabat
peccatores;

2 b. Margareta duello
dimicavit mirando,
nam draco mortuus
est divisus.

3 a. Dic nobis, Margareta,
qua vicisti gratia?

Per nomen Christi viventis
et gloriam crucis
triumphalis

3 b. Devicti sunt hostes:
mundus, caro, daemones;

Succurrit Christus, spes nostra,
ut pugnantibus in
agonia.

4 a. Credidisti magis soli
Christo veraci,
Quam Olybrio,
turbae fallaci.

4 b. Scimus Christum dilexisse
hanc virginem vere.
Tu nobis, victor
rex, miserere.

Grad. et Trop. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). A. — Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1606. B. — 1, 1 intactae laudes B. — 2a, 2 Christus B. — 4a, 3 Quae A; Olimbrio B; turbae fehlt B. — Mel.: Victimae paschali laudes.

249. De sancta Margareta.

1. Laudes dignas attollamus,
Cuius festum celebramus,
Margaretae virginis.

2 a. Praesens coetus laetus esto,
Multa crepent in hoc festo
Organa cum tympanis.

2 b. Docta manus lyram tangat,
Et conflictum lingua pangat
Gloriosae virginis.

3 a. Non est victa,
dum punitur,
Immo vincit
et potitur
Laurea certaminis.

3 b. Cum nutricis
hanc videns ovibus,
Dum transiret,
formam Olybrius
Concupivit virginis.

4 a. Ad se ergo accersitur
Et de fide convenitur,
Et cuius sit generis.

4 b. Postquam fides patuit,
Hanc seductor statuit
Vincere blanditiis.

5 a. Qua dum via non procedit,
Superare saevis credit
Saltem cruciatibus.

5 b. Iubet ergo, ut caedatur
Et, ni cedat, accendatur
Fervidis lampadibus.

6 a. Virgo verae fidei
Nec virgis nec olei
Fervore convincitur,

6 b. Sed cum magis angustatur,
Sicut aurum, dum probatur,
Clarior efficitur.

7 a. Ungue saevo lacerata,
In vas aquae plenum strata,
Post se victa, sed relicta
Est a fundo libera.

7 b. Devorata a serpente,
Quam constanti erat mente,
Dat agnosci, dum repente
Rumpit imis viscera.

8 a. Insignita cruce sancta,
Tormentorum tot et tanta
Passa, demum hostem planta
Saevum calcat tenera.

8 b. Huius minas tormentorum
Non formidat cor odorum,
Licet duplet diversorum
Tormentorum genera.

9 a. Hac in die Christo duce,
Praesignita Christi cruce,
Vitae vanae et caducae
Ensis ictu ab hac luce
Migravit ad supera.

9 b. Assistentes tuae laudi,
Virgo sancta, servos audi
Atque nobis deprecare
Post hanc vitam exsultare
In sanctorum gloria.

Missale Andegavense imp. [Parisiis] 1489. A. — Missale Redonense imp. Parisiis 1533. B. — 5 b, 3 Fluidis lampadibus AB. — 7 a, 3 Lies Post se vincta religata? — 7 b, 2 Quae constanti AB. — Mel.: Laudes crucis.

250. De s. Maria Aegyptiaca.

1 a. Ex Aegypto Pharaonis
Veritatis lux colonis
Luxit ad sublimia.

1 b. Luxit, inquam, in hac die,
In qua celebris Mariae
Ducitur memoria.

2 a. En, secunda Magdalena
Et Dei virtute plena
Mulier Aegyptia,

2 b. Quae post vitam peccatricem
Paenitentis egit vicem
Vivendo duritia.

3 a. In deserto iam tot annis,
Nullis iam induta pannis
Nisi comae copia,

3 b. Herba fames, sitis unda
Relevatur, sed iucunda
Manet in constantia.

4 a. Caro cibis maceratur,
Potu sanguis devastatur
Plus quam per ieiunia.

4 b. Expurgatur culpa vetus,
Gaudet angelorum coetus
Super tali socia.

5 a. In deserto tot perpessa
Et labore iam defessa
Tendit ad novissima.

5 b. Superato sic agone
Sepelitur a leone
Et a fratre Zozima.

6 a. Mira res est et exemplum:
Cui non patebat templum,
Patent caeli limina,

6 b. Et intrantem coronavit
Christus et eam locavit
In caelesti curia.

7 a. Ubi semper pro delictis
Intercedat et afflictis
Praestet patrocinia.

7 b. Ipsa suo interventu
Apud Deum et obtentu
Mentis tergat crimina.

Miss. Ebroicense imp. Rothomagi 1497. A. — Miss. Ebroicense imp. Parisiis 1527. B. — 2 a, 1 Ex secunda AB.

251. De s. Maria Magdalena.

1. Summe Deus, exaudi
preces nostras,

2 a. Iesu, devote
tibi quas fundimus,
in tua redempti
magna gratia,

2 b. Qui es spes sola
miseris omnibus,
in cuius et nutu
perstant saecula.

3 a. Cuius maiestas sancta
casu perdita
efficit integra,

3 b. Atque pietas summa
mundat noxia
hominum scelera.

4 a. Testis etenim Maria
Magdalena,
tua munera,

4 b. Adest, quae sensit, lurida
vitiorum
sorde plurima.

5 a. Haec quia
(te) dilexit super omnia,

5 b. Dimissa
sunt ei multa crimina.

6 a. Deitas quam superna
respicit clementia,

6 b. Hanc sibi facit ferre
mystica servitia.

7 a. Ecce, Dei lacrimis
pedes irrigat nitida
Iam percepta venia

7 b. Atque caput ungit iam
virtutis tenens munia
Doxa fulta deica.

8 a. Cum hoc egisset
tam pie
felix Maria,
dans omnibus exempla,
audit a Domino
dulcia verba:

8 b. Fides te salvat,
in pace
vade, dilecta,
tibi manent praemia,
in me sperantibus
maxima forma.

9 a. Ergo compos
salutis aeternae,
o beata,
nos semper adiuva.

9 b. Ipsa nobis
petens a Domino
peccatorum
veniam impetra.

Miss. ms. S. Stephani Bisuntini saec. 11. ex. Cod. Bisuntin. 71. A. — Grad. ms. Bisuntinum saec. 12. Cod. Borgian. M VI 27. B. — Miss. ms. Eduense saec. 14. Cod Semin. Eduen. 121. C. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Tolosan. 100. D. — Miss. ms. Eduense anni 1476. Cod. Semin. Eduen. 118 bis E. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 114. F. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin saec. 15. Cod. Semin. Eduen.

s. n. G. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 117. H. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 123. I. — Missale Eduense imp. Parisiis 1493. K.

Ferner: Miss. ms. Oliverii, epi. Cabilonensis anni 1400. Cod. Semin. Eduen. 118. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 110. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 115. — Miss. ms. Eduense saec. 12. Cod. Semin. Eduen. 125. add. saec. 14. — Sequent. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 131.

2a, 1 devoti A. — 2b, 1 solis E. — 2b, 4 praestant EK. — 3b, 2 munda K. — 4b, 1 sentit D. — 5a, 1 Nec quia D. — 7a, 3 steht vor 7a, 1 A. — 7b, 2 virtus tenens D. — 7b, 3 steht vor 7b, 1 A. — 8a, 1 Dum hoc K. — 8b, 3 delicta DFH. — 8b, 4 tua tibi manent A—K. — 8b, 6 formia EK. — 9b, 1 Ipsa nos K: Ipsa quoque A. — Cfr. Pellechet l. c. 369 sq.

252. De s. Maria Magdalena.

1 a. Magdalena gratia
Floruit post vitia,
Quam dotavit gloria
Verus amor.

1 b. Nunc eius praeconia
Celebrat ecclesia,
Postulet suffragia
Oris clamor.

2 a. Hanc citant ad prandia
Christi in Bethania
Gemitus, suspiria,
Cordis dolor.

2 b. Offert pedum basia,
Crinium obsequia,
Nardi replet atria
Fusus odor.

3 a. Ave, prudens domina,
De te placens nimia
Lacrimarum flumina
Propinasti.

3 b. Ave, fortis femina,
Septem mortis crimina
Simonisque famina
Superasti.

4 a. Martha parat prandium,
Tu sedes ad studium;
Hoc magister otium
Praeelegit.

4 b. Surgens post supplicium
Nuntiantem gaudium
De te primum nuntium
Christus egit.

5 a. O felix nardifera,
Ungens nostra vulnera,
Prece nos confoedera
Redemptori,

5 b. Ut remittens scelera
Largiensque munera
Det in vitae vespera
Bene mori.

Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1529. A. — Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1606. B. — 2b, 2 Criminum B. — 3b, 3 Simonis quae flumina B. — 4a, 3 Haec B. — Mel.: Mariae praeconio.

253. De s. Maria Magdalena.

1 a. Pangamus inclitam,
Celebris est dies,
Magdalenae vitam
Evectae septies
Caelos per angelos.

1 b. Hanc chorus efferat
Internis mentibus
Laudesque referat
Externis vocibus
Cantans dulce melos.

2 a. Claris, ut legimus,
Orta natalibus,
Corpus et animum
Spretis caelestibus
Afflixit deliciis.

2 b. Sed pius Dominus
Ad ovem perditam
Quaerendam protinus,
Relevans ad viam
Fugatis miseriis,

3 a. De caelo veniens
Ovem, quam perdidit,
Lupum percutiens
Ovili reddidit
Imponens umeris.

3 b. Nam ad hoc venerat
Pastor propitius,
Ut, quae erraverat,
Redderet citius
Caelo cum ceteris.

4 a. Peccatrix sentiens
Dolorem intimum
Audit ut sapiens
Adesse medicum
Proximum pro ea.

4 b. Christus hanc animans
Interno flamine,
Accessit lacrimans,
Non stans in limine
Neque in area.

5 a. Ad pedes Domini
Tota se contulit,
Divino numini
Unguentum obtulit
Flexis poplitibus.

5 b. Peccatum abluit
Diffusis lacrimis,
Peccasse doluit,
Tersit pedes nimis
Solutis crinibus.

6 a. Christo complacuit,
Aegrae comparitur,
Veniam praebuit,
A culpis solvitur
Totoque vitio.

6 b. Per testimonia
Iesu ediscitur,
Quanta suspiria
Effudit, legitur
In evangelio.

7 a. Lebes fit phiala
Soror haec Lazari;
Post carnis scandala
A fauce tartari
Christus eripuit.

7 b. Vas contumeliae,
Antea foetidum,
Factum est gloriae,
Pulchrum ac nitidum
Posthac enituit.

8 a. Morbo multiplici
Tenebatur rea,
Sed arte medici
Facta quasi dea
Mansura iugiter.

8 b. Septem daemonia
Eam possederant,
Sed septem paria
Virtutum venerant
Loco conformiter.

9 a. Plus ardet ceteris,
Nihil est certius;
Iesum ab inferis
Surgentem citius
Videre meruit.

9 b. Meretur nuntia
Prima recipere,
Potitur gaudia
Regnans in aethere,
Christus sic voluit.

10 a. Christi clementia
Multum resplenduit,
Misericordia
Vere non latuit
In hac, quam colimus.

10 b. Magdalena pia,
Rogamus supplices,
Ex tua gratia
Caelestes complices
Tecum semper simus.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 1 b, 5 Cantant. — 2 a, 4 scelestibus. — 2 a, 5 und 2 b, 5 haben eine Silbe zu viel. — 2 b, 5 miseris. — 8 a, 5 Mensura. — 9 b, 1 Meretur gaudia. — 10 a, 5 hanc. — 10 b, 4 Caelestis.

254. De s. Maria Magdalena.

1 a. Sacra modo
tropaea pangamus,
Regi laudes
Domino canamus;
Occurrunt sollemnia.

1 b. Claris erat
orta natalibus:
Patre Syro,
magnis parentibus,
Matre Eucheria.

2 a. Ubi rerum
est opulentia,
Subsequitur
magna iactantia,
Virtutum inopia.

2 b. Deliciae,
forma, licentia
Et iuventus,
voluptas, copia
Attrahunt ad vitia.

3 a. Recordatur
egisse gravia,
Amisisse
caelorum gaudia
Ob scelera impia.

3 b. Quanto illa
erat foetidior,
Coram Deo
facta splendidior
Acta paenitentia.

4 a. Profitentur
quondam peccatricem
Et fuisse
illam meretricem
De qua evangelia;

4 b. Confitetur
egisse crimina,
Dum transiret
vitae discrimina
Per diversa devia.

5 a. Et frequentes
emisit singultus,
Prae pudore
confunditur vultus
Post multa suspiria.

5 b. Hic in mensa
Simonis sedente
Domum illam
advenit repente
Magna verecundia.

6 a. Nam foetentem
fratrem suscitavit
Et sororem
Martham liberavit
Sanguinis profluvio.

6 b. Ut ungeret,
unguenta paravit,
Monumentum
adire curavit
Sub noctis silentio.

7 a. O mulier,
noli me tangere,
Quem videbis
postea scandere
Ad caelorum gaudia.

7 b. Per bis tria
lustra remanserat
Incognita
omnibus, fuerat
Terra procul alia.

8 a. O Maria
pia Magdalena,
Audi nostra
vota, laude plena,
Subvenias famulis.

8 b. Fere mersi
in mundi fluctibus
Confidimus
salvari precibus
In cunctis periculis.

Sequent. ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S). — 1 b, 5 Mater. — 2 a, 3 Sunt sequitur.

255. De sancta Martha.

1. Christi fulget hospitae
Dies festus, psallite
Dicentes Alleluia.

2 a. Dulce melos intonet
Vox, et voci consonet
Cor devotum, mens pia.

2 b. Martha gaudens hodie
Subintravit curiae
Caelestis palatia.

3 a. Caeli cives obviant,
Angeli tripudiant
Et sanctorum milia.

3 b. Quae vel unde fuerit,
Si quisquam quaesierit,
Legat evangelia.

4 a. Cuius sit prosapiae,
Perhibent historiae,
Quod de stirpe regia
Duxerit exordia.

4 b. Eius fratrem mortuum.
In busto quatriduum,
Sede traxit Stygia
Messiae potentia.

5 a. Erat illa soror isti,
Cuius stilla pedes Christi
Lavit in Bethania.

5 b. Dum lavabat, lavabatur,
Quam rogabat, statim datur
Peccatorum venia.

6 a. Simon videns subsannabat,
Caput ridens agitabat
Cogitando frivola.

6 b. Tandem reus intellexit,
Quantum Deus hanc dilexit
Convictus parabola.

7 a. Aurem dedit salvatori,
Vacans sedit et sorori,
Quae parabat convivia,
Nulla dabat auxilia.

7 b. Parti Marthae Christus favit,
Sed in parte derogavit,
Pars, quam elegit Maria,
Magis est necessaria.

8 a. Qui dant nudis vestimenta
Et egenis alimenta,
Sursum mentes
Erigentes
Martha sunt et Maria.

8 b. Cuius festum celebramus,
Nobis vitam, exoramus,
A peccatis
Expiatis
Impetres a Messia,

9. Ut post mundi saecula
Agni sine macula
Perfruamur gloria.

Miss. ms. Eduense Card. Rollin saec. 15. Cod. Semin. Eduen. s. n. A. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Tolosan. 100. B. — Miss. ms. Card. Rollin. saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 123. C. — Missale Eduense imp. Parisiis 1493. D. — Missale Eduense imp. Parisiis 1530. E. — Missale Matisconense imp. Lugduni 1532. F. — 1, 3 Dicentes fehlt C. — 4b, 2 quatriduanum F. — 7a, 1 Amendedit D. — 7a, 2 Vacans dedit DE. — 8a, 1 Que dant DE. — Mel.: Mane prima sabbati. — Vgl. Pellechet l. c. 385.

256. De sancta Martha.

1. In Marthae sollemnio
Pangat omnis contio
Christo melos gloriae,

2a. Quem haec carens vitio
Suscepit hospitio
Cum vultu laetitiae;

2b. Christus hospes hospitam,
Caritati deditam.
Hospitatur hodie.

3a. Marthae frater mortuus
Erat iam quatriduus
Et foetens in tumulo,

3b. Cum Christus hunc precibus
Marthae mortis viribus
Fractis reddit saeculo.

4a. Huic dedit facundiam,
Praedicandi gratiam,
Super aegros etiam
Concessit potentiam.

4b. Erat fulgens facie
Et fons sapientiae,
Rivus amicitiae,
Impetratrix veniae.

5a. Christum pavit,
Quem amavit,
Nomen eius praedicavit
Coram omni populo.

5b. Haec serpentem
Saevientem
Atque quaeque destruentem
Ligavit cum cingulo.

6a. Iuxta flumen
Stans ut numen
Dum dat mite
Verba vitae,
Infans mari mergitur.

6b. Illum gentes
Quaerunt flentes,
Cui reperto
In aperto
Per hanc vita redditur.

7a. Vina vitans haec degebat,
Semel die comedebat
Glandes, nuces, quas legebat,
Lympha sitim coercebat.

7b. Nuda pedes incedebat,
Genu centies flectebat,
Nocte, die se stringebat
Setis equi; sic vivebat.

8a. Mortem suam haec praescivit,
Quia Christus praemunivit,
Hanc in morte tumulavit
Cum Frontone, quem amavit.

8b. Martha, caeli sedens sede,
Tu pro nobis intercede
Ut nos tecum pro mercede
Christi collocemur aede.

Miss. ms. S. Gatiani Turonen. saec. 15. Cod. Turonen. 187. A. — Sequent. ms. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Parisin. 17309. B. — Missale Cenomannense imp. Parisiis 1494. C. — Missale Sagiense imp. Rotomagi 1496. D. — Missale

Sagiense imp. Rotomagi 1500 E. — Missale Macloviense imp. Rotomagi 1503. F. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1504. G. — Missale Turonense imp. Turonis 1517. H. — Missale Baiocense imp. s. l. 1529. I. — Missale Turonense imp. Parisiis 1533. K. — Missale Redonense imp. Parisiis 1533. L. — Missale Meldense imp. Lutetiae 1556. M. — Missale Cenomanense imp. Parisiis 1559. N.

1, 1 Marthae praeconio N. — 1, 3 Christi M. — 2a, 1 Quae L; carnis vitio B. — 2b, 1 hospitem CEG. — 2b, 3 hospitavit CE. — 3a, 3 Et fetus B. — 3b, 3 Fratris E; dedit H. — 4a, 2 Praedicando B. — 4b, 2 Repleta scientiae CE. — 4b, 3 Eius amicitiae B. — 4b, 4 Imperatrix B. — 5b, 3 quemque CE. — 6a, 2 Stans et B; Stat ut H. — 6a, 3 Dum permitte B; Dum permitte E; Dum per mite C; Dum dat verbo vitae lumen M. — 6a, 4 Verbum vitae CE. — 6b, 3 Qui reperto H; Quo reperto et extracto B. — 7a, 4 Aqua sitim FGL. — 7b, 3 dieque stringebat AH. — 7b, 4 Secis A; Sitis CE. — 8a, 1 suamque praescivit CE. — 8a, 2 sqq. fehlen B. — 8b, 1 caelis A; sedens aede CE. — 8b 4 Poli collocemur CE; in aede L; sede C, cede E. — Mel.: Mane prima sabbati. — Vgl. Pellechet l. c. 392.

257. De sancto Martino.

1a. Paupertatis nube tectum,
Hic castitate profectum
Et in caelis praeelectum
Collaudemus divitem.

1b. Hic Martinus martyr unus,
Mente tamen, cuius sumus,
Dici debet; vitae munus
Probat Dei militem.

2a. Salomonem in doctrina,
Militem in disciplina
Vita retulit divina
Et Loth in hospitio.

2b. Suae domus fundamentum
Fides fuit, spes cementum,
Et lapide ligamentum
Caritas trifario.

3a. Ut de templo Salomonis
Pellat sedem Pharaonis,
Armis tutum Gedeonis
Hunc elegit Dominus.

3b. Christum in membris dilexit.
Quem contemplando prospexit
Ac sua veste contexit
Adhuc cathecuminus.

4a. In virtute trinitatis
Tribus morte suscitatis
Huius exstitit abbatis
Virtutis indicium.

4b. Fulsit iubar matutinum
Super beatum Martinum,
Dum offerret vespertinum
Vitae sacrificium.

5a. Dum agebat iter certum,
Secus viam in desertum
Vidit quendam coopertum
[Veste] instar mortui.

5b. Cuius consors falsitatis
Opem quaerit caritatis,
Cum in umbra pietatis
Noscitur prostitui.

6a. Proiacenti super stramen
Opem petit ipse, tamen
Quorum fraudes sacrum flamen
Revelavit praesuli.

6b. Sed qui mortem est mentitus,
Sortem mortis est sortitus,
Mole Dei mox contritus,
Zelatoris populi.

7a. Imitatus Elisaeum
Fudit preces rogans Deum,
Suscitavit praesul reum
Fretus Dei munere.

7b. Sunt per eum surdi, muti
Sanitati restituti,
Et caeci sunt consecuti
Lumen sine vespere.

8 a. Commissum sibi talentum
Sic suscepit incrementum,
Ut ex uno reddit centum
Immo plus quam milia.

8 b. Delibutus caeli rore
Haec favente creatore
Nostrae sortis et auctore
Fecit et similia.

Brev. et Sequent. ms. Tolosanum saec. 15. Cod. Parisin. 1034. — 2a, 2 mittem in disciplina. — 6a, 1 Proiacente super stramcis. — 6b, 4 Zelatores. — 8a, 3 redit.

258. De sancto Martino.

1 a. Lauda, Sion, gloriosum
Confessorem, virtuosum
Sanctitatis gratia.

1 b. Cantus dulces resonemus
Et Martinum exaltemus
Speciali gloria.

2 a. Laudabilis hic Martinus,
Non humanus sed divinus
Fuit ab infantia.

2 b. Primo regnum exquisivit,
Iussa legis custodivit
Iuxta evangelia.

3 a. Vestiendo denudatum
Munus dedit Deo gratum,
Quod recepit Dominus.

3 b. Illa nocte loquentem audivit:
Hac me veste Martinus vestivit
Adhuc cathecuminus.

4 a. Tandem iste baptizatur,
Et lex Dei confirmatur
In eius memoria.

4 b. Sub Caesare militavit,
Militare recusavit
Per longinqua spatia.

5 a. Sed rex coepit adfirmare
Militem hunc dubitare
Pro bellico cuneo.

5 b. Hostes tamen subiugavit,
Signo crucis triumphavit
Non protectus clipeo.

6 a. Deum tantum praedicavit,
Quod parentem revocavit
Ad baptismi praemia.

6 b. Hic Martinus gloriosus
Nunquam fuit otiosus
Hora vel dimidia.

7 a. In ordine monachorum
Usu spreto proeliorum
Conversari voluit.

7 b. Post haec praesul consecratur,
Cuius vita non mutatur,
Sed magis resplenduit.

8 a. Febre gravi fatigatur
Et magis hic conabatur
In Dei servitio.

8 b. Iam terrenis non vacabat,
Caelo totus inhiabat
Indutus cilicio.

9 a. Cultum delet idolorum
Suscitator mortuorum
Trinorum magnificus.

9 b. Dum celebrat sacramenta,
Confert albae paramenta
Nuntius uranicus.

10 a. Nam qui febre vexabantur,
Vestimenti sanabantur
Hi tangendo fimbriam.

10 b. Hic leprosum obsculatur,
Et leprosus mox sanatur
Deo donans gratiam.

11 a. Discipulos congregavit,
Illis mortem praedicavit,
Grex devotus tunc ploravit
Pro pastore sedulo.

11 b. Pro grege dat deprecamen,
Si necesse sit iuvamen.
Nec recusat hoc gravamen
Subire pro populo.

12 a. Praestolante non terretur
Ab satan, ut moreretur,
Sed eidem confitetur:
Nil in me reperies.

12 b. Post haec sanctus exspiravit,
Caeli cohors obviavit,
Et hunc Deus collocavit,
Ubi manet requies.

13 a. O Martine gloriose,
Te petimus lacrimose,
Vitae cursum taediosae
Transeamus virtuose,
O compar apostolis.

13 b. Iesum Christum deprecare,
Cum coeperit iudicare,
Ne nos velit condemnare,
Sed faciat nos regnare
Tecum in caelicolis.

Miss. Lingonense imp. Trecis 1520. A. — Missale Lingonense imp. Trecis 1549. B. — Miss. Lingonense imp. Trecis 1572. C. — 4 a, 1 Ista B; ille C. — 7 b, 2 Vita eius BC. — 11 b, 2 Quod si ABC. — Mel.: Lauda Sion salvatorem (resp. Laudes crucis).

259. De sancto Martino.

1 a. Ad honorem trinitatis,
Simplae simul unitatis,
Recolamus omnes gratis
Martini praeconia.

1 b. Assistentes eius laudi,
Iesu Christe, nos exaudi
Et subductos hostis fraudi
Tua reple gratia.

2 a. Tres defunctos suscitavit
Et ad vitam revocavit,
Quando Christum invocavit
Trinitatis nomine.

2 b. Dum astaret sacramentis,
Globus ignis praefulgentis
Visus est in offerentis
Capitis cacumine.

3 a. Huic videri Christus datur,
Qui de ipso suis fatur
Et contectum se testatur
Eius semipallio.

3 b. A latronum grege tentus,
Dum ferire fert cruentus,
Quidam alter est inventus
Percussus a gladio.

4 a. Ad sepulcrum iam defuncti,
Quem credebant sanctum cuncti,
Sciscitatur vox inuncti,
Cuius erat praemii.

4 b. Qui revelat statim statum
Et se dicit non beatum,
Sed cum malis condemnatum
Causa latrocinii.

5 a. Casu pini propinquante
Turba sanctum ponit ante,
Sed per crucem Deo dante
Nihil sibi nocuit;

5 b. Ex adverso pinus cadit,
Et perversos mors invadit,
Ac Martinus sic evadit,
Sicut Deo placuit.

6 a. Cuius gesta cum expono,
Meum os in caelum pono,
Cum nec mente neque sono
Possit quis exprimere,

6 b. Quot curavit hic languentes,
Quot erexit aegras mentes,
Quas convertit ipse gentes,
Longum est evolvere.

7 a. Nil in eum cepit mundus,
Sic in Christo vixit mundus,
Quod in nullo sit secundus
Sanctis in caelicolis.

7 b. Virgo vitae puritate,
Martyr vero voluntate
Confessorque dignitate,
Fertur par apostolis.

8 a. Laudis ergo tensa cheli
In conspectu Dei caeli
Sociato Michaeli
Dicamus nunc singuli:

8 b. O Martine, pater bone,
Tua deprecatione
Fac nos Dei visione
Frui fine saeculi.

Trop. et Sequent. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 57. A. — Missale Claromontense ac S. Flori imp. Lugduni 1541. B. — 1 b, 1 tuae laudi B. — 1 b, 3 subditos B. — 3 a, 1 Hnic A; Hinc B. — 3 a, 2 Qui a Christo AB; sinnstörendes, leicht erklärliches Verschreiben. — 4 a, 2 que credebant sanctm cuncti A. — 4 a, 3 suscitatur A. — 4 b, 1 statum fehlt A. — 4 b, 2 dixit A. — 5 a, 4 Nihil sibi non nocuit A. — 6 b, 2 Quod A. — 7 a, 3 fit A. — 8 b, 4 Frui sine fine B.

260. In Translatione s. Martini.

1. Laude praecelsa

2 a. Iubilet nunc omnis
contio Deo digna
vocis debita
recinens dulciter organa;

2 b. Concrepet per auras
multiplex melodia
per haec praesulis
summi Martini sollemnia.

3 a. In quo sibi divina
sedem locavit
sophia

3 b. Ac septiformi flatu
eius roravit
pectora.

4 a. Digne laudemus
cuncta regentem saecla,

4 b. Hac qui lucerna
nostra donans fulgida

5 a. Sic venustavit climata.
Sidus aureum,
gemma sacerdotum
et lux saeculorum,
Terrea
disicens nubila,

5 b. Sublimatur siderea
Vernans in aula;
caeli simul omnis
adplaudat chorea,
Dulcia
conferens famina.

6 a. Rigenti
pruina
divina
algentia membra
obtexisti lucerna,

6 b. Et necdum
baptismi
sacrata
regenerantia
contigeras lavacra.

7 a. Agnosce o, inquit
Iesus, catechumenus, tua,
quis me texisti,
pallia;

7 b. Stipatus caelesti
tibi apparens militia
eminus nocte
serena.

8 a. Te theotocos hagia
ob praeclara facta,

8 b. Celsa caelorum regia
cum virginum turma

9 a. Ascivit supera,
Ubi prophetis compar,
pater sancte, tripudias
Cum gloria;
nostra excuses scelera,

9 b. Primus in curia.
Voces inde nunc nostras,
flagitamus, exaudi
Humillimas,
relevans miserias.

10 a Qui prece tartarea
ter solvisti numina,

10 b. Dilapsos ad infima
reduc ad sublimia.

11 a. Suffragante
Dei gratia
leprae pellens
osculo contagia,

11 b. Impetrante
iugi precatu
vitiorum
dilue purgamina.

12 a. O virum omnimoda
boni ditatum
praerogativa,

12 b. Cui vera Christus vita
et mori lucra
praestant maxima!

13 a. Iam pro nobis supplica,
Quo tua prece sancta
conscendentes supera
Carnis abiecta sarcina

13 b. Agni post vestigia
Laetemur exornati
immarcescenti laurea,
Luce micantes splendida.

14 a. Digne decusata
qua te assumpserunt una,

14 b. Electorum sacra
congratulantur milia.

15 a. Cunctorum
supplicando perferas
precamina,

15 b. Quicunque
haec recolendo gaudent
sollemnia,

16. Praecellens archos in aethra.

Miss. ms. Eduense saec. 14. Cod. Semin. Eduen. 121. A. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Tolosan. 100. B. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 114. C. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 110. D. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 115. E. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 117. F. — Missale Eduense imp. Parisiis 1493. G.

Ferner: Miss. ms. Oliverii, epi. Cabilonen., anni 1400. Cod. Semin. Eduen. 118. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin. saec. 15. Cod. Semin. Eduen. s. n. — Miss. ms. Eduense anni 1476. Cod. Semin. Eduen. 118 bis. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. s. n. — Seq. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 131.

1. Gaude praecelsa G. — 2 a, 4 retinens ABCDEFG. — 3 b, 1 At B. — 3 b, 2 rorant B. — 4 a, 2 saecula B. — 5 a, 2 Sidum BC; amoenum G. — 5 a, 6 dissicens ABCDEFG. — 6 a, 1 Rigentem B. — 6 b, 4 regenerantis B. — 7 a, 2 catechumenis BC. — 7 b, 1 caelestis B. — 7 b, 4 secura B. — 9 a, 3 tripudians B. — 9 b, 3 flagitemus B. — 9 b, 5 Revelans BC. — 10 a, 2 solvisti minima BC. — 10 b, 1 ab B. — 11 b, 4 osculo fehlt BC. — 11 b, 1 Imperante G. — 12 a, 2 dicatum B. — 14 a, 2 quia te B. — 14 b, 2 congratulemur B. — 15 a, 2 illud [lies illuc?] supplicando ABCDEFG, gegen die Silbenzahl. — 16 Praecellens, en, archos inthra BC. — Mel: Fulgens praeclara.

261. In Translatione s. Martini.

1 a. Ad honorem Christi regis
Psallat chorus huius gregis
Morum concordantia.

1 b. Colat nostri carmen oris
Celebrando confessoris
Martini sollemnia.

2 a. Hic est gemma sacerdotum,
Cuius lenit orbem totum
Famae recolentia;

2 b. Forma cuius sanctitatis
Tam subiectis quam praelatis
Dedit exemplaria.

3 a. Pannonia dedit ortum,
Hunc Ticini circa portum
Aluit Italia.

3 b. Hic instructus in scripturis
Cunctis mundi spretis curis
Spirat ad caelestia.

4 a. Mox legatur cum Romanis
Subiugandis Gallicanis
Urbis ad imperia.

4 b. Hic in primis militavit,
Hic inermis subiugavit
Armatorum milia.

5 a. Dum saeviret brumae pestis
Ambiani trunca vestis
Nudo datur, cuius testis
Fit in visu Dominus:

5 b. „Ista veste vir divinus
Calefecit meos sinus,
Hac contexit me Martinus
Adhuc catechuminus.“

6 a. Post baptisma salutare
Ius abhorrens militare
Sperans Christo propinquare
Adiit Hilarium.

6 b. Nota praesul causa viae
Consolatur pium pie
De supernae lucis die
Tribuens consilium.

7 a. Ferrum librans quidam furum
Iter sancto parat durum,
Sed Martinus se securum
Affirmabat penitus;

7 b. Alter manum cum securi
Tenens cessat ictum furi,
Cui statim cordis puri
Donum datur caelitus.

8 a. In errore mortis atrae
Persistente diro patre,
Baptizata pia matre
Redit ad pontificem.

8 b. Factus forma monachorum,
Suscitator mortuorum,
Mox assumpsit Turonorum
Cathedralem apicem.

9 a. Globus ignis coruscantis
Super caput consecrantis
Quasi vox est adclamantis:
„Compar es apostolis“.

9 b. Huius exstat index rei
Sacramentum iubilaei,
In quo Christus ignem Dei
Suis misit incolis.

10 a. Ad mandatum viri fortis
Fugit agmen pravae sortis:
Lepra, daemon, sopor mortis,
Mergus et barbaries.

10 b. Post collectos pacis fructus
Carne praesul est eductus,
Terra suos agit luctus,
Caeli canunt acies.

11 a. Severinus sonos audit,
Dum Martino vox adplaudit
Caelestis consortii.

11 b. Corpus sancti quiescentis
Sepelivit dormientis
Spiritus Ambrosii.

12 a. Ergo, decus confessorum,
Te canentum rege chorum,
Plebem tuam visita,

12 b. Ut per tua, quod precamur,
Regnum vitae consequamur,
Alme pater, merita.

Miss. Bicterrense imp. Lugduni 1535. — 3 b, 2 munda. — 6 a, 4 Adhuc. — 7 b, 3 duri. — 8 a, 4 Rediit. — 9 b, 1 iudex. — 10 a, 3 sopore.

262. De sancta Mastidia.

1 a. Verbum bonum et suave
Cordis profer ex conclave,
Urbs Trecorum, dicens: Ave,
Beata Mastidia.

1 b. Per quam liberaris a vae,
Cuius corpus laude grave
Sub fideli servat clave
Trecensis ecclesia.

2 a. Sponsa veri Salomonis,
Te laudare decet sonis,
Inventa es ex Milonis
Praesulis industria.

2 b. Ex tuarum precum donis
Multis micant in personis
Trecassinae regionis
Dei mirabilia.

3 a. Virgo candens instar nivis,
Trecos iuva, potes, si vis,
Ut in choris tecum divis
Concinant Alleluia.

3 b. Ora Christum pro nativis
Trecis, Trecum Treca civis;
Hanc exaudi, rex, qui vivis
Et regnas in gloria.

Miss. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 117. A. — Missale Trecense imp. Parisiis 1497. B. — Missale Trecense imp. Parisiis 1514. C. — Missale Trecense imp. Trecis 1533. D. — 1 a, 2 ex conclavi AD; et conclave BC. — 1 b, 1 quem A. — 3 a, 1 instat A. — 3 a, 3 tecum dignis ABCD. — Mel.: Verbum bonum.

263. De sancto Maturino.

1 a. Increpa te, Normannia,
Age simul et, Gallia,
Laudes insonti, digno,

1 b. Opprimendo pernicia,
Recolendo magnalia
Perdivo Maturino

2 a. Hunc Marinus progenuit,
Mater Euphemia fuit
Proceri prosapia,

2 b. At Francia coalitus
Et Polycarpo monitus
Viguit prudentia.

3 a. Novit per quem bonum summum
Et a quo cepit baptismum
Insciis parentibus.

3 b. Numini preces summo condidit
Quibus parentes sacri reddidit
Baptismatis fontibus.

4 a. Efficax hic virtutibus
Statuitur ordinibus
Vigintennio vigens.

4 b. Sensibus hic maturis,
Annis quamquam teneris
Agenda stat paragens.

5 a. Saevis Romanis cladibus
Subito corruentibus
Ab eis requiritur.

5 b. Oboediens in somniis
Ob hoc monitus nuntiis
Viam secum sequitur.

6 a. Compescit prece ruinam
Laedentem suam carinam
Experrectus somniis;

6 b. Hunc statim, dum portu dantur,
Angeli sic consolantur:
Deus in auxiliis

7 a. O Deus, inquit, omnium,
Qui mihi das solacium,
Reddo tibi gratias.

7 b. Nempe Romam appropiat,
Et plebs sic clamans obviat:
Opem nobis tribuas.

8 a. Ecce, villam prospiciens,
Signo crucis hanc muniens
Pestes omnium tollit.

8 b. Ingressus a regis nata,
Per ipsum diu vexata,
Leviathan expellit.

9 a. Victus partem thesaurorum
Sibi capit oblatorum
Pauperibusque tradit.

9 b. Saeptus illic annis tribus
Angelis hunc monentibus
Animam Deo reddit.

10 a. Ast Deum postulat ante,
Ut a quoque memorante
Hunc et in Iesu precante
Morbos quosque separet.

10 b. Cuius morte plebs tristatur,
Hic decenter inhumatur,
Res mira, hic sic paratur,
Crastino foris paret.

11 a. Tunc stat quidam nuntiorum
Hunc quaerere legatorum:
Promisimus fide, dicens,
Corpus mortuum vel vivens
Reddere ad propria.

11 b. Ornate hoc assumentes
. . . . . ,
Quo nunc quiescit, referunt;
Omnes qui preces huic ferunt,
Obtinent hinc gaudia.

12. Rogamus te, Maturine,
Ergo, tuis ut precibus
Sedes sophiae divinae
Cum angelis caelestibus
Valeamus scandere.

Missale Rotomagense imp. Parisiis 1527. A. — Missale Rotomagense imp. Rotomagi 1572. B. — 5b, 1 somnis AB. — 8a, 3 tullit B. — 8b, 3 Leviatham A. — 9b, 1 Septis AB. — 10a, 1 Ad Deum B. — 11a und 11b bilden mit 12, 1 eine Klausel AB. — Melodie ersichtlich: Lauda Sion (resp. Laudes crucis). — Akrostichon: „Iohannes Sochoneius actor".

264. De sancto Mauritio.

1 a. Sint lumbi vestri praecincti,
Armis bellicis accincti
Ad honorem militum;

1 b. Inter choros angelorum
Turma fulget Thebaeorum
Ob virtutis meritum.

2 a. Fide vera loricati,
Armis virtutum armati
Nolunt caede pollui,

2 b. Scuto bonae voluntatis
Colla gladiis vibratis
Tendunt viri strenui.

3 a. Draco fallens hominem
Angelorum ordinem
Detraxit ad infimum,

3 b. Sed Thebaea legio,
Praeclara martyrio,
Locum tenet decimum.

4 a. Dum truncatur decimus,
Roboratur animus
Fortis legionis.

4 b. Non horrorem intulit,
Sed ardorem contulit
Mors commilitonis.

5 a. Carnis posita trabea
Sacra legio Thebaea
Agauni perimitur;

5 b. Ex partibus orientis
Dux et princeps tantae gentis
Viennae excolitur.

6 a. Non sunt morte separati
Christum semper imitati
Pacifici filii;

6 b. Carne cupiunt dissolvi,
Caedis sanguine revolvi
Spe caelestis praemii.

7 a. Ferus mucro debacchatur,
Caesum scuto collocatur
Caput primicerii.

7 b. Rhodano suscipiente
Viennam Deo regente
Fertur cursu fluvii.

8 a. Dignitate meritorum
Turbam sanat languidorum
Martyrum praesidium.

8 b. Ut Martinus postulavit,
Humus fossa propinavit
Sanguinis profluvium.

9 a. Eia, Vienna nobilis,
Diem age laetitiae,
Nam patris venerabilis
Festum illuxit hodie.

9 b. In cymbalis sonantibus
Et tubis clange bellicis,
Tuis plaude militibus
Cum instrumentis musicis

10 a. En, Salomonis lectulum
Ambiant propter aemulum
Bellatores fortissimi;

10 b. Nos ensibus et gladiis
Protegant ab insidiis
Proditoris nequissimi.

Miss. Viennense imp. Lugduni 1519. A. — Grad. Viennense imp. Lugduni 1534. B.

265. „In Receptione Brachii s. Mauritii."

1 a. Clerus Andegavensium
Psallat cum turba civium,

1 b. Quod Mauritii brachium
Nobis misit Bizantium.

2 a. Constantinopolitana
Civitas diu profana
Manserat,

2 b. Et duritia vesana
Dogmata sacra Romana
Spreverat.

3 a. Franci fortes accinguntur
Venetis associati,

3 b. Urbem hanc aggrediuntur,
Cadunt Graeci superati.

4 a. Archipraesul Philippensis,
Genere Rothomagensis,
Francis opem praebuit,

4 b. Et de rebus civitatis
Ob mercedem probitatis
Opes multas habuit.

5 a. Qui prudenter perscrutatus
Res, quas erat hic lucratus,
Hoc reperto brachio

5 b. Nobis illud destinavit
Et nos tanto decoravit
Vir largus exenio.

6 a. Huius ergo causa rei
Festum hoc ad laudem Dei
Cum sollemni gaudio
Celebrat haec contio.

6 b. Nos hoc festum veneremur,
Ducem nostrum deprecemur.
Ut virtutem proprii
Manifestet brachii,

7 a. Et nobis utilia
Conferat remedia,

7 b. Quae solent per fortia
Exerceri brachia.

8 a. Ut sustentet nos cadentes
Et defendat impotentes,

8 b. Benedicat, amplectatur,
Sparsim dona largiatur,

9. Tandem sua dextera
Portet nos in aethera.

Miss. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin. 868. A. — Missale Andegavense imp. [Parisiis] 1489. B. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1504. C. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523. D. — Missale Andegavense imp. Parisiis 1551. E.

1a, 2 turma BCE. — 1b, 2 Bisantium BCDE. — 2b, 1 divitia besana A. — 3a, 1 attinguntur A; accingantur BC. — 5b, 4 exemio A. — 6b, 3 pretii D. — 8b, 1 fehlt Initiale A.

266. De sancta Maxelinde.

1 a. Virginis sacratae
Maxellendis praeconia

1 b. Hac die celebri
recolamus laetitia.

2 a. Quae fervens perenni
pro vita virgo
manere innupta

2 b. Habitu et actu
et liberorum
propagine spreta

3 a. Sponso, qui in caelis est,
maluit
applicari pudica,

3 b. Quam mortali homini
subici
nuptiali copula.

4 a. Ab infantia namque
se mancipaverat
Christo famulaturam,
a cunctis carnalibus
offendiculis absoluta,

4 b. Seque conservaturam
Deo devoverat
eius virginitatem,
ut ei serviret in
sanctitate et iustitia.

5 a. Parentes tamen virum
ei tribuunt
absque concessione sua;

5 b. Qui, necans repugnantem
sibi virginem,
visu privatur sine mora.

6 a. Quem caecum sui complices
ut viderunt,
gressu celeri
diffugiunt,
ultione timentes
percuti divina.

6 b. Et miser, qui necaverat
innocentem,
redit confusus,
eius vitam
triennio cum magna
ducens miseria.

7 a. Sed illi mox contigit
paenitenti,
quod precibus martyris
fuit lux reddita.

7 b. Haec longe miracula
praedicantur
in laude sua.

8 a. Te ergo deprecante,
martyr speciosa,

8 b. Nos suo in conspectu
Christi clementia

9. Concedat
tecum esse clara
luminaria
in aeternum permansura.

Trop. ms. Cameracense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Cameracen. 79 (78) A. — Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracen. 180 (185) B. — Missale Cameracense imp. Parisiis 1495. C. — Missale Cameracense imp. Parisiis 1507. D. — Missale Cameracense imp. Parisiis 1542. E. — 2 b, 1 et tactu CD. — 6 a, 4 diffugerunt CD. — 7 a, 1 contingit C. — 7 b, 3 Es ist unwahrscheinlich, dafs an dieser Stelle ein Glied ausgefallen, da 7 a und 7 b keinen musikalischen Parallelismus aufweisen; auffallend ist nur, dafs ein solcher augenscheinlich zwischen den Textgliedern besteht. — 8 a, 2 pretiosa CD.

267. De sancto Mellono.

1 a. Hac in die gaudeamus
Et Melloni recolamus
Virtutes et proelia.

1 b. Missus puer Romam vadit
Et, quae secum portat, tradit
Tributa pro patria.

2 a. Monitis Stephani credit,
Baptizatur et oboedit
Mandatis ecclesiae.

2 b. Hinc sacerdos ordinatur,
Dat se Deo, census datur
Pauperum inopiae.

3 a. Inde nullum habet stratum,
Vigiliis fatigatum
Sola sedes reficit;

3 b. Quaque die naturali
Genu vice trecennali
Flecter enon deficit.

4 a. Aqua potum sitienti,
Cibum dat esurienti
Olus, panis ordei;

4 b. Ferrum nudam carnem stringit,
Caro tumens fere cingit
Corpus cycli ferrei.

5 a. Stans angelus ad altare
Mittit eum praedicare
Redonico populo;

5 b. Paret vir sanctus praecepto
Ab eo prius accepto
Pastorali baculo.

6 a. Iter agens pedem caesum,
Caecum et quemcumque laesum
Sanat Christi nomine.

6 b. A daemonio vexatum
Et confractum, morti datum
Dat saluti pristinae.

7 a. Manum sanat arescentem,
Morsum curat et serpentem
Cogit sese perdere.

7 b. Visa luce singulari
Signat eum in altari
Manus Dei dexterae.

8 a. Apri dente vulnerati
Signo crucis sanitati
Restituit viscera.

8 b. Carnis poenas non infringit,
Fini fortiter attingit
Spe firma, fide vera.

9 a. Victor sui mundum vicit
Mundique victor evicit
Sibi regnum gloriae.

9 b. Quo nos tecum det regnare
Tua prece, pater care.
Iesus, dator veniae.

Miss. ms. Rotomagense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Portus Gratiae 325 (A 28). A. — Miss. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisin. 17317. B. — Grad. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Parisin. 905. C. — Missale Rotomagense imp. Parisiis 1491. D. — Missale Rotomagense imp. Rotomagi 1499. E.

1 a, 3 praemia BDE. — 2 b, 2 sensus A. — 3 a, 1 Unde B. — 5 a, 3 Rodomito ABC; Redomico DE. — 6 a, 2 Caecam B. — 7 a, 3 Sese cogit DE. — 8 b, 1 Carni A. — 9 a, 1 vincit AB.

268. De sancto Memmio.

1 a. Spiritali delectemur
una, fratres, gaudio,
Laudes Christo referentes
in beato Memmio.

1 b. Hunc in stella matutina
lucem profert saeculis,
Et coruscat verbo, vita,
signis et miraculis.

2 a. Ordinatur a Clemente
Clemens actu, clemens mente,
Hoc pro nobis disponente
Superna clementia.

2 b. Verba vitae committuntur,
Vota patris prosequuntur,
Et cum ipso diriguntur
Duo luminaria.

3 a. Ad agones animati,
Sacra fide confirmati,
Tota mente trinitati
Reddunt testimonia.

3 b. Sanctus praesul sic recedit,
Verbo docet, corde credit,
Ex commissis unus cedit
Prae mortis angustia.

4 a. A consorte destitutus,
Sed hoc casu tunc adiutus
Nec a fide resolutus
Ad Clementem redit tutus
Cum summa fiducia.

4 b. Vestis Petri pars donatur,
Vesti Christi conseratur;
Illa languens curabatur,
Hac defunctus revocatur
Ad vitae solacia.

5 a. Currit alacrius
beatus Memmius,
Ardorem excitat
consurgens filius,
Adversis deprimi
nescit exterius,
Quem robur fidei
firmat interius.

5 b. Feroces reperit
errori deditos,
Per crucem praedicat
salvari perditos,
Ut prudens medicus
morbis implicitos
Curare properat
peccatis subditos.

6 a. Ad superna se suspendit,
Mente totus illuc tendit
Nec relaxat spiritum.

6 b. Armis Christi pugnaturus
Inter hostes stat securus,
Sic crescit ad meritum.

7 a. Sub aquis mortuum
vitae restituit,
Eiectus antea
exhinc enituit,
Nec lux sub modio
latere potuit
Nec sol in tenebris.

7 b. Ad fidem convolat
et fit ecclesia
Plebs prius insolens,
plena nequitia,
Deponit coluber
antiqua spolia
Relictis latebris.

8 a. Argumenta veritatis
Crescunt evidentius,
In ingressu civitatis
Sanctus praesul Memmius
Tres a lepra liberavit
Intuente populo.

8 b. Caecitate condemnatis
Tribus visum reddidit,
Hostis membris occupatis
Sanitatem indidit,
In instanti tot sanavit
Sub crucis signaculo.

9 a. Enervatum viribus
Et membris inutilem,
Sustentatum manibus,
Pede prorsus debilem,
Sanat plenus gratia.

9 b. Efficacem precibus
Omnis languor reperit,
Imperat spiritibus,
Morbus omnis deperit,
Fugantur daemonia.

10 a. Pax caelestis, pax aeterna,
Suspirantes ad aeterna
De valle miseriae

10 b. Ad te trahe, salus vera,
Via, virtus, lux sincera,
Duc ad regna gloriae.

E. F. Boulangier, Histoire de la vie et miracles de Monsieur Sainct Menge premier evesque et patron de la ville de Chaalons en Champagne. Chalons 1611. Ohne Angabe der Quelle. — 1 b, 1 Hinc. — 3 b, 2 corda. — 4 b, 2 Conferatur. — 9 a, 1 Evernatum.

269. De sancto Memmio.

1 a. Laetabundus
Memmio decantet mundus:
Alleluia.

1 b. Fit profundus
Ex pagano doctor mundus,
Res miranda.

2 a. Lux lucem annuntiat,
Dum ex ipso radiat
Sol de stella.

2 b. Voto mundum abdicat,
Voce Deum praedicat
Semper clara.

3 a. Sicut Christus docuit,
Paupertatem tenuit
Pari forma.

3 b. Christum sequi voluit,
Contemnenda docuit
Haec corrupta.

4 a. Suscitavit filium
Regis iuxta fluvium
Valle nostra.

4 b. Ad Dei officium
Suscitavit alium
Carne sumpta.

5 a. Tres caecos illuminat
. . . . . .
Mundana determinat
Esse caeca.

5 b. Leprosi tres mundantur,
Daemones effugantur,
Languidi comitantur
Haec praedicta.

6 a. Memmi, nos visita,
Sic tu nos excita,
Ne simus perdita
. . . .
gens misera.

6 b. Dirige opera,
Duc nos ad aethera
Ei confoedera
Quem genuit
puerpera.

Miss. ms. Catalaunense saec. 15. Cod. Parisin. 840. A. — Miss. ms. Catalaunense Iohannis de Bardone anni [14]25. Cod. Parisin. 842. B. — Missale Catalaunense imp. Parisiis 1489. C. — Missale Catalaunense imp. Parisiis 1543. D. — Mel.: Laetabundus.

270. De sancto Memmio.

1. Adest

2 a. praecelsa cunctis
dies digne
celebranda,

2 b. In qua Memmius,
Christi praesul,
scandit celsa.

3 a. Cuius in honore
nunc exsultat
angelorum caterva

3 b. Ac laxis fidibus
cytharizat
modulos gloriosa.

4 a. Hic etenim celso
ditatus pneumate
populorum
inter agmina
verbi diffudit famina.

4 b. Captivitas atque
quos saeva vicerat,
caelo sacra
reddidit lympha,
infula saeptus fulgida.

5 a. Nunc in aeternum
regem collaudat
ovanter gloria,
nostras in qua,
poscimus, preces
interpellando transferat.

5 b. Archangelica
congratulantur
agmina, martyrum,
confessorum
[omnium] simul
ac virginalis caterva.

6 a. O quam praeclara
est ista qua caelos
dies praesul magnus
Memmius penetrat!

6 b. Ergo sonora
pangamus carmina,
quibus ecclesia
iubilet per saecla.

7 a. Insignis sacerdos nostra,
quaesumus, crimina
potestate summa
diluas,
ut gaudere una
mereamur gloria,
tua recolentes
thaumata; clemens
audi [nostra] precamina.

7 b. Nostra te collaudat turma
hymnizans dulcia,
mundana qui cuncta
liquisti
cupiens caelica,
deice piacula,
electorum
ut locati patria (tecum)
Christo solvamus debita.

8 a. Laus perennis,
decus, honor,
potestas sempiterna
sit semper per saecula,
qui gubernat
cosmi climata.

8 b. Genitori
genitoque
decora modulemus
paraclito cantica,
Alleluia
cantantes una.

9. Conclament cuncti: Gloria
sit trinitati
in aeterna saecula.

[E. F. Boulangier], Histoire de la vie et miracles de Monsieur Sainct Menge. Chalons 1611. — 2b, 1 sq. Christi praesul Memmius. — 7 b, 5 nisens caelica.

271. In Revelatione s. Michaelis.

1. In conspectu angelorum,
Venerande rex caelorum,
Psallam tibi: Gloria.

2 a. Lux aeterna, splendor Dei,
Qui, cum unicus sis ei,
Vocas nos per gratiam,

2 b. Ut heredes simus sui,
Coheredes autem tui,
In sanctorum patriam.

3 a. Quin ad tuum sanctum templum
Adorabo per exemplum
David, regis incliti,

3 b. Cuius lingua foris sonat
Hoc, quod intus ei donat
Gratia paracliti,

3 c. Sicque tibi grato cultu
Satiabor tuo vultu,
Quo carebunt perditi.

4 a. Inde quondam Lucifer
Deitatem nequiter
Usurpando corruit,
Dum par esse voluit
Illi, qui se condidit.

4 b. Quem caelestis signifer,
Princeps noster Michael,
Cum suo collegio
Devictum in proelio
Rapto trudit solio.

5 a. Laudes ergo creatori
Beatorum novem chori
Concinunt humiliter,

5 b. Cuius ope triumpharunt,
Quo auctore superarunt
Hostem mirabiliter.

6 a. Iure autem, qui vicerunt,
Munerari meruerunt
Donativo prospero,

6 b. Ut in bono confirmati
Velut milites probati
Non peccent de cetero.

7 a. Principatus ex hoc caeli
Digne cedit Michaeli,
Qui facta victoria
Deo dat praeconia.

7 b. Ad replendas vagas sedes
Et electis partas aedes
Hic cura praecipua
Instat et assidua.

8 a. Est honorandus igitur,
Qui Sicut Deus dicitur,
Qui et creatis praesidet
Et cunctis cuncta providet.

8 b. Praesertim in ecclesia
Laudis eius insignia
Sunt cantanda fideliter
Et recolenda iugiter.

9 a. Pangat ergo sponsa melos,
Coronanda super caelos
Conculcato zabulo,

9 b. Fruitura sponso laeta,
Dum cubabit sine meta
Regio cubiculo.

10 a. Tunc laus erit et pax una
In perenni duratura
Cum summis spiritibus;

10 b. Adimpleta prophetia
Exsultabunt (sancti) in gloria
Suis in cubilibus.

Miss. Bicterrense imp. Lugduni 1535. — 3 c, 1 grato vultu. — 5 c, 1 opem.

272. In Translatione s. Moderanni.

1 a. Praesul comes sublimatur,
Laetis choris sociatur
Moderannus hodie,

1 b. Ortus cuius consecratur,
Quando sibi propalatur
Absconsum ab homine.

2 a. Patrem videt ultra mare
Quandam sponsaturum mane,
Ipsum de hoc arguit,

2 b. Puer stans in occidente,
Sed pater in oriente,
Hoc nefas prohibuit.

3 a. Hoc probavit peregrinus,
Qui a rege fuit missus
Scire de miraculo.

3 b. Cum hoc pater vult scrutari
Insigniis et videri,
Alte non latet parvulo.

4 a. Puer Dei Moderannus
Crescit, secum Dei manus
Aetate et moribus;

4 b. Sic antistes ordinatur,
Redonis a Deo datur
Cum pontificalibus.

5 a. Qui dedisti nobis sortem,
Te quoque nostrum consortem,
Sic per vitam et per mortem
Cunctum procul pelle hostem
A nostro confinio.

5 b. Tu praesul, abbas et comes,
Qui in Deo cuncta potes,
Moderanne, dona mores
Bonos et conserva omnes
In Dei servitio.

Missale Redonense imp. Parisiis 1492. A. — Missale Redonense imp. Parisiis 1533. B. — 5 a, 1 sontem AB. — 5 a, 3 et fehlt A. — 5 a, 4 pelli A.

273. SS. Nazarii et Celsi in festo rosarum.

1. Concentus vox et organa
resultent tibi nostra,
Christe, iucunda,
cui recitamus odas.

2 a. Quem totus in sanctis
orbis praedicat
voce sonora

2 b. Mirabilem nimis,
quos martyrii
donis adornas;

3 a. Qui gravia
pertulerunt supplicia
pro sibi promissa corona.

3 b. Intra quorum
Nazarius collegia
tuus triumphat agonista.

4 a. Qui paterni cultus
respuens sabbata
inventutis suae
florem compsit fide
gloriosa,

4 b. Matris atque volens
sequi vestigia
baptismatis sacri (unda)
meruit consequi
sacramenta.

5 a. Cui totius
Romae regionem
pater se daturum
promittebat

5 b. Et cum gaudio
Romanae uxorem
plebis illi dare
pertractabat.

6 a. Haec omnia
ceu stercora iam sapiens
tuus respuebat athleta;

6 b. Sed, ne suo
patri pararet scandala,
discessit ab urbe Romana.

7 a. Egressus ab hac
altius praedicans,
means singulas
urbes Italicas,
docuit serere
dans semina
ceu prudens
agricola corda.

7 b. Matre propria
fante per somnia
urbes etiam
venit ad Gallicas,
exhortans populos
posse sacra
salvari
baptismatis unda.

8 a. Sed cupiens cursum
morte praeparare
pretiosa,

8 b. Romam iterum petens
orando prostravit
simulacra;

9. Martyrii palmam
sic accepit triumphans
per saecula.

Miss. ms. Eduense saec. 14. Cod. Semin. Eduen. 121. A. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Tolosan. 100. B. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 114. C. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin saec. 15. Cod. Semin. Eduen. s. n. D. — Miss. ms. Eduense anni 1476. Cod. Semin. Eduen 118 bis. E. — Missale Eduense imp. Parisiis 1493. F.

Ferner: Miss. ms. Oliverii episcopi Cabillonensis anni 1400. Cod. Semin. Eduen. 118. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 110. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 110. — Sequent. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 131. — Missale Cabillonense imp. Lugduni 1500.

1, 4 recitemus F. — 2b, 3 donis adornat AC—F; adornat donis B. — 3a, 1 Cui gravia B. — 3b, 3 tua triumphat F. — 4b, 1 volens atque B. — 4b, 3 unda sacri B; zwei Silben zu viel; wahrscheinlich ist unda zu tilgen. — 5a, 2 religionem A—F. — 6a, 2 seu B. — 6a, 3 cuius respuebat B. — 7a, 5 serre A. — 7a, 8 conda BDF; corda korrigierf in corda E. — 7b, 1 Mater A. — 8a, 2 lies properare? — Anfschrift in E.

274. De sancto Nicolao.

1. Salve, festa dies,
Christi famulis celebris,

2 a. Qua suum electum
in caelis sanctis
consociavit angelis,

2 b. Qui puer et factis
et dictis sanctis
se praemunivit meritis.

3 a. Ut natus
est ipse, virtutum
simul crescunt germina

3 b. Divina
praeventus gratia
mundi sprevit munia.

4 a. Non plus quam semel
in die ubera
sugere voluit
quarta et sexta feria;

4 b. Flore primaevo
iuventae vir Dei
exemplis virtutum
sese munivit optimis.

5 a. Undique cunctis
exsistens utilis,
Heredem Christum
Dominum eligens,
virgines puellas
theatro
auro redemit proprio

5 b. Inopem patrem
fecitque divitem.
Periclitantem
in fame patriam
abunde cibavit,
precibus
Deum invocans sedulis.

6 a. Sede propria
pellentibus
suum pastorem
et civibus
sacerdos Dei
Nicolaus
oleum
negat salutis
pro restitutione
praesulis.

6 b. Vinctis, viduis
et naufragis,
claudis, languidis
et damnatis,
invocantibus
sanctum cunctis
adfuit
ipse adiutor,
consuetam opem ferens
singulis.

7 a. Dei electus
Nicolaus
in somnis principem
Romanum
benigne deterrens
liberavit insontes.

7 b. Istum conventum
nimis reum,
in tuis laudibus
devotum,
precamur, duc tecum,
ut gaudentes pariter

8. Ianuam paradisi
ingredi mereamur.

Trop. et Prosar. ms. Metense saec. 12. in. Cod. Meten. 452.

275. De s. Nicolao Tolentino.

1 a. O pater Nicolae,
Fructum nobis instrue
Rerum salutarium,

1 b. De tua propagine
Fer et vitae serie
Caeleste praesagium.

2 a. Conservator sedule
Augustini regulae,
Ferens eius habitum,

2 b. Iugi Christi gerule,
Sanctitatis aemule,
Vivendi praebens ritum.

3 a. Infantis effigie
Iesum, natum Mariae,
In altari vidisti,

3 b. Cum divino numine
Vigili certamine
Tyrannum subdidisti.

4 a. Carnem tuam domasti,
Ne virus inimici
Te posset arripere,

4 b. Spiritum commendasti
Deo, fine felici
Ut te vellet iungere.

5 a. Tu nobis fidelibus,
Te pie colentibus,
Para caeli solium,

5 b. Ut nos puris mentibus
Cum supernis civibus
Habeamus bravium.

Miss. Pictaviense imp. Parisiis 1541. — 4 a, 1 domuisti. — Mel.: Veni sancte spiritus.

276. De sancto Paulo.

1 a. Nero plange, Roma gaude,
Quae nunc Pauli dignum laude
Recolis martyrium;

1 b. Qui ut fuit baptizatus,
Mox potenter est mutatus
In virum contrarium.

2 a. Nam qui prius impugnavit
Christi fidem, praedicavit
Illam palam gentibus,

2 b. Affirmans, quod legis zelo
Fideles poenarum prelo
Dabat et tortoribus.

3 a. De Beniamin tribu natus
Lupus rapax est conatus
Praedam mane rapere;

3 b. Sicut Iacob disposuit
Escas, spolia studuit
Vespere dividere.

4 a. Propter quae saepe vincula,
Naufragia, pericula
Plura passus est graviter.

4 b. Tandem ense consummatus,
Nostros excuset reatus
Apud Dominum dulciter.

Missale Andegavense imp. [Parisiis] 1489. A. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1504. B. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523. C. — Missale Briocense imp. s. l. et a. [1502]. D. — Missale Macloviense imp. Rotomagi 1503. E. — 3 a, 3 Beniamin E. — 4 a, 1 vinclam A. — 4 a, 3 gravi C. — 4 b, 3 Deum D.

277. De sancto Paulo Leonensi.

„Dominica infra Octavam.“

1 a. Leonensis terra, plaude,
Celebrata festa gaude
Sancti Pauli praesulis,

1 b. Cuius sensu gubernata,
Cuius es tam illustrata
Fide quam miraculis.

2 a. Is a pueritia
Regna linquens patria
Sub Ilduto studuit.

2 b. Tribus iunctis sociis
Sacris se non studiis
Imparem exhibuit.

3 a. Quasi gregem ovium
Paulus turbam avium
Noxiam incarcerat.

3 b. Doctor fit attonitus,
Filii dum tacitus
Meritum considerat.

4 a. Tandem patri pandit votum
Et ad eremum remotum
Recedit secretius.

4 b. Ibi carne macerata,
Ut non satagat cum Martha,
Fit Maria potius.

5 a. Instruit ad fidem Marcum,
Sed ostendit rex se parcum
Negans tintinnabulum;

5 b. Quod a Marco denegatur,
A superno rege datur
Piscis per miraculum.

6 a. Mirum est, quod dicitur,
Alveo concluditur
Maris Pauli precibus.

6 b. Fratris beneficio
Maior servit natio
Monialis usibus.

7 a. Bubalum hic fugat sontem,
Et propinat novum fontem
Sitibundis sociis.

7 b. Per hunc fera sus pacatur,
Ursus praeceps sponte datur
Illius imperiis.

8 a. Serpens ferox miro modo
Se centeno plicans nodo
Iussus mari gurgitat;

8 b. Videt comes et miratur,
Universa gens laetatur,
Quod hostis periclitat.

9 a. Postquam virga sublimatur
Et invitus consecratur,
Cessat idolatria;

9 b. Fides una praedicatur,
Et trinitas veneratur
In ima Britannia.

10 a. Fit propheta servus Dei,
Tandem vitae finis ei
Ab angelo panditur;

10 b. Discipulis hic vocatis
Fidem sanctae trinitatis
Praedicans assumitur.

11 a. Paralytici curantur,
Caecis visus instaurantur,
Mutis linguae gratia.

11 b. Ergo sanctus revelatur,
Quia per hunc operatur
Deus mirabilia.

12 a. Qui nos sua gratia
Trahat ad caelestia,

12 b. Ubi summa praemia
Sunt et vera gaudia.

Miss. Leonense imp. Parisiis 1526. — 2 b, 3 In parem. — 7 b, 3 imperii. — 9 a, 1 virgo. — 9 a, 3 idolatia.

278. In Translatione s. Pauli Leonensis.

1 a. Laetabundus
Pastori det grex iucundus
Alleluia.

1 b. Ut ignaves
Pennatas concludit aves,
Res miranda.

2 a. Post palmam ingreditur,
Et typice nascitur
Sol de stella.

2 b. Exemplar se praebuit,
Gregem voce monuit
Semper clara.

3 a. Sicut Christus docuit,
Vitae viam tenuit
Pari forma.

3 b. Exsul esse voluit,
Possidere respuit
Haec corrupta.

4 a. Iam in caelis iubilat,
Multis signis rutilat
Valle nostra.

4 b. Per hunc benedicitur,
Qui pro nobis moritur
Carne sumpta.

5 a. Os mutorum solvitur,
Caecis lumen redditur,
Plebs errans non sinitur
Esse caeca.

5 b. Mare fugit, saliunt
Claudi, surdi audiunt,
Multae terrae sentiunt
Haec praedicta.

6 a. Plebs Christi, propera,
Depone vetera
Haec sequens, ne sis
gens misera.

6 b. Sequi nos opera
Eiusque munera
Da, quem genuit
puerpera.

Miss. ms. Venetense saec. 15. Cod. Rotomagen. 307 (A 434). A. — Missale Leonense imp. Parisiis 1526. B. — 6 b, 3 terrae fehlt A. — Mel.: Laetabundus.

279. De s. Paulo Virdunensi.

1 a. Exsultet caelum laudibus
Et militans ecclesia

1 b. Secundi Pauli cantibus
Attollendo praeconia.

2 a. Qui praeclarus prosapia
Claris fulsit virtutibus,

2 b. Spreta natali patria
Vixit externis finibus.

3 a. Mundum carnem, daemonia
Vicit vivendo sobrie,

3 b. Fretus oboedientia
Pro victimarum serie.

4 a. Augustodunum praedica,
Quo vir tantus emicuit,

4 b. Virdunumque magnifica,
Quo praesul hic enituit.

5 a. Hunc munit contra vitia
Serpentina calliditas,

5 b. Hunc fovit cum munditia
Columbina simplicitas.

6 a. Quam felix monasterium,
Quo degebat sub regula,

6 b. Quod dictum Tabuleium
Secunda pollet tabula.

7 a. Ubi furnum praecalidum
Vir intravit ut frigidum,
Quod purgans veste propria
Nulla sensit incendia.

7 b. Hicque panes dispositos,
Decoctioni traditos,
Ferebat mirabiliter
Fratribus et humiliter.

8 a. Qui sequentem invalidum
Acclamantem ac languidum
Ditavit alimonia
Sanitatisque gratia.

8 b. Insignis et miraculis
Tandemque notus populis,
Extractus de coenobio
Fit dignus pontificio.

9 a. Paulus migrans a saeculo
Sepulturaeque traditus

9 b. Crebro fulsit miraculo,
Sublimatus divinitus.

10a. Sanctus per neglegentiam
Panno contectus veteri

10b. Rediit in memoriam
Liquore madens uberi.

11a. Nos ad Pauli consortium
Per ipsius suffragia

11b. Post hoc praesens exsilium
Christi perducat gratia.

Miss. ms. Virdunense saec. 15/16. Cod. Virdunen. 99. — 5a, 1 Hunc vivit contra. — 6b, 1 Quo dictum tabuleum; Monasterium Tabuleium = Tholey.

280. De sancto Petro.

1a. Veneremur hodierna
Gaudentes sollemnia,

1b. Ut per Petrum ad aeterna
Veniamus gaudia

2a. Totus orbis iucundetur,
Adludat ecclesia,

2b. Fletus omnis effugetur,
Accedat laetitia.

3a. Ad aeterna regis dona
Nos invitat haec corona,
Quae Petro conceditur;

3b. Non contemptor paupertatis,
Fons totius pietatis
In hoc esse noscitur.

4a. Petrus olim piscatoris
Arte fungens salvatoris
Ad nutum deseruit

4b. Vana mundi, rete, ratem;
Omnem cordis caecitatem
Vera fides diluit.

5a. Petrus solvit, Petrus ligat,
Petrus orbis regna rigat
Sacro fonte gratiae;

5b. Supra Petri documentum
Suae Christus fundamentum
Construxit ecclesiae.

6a. Sensit magus corruendo,
Sensit Petri resurgendo
Tabita potentiam;

6b. Timet Petri mors mandata,
Fulget fides confirmata
Per Petri scientiam.

7a. Ergo clerus gratuletur
Et in Petro collaudetur
Rex caelestis patriae;

7b. Mores Petri prosequamur
Ut per eum perducamur
Ad viam iustitiae.

Miss. Bellovacense imp. Parisiis 1538. — 1a, 1 hodierne. — 6b, 1 Timent.

281. In sancti Petri ad Vincula.

1a. Ecce, dies digna coli
Cunctis a fidelibus;

1b. Ianitori Petro poli
Psallant laetis vocibus.

2a. Plaude Petro, plebs fidelis,
Plaude mente, plaude melis,
Plaude lingua, manibus;

2b. Cole caeli ianitorem,
Cole tuum, grex, pastorem
Puri cordis fidibus.

3a. Diem festum hunc suorum
Venerare vinculorum,
Quae puella fletibus

3b. Dum rigavit osculata,
In momento fit sanata
Alexandri precibus.

4a. Pater credens baptizatur,
Et sic papa liberatur
Suis a compedibus.

4b. Vincla Petri veneratur,
Quisquis Christo famulatur
Christianis legibus.

5 a. Petri vincla qui non colunt,
Patet, quia solvi nolunt
Peccatorum nexibus.

5 b. Petrus ligat neglegentes,
Petrus laxat se colentes
A peccatis omnibus.

6 a. Petri lingua poenis ligat
Illum, qui se non castigat
A perversis actibus.

6 b. Portam poli Petrus pandit
Illi, qui ad polum scandit
Mente, manu, moribus.

7 a. Ergo Petro famulemur
Et hunc diem veneremur
Cantilenis dulcibus,

7 b. Ut nos solvat a dilictis
Et solutos cum electis
Ponat summis aedibus.

8. Una Deum deprecemur,
Ut cum Petro gloriemur
Vestiti duplicibus.

Tropar. ms. Sammaglorianum saec. 11. et 12. Cod. Parisin. 13252. add. saec. 12. Mit Melodie. — 2 b, 3 Puris. —

282. In sancti Petri ad Vincula.

1 a. Sion, laude debita
Si Petri vis inclita
Recensere merita
In praesenti,

1 b. Ad laudem cor excita
Voce non abscondita,
Concordet sollicita
Lingua menti.

2 a. Petre, navem deseris
Atque Christum sequeris;
Petre, petra diceris
Firmitatis.

2 b. Cathedram assequeris
Et nobis prae ceteris
Viam rectam aperis
Veritatis.

3 a. Petre, pastor inclite,
Oves Christi creditae
Suntque tibi traditae
Caeli claves.

3 b. Solvis, ligas licite,
Ligatus indebite,
Fers crucis immeritae
Poenas graves.

4 a. Petre, tua vincula
Devota per oscula
Sanant, nec est fabula,
Guturnosam.

4 b. Haec tibi miracula
Et doctrinae pabula
Dant laudem per saecula
Gloriosam.

5 a. Portas, Petre, resera,
Ut ad regna supera
Ab hac valle misera
Transeamus.

5 b. Prece salutifera
Nos Deo confoedera,
Ut in eius dextera
Sedeamus.

Miss. ms. S. Petri Cadomensis anni 1451. Cod. Mancel s. n. A. — Miss. Baiocense imp. Rotomagi 1501. B. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1504. C. — Missale Baiocense imp. s. l. 1529. D. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1545. E.

1 a, 2 Si vis Petri C. — 1 b, 3 cum cordat A. — 3 b, 1 lignas A. — 3 b, 2 Ligatos BCD. — 4 a, 3 Devote D. — 4 a, 3 nec cum fabula D.

283. De ss. Petro et Paulo.

1 a. Roma felix gratuletur,
Cum sanctorum recensetur
Principum victoria.

1 b. Per quos orbis illustratur
Et in Christo solidatur
Fidelis ecclesia.

2 a. Petrum primo veneremur,
Ut per ipsum collocemur
In caelesti curia;

2 b. Cui commisit ut fideli
Praedilecto claves caeli
Divina clementia.

3 a. Petri signa fide digna:
Cum mors cedit, vita redit
Multis, qui decesserant;

3 b. Umbra Petri vegetantur
Et a morbis liberantur,
Qui diu languerant.

4 a. Rectus claudo gressus datur,
Et Thabita sucitatur
Assignata viduis.

4 b. Petrus vinctus liberatur,
Et Herodes spe frustratur
Reseratis ianuis.

5 a. Dat Aeneae sanitatem,
Qui reliquit rete, ratem
Prosecutus Dominum.

5 b. Ambulantem super mare
Dignatus est sustentare
Petrum factor hominum.

6 a. Non est impar Paulus ei,
Quem elegit virtus Dei
Et vocavit gratia.

6 b. Cui caelestis lux illuxit,
Quem de caelo rex instruxit,
Qui gubernat omnia.

7 a. Hi sunt nubes coruscantes,
Terram cordis irrigantes
Nunc rore, nunc pluvia.

7 b. Hi doctores novae legis,
Hi ductores novi gregis
Ad caeli fastigia.

8 a. Facta Christi mentione
Simon Magus cum Nerone
Perturbata ratione
Resistunt apostolis.

8 b. Languor cedit, mors oboedit,
Magus cadit, Roma credit,
Et ad vitam mundus redit
Derelictis idolis.

9 a. Furit Nero sceleratus
Magi morte desolatus,
Cuius error ei gratus
Grave praecipitium.

9 b. Bellatores praeelecti
Non a fide possunt flecti,
Sed ad pugnam stant erecti
Nec timent exitium.

10 a. Signa sequens summi ducis
Petrus poenam subit crucis,
Paulus ictum fert mucronis,
Nec diversae passionis
Sunt diversa praemia.

10 b. Patres summae dignitatis,
Summo regi conregnatis,
Vincla nostrae pravitatis
Solvat vestrae potestatis
Efficax sententia.

Missale Bisuntinum imp. Salini 1485. A. — Missale Bisuntinum imp. Parisiis 1508. B. — 8 a, 3 Perturbata rome. — 9 a, 1 Furit vere sc. AB. — Zum Teil Entlehnung aus der Sequenz Adams von St. Victor: Roma Petro gratuletur.

284. De ss. Philippo et Iacobo.

1 a. In hac die iubilemus,
Iubilando collaudemus
Iacobum cum socio.

1 b. Hos insignes, hos praeclaros,
Summo regi summe caros
Decet iubilatio.

2 a. Iacobus est Iacobita,
Quia verbo, quia vita
Supplantavit vitia.

2 b. Iuste iustus hic laudatur,
Quia iustus nuncupatur
A mira iustitia.

3 a. Balneis non utebatur,
Oleo non ungebatur
Abstinens a carnibus.

3 b. Multa genuflectione,
Quae fit in oratione,
Callus erat genibus.

4 a. Dum in templo praedicaret,
Praedicando demonstraret
Rectas vitae semitas,

4 b. In hunc iustum rapto fuste
Insanire, sed iniuste,
Coepit Sauli feritas.

5 a. Perturbabat praedicantem,
Verbum Dei seminantem
Circumstanti populo.

5 b. Caput fuste terebatur,
Sed primo praecipitatur
De templi pinnaculo.

6 a. Per Philippum Martis signum
Est confractum, crucis lignum
Eius loco ponitur.

6 b. Per Philippum sunt sanati
Tribuni, dracones strati,
Multis vita redditur.

7 a. Nos hi duo sua prece
Purgent a peccati face
Ac omni spurcitia,

7 b. Ut per eos sic mundati
Laudem demus trinitati,
Cuius laus et gloria.

Miss. Lemovicense imp. Parisiis 1483. — 6 a, 2 crucis signum — 6 a, 3 Crucis loco ponitur.

285. De sancta Praxede.

1 a. Sacrae virginis Praxedis,
Cuius laude nunc gaudetis,
Cantate praeconia;

1 b. In aetate quae tenella
Cuncta vicit carnis bella,
Blanda mundi fortia.

2 a. Propter Christum, quem amavit,
Fervens ignem superavit
Stans corde magnifico.

2 b. Dum sanguinem sanctum condit,
Sanctus angelus iam vestit
Vestimento caelico.

3 a. O miranda caeli planta,
Mater pauperum [amanda,
Virgo dulcis] virgo sancta,
Fac nobis propitium,

3 b. Quem, Praxedes, semper colis,
Virgo sancta stans in polis
Decorata sacris stolis,
Salvatorem omnium.

4 a. Praxedes, virgo sacrata,
Tota Christo decorata
Coram omni populo,

4 b. Iesu Christo servivisti
Et post ipsum semper isti
In praesenti saeculo.

5 a. Per hanc virginem Praxedem
Nobis, Christe, da quietem
Et aeternum gaudium.

5 b. Certe dulciter amemus,
Tibi semper laudes demus
Hic et post exsilium.

6 a. O Praxedes, Christi sponsa,
Nota sanctis, non absconsa
Angelis, hominibus,

6 b. Per te semper adiuvemur
Et post mortem consolemur
Tecum in caelestibus.

7 a. O Praxedes, sis tuorum
Consolatrix peccatorum
Conferens auxilia,

7 b. Aufer nobis omne malum,
Ut post huius vitae salum
Simus in caeli gloria.

Miss. ms. S. Albini Andegavensis saec. 15. Cod. Andegaven. 86. A. — Miss. ms. S. Albini Andegavensis saec. 12. Cod. Andegaven. 85. add. saec. 15. B. — 1 a, 2 Eius laudes nunc gaudentis AB. — 1 b, 2 quae puella AB. — 1 b, 2 vincit B. — 1 b, 3 Et blandi mundi AB. — 2 b, 1 Quae dum sanguinem sanctorum AB. — 3 a, 2 sq. In A und B eine Lücke markiert; zum Reime vgl. 1 a, 2 und 5 a, 2. — 3 a, 5 Sis nobis propitia AB. — 3 b, 1 Quam . . . colit AB. — 3 b, 2 poli A. — 4 a, 1 Praxedem virginem sacratam AB. — 4 a, 2 Totam a Christo decoratam AB. — 4 b, 1 Iesu Christo cui servivit AB. — 4 b, 2 ivit AB. — 5 a, 1 Praxedem virginem AB. — 6 a, 1 Praxedis veri Christi sponsa AB. — 7 a, 1 Praxedis virgo sis tuorum AB. — 7 b, 2 Et post AB.

286. De sancto Quintino.

1 a. Per unius casum grani
De valle Gethsemani
Grana surgunt plurima;

1 b. Orbem terrae, caeli gyrum
Ornat rosis martyrum
Una Christi victima;

2 a. Praestat vires, quibus freti
Cuncta possunt perpeti
Tormentorum genera.

2 b. Nec formidant poni cibus
Caeli volatilibus
Suspensi per aera.

3 a. His indignus erat mundus,
Dum diei portant pondus
Et aestus incommoda,

3 b. Fracti corpus, corde recti,
Mori possunt, sed non flecti
Sub strage multimoda.

4 a. Hi certamen certant bonum,
Qui, ut Christi passionum
Suppleant residua,

4 b. In melotis circumire,
Casum omnem sortis dirae
Mente ferunt strenua.

5 a. Sed hanc sortem nemo minus
Declinavit, quam Quintinus,
Quem produxit stirps venusta.

5 b. Gloriosum in Romanis
Fatigavit Ambianis,
Ut quiescat in Augusta.

6 a. Propter iugum Christi lene
Premunt compes et catenae
Carcerali clausum cella,

6 b. Sed triumphat bonus bene
Universum genus poenae,
Famem, frigus et flagella.

7 a. Rogo facis, haustu plumbi
Concremantur eius lumbi,
Os detestans idola;

7 b. Neque plumbi neque rogi,
Potu, flamma potest cogi,
Ut fiat Iovicula.

8a. Inter ungues ictu gravi
Defiguntur decem clavi
Cuspide quadrangula,

8b. Sudes ferri suunt dorsum
Descendentes in deorsum
Ab utraque scapula.

9a. Rastris demum praeacutis
Exaratur eius cutis
Propter verbi semina;

9b. Lacerantur et lacerti,
Dum iubetur circumverti
Troclearis machina.

10a. De praeciso vertice
Subvolat mirifice
Ut columba nivea;

10b. Sublatum ab area
Sic fertur ad horrea
Granum sine palea.

11. Cuius contumelia
Gloriam et gloria
Parturit Alleluia.

Pros. ms. Parisiense saec. 13. Cod. Commun. Assisien. 695. A. — Miss. ms. S. Amandi Elnonen. saec. 14. Cod. Parisin. 1101. B. — Miss. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. Fol. 12. C. — Sequent. ms. Gallicum anni 1584—87. Cod. Ravennaten. 360 (139. 5. S). D. — Missale Ambianense imp. Parisiis 1487. E. — Missale Lugdunense imp. Parisiis 1491. F. — Missale Tornacense imp. Parisiis 1498. G. — Missale Cameracense imp. Parisiis 1507. H. — Missale Bellvacense imp. Rotomagi 1514. I. — Missale Constanciense imp. Rotomagi 1524. K. — Miss. Laudunense imp. Parisiis 1557. L.

1b, 3 Vita Christi D. — 2a, 1 Praestet D. — 2b, 3 Suspensa D; Suspendi ABG; in aera H. — 3a, 2 portat D. — 3b, 1 fide recti FHIL. — 4a, 1 In carcerem certant D. — 4b bis 10b fehlen K. — 4b, 2 Casum omnes D; Casus omnes BC; mortis dirae FL. — 5a, 1 Et hanc CI. — 5a, 2 Declaravit A. — 5b, 1 cum Romanis FL. — 5b, 2 Flagitavit D. — 5b, 3 in angusta FIL. — 6a, 1 Christi iugum AFL.; leve Fl. — 6a, 2 catena H. — 7a, 1 fascis D; hausti B. — 7b, 2 rogi I. — 7b, 3 Iovicula H; iuvencula D. — 8a, 1 lapsu gravi BG. — 8a, 2 Defiguntur I. — 8b, 1 sudunt H. — 9a, 1 Castris C; proacutis D. — 9a, 1 tota cutis H. — 9b, 1 Macerantur H. — 9b, 3 Trocleari H. — 10a, 1 De pretioso H. — 10b, 1 ad aera H. — 11, 1 Huius H; Eius FL; Quorum K. — 11, 2 et gratia D — 11, 3 Parturivit ABH; Percuriunt C; Parturiunt I. — In K auf Iohannes und Paulus; daher die Auslassungen dieser Quelle. — Vgl. Gautier, Œuvres poétiques d'Adam de S.-Victor (1. éd.) II, 297 ff. Unvollständig bei Kehrein, 466.

287. In Inventione S. Quintini M.

1a. Decem uno ferme lustris
Iam servarat scrobs palustris
Quintinum in Somena,

1b. Dum invenit eum nobis
In piscosae sinu scrobis
Quaedam Romuligena.

2a. Sicut fuit in hiulcae
Terrae sulco lignum dulce
Inventum ab Helena,

2b. Lucis inops est omnino,
Donec lucem pro Quintino
Meretur Eusebia.

3a. Quem inventum ex acclini
Valle transfert ad vicini
Montis supercilia.

3b. Parte locat in insigni,
Quam ardentes vallant lychni
Iam in die tertia.

4 a. Ibi eum trecentenis
Annis quinque bisque denis
Terra servat; postea

4 b. Carnem sanctam nec trifauci
Rictu vorant pisces glauci
Nec informis tinea.

5 a. Habet certum terra pignus,
Quod sit martyr caelo dignus,
Propter cuius merita,

5 b. Dum levatur in obscurae
Noctis umbra de tellure,
Nocti lux est insita.

6 a. Sacros dentes per Eligi
Sacram manum vult refigi
Mente Deus provida,

6 b. Ut credatur in virtute,
Quod cruoris manant guttae
De fauce iam arida.

7 a. Clavos, faber quos immani
Manu fixit trans Romani
Senatoris ilia,

7 b. Ut refixos adoremus,
Ad hoc alter Nicodemus
Nocte venit media.

8 a. Qua clavorum patent sulci,
Rigat puro fletu, dulci
Murra, nardo pistica.

8 b. Cui decenter fecit quondam
Mundo byssus byssum mundam
. . . et serica.

9 a. In argenti claudit thecis,
Quem in caelo durae necis
Dilatat angustia.

9 b. Hic aufugit lucis globus,
Duo festis de duobus
Ut sequamur Alleluia.

Appendix ms. saec. 16. in. Miss. Belvacensi imp. Rothomagi 1514 (Bibl. Ste. Geneviève). — 3 b, 3 in fehlt. — 4 b, 2 ritu. — 6 a, 1 Eligii. — 6 a, 2 Sacra manum. — 6 b, 1 Qua. — 8 a, 2 pure. — 8 b, 2 Mundo byssus byssus mundat. Der Reim fordert mundam; doch bleibt der Sinn unerschlossen. — 9 b, 2 festis de duobus bezieht sich auf die doppelte Inventio der Eusebia und des Eligius.

288. De ss. Ravenno et Rasipho.

1 a. Lux iucunda, lux insignis,
In qua laudes laude dignis
Resultant martyribus!

1 b. Laus Ravenno Rasiphoque,
Immo Christum in utroque
Laudemus pro viribus.

2 a. Intra mundum prorsus mundi
Contempserunt vitam mundi
Currentes in stadio,

2 b. Bravium sunt consecuti
Et aeternae retributi
Coronae stipendio.

3 a. Fratrum duxit sanctitudo
Vitam solitariam,
Contemplandi solitudo
Ministrat materiam.

2 b. Potus aqua, panis victus
Carnis in interitu,
His cum carne fit conflictus
Triumphante spiritu.

4 a. Triumphales medici
Morbos tentos duplici
Verbo sanant simplici
Ductu caritatis.

4 b. Corpus infestantia
Curat artis gratia,
Mentis fugat vitia
Virtus sanctitatis.

5 a. In dieta medicorum
Relevatur infirmorum
Desperata sanitas;

5 b. Frater fratrem sustentabat
Et in factis parentabat
Carnalis fraternitas.

6 a. Circumquaque fama crevit,
Quos puniri mox decrevit
Tyranni vecordia.

6 b. Iuxta fontis aquae rivos
Trucidavit fontes vivos
Lictorum perfidia.

7 a. Caesae dextrae poena plexus
Tota Christum et amplexus
Ravenni fiducia;

7 b. Caesus membris minoratur,
Sed in fide maioratur
Rasiphi constantia.

8 a. Dum mactatur
particulariter,
Patiuntur
membra pluraliter;
Martyr transit,
sed temporaliter,
Resurgendus
potentialiter
Nec differtur.

8 b. Destitutus
fratris solacio
Dum Ravennus
dolet supplicio,
Fratrem fratri,
socium socio
Redivivum
reddit oratio,
Quae profertur.

9 a. Pares fide, passione,
Digna Dei sanctione,
Pari simul mansione
Conversantur iterum,

9 b. Ut currentes fide bona,
Recepturi vitae dona
Fratrem neuter in corona
Praeveniret alterum.

10 a. Consummata
carnis militia
Post paucorum
dierum spatia
Recepturi
dona duplicia
Summi regis
intrant palatia
Passu pari.

10 b. Iesu, victor
et spes victoriae,
Conversantes
hic transitorie
Fac in libro
scribi memoriae,
Immo tecum
in regno gloriae
Gloriari.

Miss. ms. S. Petri Cadomensis anni 1451. Cod. Mancel. s. n. A. — Missale Lexoviense imp. s. l. et a. B. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1501. C. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1504. D. — Missale Lexoviense imp. Cadomi 1517. E. — Missale Baiocense imp. 1529. F. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1545. G. — Missale Lexoviense imp. in Ponte Audomari 1547. H.

1 a, 1 Vox iucunda lux BH. — 1 b, 2 laudis C. — 1 b, 2 ab utroque BEH. — 3 b, 2 Pro carnis interitu E. — 4 a, 1 Triumphantes D. — 4 b, 4 sanitatis CF. — 5 b, 2 et in mores BEH. — 6 a, 3 invidia BEH. — 6 b, 2 Trucidat BE: in fontes vivos BH, insontes vivos E; fratres vivos ACDF. — 7 a, 1 dexterae DF; poena flexus BEH. — 7 a, 3 Ravennus ACDFG. — 8 a, 2 Partiuntur ABCDEFGH. — 8 a, 7 Rediturus EH. — 8 b, 7 Redivivi AG. — 9 b, 2 Percepturi BEH. — 10 a, 2 malitia D. — 10 a, 3 sq. und 10 a, 5 sq. umgestellt A. — 10 a, 7 sq. Ad aeterna currunt palatia A. — Mel. wie: Laudes Deo creatori (ähnlich der Melodie: Lux iucunda, lux insignis, Kehrein 110).

289. De s. Regina Alesiensi.

1 a. Laudes promat noster coetus
Christo voce, corde laetus
Hoc die laudabili,

1 b. Quem Regina reddit gratum
Et hunc locum consecratum
Ditat gleba nobili.

2 a. Cuius pater, dictus Clemens,
Ob occultum factus demens,
Natam odit unicam;

2 b. Iamque facta Deo grata,
Fama patrum excitata,
Vitam cupit caelicam.

3 a. Persecutor fit immanis
Olybrius, haerens vanis,
Invidendo christianis
Progressus in Marsilia.

3 b. Simplex, innocens vivebat
Tunc Regina, nam pascebat
Gregem suae, quam colebat,
Nutricis ut filia.

4 a. Sedens curru dum vehitur,
Praefectus videt virginem,
Miratur pulchritudinem,
Si sit libera, quaeritur,
Uxor sibi promittitur.

4 b. Dum virgo comprehenditur,
Ultorem Christum invocat
Et in ipsum spem collocat.
Christiana cognoscitur;
Hinc praefectus irascitur.

5 a. Quaerit genus, nomen, cultum,
Et verborum dat insultum
Olybrius virgini.

5 b. Verbum virgo reddit verbo,
Mitis certat cum superbo,
Armata spe Domini.

6 a. Post tres dies audienda
Tunc incedit punienda
Virgo data carceri.

6 b. Iterato praesentatur;
Hanc demulcet, post minatur
In tormentis conteri.

7 a. Preces, minas virgo spernit;
Ut invictam nequam cernit,
In eculeum decernit
Trusam virgis caedere.

7 b. Sed nec virgo sic consensit,
Ictus, plagas neque sensit,
Ungularum vim contempsit,
Demum clausa carcere.

8 a. Orans illic visitatur
A columba, liberatur,
Paradiso praesentatur
Cum corona gloriae.

8 b. Vase pleno demergitur,
Manu et pede stringitur
Et in capite feritur
Auctore nequitiae.

9 a. O Regina, fragrans rosa,
Nomine, re gratiosa,
Cuius mors est pretiosa
In conspectu Domini,

9 b. Regnans cum superno rege
Roga regem, gregem rege,
Ut adiuncto sanctis grege
Rem adaptes nomini.

Sequent. ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Ravennaten. 360 (139. 5 S). A. — Miss. Senonense imp. Senonibus 1556. B. — Miss. Senonense imp. Senonibus 1575. C. — 1 a, 3 Hac die ABC. — 1 b, 3 Dicat A. — 2 a, 1 Huius A. — 2 a, 2 Ob hoc cultum factus demens A; lies factum? — 2 a, 2 lies: factum? — 3 a, 2 veris ferus BC. — 3 a, 3 invidens BC; Despectis diis profanis A. — 4 a, 1 fehlt A. — 4 a, 3 fehlt A. — 4 a, 4 Pro uxore quaeritur A. — 4 b, 1 fehlt A. — 4 b, 2 Oblata Christum A. — 4 b, 3 ipso A. — 4 b, 5 fehlt A. — Str. 5 a lautet:

Hinc praefectus irascitur
Et ab ea contemnitur,
Poenas dedit virgini.

6a, 2 Et incedit A. — 6a, 3 datur A. — 6b, 2 Hinc A. — 6b, 3 In fehlt ABC; conterere BC. — 7a, 3 Hanc eculeo A. — 8a, 2 A columba salutatur BC. — 8a, 3 Paradisus BC. — Str. 8b lautet in BC:

Vase pleno colligatur,
A columba liberatur,
Sed post nexum decol atur
A duce nequissimo.

Der zerstörte Reim in der Schlufszeile beweist die Überarbeitung. — 9a, 1 flagrans BC. — 9b, 3 adiuncte B. — 9b, 4 adeptes B; Laudes demus nomini A. — Vgl. zu dieser „wandernden Legende" die der Heill. Margareta und Marina.

290. De sancto Regnoberto.

1a. Gratuletur urbs insignis
Baiocarum colens dignis
Regnobertum laudibus,

2a. In Nogrondi solo natus
Clara fuit educatus
Illustrique subole,

3a. Obiere dum parentes,
Gazas possedit ingentes,
Larga simul praedia.

4a. Viam sequens inhiantem
Vanitati praedicantem
Audit Exsuperium.

5a. Oris prius his ignotum,
Cito poscens fore lotum
Baptismatis flumine.

6a. Fidei zelans augmentum
Verbi divini talentum
Tota fudit patria.

7a. Exsuperio sepulto
Divino praesul indulto
Baiae fit ecclesiae.

8a. Videns namque caecum stantem
Secus fanum, praestolantem
Daemonum subsidium,

9a. Hostes urbem nunquam laedunt,
Sed territi pugnae cedunt
Grata dantes foedera.

1b. Vita cuius salutaris
Formam praebet exemplaris
Cunctis viatoribus.

2b. Delicatus adulescens,
Non ignavus, sed callescens
Modesta cum indole.

3b. Baiocensis comes efficitur,
Cunctis gratus nec ulla fungitur
Vi vel violentia.

4b. Novae legis seriem
Figit mentis aciem
Creditque mysterium

5b. Veritatem ut agnovit,
Totum Christo se devovit
Sacro tactus flamine.

6b. Daemon furit et tabescit,
Christi cultus dum augescit,
Perit idolatria.

7b. Subiectis praeest benignus,
Cui dant sanctitatis pignus
Signorum primitiae.

8b. Regnobertus signo crucis
Illustrat exsortem lucis
Dans baptismi praemium.

9b. Ab ignium conflagratu
Semper eius deprecatu
Fit civitas libera.

10 a. Naturae solvit ut iura,
Data tritici mensura
Mnam reddidit cum usura
Duplum nactus bravium.

10 b. O quam felix Regnobertus,
Dignus adire repertus
Virtutum dote refertus
Sanctorum consortium.

11 a. Lustris quinque
lapsis quindecies
Adest bina
sanctorum acies,
Somnis hortans
Herveum pluries,
Ut corporum
sacra congeries
Transferretur.

11 b. His neglectis
praesul cum socio
Furibundus
apparens tertio
Minas infert;
tunc ministerio
Cleri fretus
paret imperio,
Dum terretur.

12 a. Gemmas bustis extrahentes
Comperere stupescentes
Has in fragranti latentes
Nec attrita casula.

12 b. Ad propria remeantes
Ossa gestant modulantes,
Quos, ne turbent insectantes,
Densa tegit nebula.

13 a. Templa sanctis construuntur,
Quis devote condiuntur,
Caeci visu potiuntur,
Aegri multi consequuntur
Optata remedia.

13 b. Regnoberte, caeli civis,
Pollens tot praerogativis,
Cunctis ora pro captivis,
Ut praestetur salus vivis
Et defunctis venia.

Missale Baiocense imp. s. l. [Rotomagi] 1545. fol. 147 b und fol. 168 a. — An ersterer Stelle fehlen die Str. 11, 12 und 13 a. — Mel.: Lauda Sion mit eingeschobener Str. 11. — Akrostichon: Guido.

291. In Inventione Reliquiarum Baiocensium.

1. Dies clausa prodiit,
Et post noctem rediit
Lux eclipsis nescia.

2 a. Lucis huius gaudium
Sonet vox fidelium
Cum digna melodia,

2 b. Chorus Baiocensium
Summum det praeconium
Cum summa laetitia.

3 a. Mane nostrum claruit,
Nobis dum comparuit
Cruor venae veniae,

3 b. Per quam nobis veniam
Contulit et gratiam
Totius fons gratiae,

4 a. Per quem vita rediit
Fracto necis gladio,
Et nox mortis abiit
Vitae viso radio.

4 b. Servitus evanuit
Isto sacrificio,
Renovata floruit
Vetus filiatio.

5 a. In hoc rore novo more
Dedit florem et odorem
Nostrae spinae siccitas;

5 b. In hoc rore novo flore
Iuvenescunt et excrescunt
Fides, spes et caritas.

6 a. Post honorem per cruorem
Nos honorat et decorat
Stella naufragantium;

6 b. Crine donat et coronat,
Veste ditat et invitat
Ad salutis praemium.

7 a. Crux, vexillum novitatis,
Fugat umbram vetustatis
Et antiquae dignitatis
Iura reddit ecclesiae;

7 b. Protomartyris electi,
In electis praeelecti,
Ad coronam iam provecti,
Adornant nos reliquiae.

8 a. Ignem domans Laurentius,
Mundum vincens Vincentius,
Flos equester Georgius
Nobis donant insignia.

8 b. Signi datrix triumphalis
Dat honorem capitalis,
Iesu, vita spiritalis,
Vitae confert gaudia.

Miss. ms. Baiocense saec. 13. [et 14.] Cod. Capit. Baiocen. 62. A. — Miss. ms. S. Petri Cadomen. anni 1451. Cod. Mancel. s. n. B. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1501. C. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1504. D. — Missale Baiocense imp. s. l. 1529. E. — Missale Baiocense imp. s. l. [Rotomagi] 1545. F.

3a, 3 vena BCDEF. — 3b, 1 quem BCDEF. — 4a, 4 Viso vitae BCDEF. — Str. 5a zweimal CDE. — 5b, 1 In hoc flore F; novo more CDEF. — 6a, 1 honorem et cruorem D. — 6b, 1 Crimen donat D. — 6b, 2 Veste dicat B. — 8b, 4 confer BF. — Mel.: Mane prima sabbati.

292. De sancto Remigio.

1a. Ecce, dies praeoptata,
Dies felix, dies grata,
Dies digna gaudio!

1 b. Gens Francorum, plebs devota,
Funde preces, redde vota
Congaudens Remigio.

2 a. Quem Deus de sene patre
Et de veterana matre
Pro te nasci voluit,

2 b. Tibi natus, tibi datus,
Tibi sic pro te creatus,
Ut pater condoluit.

3 a. Per hunc tibi Vandalorum
Hostiumque barbarorum
Potestas subiacuit,

3 b. Per hunc error idolorum
Necnon et haereticorum
Fraus omnis evanuit.

4 a. Eius sacrum exordium
Secretorum caelestium
Vox Montanum docuit,

4 b. Ipsum vocans Remigium,
Sed et pro te remedium,
Qui te Deo genuit.

5 a. Lacte matris
oculos abluit
Sui vatis;

5 b. Caecus erat,
mox languor defuit
Caecitatis.

6 a. Datus scholis
parem non habuit
In doctrina;

6 b. Hinc reclusus
specie floruit
Columbina.

7 a. Defuncto Bennadio,
Praesule Remorum,
Ad ipsum devotio
Fertur singulorum.

7 b. Sed aetatis tenerae
Diffisus et morum,
In se non vult tollere
Pondus robustorum.

8 a. De responsis igitur
Facta mentione
Rapitur, extrahitur
De reclusione.

8 b. Sed emissa caelitus
Lux cum unctione
Terret eum funditus
De praesumptione.

9 a. Parere fidelium
Promptus voluntati,
Dat se sacrificium
Summae trinitati;

9 b. Quem se coepit reddere
Universitati,
Non est promptum pandere
Nostrae parvitati.

10 a. Fugantur daemonia,
Leprosi mundantur,
Defuncti ad gaudia
Vitae revocantur.

10 b. A quacunque gratia
Nulli defraudantur,
Rex et omnis Francia
In fide formantur.

11 a. O Remigi, speculum
Omnium bonorum,
Flos et gemma praesulum,
Decus clericorum,

11 b. Munda tuum populum
Faece vitiorum,
Fac nos post hoc saeculum
Cives angelorum.

Miss. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin. 868. A. — Missale Andegavense imp. [Parisiis] 1489. B. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1504. C. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523. D. — 6 a, 1 Datur BCD. — 7 b, 2 Diffusus ABCD. — 9 b, 3 est fehlt A. — 10 b, 4 firmantur BCD.

293. De sancto Renato.

1 a. Exsultemus congaudentes,
Sacra sancti recolentes
Renati sollemnia;

1 b. Victor scandit ad superna,
Ob hoc die hodierna
Gaudet caeli curia.

2 a. Iste sanctus dolum nescit,
Insignitus effulgescit
Lucis ex operibus;

2 b. Lingua silet, cor tremescit,
Et infernus obstupescit
De suis virtutibus.

3 a. Arto clausus in tumulo
Infans caelesti pabulo
Est Christi fotus ubere;

3 b. Pastum non habens alium
Post completum septennium
Resurrexit de funere.

4 a. Iste, inquam, est Renatus
Ex eventu sic vocatus
A sancto Maurilio,

4 b. Dum eum resuscitavit
Et ad vitam revocavit
Elapso septennio.

5 a. Res est mira cunctis nota
In Andegavia tota
In Deum credentibus,

5 b. Nam ipsius tumba crevit,
Quantum puer adolevit
Intrusus lapidibus.

6 a. Iste sanctus in hac vita
Vixit velut eremita
Indutus cilicio,

6 b. Andegavis hunc pastorem
Habuit et successorem
Beato Maurilio.

7 a. Fons immensae pietatis
Sic nos lavet a peccatis
Per eius suffragia,

7 b. Ut in regno claritatis
Habeamus cum beatis
Sempiterna gaudia.

Miss. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin. 868. A. — Missale Andegavense imp. [Parisiis] 1489. B. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523. C. — Missale Tullense imp. Parisiis 1507. D. — Missale Tullense imp. Parisiis 1537. E. — Missale Tullense imp. Tullii 1551. F.

1 a, 2 sacrosancti B. — 1 b, 1 sq. Am Todestage des Heiligen wie oben: am Tage der Translatio statt dessen:

1 b. In hac die, qua translatus
Fuit iste vir beatus,
Gaudet caeli curia.

Diese Strophe fehlt DEF. — 2 a, 2 Insignia praesul gessit A. — 2 b, 3 De eius F. — 3 a, 1 Artus A. — 3 a, 3 Et Christi ABCDEF: fetus C. — 4 a, 2 Et eventu F. — 4 b, 1 Dum enim C. — 5 a, 3 In Christum C. — 6 b, 1 Andegavia F. — 6 b, 3 Beatus Maurilius A.

294. De sancto Reverentio.

1 a. Ex affectu cordium
Sanctum Reverentium
Collaudet fidelium
Plebs devota,

1 b. Qui per Exsuperium,
Pastorem egregium,
Doctus fugit vitium
Mente tota.

2 a. In aetate tenera
Mundi spernens scelera
Aqua salutifera
Baptizatur.

2 b. Post baptismi munera
Per hunc die postera
Christus voce libera
Praedicatur.

3 a. Hic in Christi nomine
Aegrotantis feminae
Morbum medicamine
Sanat precum.

3 b. Virtutum munimine
Fultus dato lumine
Sanitati pristinae
Reddit caecum.

4 a. Septem viros liberat,
Quos daemon invaserat
Et, dum sanctus imperat,
Daemon cedit.

4 b. Gens, quae praesens aderat,
Videns, quod haec fecerat,
Ad baptismum properat,
Atque credit.

5 a. Reverenti, titulis
Pollens et miraculis,
Sic ora pro famulis
Tui gregis,

5 b. Quod extersis singulis
Peccatorum maculis
Digni sint in oculis
Summi regis.

Missale Baiocense imp. Rotomagi 1501. A. — Missale Baiocense imp. Rotomagi 1504. B. — Missale Baiocense imp. s. l. 1529. C. — Missale Baiocense imp. s. l. [Rotomagi] 1545. D. — 5 a, 2 Polens AC; Polues B. — Mel.: Mariae praeconio.

295. De sancto Roberto.

1 a. Exsultemus collaudantes
Christi mirabilia
Voce clara

1 b. In beati confessoris
Roberti primordia
Tam praeclara.

2 a. Eius parens viam carpens
Egit puerperia;
Ecce, signa

2 b. Hunc haec signant aditurum
Virtutum fastigia
Vita digna.

3 a. Peccatricis ubera,
Dum est in cunabula,
Eius horrent labia
Materna sugentia;
Res miranda!

3 b. O Dei clementia,
Per hunc damnans vitia,
Clara dans indicia,
Quod amet caelestia,
Non mundana.

4 a. Puer factus
Est subactus
Disciplinae studiorum
Discens deultra.

4 b. Iam adultus
Deo fultus
Fuit expers vitiorum
Luteus extra.

5 a. Tunc sacerdos Deo dignus,
Servans iura,

5 b. Est effectus vir benignus,
Lux serena.

6 a. Fovet pressos
Ac defessos
Graviter inopia
Dando plura,

6 b. Aggravatis
Culpis gratis
Dans precum suffragia
Fide pura.

7 a. Mundum istum propter Christum
Spernit linquens propria
Coepta via.

7 b. Plebs ut novit, quod discessit,
Eius fregit studia
Mente pia.

8 a. Nudis vestis
Atque maestis
Hic erat laetitia
Absque mora.

8 b. Hos adire,
His servire
Eius erant studia
Omni hora.

9 a. Quod agebat,
Erat Christi gloria,
Sed aperta.

9 b. Christi erat,
Quod gerebat, gratia,
Sed referta.

10 a. Cuius vita Deo digna
Declaratur per hac signa
Sibi grata:

10 b. Miles namque hunc adivit,
Ut se regat, expetivit
Lege data.

11 a. Hunc eventum sanctus gaudet
Habens vota,

11 b. Tertium perquiri iubet
Cura tota.

12a. Sibi iunctis dixit: vobis
Non sit inconstantia,
Pestis dira;

12b. Non laudatur coeptum bonum,
Sed perseverantia,
Virtus mira.

13a. Nostra mens, dicunt, in Christo
Non erit vacillatura,
Spe subnixa.

13b. Illi nempe de subiectis
Excellens habetur cura
Semper fixa.

14a. His collatis
Linquit mundialia
Iam amara.

14b. Subeuntur
Eremi squalentia,
Ipsis cara.

15a. Iuxta ecclesiolam
Fit de ramis cellula,
Dei aula,

15b. Ubi laudes Domino
Solvunt et ieiunia
Pari causa.

16a. Hinc ex ista fama sancti
Multi linquunt omnia
Mundi vana,

16b. Cuius verbi curabantur
Infirmi potentia
Qui profana.

17a. Unde plures sequebantur
Illius vestigia
Ut paterna;

17b. Monasterium his fecit
Summa cum laetitia
[Ut] lucerna.

18a. Sic peracto vitae cursu
Intrat caeli gaudia
Et aeterna.

18b. Quo nos ducat rex caelorum,
Qui regnat per saecula
Sempiterna,

19. Praebens vera praemia.

Missale Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527. — 2a, 2 puerpera. — 4a, 4 Dicens. — 10b, 1 hic audivit. — 10b, 2 regnat. — 11a, 1 Hoc eventum. — 13a, 2 vaxillantem. — 16a, 1 ex isti.

296. De sancto Roberto.

1a. In caelesti curia
Inter sancta lilia
Stat Roberti spiritus,

1b. Iam gaudens de gloria,
Exsultans in patria,
Corona redimitus.

2a. Natus solitudine
Hanc vitam putredine
Esse plenam docuit.

2b. Lac amaritudine
Peccati rubigine
Sanctus infans respuit.

3a. Iuliani clericus
Factus est canonicus,
In templo resplenduit;

3b. A mundanis laudibus
Et indignis actibus
Semper se continuit.

4a. In desertum veniens,
Mundum vanum fugiens
Coenobium statuit;

4b. Multa signa faciens,
Daemones eiciens
Lepram foedam diluit.

5 a. Omnibus compatiens,
Christum semper sitiens
Caritatem tenuit;

5 b. Mundo fit insipiens,
Christo semper sapiens;
Sic ei complacuit.

Offic. ms. S. Roberti saec. 12. Cod. Parisin. (Arsen.) 632. A. — Miss. Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527. B. — 2 a, 3 plenam intuit A. — Die Kollation von A verdanke ich der Gefälligkeit Rev. H. M. Bannisters. — Mel.: Veni sancte spiritus.

297. De sancto Roberto.

In Octava.

1 a. Voces clangant cum dulcore,
Mentes pangant cum canore
Roberti praeconium;

1 b. Confessoris in honore
Mentis, oris cum fervore
Sonet vox fidelium.

2 a. Ecce, vaticinia:
Roberti magnalia
Designant exordium.

2 b. Ecce, mirabilia:
Lac horrens infantia
Damnat lenocinium

3 a. Hic malignos effugando,
Iam benignos convocando
Sanat aegros spiritus,

3 b. Iste donat claudis ire,
Surdos sanat et audire
Datur his divinitus.

4 a. Abbas sanctus est effectus,
Eius sanctus est affectus
Ad fideles singulos.

4 b. Universos admonendo,
Iam perversos convertendo
Acquirit discipulos

5 a. Ipsos docens vivere,
Nulla bona spernere,
Studiis insistere
Castitatis.

5 b. Spem in Christo ponere,
Libenter tribuere,
Bonum est diligere
Caritatis.

6 a. Eius morte patuit
Nec latere potuit,
Quis vel quantus praefuit;

6 b. Maria apparuit,
Sol desuper splenduit,
Trinitas non defuit.

7 a. In sepulcro praemonstrato
Sacramento celebrato
Sacrosancto conditur;

7 b. In nullo praedestinato,
Nec in die praenotato
Nec in hora fallitur.

8 a. Accedentes patientes,
Paenitentes et credentes,
Iam curantur singuli.

8 b. Sitientes et egentes,
Venientes, recedentes
Saturantur populi.

9 a. Hic refugium,
Beneficium
Aegrotantium,
Hic subsidium
Et consilium
Paenitentium.

9 b. Pastor ovium
Et solacium
Necessarium,
Patrocinium
Indigentium
Et debilium.

10 a. O Roberte, servulorum
Audi preces iam tuorum
De te confitentium,

10 b. Ut te duce rex caelorum
Omnes ducat ad sanctorum
Suorum consortium.

Offic. ms. S. Roberti saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 632. A. — Missale Coenobii Casae Dei imp. Lugduni 1527. B. — 1 a, 2 plangant AB. — 3 a, 1 Sic malignos B. — 3 a, 3 spiritu A. — 4 b, 1 Universo A. — 5 a, 1 Ipsos deus vivere A. — 6 b, 2 plenduit A. — 8 b, 2 recidentes A. — 5 a, 4 Caritatis B. — 9 a, 1 Sic refugium B. — 9 b, 1 Pastor et ovium B. — 10 a, 3 Et in te sperantium B. — Die Kollation von A besorgte mir Rev. H. M. Bannister. — „Rotbertus" ist ständige Schreibweise in A.

298. De sancto Rocho.

1 a. Ad honorem salvatoris,
Sancti Rochi confessoris
Agatur memoria,

1 b. Qui de caelo praenotatur
Et ad matrem nuntiatur
Salute angelica.

2 a. Qui de ventre matris natus
Signo crucis est signatus,
Quod sinistro patuit.

2 b. Quarta sextaque feria
Semel lactans indicia
Sanctitatis praebuit.

3 a. Uti mundo qui cum posset
Et mundanum fucum nosset,
Mundus mundum tenuit,

3 b. Omni spreta re paterna
Mente tendens in superna
Omnia deseruit.

4 a. Ac post mortem sui patris
Et decessum suae matris
Peregre divertitur

4 b. Et ad domos infirmorum,
Peste dira perpessorum,
Festine ingreditur.

5 a. Iesum Christum Deum clamat,
Signo crucis cunctos sanat
Sua providentia.

5 b. Ad quem venit vir beatus,
Prorsus fuit hic sanatus
Divina potentia.

6 a. Civitates Italiae,
Romae et Longobardiae
Sanat suis precibus.

6 b. Hospitali Placentiae
Percussus pestis silice,
Abiectus e moenibus,

7 a. Languens dum in silva sitit,
Fontem Deus sibi mittit
Praeostensa nebula.

7 b. Parvus canis panes portat
A Gothardo et reportat
Cane viro regula.

8 a. Sic vir sanctus confortatur,
Dum Gothardo consolatur
In valle miseriae,

8 b. Et per angelum sanatur,
Qui a Deo mittebatur,
Raphael in nomine.

9 a. Postquam in Longobardia,
Provincia Angleria,
Ponitur in carcere,

9 b. Ab angelis fovebatur
Et de caelo laetabatur
Visus miro lumine.

10 a. Rochus ibi vitam finit,
Cui Deus dare simit
Tabulam per angelum,

10 b. Quae divine scribebatur
Scriptis auri et ditatur
Manu Dei siderum.

11 a. Nomen Rochi infra scriptum,
Quod a Deo fuit dictum,
Ut, qui eum decorant,

11 b. Pestis ulcus depellatur
Sanitasque his reddatur,
Qui eum commemorant.

12 a. Tu, qui Deo es tam carus
Et in luce valde clarus,
Sana tuos famulos

12 b. Et a peste nos defende,
Opem nobis ac impende
Contra morbi stimulos.

13 a. Vir tam potens, tam beatus,
Cum honore collocatus
In caelesti curia,

13 b. Voto, voce veneretur,
Ut per ipsum nobis detur
Christi frui gloria.

Miss. Metense imp. Metis 1545. — 6a, 2 et fehlt.

299. De sancto Rocho.

1 a. Plebs Gallorum cismontana,
Sera capis aure sana,
Quem noverat transmontana
Sanctum pro medicina.

1 b. Flecte ramos superbiae
Orando natum Mariae,
Quod per Rochum pestis dirae
Subruat incommoda.

2 a. Confessorem peregrinum
Romam mittit tamquam dignum
Christus, fortem et benignum
A monte Pessulano,

2 b. Rochum summae medicinae,
Quem sanitati pristinae
Reddit iuvante numine
Crucis in auxilio.

3 a. O confessor summi regis,
Serva servos tuae legis,
Quos tu vides, scis et legis
Pestis ab incendio.

3 b. Supplicantes nos conserva,
Conservatos tunc commenda
Christo Iesu ad habenda
Sempiterna gaudia.

Missale Lexoviense imp. s. l. et a. A. — Missale Briocense imp. Rotomagi s. a. [1502?]. B. — Missale Abrincense imp. Rotomagi 1505. C. — Missale Noviomense imp. Rotomagi 1506. D. — Missale Morinense imp. Rotomagi 1516. E. — Missale Lexoviense imp. Cadomi 1517. F. — Missale Constanciense imp. Rotomagi 1524. G. — Missale Baiocense imp. s. l. 1529. H. — Missale Lexoviense imp. in Ponte Audomari 1547. I. — 1b, 1 Flete G. — Mel.: Verbum bonum.

300. In Translatione s. Romanae V. M.

1. Congaudentes exsultemus,
Deo nostro iubilemus,
Christo canant omnia.

2 a. Omnes, inquam, gratulemur
Et Romanam veneremur
Iugi reverentia.

2 b. Per hanc nobis honor crescit,
Cuius corpus requiescit
In nostra praesentia.

3 a. Pia, prudens et pudica
Sponsa, soror et amica
Dei sapientiae,

3 b. Vera cultrix et custos fidei
Vas ornatum et plenum olei
Habens conscientiae.

4 a. Caelum pulsans intratura,
Currens agnum secutura
Cum sanctarum agmine,

4 b. Agnum sine macula,
Qui mundavit saecula
Ab antiquo crimine.

5 a. Roma virgo est egressa
Totque terras praetergressa,
Tandem Bellvacensium

5 b. Civitatem est ingressa,
Ubi mortem est perpessa
Manu persequentium.

6 a. Dum resistit nec oboedit,
Amputandum caput dedit
Martyr constantissima.

6 b. Terrae corpus commendatur,
Et in caelo collocatur
Felix eius anima.

7 a. Quem languoris tenet lectus,
Nocte sanus est effectus
Ante corpus virginis;

7 b. Per eius suffragium
Plenum rete piscium
Reddit unda fluminis.

8 a. Sacra virgo generosa,
Testis Christi pretiosa,
Precum per suffragia

8 b. Emendatos nos commenda
Summo patri ad habenda
Sempiterna gaudia.

Miss. ms. Belvacense saec. 16. Appendix Miss. Belvacensis imp. Rothomagi 1514. (Bibl. S. Geneviève). — 1, 3 canunt. — 2a, 1 gratulamur. — Mel., wie es scheint: Laudes crucis mit Unterdrückung der letzten Strophen.

301. De ss. Sanctiano et Sociis.

1 a. O felices et beati,
Pro vera fide multati
Electi sunt et vocati
Ad gloriam.

1 b. Vera fides Sanctiani
Contempsit Aureliani,
Imperatoris Romani,
Saevitiam.

2 a. Senonis Aurelianus
Contra sanctos misit manus;
Adducitur Sanctianus
Cum sorore.

2 b. Quos, unde sint, adloquitur,
Et condicio quaeritur;
A sanctis illis dicitur
Uno ore:

3 a. „Genere sumus Hispani,
Firmissimi christiani“;
Iussu tunc Aureliani
Trucidantur.

3 b. Poenas sustinent fortiter,
Christum praedicant firmiter,
A ministris crudeliter
Pertractantur.

4 a. Demum campis decollantur
Et de prope tumulantur,
Per translationem dantur
Coenobio

4 b. Santi Petri de Senonis,
Et coronantur coronis
Horum animae cum bonis
In gaudio.

Collectan. ms. S. Petri Vivi Senonensis anni 1293. Cod. Parisin. Nouv. acq. 311. — Mel., wie es scheint: Mariae praeconio mit Auslassung einer Strophe.

302. De sancto Sanctino.

1 a. Laetabundus
Sanctini decantet chorus
Alleluia,

1 b. Dum Sanctinum
Abrahae suscepit sinus,
Res miranda.

2 a. Hic Galliae finibus
Claruit virtutibus
Quasi stella;

2 b. Urbi Virdunensium
Stella pandit radium
Luce clara.

3 a. Sicut Paulus instruit,
Facto, verbo docuit
Pari forma;

3 b. Neque vita praesulis
Vitiorum maculis
Fit corrupta.

4 a. Sui pignus corporis
Servat ara decoris
Aede nostra;

4 b. Virtutum miraculis
Refulsit hic praesulis
Mitra sumpta.

5 a. Quae docendo cecinit,
Meldensis urbs meminit,
Carnoti plebs desinit
Esse caeca.

5 b. Deum prece flagitat,
Morte fratrem suscitat,
Nobis actor recitat
Haec praedicta.

6 a. Sanctine, propera,
Nostris exonera
Malis, quae deflet
gens misera.

6 b. Post carnis funera
Da nobis munera
Cum matre Christi
puerpera.

Miss. ms. Virdunense saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Virdunens. 99. — Mel.: Laetabundus.

303. De sancto Saturnino.

1. Iubilemus et laetemur
Et laetando gloriemur
De triumpho martyris,

2 a. Qui de valle lacrimarum
Et profundo tenebrarum
Merce data sanguinis

2 b. Evolavit supernarum
Ad consensum catervarum,
Consors factus luminis.

3 a. Quantum martyr gloriosus
Iste sit et gratiosus,
Nemo quit disserere,
Vox humana lingua nec aliqua,
Hebraea, graeca, latina, punica
Valet hoc exprimere.

3 b. Sed cum tam sit virtuosus
Et signorum operosus
Multiformis genere,
Nos utcunque vitam et gloriam
Et agonis eius constantiam
Praesumimus scribere.

4 a. Sacro fonte renovatus
Et peccatis emundatus,
Sanctis pollens moribus,

4 b. Castitate candidatus,
Caritate consummatus
Claruit virtutibus.

5 a. Legem Christi revolvebat,
Revolvendo recondebat
Mentis in armario,

5 b. Messem verbi colligebat,
Colligendo reponebat
Cordis in cellario,

6 a. Ut haberet, quod donaret
Et conservis erogaret
Congruo in tempore,

6 b. Et talentum dulplicaret,
Duplicatum reportaret
Ad caelum cum foenore.

7 a. Inde Deo disponente
Ac saluti providente
Plurimorum hominum

7 b. Fit praelatus, hoc volente
Clero, plebe deposcente,
Fidelium agminum.

8 a. Tolosanae civitatis
Ab actore pietatis
Pontifex eligitur,

8 b. Ad pellendam vetustatis
Noctem et impietatis
Lucerna erigitur.

9 a. Iamque Christum praedicabat
Et Iesum annuntiabat
Forti cum constantia,

9 b. Gregum caulas dilatabat
Et armabat et ornabat
Armentis ovilia.

10 a. Lingua cuius supernorum
Facta clavis est caelorum,
Ad decorem praemiorum
Invitando singulos.

10 b. Ora clausit idolorum
Perfidorum paganorum,
A tyrannide illorum
Liberando populos.

11 a. Unde tauro adplicatus
Et funiculo ligatus,
Minutatim laniatus
Deserit mortalia.

11 b. Non agone superatus,
Sed cruore laureatus,
Alta subit sublimatus
Ad regna caelestia.

12 a. Ergo, sancte martyr Dei,
Saturnine bonae spei,
Prece tua gratiosa
Impetremus gloriosa
Polorum palatia.

12 b. Saturari mereamur
Sacris donis et pascamur
In praesenti consolari,
In futuro confirmari
In aeterna gloria.

Miss. Diense imp. Parisiis 1499. — 2 b, 2 Lies: consessum oder concentum? — 12 b, 1 Saturati. — 12 b, 3 Sui praesenti. — Mel.: Laudes crucis.

304. De ss. Saviniano et Potentiano.

1 a. Laeta fano
Cantet plebs Saviniano
Alleluia.

1 b. Nam pugnavit,
Tyrannos cum superavit,
Res miranda.

2 a. Fido gaudet comite,
Rex de bono milite,
Sol de stella.

2 b. Praedicantes aemulis
Christi facta populis
Semper clara

3 a. Obstant infidelibus,
Iudaeis et gentibus
Pari forma.

3 b. Nec irrefragabilis
Sanctorum mens humilis
Fit corrupta.

4 a. A faucibus daemonum
Plebs solvitur Senonum
Valle nostra.

4 b. Poli currunt bravio
Dedita supplicio
Carne sumpta.

5 a. Mortis data poculis
Clientela praesulis
Cordis nequit oculis
Esse caeca.

5 b. Recepti superius
Exsultant felicius,
Quo narrantur latius
Haec praedicta.

6 a. Quibus nam temere
Referta scelere
Renuit credere
Gens misera,

6 b. Nostros his spiritus
Salvet divinitus
Virgine genitus
Puerpera.

Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Carnoten. 587. A. — Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Parisin. 880. 2. B. — Missale Senonense imp. Parisiis 1543. C. — Missale Senonense imp. Senonibus 1556. D. — Missale Senonense imp. Senonibus 1575. E. — Missale Trecense imp. Trecis 1580. F. — 1a, 2 Cantat B. — 1b, 1 Qui pugnavit A. — 2b, 1 stimulis DEF. — 3a, 2 et gentilibus B; in gentilibus F. — 4a, 1 A facibus AB. — 4b, 2 Dediti F. — 5a, 1 populis DEF. — 5a, 2 praesulis fehlt F; populis BDE. — 6a, 3 Noluit credere A. — 6b, 1 is F. — Mel.: Laetabundus.

305. De sancto Sebastiano.

1 a. Pugil Christi sanctus,
Narbonensis civis,
Sub chlamide tectus
Ut miles nobilis,
Fidus apparuit.

1 b. Hic Sebastianus,
Cum Mediolanis
Fuit eruditus,
Sed non in profanis
Credens unquam fuit.

2 a. Ad imperatores
Romam perductus est,
Ubi claudicantes
Fide lucratus est
Daemone contempto.

2 b. Ipsum praeponentes
Cunctis militibus,
Ipse tunc praedives
Dei virtutibus
Fuit in occulto.

3 a. Prudentia plenus,
Fidelis sermone,
Iudicio iustus,
Ut fulsit opere
Cunctis mirantibus.

3 b. Honestate clarus
Verus Dei cultor,
Minister sedulus
Ac verus amator
Suis pro viribus.

4 a. Fratribus geminis
Solacia dedit
Verbisque maternis
Blandis obviavit
Columna nobilis.

4 b. Patrem ac coniuges
Natosque proprios
Gementes ac flentes
Fide firmissimos
Stravit miraculis.

5 a. Zoe mutam sanat
Vir prudentissimus,
Ex hoc enim firmat
Cunctis videntibus
Se Dei nuntium.

5 b. Mille quadringentos
Sanato praefecto
Eiusque filio
Convertit populos
Contemnens clibanum.

6 a. Huius tunc precibus,
Qui pro Dei fide
Telis fuit plenus
Hericii more,
Persolvamus vota,

6 b. Ut tempore longo
Fruamur cum sanctis
Gaudio superno
Relictis mundanis
Cuncta per saecula.

Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Parisin. 880. 2. — 1 a, 2 Nerbonensis.

306. De sancto Sebastiano.

1. Incliti martyris laudes
sonent Sebastiani.

2 a. Agnus hic occiditur,
Pro Christo qui moritur,
Ut salvos faceret
peccatores.

2 b. Mors in vitam mutatur,
Martyr cum sagittatur,
Sed mundo mortuus
regnat vivus.

3 a. Dic, Christi hostia,
Quid vides nunc in vita?

Aspectum Dei viventis
Et gloriam summi resurgentis,

3 b. Angelicos vultus
Sanctorumque concentus.

O martyr Christi, spes nostra,
A morte tuos serva sinistra.

4 a. Credimus te, martyr pie,
Nos posse servare
Ab omni morbo
epidemiae.

4 b. Scimus te hoc meruisse
Apud Christum vere,
Tu nostri ergo
hic miserere.

Missale Aeduense imp. Parisiis 1493. A. — Missale Aeduense imp. Parisiis 1530. B. — Mel: Victimae Paschali.

307. De sancto Sebastiano.

1 a. Ave, martyr o praeclare,
Apud Christum deprecare
Pro nostris excessibus;

1 b. Collocatus caeli sede
Suppliciter intercede
Pro cunctis fidelibus.

2 a. Nos urgemur tot pressuris,
Tantis malis, tantis curis,
Tot calamitatibus;

2 b. Sed fieri propitium
Credimus Dei filium
Tuis sacris precibus.

3 a. Ergo, martyr pretiose,
Funde preces, filius

3 b. Ut virginis gloriosae
Sit nobis propitius.

4 a. Atque pater det paterna
Pietate sempiterna
Nobis caeli gaudia;

4 b. Quod erramus, sic condonet,
Ut cum sanctis nos coronet
In aeterna patria,

5 a. In qua [sanctus]
martyr Sebastianus

5 b. Triumphat cum
ceteris martyribus.

6 a. Ad ipsius consortium
nos venire faciat,

6 b. Qui electos suos omnes
vero pane satiat.

Missale Belvacense imp. Rotomagi 1514. A. — Missale Belvacense imp. Parisiis 1538. B. — 1 a, 1 Beide Drucke haben Ave, martyr o praeclare; der Anfang Alme martyr (cfr. Cheval. Nr. 22843, Anal. liturg. I, 314) ist Erfindung. — Die Str. 5 a—6 b erscheinen fast als Anhang an eine mit 4 b, 3 schliefsende Sequenz de Communi unius martyris.

308. De sancto Sebastiano.

1 a. Militi Sebastiano
Mente munda, corde sano
Accedamus in organo
Cum omni melodia.

1 b. Per quod Ave salutatus
Suos dulces per precatus
Christus diluat reatus
Et nostra contagia.

2 a. Ave, consors angelorum,
Concivis apostolorum
Et omnium supernorum
Socius caelestium.

2 b. Ave, miles Iesu Christi,
Terrae regem qui sprevisti,
Tu caelorum meruisti
Vitam et imperium.

3 a. In hac valle constitutos,
Multis malis involutos,
Fac a peste fore tutos
Et ignis maestitia.

3 b. Supplicamus, haec concede,
Pelle morbos, pestem caede,
Et nos Iesu Christo redde
In aeterna gaudia.

3 c. Amen dicat plebs fidelis,
Hic ut martyr ab his telis
Nos defendat et in caelis
Reddat vitae praemia.

Miss. Nivernense imp. Parisiis 1490. — 2 a, 2 Concius. — 3 c, 2 Sic ut. — 3 c, 3 defende. — Mel.: Verbum bonum mit zweimal wiederholter Schlufsklausel.

309. De sancto Serenedo.

1. Spoleti claro sanguine natus Serenedus Romae tandem diaconus cardinalis ordinatur.

2. Illic per lustrum Deo serviens a plurimis impensam gloriam aegre pertulit,

3. Quam calcare semper desiderans monitu angelico urbem cleriter dereliquit.

4. Ab Italia Alpiumque nivosis collibus pervicacis Galliae fines cito ingreditur;

5. Cuius sanctorum locis plurium visitatis inde vico Salviae Cenomannico Christo duce moram traxit.

6. Ubi summa discretione bonis vacans operibus divinis colloquiis et angelicis fruebatur.

7. Quo quandoque super se raptus clam facta multorum ac etiam cogitatus agnoscebat.

8. Edoctus veritatis spiritu nullatenus falli aut in eius conspectu quisquam mentiri poterat.

9. A populo suscepta dona caritatis egentibus statim largiens philargyriae damnavit vitium.

10. Peccatores erroribus atque vitiis irretitos aeternum devitare docuit supplicium.

11. In litteris doctissimus idiotas et ignaros erudivit.

12. Discordes pacis amator in pace perpetua reformavit.

13. Sed quod grandis approbatur meriti, Cenomannos liberavit peste, fame, gladio.

14. Leprosum restituit sanitati, caecis lumen acquisivit crucis ministerio.

15. Et cum tantis laboribus insudasset vir beatus, a Christo coronandus in proximo sensit mortem;

16. Quam praedicens discipulis mox doctrinae salutaris protexit documenta.

17. Et denique dominico praemunitus sacramento beatum in caelestibus tradidit spiritum.

18. Tunc in eius transitu de sublimi melodiae suavitas auditur angelorum.

19. Ac odoris insoliti vapor suavissimus replet nares spectantium.

20. O quam tibi, Christe, carus confessor iste creditur,

21. Quo poscente ac merente multis beneficia per te conferuntur.

22. Ad quorum consortium, quaesumus, nos adiunge et concede, quod prostrati flagitamus.

23. Ut nil ergo nobis et patriae bellum, fames es pestis noceant, Serenedi meritis impetrantibus gratis annuas, mitissime Iesu,

24. Et de lacu faecis et miseriae demum nos transferas et perducas ad regnum gloriae.

Miss. Andegavense imp. [Parisiis] 1489. A.— Missale Andegavense imp. Rotomagi 1504. B. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523. C. — Missale Andegavense imp. Parisiis 1551. D. — 2a pluribus D. — 4 At ABD; Italiae BC; pervicatis AB, permeatis D; citus AD. — 5 morem BCD. — 8 veritatem D. — 9 philargeriae ABD; statim damnavit ABCD. — 15 sentiit ABCD. — 16 porrexit D. — 18 Tum AB. — 19 insoluti BD. — 22 Ad cuius D. — Wie sie vorliegt, scheint diese Sequenz jedes Parallelismus zu entraten. Da aber der Text nur aus späten Druckwerken stammt, welche die Singweise nicht enthalten, läfst sich ein sicheres Urteil nicht fällen. Es steht daher die Sequenz hier in der Form, in welcher sie in den gedruckten Mefsbüchern von Angers vorkommt.

310. De ss. Sergio et Baccho.

1 a. Voce, vita mundum vita,
Et hoc mente non invita,
Velut Bacchus, Sergius;

1 b. Qui gentiles gentis ritum
Exsecrantur, propter Christum
Eligentes melius.

2 a. Ortu clari, regi cari,
Festi fastu militari
Pollebant in curia.

2 b. Dignitates dedignantur,
Cum pro fide condemnantur,
Nec timent supplicia.

3 a. Poenis fides
plus excrescit,
Ut sinapis vis fervescit,
Quo maior attritio.
Erubescant,
turbentur aemuli,
Et adplaudant
omnes et singuli
Sanctorum martyrio.

3 b. Christum amant,
Christum clamant,
Christum zelant, neque celant
Cordis desideria.
Torti vincunt,
et tortor vincitur,
Duci nequit
terque innititur
Maiore vesania.

4 a. Horum stupet dux adventu
Et ducatus de obtentu
Grates agens Sergio.

4 b. Huic blanditur sed in cassum,
Nam uterque clamat: Assum
Paratus supplicio.

5 a. Movet Satan instrumentum,
Antiochus ad tormentum
Prius Bacchum adplicat.

5 b. Ventre ruptus et afflictus,
Tandem spiritum invictus
Deo Bacchus dedicat.

6 a. Vox de caelis exauditur,
Corpus salvum custoditur
Per aves a bestiis.

6 b. Nocte Sergium adfatur,
Desolatum consolatur
Dulcibus alloquiis.

7 a. Nec fit mora, placet duci
Sanctum Sergium adduci,
Studet illum flectere,

7 b. Sed immotus stat vir Dei
Neque cedit unquam ei
Nec verbis nec verbere.

8 a. Tandem lictor ferro ferit,
Caput truncat, corpus terit,
Patientis spes non perit,
Vox auditur caelica.

8 b. Quod ab homine damnatur,
Grex ferarum veneratur,
Et hoc signo designatur
Certa res et mystica.

9 a. Quos tyrannus separavit,
Christus caelo sociavit
Et in terris revelavit,
Aegros sanat et sanavit
Per hos Dei gratia.

9 b. Bone Deus, horum prece
Mentes nostras, ne sint caecae,
Mox a mundi munda faece;
Sancte Sergi, fac in nece
Detur nobis gloria.

Legend. ms. S. Sergii Andegavensis saec. 10. Cod. Andegaven. 813 (730). add. saec. 12. — Mel.: Laudes crucis. Überschrift: „Prosa de ss. martyribus Sergio et Baccho."

311. De sancto Severino.

1 a. Sonet intus, pangat foris,
Cordis chorda, melos oris
Severini merita.

1 b. Citharizet Severinum,
Peregrinans peregrinum
Plebs haec sibi credita.

2 a. Noster pius intercessor
Sanctus iste sit confessor
Pietate solita,

2 b. Cuius prece destitutis
Procuratur spes salutis,
Est et merces reddita.

3 a. Cuius laudis debitum
Nostrum firmet spiritum
Carnis lege domita,

3 b. Quem ob vitae meritum
Apud Gallos inclitum
Fama reddit inclita.

4 a. Erat iste flos inclusus,
Sed est odor huc infusus
A remotis partibus.

4 b. Flos in fructum pullulavit,
Fructum, quem hic mendicavit
Locus suis civibus.

5 a. Aegritudo premit regem,
Rex laborat, turbat gregem
Pastoris afflictio.

5 b. Ruit turba medicorum,
Stupet sensus peritorum,
Decipit et ratio.

6 a. Infirmatur vis herbarum,
Non salutem rex earum
Sentit beneficio.

6 b. Iam de rege desperatur,
Medicantum defraudatur
Suo spes augurio.

7 a. Adest puer dicens regi:
Pastor quidam praeest gregi,
Vitae clarus merito.

7 b. Morbus iste curam nescit,
Omnis labor evanescit
Servi Dei digitio.

8 a. Crede per hunc, rex, abbatem
Dari tibi sospitatem,
Tua solvi vincula.

8 b. Acquiescit rex dicenti,
Praesens vovet iam absenti,
Delegatur vernula.

9 a. Implet puer votum regis,
Ab ovili pastor gregis
Exit raptus precibus.

9 b. Clamat turba subditorum,
Stagnant genae monachorum
Lacrimarum fluctibus.

10 a. Quo vir transit Agaunensis,
Languet praesul Nivernensis
Cunctis suo iam suspensis
Membris ab officio.

10 b. Iacet surdus, cubat mutus,
Omni sensu destitutus;
Intrat abbas, intrat tutus
De Dei solacio.

11 a. Cum descendit aegrotanti,
Preces fundit, in instanti
Favet Deus imploranti,
Impetratur venia.

11 b. Omnis dolor relegatur,
Vitae praesul reservatur
Et altari praesentatur
Peregrini gratia.

12 a. Hoc ad regem accedente
Se leprosus fert repente
Instrumento saeviente
Mendicans munusculum;

12 b. Ad quem Dei vir festinat
Et se supplex huic inclinat,
Cedit lepra, dum propinat
Illi pacis osculum.

13 a. Clodovei subit tectum,
Inthronizat hunc ad lectum,
Videt illum iam deiectum,
Pati fere iam defectum
Prae dolore nimio.

13 b. Cuius plaga sauciatus
Dat in terram se prostratus,
Instans preci vir beatus,
Nec est suo defraudatus
Sanctus desiderio.

14 a. Medicina spiritali
Pius princeps corporali
Sospitati redditur.

14 b. Absolvuntur omnes rei
Interventu viri Dei,
Omnis carcer panditur.

15 a. Expleturus vatis munus:
Est hic, inquit, locus unus
Manens hoc corpusculum.

15 b. Mons desertus a colonis,
Castrum vocant hunc Nantonis,
Mihi servat tumulum.

16 a. Hoc in loco vir quiescit,
Qui repulsam pati nescit
In suorum venia.

16 b. Imploremus hunc patronum,
Eius nobis vitae donum
Conferat praesentia.

Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Sangenovefian. 97. add. saec. 15. A. — Sequent ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Ravennaten. 360 (139. 5. S). B. — Str. 3 fehlt B. — 4b, 2 hic fehlt B. — 6a, 2 Nec salutem B. — 7b, 1 Morbum A. — 7b, 3 Sine Dei B. — 8a, 3 Solvi tua B. — 8b, 2 abscenti B. — Str. 9a—14a fehlen B. — 9b, 2 stagnat A. — 12b, 3 Cedat A. — 14b, 3 penditur A. — 15a, 1 Expleturus A; facti munus A, fatis munus B. — 15b, 1 Fons B. — 15b, 2 vocat B.

312. De sancto Severino.

1 a. Christo psallamus
voce canora,

1 b. Christo, condita
per quem sunt cuncta.

2 a. Quo miserante,
quos ignorantia
caecat nimia,

2 b. Hi documenta
percepere fidei
salutaria.

3 a. Nam Severinum
praesulatus regentem sceptra
relicta quondam
Colonia

3 b. Burdegalensem
direxit misertus ad plebem
erroris sitam
in semita.

4 a. Erroneos igitur
patriae colonos
exhortatione
correxit salutifera.

4 b. Debilium reddidit
incolumitati
membra, longo licet
morbo adferrens obsessa.

5 a. Sic concurrentibus
miraculis
atque iugibus monitis
ad lucis viam
male credentium
revocavit pectora.

5 b. Ab his et pepulit
letifera
latitantis hostis tela,
bonis iugiter
insidiantia,
bonis semper infesta.

6 a. Quam sublimia
Severini merita!
Praesulis animam
Martini
subvehentium ad
poli regna

6 b. Qui dulcisona
angelorum cantica
audire meruit
in urbe
pontifica fulgens
Agrippina.

7 a. Mox ignoranti
prompsit archidiacono
ignota talis melodiae
mysteria:

7 b. Martinus, inquit,
manu fertur angelica
ad sibi praeparata dudum
iam praemia.

8 a. At, ubi carnea
ceciderunt membra,
perfruente gaudiis
caelestibus anima,

8 b. Gothorum ab turma
vallantur moenia
Burdegalae, qua sancti
membra fuerant sita.

9 a. Plebs ergo subito
metu percussa advolat,
qua summi pontificis
erat urna;

9 b. Fletu rorat ora,
voce clamitat immensa:
En, pastor, fer ovibus
suffragia.

10 a. Nec mora;
vocatus adest petita
populo
ferens praesidia:

10 b. Infecto
die nube taetra hostes
premuntur
caligine densa.

11 a. Tenentibus visum
tenebris bellica
iam non attrectant arma,

11 b. Sed dubii pendent,
quae tuta quaerant, quae
relinquant metuenda.

12 a. Ut tandem optata
iam patet eis fuga,
ocius
deserunt tentoria;

12 b. Equorum amittunt
etiam solamina
cum magna
rerum opulentia.

13 a. Suntque civibus
facti praeda,
qui rapere venerant
civibus sua.

13 b. Nec fert comiti
opem comes,
dum de vita desperans
fugit propria.

14 a. Sic per Severini merita
civitas tremefacta
imminentia
devitat pericula.

14 b. Impense gaudet effugata
acie barbarica
nil discriminis
metu modo perpessa.

15 a. O saeculorum
moderator omnium,
Severini precatu
mali luem,
quam contraximus, dona

15 b. Ac tentatoris
arce procul iacula
iussisque tuis nostra
subde corda,
ut in caelestis regni

16. Vivere
promereamur aula

Miss. ms. S. Andreae Burdegalensis saec. 15. Cod. Parisin. 871. A. — Miss. Burdegalense imp. Burdegalis 1543. B. — 2 a, 3 caeca AB. — 2 b, 2 percipere AB. — 2 b, 3 salutaria meruerunt B. — 3 a, 2 praesularis B. — 4 b, 1 reddit B. — 4 b, 3 longuo A. — 7 b, 3 sq. iam dudum AB. — 10 a, 2 sqq. ferens petita populo AB. — 15 b, 2 arte A. — 15 b, 5 caelestibus AB.

313. De ss. Sidrach, Misach, Abdenago.

1 a. Plaudat, iubilet, exsultet
Tua, Mammes, ecclesia
Et Deo laudes resultet
Digna canens praeconia.

1 b. Deo dilectum Iohannem
Primum habuit patronum,
Doctrina cuius insignem
Mammem suscepit alumnum.

2 a. Quibus iuncti tres pueri,
Sidrach, Misach, Abdenago,
Regiae stirpis liberi,
Monotriadis imago.

2 b. Hos Ierusalem nutrivit,
Captivavit rex Chaldaeus,
Protexit et erudivit
Bonorum largitor Deus.

3 a. Qui triennio edocti
Disciplinas Chaldaeorum,
Post a rege sunt inventi
Scientissimi magorum.

3 b. Casti, sobrii, frugales,
In spe, fide, caritate,
Constantia coaequales
Et compares voluntate.

4 a. Magistratus exercebant
Provinciarum prudenter
Et divinis adhaerebant
Legibus perseveranter.

4 b. Statuam spernunt auream,
Cui rex litare iubebat,
Subire malunt igneam
Flammam, quam Deus regebat.

5 a. Blande fornax complectitur
Ipsos, solvit, fovet, rorat,
Succendentes persequitur,
Urit, dissipat, devorat.

5 b. Fit flagrans fornax pueris
Hortus, templum et asylum,
Grave tormentum miseris
Tortoribus, o Babylon.

6 a. Clibanus fit paradisus,
Cadit lictor, cadunt rei,
Cum quibus colludens visus
Similis filio Dei.

6 b. Cuius cernens praesentiam
Rex servos Dei vocavit,
Summam Dei potentiam
Fide victus honoravit.

7 a. Mira Dei clementia!
Flamma fugit, ignis rorat,
Mitescit regis furia
Et, quem negabat, adorat.

7 b. Sanos caminus emisit,
Quos cremandos acceperat,
Nec capillum quidem laesit
Horum, quos Deus texerat.

8 a. Summe Deus, piorum protector,
Qui sperantes in te non deseris,
Esto precum nostrarum inspector
Et spem firmam concede miseris.

8 b. Fidem nobis infunde sinceram,
Quae per caritatem operatur,
Et fac mentem crimine liberam,
Ut tua tandem pace fruatur.

Miss. Lingonense imp. Trecis 1549. A. — Miss. Lingonense imp. Trecis 1572. B. — 1 b, 4 Mammetem B, gegen das Versmafs. — 4 b, 1 Stantem spernunt B. — 5 b, 1 fornax fehlt AB. — 6 a, 2 canunt rei A.

314. De tribus Sororibus.

1 a. Ex Anna est orta
splendida
maris stella,

1 b. Exaltata supra
sidera
caeli cuncta.

2 a. Trium sanctarum
sororum primitia

2 b. Est christifera
semper intemerata,

Ioachim filia, Maria.

3 a. Ex Anna fuit nata
secunda,

3 b. Apostolorum trium
fecunda

Et beata prolifica,
Cleophae filia, Maria.

4 a. Ex Anna tertia
est nobis edita,

4 b. Iohannis, qui tuba
est evangelica,

5 a. Et maioris Iacobi
genetrix inclita,

5 b. In sepultura pia
Christi sollicita,

Salomae filia, Maria.

6 a. Hae tres sorores praeclarae
Christi iure palatia

6 b. Hereditant empyrea,
quae sanctorum sunt patria,

7. Ubi una sempiterna
fruuntur gloria.

Missale Macloviense [?] imp. s. l. et a. [ca. 1483]. A. — Missale Redonense imp. Parisiis 1492. B. — Missale Redonense imp. Parisiis 1533. C. — 3a, 1 nata fuit B. — 4a, 2 edicta A. — 5b, 1 pia fehlt A. — 6a, 1 Haec fehlt BC. — 6b, 1 imperia BC.

315. De sancto Stephano.

1. Tota debet exsultare
Et in laudem proclamare
Militans ecclesia;

2a. Toti cedit, toti dedit
Belli ductum, palmae fructum
Stephani victoria.

2b. Non ignara iam procedit
Ad conflictum, quem praecedit
Triumphantis gloria.

3a. Docet formam dimicandi
Et insultus tolerandi
Sancti patientia.

3b. Absque cauda repelli victimam
Nec placere vestem brevissimam
Ostendit constantia.

4a. Hunc athletam rex virtutum,
Oportune delibutum
Unctione spiritus,

4b. Ob insigne virium
Universi praemium
Aptavit exercitus.

5a. Ardens [fidei] lucerna
Illustrabat in superna
Cuncta per circuitum,

5b. Ardens intus caritate,
Foris lucens sanctitate
Iubar fudit inclitum.

6a. Nequit clarum non lucere
Lumen, nequit non latere
Supra montem civitas,

6b. Fugat sordes speciosa
Et non valet radiosa
Occultari sanctitas.

7a. Fontes foras derivantur,
Et se dona protestantur
Spiritus in Stephano

7b. Operando plebi signa,
Praedicando Deo digna
Oris eius organo.

8a. Obsunt bona sed indignis,
Unde verbo, vita, signis
Offenduntur perfidi.

8b. Sic Herodes propter stellam
Atque Iudas ob bucellam
Ligno peccant viridi.

9a. Aures suas continendo,
Verbum vitae repellendo
Morem servant aspidis;

9b. Caritati tam immensae,
Pietati sic impensae
Iactum reddunt lapidis.

10a. Parum habent lapidari,
Nequeuntes satiari
Strident in hunc dentibus,

10b. Tali gestu protendentes,
Quod plus volunt dare mentes,
Quam expleant manibus.

11a. Et ne labor sit hic vanus,
Quidam demens et vesanus
Singulorum ad hoc manus
Vestes servans provocat.

11b. Sed hunc, Dei vas electum,
Latens vinum atque tectum,
Ad salutem et profectum
Orbis tandem revocat.

12a. Pugil noster indefessus
Inter iras et excessus
Ad superna suos gressus
Incessanter dirigit.

12b. Fundens preces cum cruore
Pio sui regis more
Intercedens pro tortore
Occidentem diligit.

13a. Ergo tibi servientes
Redde grates et placentes,
Fac a dextris visum stare
Nos ad dextram collocare
Impetrando gratiam.

13b. Iudicem fac oblivisci,
Quod pudor est reminisci,
Tibi cum simus addicti,
Fer opem, ut benedicti
Vocemur ad gloriam.

Miss. ms. Metense saec. 14. Cod. Meten. 330. — 4a, 1 Nunc. — 6b, 2 Ut. — 8a, 2 vitae. — 8b, 2 propter buccellam. — 12b, 2 vivum? — Mel.: Laudes crucis.

316. De sancto Stephano.

1a. *Eia*,
vox clara
concrepet gaudia
modulans organa,

1b. *Et cum pneuma-*
tis aura
Dominum consona
praecinant famina.

2a. Mirabilem
praedicare iuvat
in sanctis, eia,

2b. Qui Stephanum
gloriae corona
induit alma.

3a. Cuius sacra
plebs celebrat festa
atque levitarum turma
dulces geminat odas.

3b. O merita,
o viri mens sancta,
caeli patuerunt regna
cui penitus ampla!

4a. Unde conspecta
gloria superna
mox fatur talia:

4b. En, Iesus astat
humanatus alma
in patris dextera.

5a. Gens Iudaea
sed maligna
face fervens in levitam
torva contra insonat

5b. Et, saxea
quae gerebat
corda, testem lapidabat
fantem Dei gloriam.

6a. Sed pro culpa
sontum supplicabat
flexus genua
martyr e contra;

6b. Sicque saeva
carnis per tormenta
eius anima
penetrat astra.

7 a. Nos quoque voce canora
pangimus sacra tropaea

7 b. Rogando, ut, Christe, regna
reseres nobis caelica

8. Stephani per merita.

Miss. Belvacense imp. Rotomagi 1514. — Melodie: Gloriosa dies (Anal. VII, 213), mit doppeltem Eingang. Unkenntnis der Melodie verleiten Misset-Weale (I, 300) in der 1. Strophe Einschaltungen vorzunehmen. — 2a, 1 Ohne Initiale. — 5a, 2 sq. face maligna. — 6a, 2 sumptum.

317. De sancto Stephano.

1 a. Protomartyr inclitus,
Igne fervens spiritus,
Non cessat divinitus
Signa plebi dare.

1 b. Synagogae concitus
Consurgit exercitus,
Domini non veritus
Servum morti dare.

2 a. Iudaei conveniunt,
Inaniter garriunt,
Nil valent, nil sapiunt
Contra testem Christi.

2 b. Veritatis audiunt
Verba nec percipiunt,
„Pereat“ sed aiunt
„Praedicator Christi.“

3 a. Extra muros pellitur
Et saxis obruitur,
Monstrat, cum occiditur,
Statum mentis bonae.

3 b. His, a quibus laeditur,
Sic dicens compatitur:
„Quod in me delinquitur,
Dimitte, rex bone“.

4 a. Fatiscens lapidibus
Consummatis precibus
Locatur in sedibus,
Quae non egent luce,

4 b. Crucem baiulantibus
Et Deum sequentibus
Tot praestans martyribus
In aeterna luce.

5 a. Levita magnifice,
Nos, crucis dominicae
Prime lator, respice
Clemens de supernis.

5 b. Te pro nobis supplice
Coram pio iudice
Induamur duplice
Stola in supernis.

6. Amen cuncti canite.

Miss. Lemovicense imp. absque [ca. 1540?]. — Mel.: Mariae praeconio.

318. De sancto Stephano.

In Octava.

1 a. O Stephane, martyr Christi,
Laureari meruisti
Claro diademate;

1 b. Certa fruens visione,
Quod palpamus ratione
Sicut in aenigmate,

2 a. Unitatem trinitatis,
Trinitatem unitatis,
Quod est ineffabile,

2 b. Illud magnum sacramentum,
Ad quod nullum argumentum
Habemus probabile,

3 a. Manifeste contemplaris,
Contemplando satiaris
Interna dulcedine;

3 b. Qua refectus esurire
Nullus potest aut sitire
Tanto fervens lumine.

4 a. O concivis angelorum,
Ad superna nos polorum
Tuo fac precamine

4 b. Post hanc vitam sublevari,
Quos hic cernis adgravari
Multiformi crimine.

5. Poscat iste,
Et tu, Christe,
Largiaris, Domine.

Miss. Lemovicense imp. Parisiis 1483. — 1 b, 2 palmamus. — 3 a, 2 sociaris.

319. In Inventione s. Stephani.

1 a. Laudes primi attollamus
Martyris et recolamus
His sacris sollemniis,

1 b. Qualiter sit revelatum
Corpus eius et translatum
Multorum obsequiis.

2 a. Luciano quiescenti,
Stratu suo dormienti,
Noctis in silentio

2 b. Facta est reliquiarum
Protomartyris sanctarum
Caelitus ostensio.

3 a. Vir quidam longus, canutus,
Vultu decorus, indutus
Albis, tectus pallio,
Sacerdoti in visu adfuit,
Hunc pulsavit virga, quam tenuit,
Vocavitque tertio.

3 b. Dicens: Vade sine mora
Ad Iohannem et implora,
Quod clausis aperiat,
Ut pro suis famulis
Mundum a periculis
Dominus eripiat.

4 a. Tunc sacerdos: Quis vocaris,
Qui sunt quibus sociaris,
Quaesivit attentius;

4 b. Qui respondit: Sum vocatus
Gamaliel, mihi gratus
Stephanus est socius.

5 a. Mox coram eo calathos
Tres posuit cumulatos
Rosis odoriferis;

5 b. Duo praebebant niveas
Rosas, alter sanguineas
Pulchriores ceteris.

6 a. De quibus ait: Hic rosas
Locus habens tam formosas
Huius est, qui praebuit

6 a. Preces pro supplicio,
Qui primus martyrio
Coronari meruit.

7 a. Et statim evigilavit
Iohannique revelavit
Visa ab exordio.

7 b. Hinc ad Dei contulit
Se laudes et protulit
Lacrimas prae gaudio,

8 a. Addens: Si Deus haec tibi
Demonstravit, fode ibi,
Quo putas reliquias.

8 b. Illic fodere temptavit,
Sed Migetius monstravit
Ei partes alias.

9 a. Qui docente Migetio
Loco dum fodit alio,
Fit odoris effusio,
Ex cuius fragrantia

9 b. Salus aegris emanavit
Maxima, quae non sanavit
Solum corpora sed lavit
Mentes a spurcitia.

10 a. Nam triginta bis astantes
Et tredecim aegrotantes
Sanos fecit et laetantes
Infusa suavitas.

10 b. Mundo presso prae nimia
Siccitatis molestia
Magna descendit pluvia
Cessavitque siccitas.

11 a. Sic corpus diu celatum
Est a sepulcro sublatum
Plebique manifestatum,
Est et in Sion translatum
Cum magna laetitia.

11 b. In quo Christus collaudetur,
Veneretur et ametur
Et a cunctis adoretur,
Omnisque chorus laetetur
Decantans Alleluia.

Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Parisin. 880. 2. A. — Miss. ms. Senonense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Pessulan. 71. B. — Miss. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 1480. C. — Sequent. ms. Gallicum anni 1585—87. Cod. Ravennaten. 360 (139. 5. S). D. — Missale Meldense imp. Parisiis 1518. E. — Missale Senonense imp. Senonibus 1556. F. — Missale Meldense imp. Lutetiae 1556. G. — Missale Senonense imp. Senonibus 1575. H. — Missale Trecense imp. Trecis 1580. I.

1a, 2 Et martyris B. — 3b, 3 Ut clausis FH. — 3a, 1 quidem B. — 3a, 2 Cultu D; decoris B. — 3a, 3 Albi B; Albo D. — 3b, 4 famuli A; in visu fuit D. — 4a, 1 qui D. — 5b, 2 alter fehlt B. — 6a, 2 Loculus GH, Loculos F; tam fehlt D. — 8b, 3 portas D. — Vor Str. 9 „Divisio" DFGH. — 9b, 4 Mentis D. — 10a, 4 laetatus A. — Mel.: Lauda Sion (Laudes crucis).

320. In Translatione s. Stephani.

1 a. Adludamus
Et agamus
Diem festum hodie,

1 b. Praecinentes,
Succinentes
Christo, regi gloriae.

2 a. Delectemur,
lux instat rosea,
Fulget dies
per orbem aurea
Hodierna.

2 b. Gloriemur
per haec sollemnia
In Domino,
qui regit omnia
Vi paterna,

3 a. Quae sunt caelestia
Vel quae terrestria
Discretis ritibus,

3 b. Alternans tempora
Et arcens aequora
Certis limitibus.

4 a. Qui divinis
venustans species

4 b. Et astrorum
disponens series

5 a. Rerum nectit
decenter foedera,
Nova creans,
conservans vetera,
Semper dives.

5 b. Cuius iugo
subduntur infera,
Ubi mortis
potentis dextera
Damnat cives.

6 a. Omnis enim condicio
In eius est arbitrio.

6 b. Tanta sane et talia
Et plura quaedam alia

6 c. Cernens eius insignia,
Quae nescit homo qualia.

7 a. Tota caeli frequentia
Magna plaudit laetitia
Et intra vitae climata
Quieta colit sabbata.

7 b. Ibi patrum nobilia
Pollent rite praeconia,
Et David regis tympana
Mera frequentant organa.

8 a. Illic famosi principes,
In fine mundi iudices,
Arces tenent aethereas,

8 b. Et animosi milites
Delectantur ac virgines
Gestantes torques aureas.

9 a. Ibi bonus rex praefatus
Suos regit equitatus,
Quos eduxit miseratus
De mundi nequitia;

9 b. Sub quo mire decoratus
Martyr Stephanus ornatus
Primos agit consulatus
Castra servans regia.

10 a. Hic triumphali gloria

10 b. Bella gessit erilia.

11 a. Cuius de capite
Nec parvus perit capillus,

11 b. Verum mirifice
Praeclarus comit lapillus.

12 a. Quanta sint ibi gaudia,
Quanta sanctorum gloria,

12 b. Nulla valet facundia
Exprimere per omnia.

13 a. In illa regis curia
Dona dantur egregia,
Ornamenta regalia,
Serta imperialia,
Divitiarum copia.

13 b. Quanta sit regis dignitas,
Erga nos quanta caritas,
Novit sancta virginitas,
Per quam descendit deitas,
Ut ascendat humanitas.

14 a. Unde laetis visibus
Insistentes cantibus,
Modulatis vocibus
Resonantes dulciter,
Iubilemus pariter
Laude speciosa.

14 b. Laus ad finem ducitur,
Quae sic pulchre canitur,
Christus benedicitur,
Cui sit victoria,
Virtus, honor, gloria
Lausque gratiosa.

15. Ecce, prout quivimus,
Concinne cecinimus,
Modulos exsolvimus,
Quos, dum nunc concludimus,
Votum, famen
Claudat Amen.

Miss. Lemovicense imp. Parisiis 1483. — 6 c, 2 Qui. — 13 b, 4 Per quem descendit dignitas.

321. In Translatione s. Stephani.

1 a. Post triumphum summi regis
Quasi ducta zelo legis,
Manens in perfidia,

1 b. Iudaeorum gens iniqua
Non recessit ab antiqua
Patrum inclementia.

2 a. Sed plebs Dei iam crescebat,
Stephanusque faciebat
Signa et prodigia.

2 b. Vir levita, plenus Deo,
Dei miles, et in eo
Fides et constantia.

3 a. Insurgebant viro Dei
Disputantes pharisaei,
Quos sub ignorantia

3 b. Clausit Deus pro peccatis,
Nec illuxit excaecatis
Vera sapientia.

4 a. Destillabat os levitae
Favo dulci, verbis vitae,
Spiritali gratia

4 b. Inspirante, quod dicebat,
Cur reniti non valebat
Turba sibi conscia.

5 a. Ergo plebem commoverunt
Et mendaces statuerunt
Testes de blasphemia,

5 b. Quibus armis, in quem morem,
Prius mundi salvatorem
Gens damnarat impia.

6 a. Surgunt prius ipsi testes,
Saxa legunt, ponunt vestes
Sauli sub custodia,

6 b. Manus eius retardante,
Ipsum sibi reservante
Dei providentia.

7 a. Sed iam martyr intuetur,
Quae certando promeretur,
Paradisi praemia.

7 b. Dum in eum turba stridet,
Caeli patent, Deum videt
Certus de victoria.

8 a. Consolatur spem victoris
Pugnae finis et laboris,
Christus stans in gloria;

8 b. Holocaustum tam insigne
Purgat terra, probat igne,
Trahit ad sublimia.

9 a. Dum revelat visionem,
Premunt aures ad sermonem
Aspidis astutia

9 b. Infideles et inuncti,
Dissipati nec compuncti
Fremunt in nequitia.

10 a. Ab iniquis lapidatur,
Sacrum caput vulneratur
Lapidum duritia.

10 b. Erat miles rubicundus,
A mundana sorde mundus,
Supplex ad supplicia.

11 a. „Iesu“, dixit, „hoc peccatum
Ne sit illis deputatum,
Subsequatur venia“.

11 b. Et haec dicens obdormivit
In eodem, in quo vivit,
Deo placens hostia.

12 a. Ergo, pie miles Christi,
Tu, qui primus ascendisti
Domini vestigia

12 b. Perseverans in amorem,
Ipsum roga redemptorem
Nostra pro miseria.

13 a. Te rectore sic curramus,
Ut ad eum veniamus
Per haec transitoria,

13 b. Ut post brevem incolatum
Ad beatae pacis statum
Vocet nos in patria.

Miss. Lemovicense imp. Parisiis 1483. — 1a, 2 zelo regis. — 3a, 1 Insurgebat. — 6b, 1 retardente. — 9b, 1 iniuncti.

322. De sancto Sulpicio.

1 a. Christo praesens familia
Christi canat magnalia,

1 b. Quae pro sancto Sulpitio
Fiunt a Dei filio.

2 a. Est nobilis parentibus,
Nobilior virtutibus,

2 b. Purus in pueritia,
Praenervans in iustitia.

3 a. Carnem, mundum suppeditat
Et daemones perdomitat,

3 b. Quorum rapit malitia
Pueros in ecclesia.

4 a. Vir sanctus currens properat,
Vi crucis raptos liberat,

4 b. Evanescunt daemonia
Et tendunt ad supplicia.

5 a. Vir precibus, ieiunio
Morbo medetur regio,

5 b. Rex languet Theodoricus,
Quem sanat vir mirificus.

6 a. Praesul urbis Bituricae
Fit vitae vir angelicae.

6 b. Iudaeos fide dirigit
Et christianos corrigit.

7 a. Extinxit ignes baculo
Facto crucis signaculo.

7 b. Circumvolat in specie
Columbae flatus gloriae.

8 a. Extrahitur de puteo
Sine damno corporeo,

8 b. Qui meritis egregii
Superstes est Sulpicii.

9 a. Hostis, caput invidiae,
Terret chorum ecclesiae,

9 b. Quem fugat vir constantiae
Signaculo victoriae.

10 a. Quidam obit famelicus,
Quem suscitat Biturícus

10 b. Mortis et morbi medicus
In Domino magnificus.

11 a. Ad sepulcrum Sulpicii
Peruncti vasis oleo

11 b. Sanantur arreptitii
A daemonum aculeo.

12 a. Caeci visum recipiunt,
Surdi credentes audiunt,

12 b. Opem leprosi sentiunt,
Et claudi sani saliunt.

13 a. Pater, flos Aquitaniae,
Nobis confer praesidia,

13 b. Hac de valle miseriae
Nos transfer ad caelestia.

Missale Bituricense imp. Parisiis 1522. — 1 a, 2 canant. — 2 b, 2 L. Perseverans iustitia? — 3 a, 2 praedomitat. — 6 a, 1 Praesul verbis. — 7 a, 1 baculos. — 8 b, 1 Qui mentis. — 11 a, 2 Perunctis. — Mel.: Supernae matris gaudia.

323. De sancta Susanna.

1 a. Gloriosa sponsa Christi
Mundo toto fulget isti,
Susanna sanctissima.

1 b. Haec puella generosa,
Margarita pretiosa,
Virgo prudentissima.

2 a. De Gabino genitore
Roborata in amore
Salvatoris hominum.

2 b. Hanc Gabinus erudivit
Litterisque praemunivit
Vitae spondens praemia.

3 a. Haec in fide confirmata,
Castitate praeornata
Respuit coniugium.

3 b. Nam Augustus imperator,
Innocentum insectator,
Mortis ferens gladium.

4 a. Ipsam petit in uxorem,
Maxinio iuxta morem
Ut iungatur filio.

4 b. Sed Susanna detestatur,
Ut carnali perfruatur
Haec unquam conubio.

5 a. Christo, inquit, sum sponsata
Et ab eo subarrhata
Annulo munditiae

5 b. Nunquam sponso copulari
Alteri nec sociari
Spreto sponso gloriae.

6 a. Hinc uxori commendatur
Augusti, quae nuncupatur
Serena iam credula.

6 b. Nam occulte Christum colit,
Quae per Gaium Deum novit,
Corde, mente sedula.

7 a. Virgo Christi cum Serena
Deum orat fide plena
Precibus continuis.

7 b. Christi constans in amore
Non discedit hinc timore
Nec minis assiduis.

8 a. Ad paternam revocatur
Domum, in qua conservatur
Cum Dei fidelibus.

8 b. Maxinius furibundus
Cito venit et immundus
Utitur sceleribus.

9 a. Sanctam cernit circumdatam
Claritate, exornatam
Splendoris luminibus.

9 b. Maxinius, stupefactus
Ac tremore intus tactus
Visis mirabilibus,

10 a. Ad patrem rogans festinat,
Ut narrare sibi sinat
Visa mirabilia.

10 b. Imperator hoc audito
Sensu spernit infrunito
Virginis magnalia.

11 a. Mox Augustus imperator,
Idolatra, profanator,
Iubet Macedonio,

11 b. Ut Susannam coartaret,
Ut diis sacrificaret,
Atroci supplicio.

12 a. Carnifex implens mandatum
Virginis corpus nudatum
Virgis scindit plurimis.

12 b. Virgo Deum deprecatur,
Idolatras exsecratur
Cum suis consiliis.

13 a. Gladium lictor exemit
Et sanguine fuso premit,
Quae migrat ad Dominum.

13 b. Hanc Serena sepelivit,
Aromatibus condivit
Dans pium obsequium.

Miss. Rothomagense imp. Parisiis 1527. — 2 a, 1 genitori. — 6 a, 1 Hunc. — 6 b, 2 Quam. — 8 b, 2 immundis. — 10 a, 2 signat. — 11 b, 2 Aut diis.

324. De sancto Symphoriano.

1 a. Exsultet vox fidelium,
Resonet mens psallentium
Affectando dulcius,

1 b. Resultet chorus omnium,
Conformet status gentium
Honorando dignius.

2 a. Corde puro recolentes,
Nos pariter iucundantes
In festo laetitiae,

2 b. Mundo corpore ferventes,
Cosolando delectantes
Cum loco concordiae.

3 a. Symphorianus nomine
Appellatur in agmine
Summi providentia,

3 b. Et ex hoc mundi semine
Carens labe, propagine
Celebri clementia.

4 a. Symphoniae adplicatur,
Per hoc Deo iucundatur,
Per ipsius merita

4 b. Stemmatibus honoratur,
Virtutibus decoratur,
Decenter impertita.

5 a. Idola vana respuit
Et viam sanam tenuit
Fugiendo divitias.

5 b. Adhaerendo non timuit
Poenas, quas iudex contulit
Acquirendo delicias.

6 a. Mundum contempsit fortiter,
Perseverando firmiter
In vita non stabili.

6 b. Ipsum rogamus dulciter,
Ut nos ducat perenniter
In via laudabili.

Miss. Baiocense imp. Parisiis 1584. — 4a, 2 iucundetur.

325. De sancto Symphoriano.

1 a. *Pangat nunc chorus dulcia*
devote concrepando

1 b. *Christo carmina*
per pulchra diastema.

2 a. Qui praeclara
suis sanctis dedicat
vitae tropaea,

2 b. Quos lucida
gesta produnt certasse
fide pro sacra.

3 a. Sorte de qua
praenobilis christicola
Faustus aderat,
candens gemma,

3 b. Cui proles
egregia iam exorta
fonte baptismi
coruscabat.

4 a. Hic divina
prompte ruminans
dogmata
studiose coepit
temnere terrea
petens alta.

4 b. Illustrabat
enim caelica
sophia,
simplicitas casta
digniter pectora
continebat.

5a. Symphorianus
illi nomen erat sacrum,
quod olim promsit baptisma.

5 b. Quem saevitia
minax sacrilega voce
immolare suggerebat.

6 a. Tunc inclita urbs Aedua
fanatico ritu
effluebat stipata.

6 b. At vir prudens deifica
scientia fretus
haec diva infit verba:

7 a. „Cessent talia,
quae spondes, famina;
nequit mens mea
dona uranica
spernere per parva
cosmi lucra,
iam libens suffero tormenta."

7 b. Succensus saeva
mox tortor furia;
pia hostia
data sententia
ducitur ut ovis
mitissima
immolanda lege pro sacra.

8 a. Mater alma cernens
saepe „nate, nate"
intonabat

8 b. „Dulcis cerne fili
Christum iam regnare
super astra."

9. Aetherea sceptra
agonizans
possidet semper in doxa.

Miss. ms. Eduense saec. 12. Cod. Semin. Eduen. 125. add. saec. 14. A. — Miss. ms. Eduense saec. 14. Cod. Semin. Eduen. 121. B. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Tolosan. 100. C. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin. saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 110. D. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin. saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 114. E. — Miss. ms. Eduense Card. Rollin saec. 15. Cod. Semin. Eduen. s. n. F. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 124. G. — Grad. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. s. n. H. — Missale Eduense imp. Parisiis 1530. I.

Ferner: Miss. ms. Eduense anni 1476. Cod. Semin. Eduen. 118 bis. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 115. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. 117. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 123. — Sequent. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 131. — Missale Eduense imp. Parisiis 1493.

1a, 1 Pangat nunc Alleluia A. — 1b, 2 perpulchra I. — 2a, 3 iure tropaea B. — 2b, 2 perdunt BC. — 2b, 3 per AC—I, fehlt B. — 3a, 3 fausens I. — 3a, 4 gemina BC. — 4a, 2 propte ruminaris C. — 5b, 1 Quae C. — 7a, 1 Cessant A—I. — 7a, 5 Ursprünglich wohl pro parva cosmi lucra. — 7b, 2 mors tortor CDE. — 7b, 7 per sacra BC; persacra I. — 8a, 1 Mox alma I; tornens C. — Mel.: Epiphaniam Domino (Anal. VII, 53), doch mit anderer Binnenabteilung der Clauseln nach Ausweis der Endassonanz. — Vgl. Pellechet l. c. 459 u. f.

326. De sancta Syria.

1 a. Ecclesia narrat tua
per orbem miracula,

1 b. Reges terrae et principes
amant tuos limites.

2 a. Chirurgiae, medicinae
doctores sapientes

2 b. Te rogant, cum iam nequeat
his ars et scientia.

3 a. Natos praebes infecundis
servatis mysteriis,

3 b. Iracundis pacem unis
et in morte subvenis.

4 a. Hydropisis, stranguria,
lapis, febris, hernia,

4 b. Surditas, pestis, ischuria,
caecitas et glaucomia,

5 a. Amentia, dementia,
paralysis, furia,

5 b. Intercus, renes, dysuria,
gutta, spasmus, phthiria,

6 a. Gravella, fluxus, vesica
corpora malis nexa

6 b. Sanabuntur prece tua ;
precamur voce una :

7 a. O beata Syria,
morborum medicina,

7 b. Post corpora dissoluta
perduc nos ad aeterna.

Missale Trecense imp. Trecis 1533. A. — Missale Catalaunense imp. Parisiis 1543. B. — Missale Senonense imp. Senonibus 1556. C. — Missale Senonense imp. Senonibus 1575. D. — Missale Trecense imp. Trecis 1580. E. — 2 b, 1 iam fehlt B; nequeant CD. — 4 a, 2 lapsis C; lepsis D. — 4 b, 1 pestis, scoria ACDE. — 4 b, 2 caecitas, glauconia B, glanconia A. — 5 b, 1 disuria C, dissuria B, suria A, handschriftl. korrig. in dysuria. — 5 b, 2 tiria C, tyria B. — 5 a, 1 Arenula, fluxus B. — 6 b, 2 precamus C, precemur D. — 7 b, 2 fac tuis precibus cum Christo regnemus in gloria B.

327. De s. Thoma Cantuariensi.

1 a. Virgo gaudet filio,
Redit ab exsilio
Thomas ad supplicia.

1 b. Martyrum collegio
In superno solio
Fertur cum laetitia.

2 a. Archipraesul et legatus
In tormentis fit renatus
Mortis per indicia.

2 b. Regnis exsul et fugatus,
In regressu morti datus
Iustus pro iustitia.

3 a. Stans ad aram Benedicti
Flexo genu mox delicti
Christus praestat veniam.

3 b. Ante crucem intrat lucem,
Ad altare flet amare,
Orat pro discipulis.

4 a. Die Dei datur ei
Mortem scire, quam subire
Praedicat gentilibus.

4 b. Die Martis mortem vicit,
Dum ministris regis dicit :
Non flectam a sententia.

5 a. Pastor gregis causa regis
Ense cadit, quem invadit
Brutus in ecclesia.

5 b. Minas mortis sic abiecit,
Sed post mortem non defecit
Gaudens cum martyribus.

6 a. Martyr caelo sublimatur,
Quod effectu comprobatur,
Dum fiunt miracula.

6 b. Mira quidem operantur
Hinc et inde, gratulantur
Videntes magnalia.

7 a. Caeci visu reparantur,
Claudi gressu reformantur,
Lepra fugit lurida.

7 b. Dira febris evanescit,
Febre pressus hilarescit
Peste pulsa languida.

8. Martyr Christi tam beatus,
Multis signis decoratus,
Pellat luctus, sedet fluctus,
Recreet nos precibus.

Collectan. ms. S. Audoeni Rotomagensis saec. 12. et 13. Cod. Rotomagen. A 506 (666). — 1 b, 2 superni. — 4 b, 1 vincit.

328. De s. Thoma Cantuariensi.

1 a. Triumphemus triumphali
Thomae martyris natali
Concordi concordia.

1 b. Triumphemus voto, vita,
Voce, trinum tripertita
Deum decent munia.

2 a. Veritas de terra nata
Et terris est declarata
De caelo iustitia.

2 b. Carne Deus obumbratur,
Thomas litat, immolatur
Sacerdos et hostia.

3 a. Modum quaeris? Ense ruit;
Locus ara, causa fuit
Zelus pro iustitia,

3 b. Tempus Domini natale;
Sic ornat pontificale
Decus patientia.

4 a. Morte mortem triumphavit,
Vitam vita commutavit,
Veram pro functoria;

4 b. Caelo praesidens terrenis
Modis congrua millenis
Praestat beneficia.

5 a. Iam in regis, miles, ortu,
Iam tranquillo nauta portu
Gaudes post pericula.

5 b. Miles hostes, nauta mare,
Fuga, seda, fac regnare
Nos tecum per saecula.

Missale Sagiense imp. Rotomagi 1488. A. — Missale Sagiense imp. Rotomagi 1496. B. — Missale Sagiense imp. Rotomagi 1500. C. — Missale Sagiense imp. Rotomagi 1548. D. — 1b, 3 munera A. — 2a, 2 In terris est A. — 2b, 1 Dei C. — 5a, 2 partu C.

329. De sancto Urbano.

1. Clarisona melodia
pangamus Alleluia,

2 a. Magni martyris merita
venerantes iucunda
per tripudia,

2 b. Qui pro nominis gloria,
Christe, tui dira
sprevit supplicia.

3 a. Hodie
plaudat urbs Romulea,
tali pompa
facta decenter rosea,

3 b. Urbanus
inclitus cuius papa
triumphali
caelos ascendit laurea.

4 a. Profanorum rabie saeva
cum sacra
vastaretur ecclesia,

4 b. Fulserat lampas orbi clara
imbuens
doctrina corda credula.

5 a. Hinc in regis Christi curia
quinque militum milia

5 b. Provexerat ad angelica
martyrio consortia.

6 a. Quos inter virgo Caecilia
castitate fervida

6 b. Sponso cum cognato frivola
spernere suadet idola,

7 a. Specie angelica,
quos sacer visu papa
salutaris mundarat
fontis gratia,

7 b. Instans fideli cura,
verbi dape sincera
dum perduceret laetos
ad martyria.

8 a. Ovans dum talia
crebro captat
praesul spolia,

8 b. Calice sanguinis
hausto laetus
subit aethera.

9 a. Adlectus in clara
senatorum caterva
perenni fruitur gloria;

9 b. Nam desiderata
pascitur purpuratus
Dei deorum praesentia.

10 a. Rogo, pater,
te cantantum
absolve piacula,

10 b. Per mundana
quo possimus
Christo iungi tempora,

11. Grates, laudes
dantes aeterna.

Missale Trecense imp. Trecis 1580. — 8 a, 2 crebus.

330. De sancto Ursino.

1. Iucundus ecclesiae
Chorus colat hodie
Votiva sollemnia,

2 a. Salvatorem omnium,
Laudans Dei filium
Concordi melodia,

2 b. Qui condolens miseris
Nostri morbo generis
Donavit remedia,

3 a. Huius sancti dogmate
Tinctos in baptismate
Levans a miseria,

3 b. Quos male deiecerat
Et ad poenas traxerat
Daemonis invidia.

4 a. O quam felix saeculum,
Cui per Dei famulum
Data culpae venia
Sunt remissa vitia!

4 b. Hic ille Nathanael,
Quem videns Emmanuel
Ad eius indicia
Verba dedit talia:

5 a. Ecce, verus
Et sincerus,
Qui non doli
Subest moli,
Vere Israelita.

5 b. Felix iste,
Quem tu, Christe,
Collaudasti,
Quem donasti
Dignitate, quem vita.

6 a. Primus turbis huius urbis
Reseravit et monstravit
Salutis mysteria.

6 b. Dabant pignus tantae rei
Argumentum et fidei
Virtutum insignia.

7 a. Nam, quod ore praedicabat,
Rerum signis adfirmabat
Magnus virtutum copia
Meritorumque gloria.

7 b. Petrus istum huc direxit,
Hic ad vitam nos revexit,
Per quem Dei clementia
Nos respexit ex gratia.

8 a. Ergo totis
Iam nunc votis,
Sancte Dei,
Nos te rei
Postulamus
Et oramus,
Ut tua prece pia

8 b. Complacatus
Dei natus
Gregem suum
Atque tuum
Vita donet
Et coronet
In aeterna patria.

9. Trinitati gloria
Sit nunc et per omnia.

Missale Lexoviense imp. s. l. et a. A. — Missale Lexoviense imp. Cadomi 1517. B. — Missale Bituricense imp. Parisiis 1522. C. — Missale Lexoviense imp. in Ponte Audomari 1547. D.

2b, 3 Plasmavit C. — 3a, 3 Lavans ACD. — 4b, 3 iudicia AC. — 5a, 3 sq. Israelita in quo dolus C. — 5a, 4 mali AD. — 5a, 5 non est nec malitia C. — 5b, 5 dotasti AB. — Str. 5b lautet in C:

Vere felix et fidelis,
Qui meruit et habuit
Christi testimonia.

6a, 1 suae urbis ABD. — 7b, 1 hunc ABD. — 7b, 1 sq. lauten in C:

Christiana messe laetus
Huc direxit eum Petrus.

7b, 4 et gratia C. — 8b, 3 tuum C. — 8b, 4 suum C. —

331. De sancta Ursula.

1 a. Laetetur mons Sion,
et eius filiae

1 b. Cantica dramatis
frequentent hodie;

2 a. Ante thoros
istarum virginum
Dent tympanum,
sumant psalterium,

2 b. Et laudantes
sponsum et dominum
Dulce canant
epithalamium.

3 a. Sollemnes hodie
in caeli curia
De tot virginibus
aguntur nuptiae,

3 b. Cum Christus circiter
undecim milia
Despondet sibi, rex
aeternae gloriae.

4 a. Felix urbs Colonia,
Qua florent insignia
Tantarum martyria
Virginum,

4 b. Quarum nunc sollemnia
Celebrat ecclesia
Laudando per omnia
Dominum.

5 a. Hae de suis
egressae finibus,
Oblitis populis
et patrum domibus,
Placuerunt
regis conspectibus
Speciosi forma.

5 b. Concupivit
earum species
Rex archangelorum,
pulchrior milies
Quam creata
rerum materies
Aut caelestis norma.

6 a. Ornatae duplicibus
Deauratis vestibus
Ac varietatibus,
Accensis lampadibus
Igne caritatis,

6 b. Nunc intrant ad nuptias,
Atque post victorias
Sumunt inter alias
Ierusalem filias
Palmam castitatis.

7 a. Ordines caelestium
Laudant Dei filium
Pro tantorum milium
Virginum collegio,

7 b. Quod in caeli solio
Divina dignatio
Sumit in coniugio
In hoc natalitio.

8 a. Virgo triumphantibus
Maria virginibus
Occurrit cum laudibus
Et choris laetitiae.

8 b. Et ex hoc exsilio
Sublatas cum gaudio
Repraesentat filio
In thalamo gloriae.

9 a. O virgines gloriosae,
Regi regum gratiosae,
Candidatae, speciosae,
Quarum exstant pretiosae
Mortes ante Dominum,

9 b. Quam felices exsultatis
De corona castitatis
In conspectu trinitatis,
Quando regem salutatis
Et reginam virginum.

10 a. Nostras voces acceptate
Eisque nos commendate
Et vobiscum praeparate
Locum prece sedula,

10 b. Ut rex regum, dator legis,
Et regina, mater regis,
Sint custodes huius gregis
Per aeterna saecula.

Grad. et Trop. ms. Fontebraldense saec. 14. in. Cod. Lemovicen. 2 (17). A. — Missale Fontebraldense imp. Parisiis 1606. B. — 2a, 1 choros B. — 2a, 3 Dant A. — 3a, 1 hoc die B. — 3b, 1 Christo B. — 5b, 1 caelesti A. — 6b, 1 Tunc intrat B. — 7b, 1 Quos in [lies Quas] A. — 8a, 4 choro B. — 8b, 2 Sublatus AB. — 8b, 3 Repraesentant A. — 9a, 5 Mortis A. — 10b, 1 Et rex B. — 10b, 2 reginam A.

332. De sancta Ursula.

1 a. Superorum harmonicas
Regi depromamus odas,

1 b. Virginea puellarum
Pro quo prosternitur aetas.

2 a. Ierarchicus supernorum
Laetetur chorus ordinum,

2 b. Victricium qui ditatur
Hodie turba virginum.

3 a. Undenae namque millenae
Hac in die laetabundae
Hostias pacis offerunt,

3 b. Subacta hostis rabie
Saevientis barbariae
Caesa cervice decumbunt.

4 a. Saevit hostis furibundus,
Stat iuventus intrepida,
Debacchatur mente ferus,
Nec est manus incruenta.

4 b. Sed ut terrae appulerunt,
Maris procellas linquentes
Statim Hunni irruentes
Has atrociter iugulant.

5 a. Ursula, virgo regia,
Daria, martyr inclita,
Constantia generosa
Pro Iesu nomine,

5 b. Ursula fosso pectore,
Daria secto gutture,
Constantia scissis mammis
Sic caelos penetrant.

6 a. Pium bellum parta palma
Hodie concelebratur,

6 b. Morte vita superatur,
Mortua vita deperit.

7 a. Erubescat barbaries
Sacro convicta semine,

7 b. Congaudeat nostra cohors
Tanto freta iuvamine.

8 a. Felix solum, Colonia,
Tantis fultum praesidiis.

8 b. Felix unda aequorea,
Tanto perfusa cruore.

9 a. Athletarum ergo Christi
Opem rogemus cernui

9 b. Atque ita collaudemus
Unanimes in sublimi.

10 a. O virgines gloriosae
De numero sapientum,
Toto orbe praedicandae,
Summi regis sponsae dignae,
Sitis nobis advocatae
In supremo discrimine.

10 b. Vos precamur hac in die,
Ut, cum iudex in ultimo
Convenerit examine,
Tersa peccatorum sorde
In sanctorum dignissimo
Recenseamur agmine.

11 a. Uranicis ubi
Iuncti consortibus
Laeti depromamus
Dulcifluum melos;

11 b. Amen alacribus
Addamus vocibus,
Rite decantemus
Pium Alleluia.

Miss. Cluniacense imp. Parisiis 1550. — 2 b, 1 quo. — 4 b, 4 iugulat.

333. De sancta Ursula.

1. Gaudeat ecclesia
de triumpho martyrum,
Iubilet tripudians
de corona virginum,
Quae concives factae sunt
agminum caelestium.

2 a. Summi regis, summi patris
desponsantur filio,
Cum quo fide sunt depactae
virginali thalamo.

2 b. Mundo corde, sine labe
natum matris virginis
Prosequuntur nec relinquunt
in die certaminis.

3 a. Imitantur patriarcham
exeuntes Abraham,
Ut cum eo veram terram
possideant Chanaam.

3 b. Sic undenas ascendentes
trieras cum gaudio
Vota sua persolvebant
in chordis et organo.

4 a. Austro flante tunc secundo
maria velificant
Et famosam Agrippinam
simul omnes applicant.

4 b. Hic laboris meta sui
iam praefixa fuerat,
Et hoc ipsum vox divina
Ursulae praedixerat.

5 a. Regionem devastabat
dux Hunnorum impius,
Ferox dirus et superbus,
quo nil est scelestius.

5 b. Detruncantur et procumbunt
corpora virginea,
De cruore purpuratur
ipsa caro lactea.

6 a. Holocaustum medullatum
offerunt de integro,
Vita morte comparatur
felici commercio.

6 b. Mox caelestis adest sponsus
cum caelorum civibus,
Has assumit, offert patri,
sociat caelestibus.

7 a. Gentem fugat infidelem
caelestis militia,
Et sic nece puellarum
liberatur patria.

7 b. Legiones virginales,
impetrate veniam
Universis, qui nunc vestram
celebrant victoriam.

Appendix ms. saec. 16. Miss. Belvacensis imp. Rothomagi 1514. (Bibl. St. Geneviève). — 3 a, 4 Chananeam. — 5 a, 4 Quo nihil. — 5 b, 3 purpurantur. — 6 a, 3 Vitam morte comparantur. — 6 b, 1 Vox caelestis.

334. De s. Valeria Lemovicensi.

1. Valeria,
martyr beata,

2 a. Caeli triumphat
in curia,

2 b. Diademate
redimita,

3 a. Duplici praefulgens
vitae stola,
Peperit quam ei
beatorum
meritorum copia,

3 b. Dum carne vel mente
virgo pura
Permansit et martyr
est effecta
sanguine laureata.

4 a. Quam beata
huius sollemnia,
per quam tota floruit
Aquitania
Regenerata.

4 b. Signa namque
populis per eam
sunt demonstrata,
terribilia
Et inaudita.

5 a. Armigero subitam
praescia
mortem diram
dixit adfuturam.

5 b. Angelus aetherea
roborat
hanc ab aula
ad victricem palmam.

6 a. Caesa mox framea
stat erecta,
Christo subnixa,

6 b. Caput angelicum
fert levatum
inter brachia.

7 a. Dura marmoris natura
sub sacro pede
virginis fit cerea,

7 b. Et vestigia impressa
dant indicia,
quanta sit Valeria.

8 a. Cuius anima sancta
fertur in astra
angelorum per obsequia
laude canora.

8 b. Cernens gentium turba
haec tam stupenda,
Christo colla sua superba
dedit devicta.

9 a. Aquitania,
cum duce tota
dealbata
salutis unda,

9 b. Nova cantica
psallit devota
propulsata
idolatria,

10. Cantans Hebraeum Alleluia.

Collectan. ms. Martialense saec. [12.] 13. [14.] Cod. Parisin. 1139. A. — Miss. Lemovicense imp. Parisiis 1483. B. — Miss. b. Stephani Lemovicensis imp. Lemovicis 1537. C. — 2 a, 4 sq. meritorum beatorum BC. — 4 b, 4 minus A. — 4 b, 5 Quam inaudita A. — 5 a, 2 bis Schlufs fehlt A. — 8 b, 4 dedit deviantia BC.

335. De sancta Venera.

1 a. Martyris egregiae
Venerae victoriae
Agitur memoria.

1 b. Martyr et virgo fuit;
Triumphum qui praebuit,
Regi laus et gloria.

2 a. A Deo parentibus
Pro prole precantibus
Venera conceditur;

2 b. Ideo precantium
Prolem non habentium
Adiutrix dinoscitur.

3 a. Nominatur Venera,
Nam nascitur re vera
Veneris una die.

3 b. Baptizata parvula
Adamatrix sedula
Fuit abstinentiae.

4 a. Dona sancti spiritus
Suscepit divinitus
Linguis loquens variis.

4 b. Praedicavit gentibus
Imponens regnis tribus
Fidem destructis diis.

5 a. Coram rege ducitur
Et de fide quaeritur,
Tunc ait christicola:

5 b. „Deum verum astruo,
Deos tuos respuo,
Non deos, sed idola“.

6 a. Tunc scissa sunt ubera
Eius et per verbera
Traditur in carcere;

6 b. Sed ut sol resplenduit
Atque sanata fuit
Mamillarum vulnere.

7 a. Tunc datur incendio;
Angeli solacio
Nihil ei nocuit.

7 b. Et rex pronus cecidit,
Cum populo credidit
Et baptizatus fuit.

8 a. Patria deseritur,
Alter rex convertitur
Draconis interitu.

8 b. Post pergit ad tertium,
Iussu cuius ignium
Devicto perterritu

9 a. Haec decollata fuit,
Sed caput disparuit,
Et haec est ad gaudia.

9 b. Prece nos custodiat,
Et Deus nos faciat
Heredes in gloria.

Collectan. ms. S. Petri Vivi Senonensis anni 1293. Cod. Parisin. Nouv. acq. 311, mit der Bezeichnung „Prosa“.

336. De s. Victore Archiacensi.

1 a. Canat chorus et ad caelos
Ferat nostrum dulce melos
Victoris memoria.

1 b. Magis autem Deum laudent,
Qui de sancta eius gaudent
Et dulci praesentia.

2 a. In commune laus ducatur,
Nam communi exsultatur
Decore et gratia;

2 b. Una nostra et sanctorum
Exstat causa gaudiorum,
Etsi dispar copia.

3 a. Est sanctorum Victor unus,
Sed partitum nobis munus
Cum superna patria;

3 b. Nobis sacrum corpus cessit,
Illis illa, quae praecessit,
Vitalis substantia.

4 a. Honoremus, quod habemus,
Prosequantur, quo caremus,
Vocum ministeria.

4 b. Vota voces subsequantur,
Sursum corda rapiantur
Ad caeli palatia.

5 a. Illic enim tibi, Christe,
Confitetur Victor iste
Pro sua victoria.

5 b. Ibi, ibi pausat sibi,
Ubi dicunt laudes tibi
Angelorum milia.

6 a. Quam beatus ille homo,
Qui in laeta Dei domo
Laeta captans praemia

6 b. Domum istam gaudiorum
Et laetantem illum chorum
Implevit laetitia!

7 a. Quantum decus sanctitatis
Introisset, probat satis
Exsultans familia,

7 b. Arbitrata fore decens
Aliquid addendum recens
Ad sua sollemnia.

8 a. Quis enarret, quam festive
Veniente tanto cive
Plausit illa curia?

8 b. Quantus hic est, qui supernis
Festis simul et aeternis
Nova miscet gaudia?

9 a. Hic est ille, qui et ante
Puritatis erat tantae,
Ut mentis potentia

9 b. Sensus carnis transiliret,
Caelos sibi aperiret,
Videret magnalia.

10 a. Inde notus civibus,
Inde gratus omnibus,
Tam carus ad gratiam
Quam clarus ad gloriam.

10 b. Serenus ad gaudia,
Sincerus ad merita,
Celsus ad potentiam,
Promptus ad victoriam.

11 a. Non de vite sed de fonte
Novo rerum ordine
Traxit vina vis divina
Colorato flumine.

11 b. Verbum Christi decoratur,
Huius sancti lumine
Servus Christi honoratur
Pro similitudine.

12 a. Sed vis ipsa quasi vite
Est Victoris usa fide
Et manu pro germine.

12 b. Cur non mutet fides fontem,
Quae iubendo movet montem
A summo fundamine?

13 a. Nota est devotio,
Impleta promissio,
Una operatio,

13 b. Absoluta veritas,
Manifesta sanctitas,
Admiranda novitas.

14 a. Haec, dum solem hunc spectabat
Et infernis iam micabat,
Lux latere nescia,

14 b. Haec dum lucem hanc captabat,
Et inferna fulminabat,
Torquebat daemonia.

15 a. Matris de visceribus
Imminebat hostibus
Victrix innocentia.

15 b. Inde nomen indidit,
Cum se victam prodidit
Carnalis nequitia.

16 a. Quid significantius
Quove posset dignius
Censeri vocabulo?

16 b. Qui non norat vivere,
Poterat iam vincere;
Res stupenda saeculo!

17 a. Gloriosus Victor ille
Et coronis dignus mille,
Dignus omni gloria.

17 b. Victor vitam hanc ingressus,
Victor aeque est egressus
Subacta militia.

18 a. Victor mundi, victor sui,
Victor ab infantia,
Rapit demum caeli regnum
Et sic vicit omnia.

18 b. Iesu bone, tu coronae,
Tu dator . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Epist. ms. S. Mariae de Claro Marisco saec. 13. Cod. Audomaren. 317. — 5 a, 2 Confitentur. — 11 b, 3 decoratur. — 14 a, 1 Nec dum. — 14 b, 1 Nec dum. — 18 b, 2 Ende der Handschrift. Dieselbe enthält die Briefe des H. Bernhard und zu diesem Gedichte die Bemerkung: „Sanctus Bernardus de sancto Victore". Das Gedicht ist Haureau unbekannt geblieben. Die Abschrift dieses Stückes verdanke ich der Liebenswürdigkeit meines Freundes Dr. Alfred Holder.

337. De s. Victore Massiliensi.

1 a. Exsultet ecclesia
Ex Victoris victoria,

1 b. Nos, eius familia,
Maxime laetemur una.

2 a. Nunc recensentes succincte
voce consona
eius magnalia,

2 b. Primo pangendo in eius
reverentia
mente purissima.

3 a. Salve, Victor, miles Christi,
magna nostra fiducia,

3 b. Inter proceres Domini
nobilissime athleta.

4 a. Christum, regem regum omnium,
secutus es arcta via,

4 b. Tui salvatoris ad instar
multa ferens martyria.

5 a. Quinque inter alia
fuerunt talia:

5 b. Constricta pertractio,
trina suspensio,

6 a. Dira pedis plexio,
molarum contritio,

6 b. Capitisque sectio
corpore mari dato.

7 a. Mox scandisti aethra
sic intonante

7 b. Voce divina:
vicisti, beate.

8 a. Quod mors pretiosa probat
et quinquaginta plus quam
miracula,

8 b. Vere tribus libris scripta,
hic quattuor mortuis
data vita.

9 a. O pater pie,
istam serva cohortem,

9 b. Rege et tuae
fac gloriae consortem.

Miss. S. Victoris Parisiensis imp. Parisiis 1529. — 4 a, 2 est.

338. De s. Victore Thebaeo.

1 a. Vincat mentes, vincat mundum
Et repellat cor immundum
Victoris praesentia,

1 b. Amor vitae, sapor mundi
Evanescat in iucundi
Martyris memoria.

2 a. Docet esse nos victores,
Et invitat ad vigores
Victoris victoria.

2 b. Vicit enim mundi nexus,
Ut veniret ad amplexus
Christi per martyria.

3 a. Hic iam tota legione
Coronata passione
Cum duce Mauritio

3 b. Loca caedis et sanctorum
Videns gemit beatorum
Deesse consortio.

4 a. Mensas currit ad hostiles
Et accusat cibos viles
Profano convivio;

4 b. Invitatus indignatur
Et convivas detestatur
Clamans cum suspirio:

5 a. Quam damnosa mortis hora,
Gloriosa brevi mora
Quae sic aufert tempora!

5 b. Qui tot annis militavi,
Neque sancta consummavi
Dies inter corpora.

6 a. Vallat turba profanorum
Conquerentem electorum
Subtrahi martyrio;

6 b. Dum vallatur, imperatur
Respondere, quem sincere
Colat, coram gladio.

7 a. Veteranus iuvenescit,
Frigens aetas frigus nescit
Sub calore pectoris;

7 b. Fervet fides, fervet pectus,
Clamat amor et affectus
Toto nisu corporis:

8 a. Quem adoro, quem exoro,
Christus, regum rex et legum
Conditor egregius,

8 b. Longam moram mortis horam
Restaurabit, mori dabit
Cum beatis gratius.

9 a. Vota, preces Christus audit
Haec, loquentis colla claudit
Percussoris gladius.

9 b. Fidus comes legionis
Migrat martyr, passionis
Et coronae socius.

10 a. Victor vitae, victor mundi,
Victor hostis furibundi,
Mortis vincens taedia,

10 b. Vince mentes, corda munda,
Lacrimarum mundans unda
Nostra vince vitia.

Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Parisin. 880. 2. A. — Miss. ms. Senonense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Pessulan. 71. B. — Sequent. ms. Gallicum anni 1585 87. Cod. Classen. 360 (139. 5. S). C. — Missale Senonense imp. Parisiis 1543. D. — Missale Senonense imp. Senonibus 1556. E. — Missale Senonense imp. Senonibus 1575. F.

1 b, 2 Evanescit C. — Str. 2a fehlt. C. — 2 a, 2 Ut invitat ABDEF. — 2 a, 3 memoria ADEF. — 3 a, 1 Hic de tota C. — 3 a, 2 Corona A. — 5 a, 1 damnose BCDEF. — 5 a, 2 gloriose ABCDF; gloriosae E. — 5 b, 1 militavit C. — 5 b, 2 Neque facta B; consummavit C. — 6 a, 1 turba prophetarum C. — 6 b, 2 quam C. — 9 a, 2 Et loquentis EF; colla plaudit C.

339. De sancto Vincentio.

1. Stola felicitatis,
Alleluia,

2 a. Exornat
hodie Dominus
martyrem suum
Vincentium.

2 b. Recolat
dignis cum laudibus
chorus hic eius
martyrium.

3 a. Hodie trucem tyrannum
invictus
martyr Vincentius vicit.

3 b. Hodie vitae praemium
suscepit,
qui legitime certavit.

4 a. Patienter hic catenas
Et horrorem carceris

4 b. Sustinuit atque poenas
Famis et itineris.

5 a. Sed haec eum fortiorem
Reddunt atque laetiorem
Conservante Domino.

5 b. Quod cum videt Dacianus,
Prae dolore fit insanus
Aestuans in animo.

6 a. Valerium relegari,
Vincentium reservari
Praecepit suppliciis,

6 b. Donec eum per tormenta
Nulli prius adinventa
Subigat imperiis.

7 a. Eculeus mox paratur,
Ad quem martyr adplicatur,
Gaudens fert supplicia,
Plenus Dei gratia,

7 b. Dicens: hoc est, quod optavi,
Pro quo Deo supplicavi,
Ad aeterna gaudia
Tendo per supplicia.

8 a. Dacianus frendet dente,
Voce clamat, furit mente,
Et, quoniam vincitur,
Victis non irascitur.

8 b. Cessat tortor fatigatus,
Sanguis per utrumque latus
Fluit ex visceribus
Solutis compagibus.

9 a. Assumptum eculeo
Lecto ponunt ferreo,

9 b. Carbones subiciunt
Et furcas adiciunt.

10 a. Haec perfert laetissimus
Athleta fortissimus,

10 b. Agens Deo gratias
Propter tot iniurias.

11 a. Quod cum videt Dacianus,
Clamat servis: cessent manus,

11 b. Mollem parate lectulum,
Quo requiescat paululum.

12 a. Martyr, ut lecto ponitur,
Iam in mortem resolvitur.

12 b. Huius nobis prece pia
Det Christus vera gaudia.

Missale Abrincense imp. Rotomagi 1505. — 3a, 2 sq. martyr invictus. — Mel.: Stola iucunditatis (am Schlufs erweitert).

340. De sancto Vitono.

1. Laudes dignas decantemus
Et cantantes imploremus
Vitoni praesidium.

2a. Hac in die subit mortem,
Immo nostram mutans sortem
Consors fit caelestium.

2b. Vere dies haec natalis,
Qua natus est immortalis
De sorte mortalium.

3a. Hic in nostrae carnis domo
Extra carnem vixit homo
Carnis vitans vitia.

3b. Ergo digne vir dignus rapitur
Et Virduno praesul praeficitur,
Vernat patre patria.

4a. Praesul studet plus prodesse,
Quibus praeest, quam praecesse,
Non adplaudit nomini;

4b. Fert honoris onera,
Subditorum pondera,
Curam gregis Domini.

5a. Oves servat et tuetur,
Nil extorquet, sed torquetur,
Si quis quidquam rapiat.

5b. Oves amat, nullam spernit,
Si deesse solam cernit,
Quaerit, dum inveniat.

6a. Constitutus Dei genti
Servus prudens huic frumenti
Mensuram distribuit.

6b. Seges verbi pabulum;
Verbis urbis populum
Bonus pastor imbuit.

7a. Sunt regentis duae viae,
Modo Rachel modo Liae
Imitatur studia:

7b. Operatur de talento,
Refert illud sub augmento,
Pro simplo duplicia.

8a. Sancti viri fama claret,
Non latet lux, sed apparet
Candelabro posita.

8b. Signis fulget inclitus,
Vita, morte cognitus
Operum per merita.

9a. Dente, flatu urbs clarorum
Mortem luxit haec suorum
Serpentis malitia;

9b. Stola serpens hic ligatur
Per Vitonum, morti datur
In plebis praesentia.

10a. Dat leprosum sanitati,
Caecum lucis claritati,
Pandit gressus novitati
Claudus spreto baculo.

10b. Tria tribus dat aegrotis,
Aegri duo sunt de notis,
Claudus venit a remotis
Aselli vehiculo.

11a. Sub fervore siccitatis
Olim laesis terrae satis,
Multis multum perturbatis
Caloris molestia,

11b. Fertur sanctus, calor cedit,
Quasi iussus mox recedit,
Humus in humorem redit
Pluviarum copia.

12a. O rex regum, rex insignis,
Servum tuum sic insignis,
Prece sua de indignis
Redde dignos et da dignis
Dona sanctae patriae.

12b. Ut donati vitae dono,
Assistentes tuo throno,
Te laudemus cum Vitono.
Intonantes dulci tono
Hymnos tuae gloriae.

Grad. ms. S. Vitoni saec. 15. Cod. Virdunen. 100. A. — Miss. ms. Virdunense saec. 15/16. Cod. Virdunen. 99. B. — 2a, 2 mittas sortem A. — 6a, 2 hinc frumenti A. — 10b, 2 sunt devotis. — Mel.: Laudes crucis.

IV.

COMMUNE SANCTORUM.

341. De sanctis Angelis.

1 a. Felix dies, qua sanctorum
Celebrantur [angelorum]
Festiva sollemnia.

1 b. Michaelem veneremur
Et in Deo gloriemur
Pro sua victoria.

2 a. Paranymphum Gabrielem
Et medicum Raphaelem
Laudemus cum gaudio,

2 b. Sed et cunctis caelestibus
Iubilemus spiritibus
In Dei obsequio.

3 a. Quam felix illa civitas,
In qua iugis sollemnitas
Supernorum civium!

3 b. Nos ad eorum gaudia
Per ipsorum suffragia
Ducat rex caelestium.

Miss. Martini Turonensis imp. Parisiis 1529. — 2 b, 3 Deo.

342. De sanctis Angelis.

1 a. Mens et vox fidelium
Virtutum caelestium
Exsultet memoria,

1 b. Primo laudans Dominum,
De quo novem ordinum
Tota pendet gloria.

2 a. Novem quidem ordines
Sunt, ad quorum homines
Aspirant consortium.

2 b. Digni sunt praeconio,
De quorum consortio
Nos speramus gaudium

3 a. Hi novem sunt angeli,
Virtutes, archangeli,
Principatus, Cherubim,

3 b. Dominationibus,
Thronis, potestatibus
Adiunctis cum Seraphim.

4 a. Michael pacificus
Raphaelque medicus
Atque fortis Gabriel,

4 b. Quorum scimus nomina,
Nostra tegant crimina
Pariter et Uriel.

5 a. Hic felix exercitus
Igne sancti spiritus
Ardere non desinit,

5 b. Ante thronum Domini
Laudes eius numini
Sine fine concinit.

6 a. O beata contio,
Regnans sine taedio
Tantis in deliciis,

6 b. Quos amor inebriat,
Dei vultus satiat
Indefessis gaudiis.

7 a. Ore pleno capiunt,
Quod gustare cupiunt
Tendentes ad patriam;

7 b. Et quod nos per speculum,
Limpidum per oculum
Cernunt, Dei gloriam.

8 a. Cives tantae gloriae,
Qui de fonte gratiae
Hauritis cum gaudio,

8 b. Opem ferte miseris
In huius itineris
Afflictis exsilio.

9 a. Nobis peccatoribus
Vestris date precibus,
Ut post haec exsilia

9 b. Vestro iuncti coetui
Mereamur perfrui
Perenni laetitia.

Miss. Baiocense imp. s. l. [Rotomagi] 1545.

343. „De beatis Patriarchis."

1 a. Ecclesia
per mundi climata
voce psallat nectarea,

1 b. Magnalia
Domini personans
caelo terrisque cognita.

2 a. Qui Abraham,
fide praeditum praeclara,
multiplici [germine]
ditavit, de qua postea
gens processit innumera.

2 b. O beata
senis huius genitura,
Deo digna et grata,
quae ab eo benedicta
gloriatur per saecula.

3 a. Credit Abraham,
quod erit patriarcha;
sed anus non sic,
quod sit paritura,
cum Deus possit omnia.

3 b. Senex fidus,
prima credendi via,
credit promissa
protinus divina,
mox auctus una sillaba.

4 a. Fit patriarcha
gignens Isaac
ex sterili Sara,

4 b. Ex quo Rebecca
duos enixa
gaudet ampliata.

5 a. Haec proles sancta,
de qua Maria
postmodum est nata,
virgo beata,

5 b. Ex qua est orta
proles deica,
redemptio nostra,
cunctorum vita.

6 a. Nam de tribu Iuda,
stirpe´praeclara
David regis inclita

6 b. Exiit virga, flos
cuius plus quam lilia,
redolet sive rosa.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1606. — 3 b, 1 sidus. — 4 a, 2 gigneus. — 6 b, 3 sine.

344. De sanctis Evangelistis.

1 a. Quattuor sunt uni alae
Faciei; idem quale
Namque cunctis
est dictum atque aequale.

1 b. Cum vadunt, non revertuntur
Coram se haec gradiuntur,
Quo spiritus
perflat, illuc feruntur.

2 a. Iohannes in aquilina,
Quia volat ad divina,
Forma Lucas in bovina,
In quo Christus hostia,

2 b. Matthaeus est in humana,
Tractans hominis arcana,
Marcus leo, christiana
Quo fertur victoria.

3 a. Haec pedes rectos
Sursum erectos
In Deum gressus directos
Habent animalia.

3 b. Aeris scintillas
Spirant pusillas,
Accendunt corda per illas
Munda, plena gratia.

4 a. Pro nobis Christum oblatum,
Deum verum humanatum,
Carnem factum, passum, natum
Scribunt in concordia.

4 b. Haec velint nos adiuvare,
Quae student semper orare,
Non cessant Deum laudare
Ter Sanctus clamantia.

Miss. ms. Senonense saec. 15. Cod. Parisin. 880. 2. A. — Miss. ms. Senonense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Pessulan. 71. B. — Missale Senonense imp. Parisiis 1543. C. — Missale Senonense imp. Senonibus 1556. D. — Missale Senonense imp. Senonibus 1575. E.

1 a, 2 sq. Faciesque nam idem et cunctis quale et dictum est aequale ABCDE. Da diese jedenfalls verderbte Überlieferung jeden Sinn ausschliefst und allen Rhythmus zerstört, mufste der Versuch einer Verbesserung gewagt werden. — 4 b, 3 Incessanter Deum ADE.

345. De uno Martyre.

1 a. Ad agonem animemur
Et exemplo provocemur
Huius sancti martyris,

1 b. Qui tyranni blandimenta
Sprevit simul et tormenta
Horroremque carceris.

2 a. Intus ardens caritate,
Foris lucens sanctitate
Signis et miraculis,

2 b. Plures Deo lucrifecit
Et sequaces eius fecit
Confractis lagunculis.

3 a. Ob hoc poenis est diversis
Laceratus a perversis,
Sed in caeli curia

3 b. Ipsum Christus praemiavit
Et honore coronavit
In perenni gloria.

4 a. Igitur hunc veneremur
Et ad Dominum precemur
Clamantes: Iesu bone,

4 a. Hic nos ure, hic nos seca,
Huius sancti nos coaequa
Passionis coronae.

Missale Redonense imp. Parisiis 1492. A. — Missale Tullense imp. Parisiis 1507. B. — Missale Tullense imp. Parisiis 1517. C. — Missale Redonense imp. Parisiis 1533. D. — Missale Tullense imp. Parisiis 1537. E. — Missale Traiectense imp. Antwerpiae 1540. F. — 4 a, 2 Et fehlt AD; deprecemur ADE. — 4 b, 3 Passioni et BDE.

346. De uno Martyre.

1 a. Hodiernae lux diei
Celebris martyris Dei
Praesentat sollemnia.

1 b. Laudemus regem gloriae
Per quem habet victoriae
Martyr Christi praemia.

2 a. Corporeis spretis poenis,
Spreta simul cum terrenis
Tyranni saevitia,

2 b. Firmum per te fundamentum
Habens intrat per tormentum
Ad caeli palatia.

3 a. Armis praecinctus divinis
Nec terrore neque minis
Victus nec blanditia,

3 b. Passione sua tutus
Salvatoris assecutus
Est Christi vestigia.

4 a. Hic amator paupertatis,
Non terrenae dignitatis
Quaesivit dominia,

4 b. Infra caeli regionem
Recepit hic portionem
Et vitam in patria.

5 a. Precamur te, Iesu Christe,
Ut fugata mundi peste
Perducas nos ad gaudia

5 b. Caeli, quibus martyr iste
Devicto crudeli hoste
Perfruitur in gloria.

Missale Carnotense imp. Carnuti 1482. A. — Missale Andegavense imp. [Parisiis] 1489. B. — Manuale Briocense imp. s. l. et a. [1506]. C. — Missale Andegavense imp. Rotomagi 1523. D. — Missale Meldense imp. Lutetiae 1556. E. —

1b, 1 regum D. — 1b, 3 praeconia A—E. — 3b, 1 sua tritus DE. — Nach Str. 3b schieben BCD folgende Halbstrophe ein:

Felix martyr usque quaque
Vita clarus in utraque
Dignitatis gratia.

Da die Stammsequenz nur fünf Strophen hat, mufs diese Halbstrophe als unecht angesehen werden. — 4a, 3 dominium BCDE. — 5b, 3 in fehlt C. — Melodie: Hodiernae lux diei.

347. De uno Episcopo Martyre.

1 a. Laus Deo per omnia,
Qui fugere vitia
Dedit sancto tali

1 b. Et tot mirabilia
Sorte per confinia
Fecit non aequali.

2 a. Tyrannum superavit,
Sudores irroravit
Guttarum sanguinis,

2 b. Ensem non trepidavit
A fide nec erravit
Vice certaminis.

3 a. Parato eloquio
Gratias egit Deo
Contemplando caelum;

3 b. Audax fuit ut leo,
Tormentorum ab eo
Non timuit prelum.

4 a. Propter fustes ferreos
Fateri plures deos
Constare nolebat,

4 b. Sed satellites reos
Deprimendo sic eos
Fallere dicebat.

5 a. Amor sancti spiritus
Illaesum divinitus
Fecit evadere,

5 b. Semper vixit caelitus
Nec aliquis funditus
Potuit laedere.

6 a. Omnes una laudemus
Deum, cui cantemus
Per voces varias:

6 b. Venite exsultemus,
Domino iubilemus
Et Deo gratias.

Miss. Redonense imp. Parisiis 1492. A. — Missale Redonense imp. Parisiis 1533. B. — 2b, 1 dubitavit B. — 3b, 3 proelium B.

348. De Confessore Pontifice.

1 a. Ad honorem salvatoris
Laudes huius confessoris
Nostra promat contio,

1 b. Cuius mores et sermones
Plures fecere tirones
In Dei servitio.

2 a. Hic cum hoste triplici
Congressu multiplici
Usus est remedio;

2 b. Nam carnem inediis
Domans et vigiliis
Vicit et ieiunio.

3 a. Mundum sprevit fugiendo,
Pompas eius contemnendo
Cum suis illecebris,

3 b. Daemonesque ieiunando
Effugavit et orando,
Factus inde celebris.

4 a. Is operum exsecutor
Pauperumque miserator,
Pius fuit baiulus.

4 b. Maerentium consolator
Et claudorum sustentator,
Caecis fuit oculus.

5 a. Huius, quaesumus, meritis
Tuam nobis immeritis,
Bone Iesu, da gratiam

5 b. Et, quae tibi sunt placita,
Faciendo per merita
Tuam nobis da gloriam.

Miss. Redonense imp. Parisiis 1492. A. — Miss. Bituricense imp. Parisiis 1522. B. — Miss. Redonense imp. Parisiis 1533. C. — 4a, 1 His AB. — 5b, 1 Ut BC. — 5b, 3 dat C.

349. In festo ss. Praesulum Eduensium.

1 a. Psallat Aedua nobilis,
Psallat sospes et debilis
Praesulum praeconia,

1 b. Psallat chorus sanctis Ave,
Psallat aliquid suave
Et plenum melodia.

2 a. Nostros patres honoremus,
Honorando praedicemus
Meritorum praemia,

2 b. Ratione praesulatus
His debetur famulatus,
Honor, reverentia.

3 a. Ut imago trinitatis
Sub nomine sanctitatis
Exhibetur dulia,

3 b. Ergo clerus cum populo
Horum patrum cum modulo
Recolat festalia.

4 a. Patres nostri
exstiterunt cura,
Patres nostri
regeneratura,
Patres, nos familia;

4 b. Patres nostri
in verbi doctrina,
Patres nostri
morum disciplina,
Patres providentia.

5 a. Patres nostri
mira sanctitate,
Patres nostri
summa dignitate,
Patres Dei gratia;

5 b. Patres nostri
quia profuerunt,
Patres nostri,
quia praefuerunt
In ista ecclesia.

6 a. Hi nos fidem docuerunt
Et in Christo instruxerunt
Omni diligentia,

6 b. A peccatis nos laverunt,
Cum nos regeneraverunt
Baptismatis gratia.

7 a. Ipsos ergo collaudemus
Et ut patres invocemus
Ad nostra auxilia,

7 b. Supplicando corde mundo,
Ut exutos ab hoc mundo
Ducant ad caelestia.

8 a. Et degentes in hoc mari
Non sinant periclitari
Nec pati naufragia,

8 b. Sed post maris huius cursum
Nos ad caelos ducant sursum,
Ubi pax et gloria.

Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 115. A. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 117. B. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 119. C. — Miss. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 123. D. — Miss. ms. Eduense saec. 15. ex. Cod. Semin. Eduen. 124. E. — Missale Eduense imp. Parisiis 1493. F. — Cfr. Pellechet l. c., p. 444 sq.

350. De qualibet virgine.

1 a. Deo nostro noster chorus
Sit devotus et canorus
Genovefae sit placorus
Et grata praeconia.

1 b. Genovefam venerantes,
Laudes eius frequentantes
Decet esse sic laetantes
Nos in eius gloria,

2 a. Ut virtutes, quas laudamus
In eadem, diligamus
Et sic nobis acquiramus
Harum participium.

2 b. Sponsa Christi praeelecta,
Nobis autem praedilecta,
Nostra prava fac directa
Tuum per suffragium.

3 a. Vas eximii decoris,
Plenum oleo viroris,
Flos candoris et odoris
Perennis vernantiae,

3 b. Sacris caeli iuncta choris
Et iam sponsi fruens thoris
Tui gregis cunctis horis
Adesto custodiae.

4 a. Sponso tuo famulantes
Et ad eum suspirantes
Et huic per te supplicantes
Provehas assidue.

4 b. In hoc mundo laborantes,
In hoc mari fluctuantes
Iamiamque periclitantes
In tuto constitue.

Pros. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 57. A. — Miss. Claromontense atque S. Flori imp. Lugduni 1541. B. — 1 a, 3 ut placorus A; sonorus B. — 1 a, 4 gratra A. — 3 b, 1 chori AB. — 3 b, 2 sponsa fovens B; thori AB. — 4 a, 3 hunc B. — 4 b, 3 Iam periclitantes B. — Mel.: Verbum bonum (mit Wiederholung des Schlusses).

Nachträge und Berichtigungen.

Seite 6, Z. 27 ff. — Der Prozentsatz jener Sequenzen im vorliegenden Bande, die vor dem 15. Jahrhundert entstanden sind, ist zu niedrig angesetzt. Nach genauer Zählung fand ich, dafs 71 Sequenzen solchen Quellen entnommen wurden, die wir dem 14., 13. oder einem noch früheren Jahrhundert verdanken.

Seite 7, Z. 1 v. u.: L. Gratuletur st. Grataletur.

Seite 11, Z. 5 v. u. ff.: Betreffs der Prosen von Clermont und St. Flour sei noch bemerkt, dafs auf der Bibl. d'Arsénal zu Paris sich ein „Ordo Missalis sec. consuetudinem ecclesiae Claromontensis ac. s. Flori . . . imp. Venetiis 1492“ vorfindet. Dieses Missale enthält jedoch nur Sequenzenköpfe mit der Note: „Prosa in choro“ oder „Prosa in pulpito.“

Nr. 107. 1 a, 4 L. Conditor alme st. Conditor alma.

Nr. 170 sollte nach Nr. 100 stehen.

Inhalts-Übersicht.

A. Real-Index.

I. De Tempore.

Nr.		Seite	Nr.		Seite
1.	In Adventu Domini	15	16.	De miraculo s. Sanguinis .	25
2.	In Adventu Domini	15	17.	In Transfiguratione Domini.	26
3.	In Adventu Domini	16	18.	In Transfiguratione Domini.	26
4.	In Adventu Domini	17	19.	In Transfiguratione Domini.	27
5.	In Adventu Domini	17	20.	In Resurrectione Domini . .	28
6.	In Nativitate Domini . . .	18	21.	In Resurrectione Domini . .	28
7.	In Nativitate Domini . . .	18	22.	In Resurrectione Domini . .	29
8.	In Circumcisione Domini. .	19	23.	De Corpore Christi	30
9.	De Cruce Domini	20	24.	De sancto Spiritu	30
10.	In Inventione s. Crucis . .	21	25.	Die Dominica	31
11.	In Exaltatione s. Crucis . .	23	26.	De Die Dominica	32
12.	De Corona spinea	23	27.	De Die Dominica	33
13.	In Translatione s. Coronae.	24	28.	In Comm. Defunctorum . .	33
14.	De V Plagis Christi	24	29.	Pro peste evitanda	34
15.	De V Plagis Domini . . .	25	30.	Contra pestem	35

II. De Beata.

Nr.	Seite
31—34. In Conceptione Beatae M. V	39—42
35. In Annuntiatione Beatae M. V	42
36 u. 37. In Purificatione Beatae M. V	43 u. 44
38—40. In Visitatione Beatae M. V	45—47
41 a u. 41 b. De Compassione Beatae M. V	47 u. 48
42 u. 43. In Assumptione Beatae M. V	48 u. 49
44 u. 45. Infra Octavam Assumptionis B. M. V	49 u. 50
46—84. De Beata Maria Virgine	51—76

III. De Sanctis.

Nr.		Seite	Nr.		Seite
85.	De omnibus Sanctis	79	90.	De s. Adiutore	83
86.	De omnibus Sanctis	80	91.	De s. Adriano	84
87.	De omnibus Sanctis	80	92.	De s. Aegidio.	85
88.	De omnibus Sanctis	82	93.	De s. Aegidio.	86
89.	De s. Achatio.	83	94.	De s. Aegidio.	87

Nr.		Seite
95.	De s. Aemiliano	87
96.	De s. Affrodosio	89
97.	De s. Agapito	90
98.	De s. Agnete	91
99.	De s. Agnete	92
100.	De ss. Agricola et Vitale	92
101.	De s. Anatolio	93
102.	De s. Anatolio	93
103.	De ss. Andochio, Thyrso	94
104.	De s. Andrea	95
105.	De s. Andrea	95
106.	In Transl. s. Andreae	96
107.	De s. Angelo Custode	97
108.	De s. Aniano	97
109.	De s. Anna	99
110.	De s. Anna	99
111.	De s. Anna	100
112.	De s. Anna	101
113.	De s. Anna	101
114.	De s. Anna	103
115.	De s. Antonino	104
116.	De s. Armagilo	105
117.	De s. Audomaro	105
118.	De s. Augustino	106
119.	De s. Austremonio	107
120.	De s. Barbara	107
121.	De s. Barbara	108
122.	De s. Barbara	109
123.	De s. Barbara	109
124.	De s. Barbara	110
125.	De s. Barbara	111
126.	De s. Barbara	113
127.	De s. Barbara	113
128.	De s. Balthilde	114
129.	De s. Balthilde	115
130.	De s. Balthilde	116
131.	De s. Balthilde	117
132.	De s. Benedicto	118
133.	De s. Benigno	119
134.	De s. Bernardo	120
135.	De s. Bertha	121
136.	De s. Bertilla	121
137.	De s. Bertuino	122
138.	De s. Blasio	123
139.	De s. Blasio	123
140.	De s. Bonito	124
141.	De s. Briocio	125
142.	De s. Cassiano Eduen	126
143.	De s. Christophoro	127
144.	De s. Claudio	128
145.	De s. Claudio	129
146.	De ss. Cosma et Damiano	130
147.	De ss. Cosma et Damiano	131
148.	De s. Desiderio	132
149.	De s. Dominico	132
150.	De s. Euchario	133
151.	De. s Eutropio	134
152.	De s. Evurtio	134
153.	De s. Exsuperio	135
154.	De s. Exsuperio	136
155.	De s. Ferreolo	137
156.	De s. Ferreolo	138
157.	De s. Fide	139
158.	De s. Florentia	140
159.	De s. Florentio	141
160.	De s. Gatiano	142
161.	De s. Gaucherio	142
162.	De s. Gaugerico	143
163.	De s. Genovefa	143
164.	De s. Genovefa	144
165.	De s. Georgio	146
166.	De s. Georgio	146
167.	De s. Georgio	147
168.	De s. Georgio	147
169.	De s. Germano	149
170.	De s. Albano	151
171.	De s. Geroboldo	152
172.	De ss. Gervasio et Protasio	153
173.	De ss. Gervasio et Protasio	154
174.	De ss. Gervasio et Protasio	155
175.	De s. Godone	156
176.	De s. Golvino	156
177.	De s. Gregorio	158
178.	De s. Guilelmo Pictavien.	158
179.	De s. Gûilermo	159
180.	De s. Hieronymo	160
181.	De s. Hieronymo	161
182.	De s. Hilario	162
183.	De s. Hildeverto	163
184.	De s. Iacobo	165
185.	De s. Iacobo	167
186.	De s. Iacobo	167
187.	De s. Iacobo	168
188.	De ss. Innocentibus	169
189.	De ss. Innocentibus	170
190.	De s. Iohanne Baptista	171
191.	De s. Iohanne Baptista	171
192.	De s. Iohanne Baptista	172
193.	De s. Iohanne Baptista	173
194.	De s. Iohanne Baptista	173
195.	De s. Iohanne Baptista	174
196.	In Decollatione s. Ioh. Bapt.	175

Nr.		Seite
197.	In Decollatione s. Ioh. Bapt.	176
198.	De s. Iohanne Evangelista	176
199.	De s. Iohanne Evangelista	178
200.	De s. Iohanne Evangelista	179
201.	De s. Iohanne Evangelista	179
202.	In s. Iohannis ante Portam	180
203.	De s. Ismidone	181
204.	De s. Iterio	182
205.	De s. Iuliano Brivaten	183
206.	De s. Iuliano Cenomanen	184
207.	De s. Iuliano Cenomanen	184
208.	De s. Iusto	185
209.	De s. Ivone	186
210.	De s. Ivone	187
211.	De s. Ivone	187
212.	De s. Ivone	188
213.	De s. Ivone	189
214.	De s. Katharina	190
215.	De s. Katharina	191
216.	De s. Katharina	192
217.	De s. Katharina	192
218.	De s. Katharina	193
219.	De s. Katharina	194
220.	De s. Katharina	196
221.	De s. Katharina	196
222.	De s. Katharina Senensi	197
223.	De s. Laudo	198
224.	De s. Laudo	199
225.	De s. Laurentio	200
226.	In Revelatione s. Lazari	201
227.	In Translatione s. Lazari	202
228.	De s. Leobino	203
229.	De s. Leone Baionensi	204
230.	De s. Leonhardo	205
231.	De s. Leonhardo	205
232.	De s. Leontio	206
233.	De s. Licinio	207
234.	De s. Lucia	208
235.	De s. Lucia	209
236.	De s. Lucia	209
237.	De s. Luciano	210
238.	In Translatione s. Luciani	211
239.	De s. Ludovico Rege	211
240.	De s. Ludovico Rege	212
241.	De s. Lupo Baiocensi	213
242.	De s. Lupo Baiocensi	214
243.	De s. Lupo Senonensi	214
244.	De s. Lupo Trecensi	216
245.	De s. Maclovio	217
246.	De s. Magnobodo	218
247.	De s. Marcello	219
248.	De s. Margareta	220
249.	De s. Margareta	220
250.	De s. Maria Aegyptica	221
251.	De s. Maria Magdalena	222
252.	De s. Maria Magdalena	223
253.	De s. Maria Magdalena	223
254.	De s. Maria Magdalena	225
255.	De s. Martha	226
256.	De s. Martha	227
257.	De s. Martino	228
258.	De s. Martino	229
259.	De s. Martino	230
260.	In Translat. s. Martini	231
261.	In Translat. s. Martini	233
262.	De s. Mastidia	234
263.	De s. Maturino	234
264.	De s. Mauritio	235
265.	In Receptione Brachii s. Mauritii	236
266.	De sancta Maxelinde	237
267.	De sancto Mellono	238
268.	De sancto Memmio	239
269.	De sancto Memmio	240
270.	De sancto Memmio	241
271.	In Revelatione s. Michaelis	242
272.	In Translat. s. Moderanni	243
273.	De ss. Nazario et Celso	243
274.	De s. Nicolao	245
275.	De s. Nicolao Tolentino	246
276.	De s. Paulo	246
277.	De s. Paulo Leonensi	246
278.	In Transl. s. Pauli Leonen	247
279.	De s. Paulo Virdunensi	248
280.	De s. Petro	249
281.	In s. Petri ad Vincula	249
282.	In s. Petri ad Vincula	250
283.	De ss. Petro et Paulo	251
284.	De ss. Philippo et Iacobo	252
285.	De s. Praxede	252
286.	De s. Quintino	253
287.	In Inventione s. Quintini	254
288.	De ss. Ravenno et Rasipho	255
289.	De s. Regina Alesiensi	257
290.	De s. Regnoberto	258
291.	De ss. Reliquiis Baiocensibus	259
292.	De s. Remigio	260
293.	De s. Renato	261
294.	De s. Reverentio	262
295.	De s. Roberto	263
296.	De s. Roberto	264
297.	De s. Roberto	265

Nr.		Seite
298.	De s. Rocho	266
299.	De s. Rocho	267
300.	In Transl. s. Romanae	267
301.	De s. Sanctiano	268
302.	De s. Sanctino	269
303.	De s. Saturnino	269
304.	De ss. Saviniano et Potentiano	270
305.	De s. Sebastiano	271
306.	De s. Sebastiano	272
307.	De s. Sebastiano	272
308.	De s. Sebastiano	273
309.	De s. Serenedo	273
310.	De ss. Sergio et Baccho	275
311.	De s. Severino	276
312.	De s. Severino	277
313.	De ss. Sidrach, Misach, Abdenago	279
314.	De tribus Sororibus	280
315.	De s. Stephano	281
316.	De s. Stephano	282
317.	De s. Stephano	283
318.	De s. Stephano	283
319.	In Inventione s. Stephani	284
320.	In Translatione s. Stephani	285
321.	In Translatione s. Stephani	287
322.	De s. Sulpicio	288
323.	De s. Susanna	288
324.	De s. Symphoriano	289
325.	De s. Symphoriano	290
326.	De s. Syria	291
327.	De s. Thoma Cantuariensi	292
328.	De s. Thoma Cantuariensi	293
329.	De s. Urbano	293
330.	De s. Ursino	294
331.	De s. Ursula	295
332.	De s. Ursula	296
333.	De s. Ursula	297
334.	De s. Valeria	298
335.	De s. Venera	299
336.	De s. Victore Archiacensi	300
337.	De s. Victore Massiliensi	302
338.	De s. Victore Thebaeo	303
339.	De s. Vincentio	304
340.	De s. Vitono	305

IV. Commune Sanctorum.

Nr.		Seite
341.	De ss. Angelis	309
342.	De ss. Angelis	309
343.	De ss. Patriarchis	310
344.	De ss. Evangelistis	310
345.	De uno Martyre	311
346.	De uno Martyre	311
347.	De Episcopo Martyre	312
348.	De Confessore Pontifice	313
349.	De ss. Praesulibus Eduen	313
350.	De qualibet Virgine	314

B. Verbal-Index.

	Seite
Ad Agnetis decorem	92
Ad agonem animemur	311
Ad Berthae praeconium	120
Ad caeleste convivium	56
Adest dies Katharinae	193
Adest dies laetitiae	186
Adest dies veneranda	131
Adest praecelsa cunctis dies	241
Ad honorem caelestis curiae	80
Ad honorem Christi regis	233
Ad honorem Domini	117
Ad honorem Katherinae	190
Ad honorem puerorum	170
Ad honorem salvatoris | Laudes	313
Ad honorem salvatoris | Sancti	266
Ad honorem sancti Dei	132
Ad honorem trinitatis | Simplae	230
Ad honorem virginis | Et	57
Ad honorem virginis | Solvatur	51
Ad laudes matris Mariae	99
Adludamus et agamus	285
Ad superna revolare	170
Ad te refertur Christe	200
Aemiliani extollamus	87
Alpha et o rex gloriae	133
Alte spiritus fidibus	28
Ante partum et in partu	54
Antonini divi signis	104

	Seite
Arce siderea occurrens	79
Assumpto Deus homine	29
Audi Deus nostra modulamina	17
Audi mirabilia | Qui sedes	28
Ave consors angelorum	141
Ave decus Britanniae	188
Ave fulgens solis cella	58
Ave latus lanceatum	25
Ave Maria | Clemens et pia	58
Ave Maria virginum	47
Ave martyr o praeclare	272
Ave plena gratia | Stirpe	59
Ave rosa sine spina	60
Ave sacrum lumen clarum	160
Ave stella matutina | Producens	60
Ave virgo Christi cella	50
Ave virgo Dei parens	61
Ave virgo generosa | Katharina	196
Ave virgo salve lignum	55
Ave virgo singularis . . . Gemma	63
Ave virgo speciosa | Ave vitis	62
Beati Gervasii | Fratrisque	155
Benedicta sit beatrix	114
Benedictus Dominus | Excelsus	142
Benedictus sit caelorum	209
Bertuini nos merita	122
Caelorum sacrum ecclesiae	189
Canat chorus et ad caelos	300
Cantus dulcis melodiae	209
Catholica laetetur contio	151
Celebri sollemnio	152
Chorda cantet in concordi	63
Christi fulget hospitae	226
Christo laudes decantemus	167
Christo passo condolemus	24
Christo praesens familia	288
Christo psallamus voce canora	277
Christo regi iubilemus	197
Civitas Meldensium	164
Clara voce pura conscientia	147
Clarisona melodia pangamus	293
Claudi nunc gaude	129
Clerus Andegavensium	236
Collaetentur Calenses	116
Concentus vox et organa	243
Congaudemus exsultantes	45
Congaudentes | Cantemus	179
Congaudentes exsultemus | Deo	267
Constantii imperio | Doctor	140
Creasti in principio	97
Cum propter peccatum regis	34

	Seite
Cunctipotens pie pater	16
Decem uno ferme lustris	254
De concordi lyra cordis	196
Decus ac decor Galliae	187
Deo nostro noster chorus	314
De profundis clamantes	33
De spinis oriens | Flos virgo	109
Diam dies illustravit	219
Dia psalle Dia plaude	181
Diem festum celebremus	91
Dies clausa prodiit	259
Dies iste celebretur | Totus	11
Digna laudum poscit vota	123
Divino balsamo	9
Dulces soneut harmoniae	64
Ecce dies celebris | Magnobodi	218
Ecce dies digna coli	249
Ecce dies praeoptata	260
Ecce dies triumphalis	106
Ecclesia narrat tua	291
Ecclesia | Per mundi climata	310
Eia contio sancta vox nostra	115
Eia iuxta verae | prophetiae	17
Eia semper | gaude omni	121
Eia vox clara concrepet	282
Evurtii confessoris	134
Ex Aegypto Pharaonis | Veritatis	221
Ex affectu cordium	262
Exaltemus regem | Qui gubernat	23
Ex Anna est orta	280
Exsultemus collaudantes	263
Exsultemus congaudentes | Sacra	261
Exsultent solitudines	83
Exsultet caelum laudibus | Et	248
Exsultet coetus fidelium	40
Exsultet ecclesia | Ex Victoris	302
Exsultet mundus hodie Dies	110
Exsultet vox fideliam	289
Felix Anna veneretur	101
Felix dies qua sanctorum	309
Felix germen o Germane	149
Felix memoria Fidis	139
Festum crescens et cunctorum	80
Fons virtutum o Barbara	111
Fontes Elim universi	96
Frangatur mens vitiosa	142
Fratrum praesens contio	154
Fulget dies gloriosa | Atque	127
Fulget dies pretiosa | Dies	153
Gaudeamus venerantes	213
Gaudeat ecclesia | De triumpho	297

	Seite
Gaude chorus hac in die	194
Gaude Christi caterva	18
Gaude et exsulta | tellus	15
Gaude felix Aedua	201
Gaude fidelis contio | Gaugerici	143
Gaude plebs Alvernica	92
Gaude prole Francia | Gaudeat	212
Gaude prole Francia | Gratulare	144
Gaude prole Gallia	159
Gaude Sion et laetare | Tuum	44
Gaude tu baptista Christi	173
Gaude virgo florida	143
Gaude virgo mater Dei	65
Gaudiose celebremus	55
Generosa | Caelorum regina rosa	66
Germinavit radix Iesse | Quicunque	66
Glorientur virgines	192
Glorietur sedule | Hildeverto	163
Glorificantus | Laetetur	26
Gloriosae Mariae matrem	103
Gloriosa sponsa Christi	288
Grato psallens Laudum	198
Gratulare nunc Francia	205
Gratulemur in hac die	99
Gratulemur Leonia	156
Gratuletur urbs insignis	258
Hac in die gaudeamus	238
Haec est dies quam fecit	32
Hic exsulta plebs fidelis	214
Hilarius via morum	162
Hodie beatus Andreas	95
Hodiernae lux diei | Celebris	311
Hodiernae lux diei | Martyris	211
Iam lucis sidus oritur	204
Iesus montem Tabor scandit	26
In caelesti curia | Inter	264
Inclinavit caelos Deus	67
Incliti martyris laudes	272
In conspectu angelorum	242
Increpa te Normannia	234
In hac die iubilemus	252
In hac die triumphavit	183
In honore matris Dei	67
Initium salutis oritur	41
In Marthae sollemnio	227
Inter natos mulierum | Ut	173
Inter primos commensales	167
Is qui solus est eus per se	174
Iterii sacra gesta	182
Iubilemus et laetemur	269
Iubilemus exsultantes	128
Iubilemus omnes una	169
Iucundus ecclesiae | Chorus	294
Iuliani sacri laudes	184
Katharinam gloriosam	192
Laetabundus | Exsultet	113
Laetabundus | Fiat chorus	147
Laetabundus | Iohanni	171
Laetabundus | Memmio	240
Laetabundus | Pastori det grex	247
Laetabundus | Sanctini	269
Laeta fano | Cantet plebs	270
Laetetur ecclesia | Devotione	184
Laetetur mons Sion	295
Laetis fidibus clange lyra	84
Lauda crucem plebs votiva	25
Lauda Sion gloriosum	229
Laude praecelsa | Iubilet	231
Laudes almi Leontii	206
Laudes Deo creatori	136
Laudes dignas attolamus	220
Laudes dignas decantemus	305
Laudes Lupo concinamus	216
Laudes praestat omnia	205
Laudes primi attollamus	284
Laudes promat noster coetus	257
Laudes tanti praesulis	120
Laudum melos resonemus	161
Laudum vota | Solvat	124
Laus Deo per omnia	312
Laus superno | Sempiterno	119
Laus tibi Christe | Quem magi	169
Leonensis terra plaude	246
Lux de luce revelatur	27
Lux est orta de tenebris	100
Lux in laude iucundetur	210
Lux iucunda lux insignis	255
Lux praesens laudes exigit	138
Magdalena gratia	223
Magnum nobis gaudium	51
Maria Christi Dei genetrix	68
Maria mater gratiae	68
Martyris egregiae | Venerae	299
Mater Dei | Praesentis luce	40
Mater Matris Domini	101
Melos pangat inclitum	113
Mens et vox fidelium	309
Militi Sebastiano	273
Mirandum commercium	109
Missus Gabriel de caelis	45
Mittit in Neustriam	135

	Seite
Mnas appendit talentorum	203
Mundo corde pura mente	146
Nascitur ex virgine	52
Nato canunt omnia Domino	19
Nero plange Roma gaude	246
Nova cantet cantica	107
Nova fiant omnia	52
Nova laudum cantica	23
N . . . . . servitium	179
O felices et beati	268
Omnis sexus omnis aetas	217
Omnium sollemnio	82
O pater Nicolae	246
O quam dulce quam salutiferum	15
O sancte Dominice	132
O Stephane martyr Christi	283
Pangamus inclitam	223
Pangat nunc chorus dulcia	290
Pangat plausus huius chori	89
Paupertatis nube tectum	228
Per te pater salvari	93
Per unius casum grani	253
Plaudat iubilet exsultet	279
Plebs Gallorum cismontana	267
Populis fidelibus | Sit gaudium	171
Post triumphum summi regis	287
Praecelsa laude Iesu	176
Praeclari viri merita	105
Praecursoris et baptistae	175
Praesens dies honoretur	95
Praesul comes sublimatur	243
Promat pia vox cantoris	86
Protomartyr inclitus	283
Psallat Aedua nobilis	313
Psalle plebs christicola	202
Psalle symphonizando	126
Pugil Christi sanctus	271
Purpurata martyrum	90
Quando conscientia	87
Quanta gandia piis	31
Quattuor sunt mi alae	310
Qui conceptus alvo matris	172
Recessernnt febris frigus	105
Recolamus gratulando	208
Refulgens in medio	123
Regi regum laudem demus	97
Resonant interna Domino	48
Resonet ecclesia | Magna	83
Resonet fidelium ecclesia	185
Rex Salomon purpuratur	24
Roma felix gratuletur	251
Sacrae virginis Praxedis	252
Sacra modo tropaea	225
Salve decus angelorum	48
Salve decus honestatis	158
Salve dies sanctissima	33
Salve festa dies Christi	245
Salve gemma paradisi	42
Salve lucis verae parens	69
Salve mater misericordiae	69
Salve mater salvatoris | Quae	49
Salve radix Iesse quem	94
Salve salus peccatoris	70
Salve salve stella maris	70
Salve sancta Christi parens	71
Salve virga mystica	72
Salve virgo Christi parens	72
Salve virgo singularis | Salve	47
Salve virgo virginum | De	73
Sancte Laude miles	199
Sancti Iohannis Baptistae	176
Sancti papae Gregorii	158
Sanctissimi veneranda	85
Sanctum Dei militem	146
Scribam evangelii	178
Sint lumbi vestri	235
Sion laude debita	250
Sion psalle Sion plaude	125
Sion sancta gratuletur	130
Sonet intus pangat foris	276
Sospitati dedit aegros | Iugis	214
Spiritali delectemur	239
Splendor patris et figura	18
Spoleti claro sanguine	273
Stabat mater regis nostri	53
Stella maris | O Maria	74
Stola felicitatis	304
Stola virginitatis	75
Suasus mulieris	20
Summae verae trinitatis	35
Summe Deus exaudi	222
Superni regis gandia	211
Superorum harmonicas	296
Surge caterva psallens	39
Surgite fameliei	118
Templum sancti spiritus	75
Tota debet exsultare	281
Triumphalis o regina	191
Triumphemus triumphali	293
Ut Leonis testatur litera	165
Valeria martyr beata	298
Veneremur hodierna	249

	Seite
Veneremur sacramentum	30
Veni Barbara sponsa	107
Veni de caelestibus	156
Veni sancte spiritus | Quibus	30
Veni spes sanitatis	93
Verbum bonum et suave | Cordis	234
Verbum manens ab aeterno	76
Vexilla Christi refulgent	21
Via vita veritas	137
Victima Christi victoris	134
Victorem hostis vesani	186
Vincat mentes vincat mundum	303
Virginis invictae laudes	220
Virginis matris gaudia	43
Virginis sacratae Maxelindis	237
Virgo Christum nimio	108
Virgo gaudet filio	292
Voces clangant cum dulcore	265
Voce vita mundum	275
Zona castitatis	207

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.